




13
8 K
16

LIBER XVI.

SVPPLEMENTI

PARS I.

DE FEVDIS, ET BVLLA BARONVM,

DE REGALIBVS,

DE IVRISDICTIONE,

ET

DE PRÆEMINENTIIS.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

Stante relatione *D. Nicolai Compagni in Romana Curia Aduocati* ex nostra commissione, vt nihil contineatur Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capisuccus Sac. Pal. Apost. Magister Ord. Prædicatorum.

THEATRI
VERITATIS, ET IVSTITIÆ
SVPPLEMENTVM
EIVSDEM AVCTORIS,
LIBER XVI. PARS PRIMA.

In qua agitur

DE FEVDIS, ET BVLLA BARONVM,
DE REGALIBVS
DE IVRISDICTIONE,

ET

DE PRÆEMINENTIIS.



R O M Æ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ. M.DC.LXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

AVCTOR LECTORI.



ERITATIS, ac Iustitiæ ratio exigere, imò cogere videbatur, vt iam promissum mei Theatri Librum decimum sextum in quatuor diuisum partes, cui SVPPLEMENTI titulus est, nonnisi Sanctissimo Pontifici INNOCENTIO XI. inscriberem, atque dicarem; Illum namque Deus elegit, vt easdem Veritatem, ac Iustitiam penè deficientes restitueret; Ac etiam quia dum ex iam editis eiusdem Theatri Libris primum, & duodecimum, duobus prædecessoribus Pontificibus dicaui, à quibus beneuolentiæ, ac existimationis, animo quidem concepta, nulla verò expressa opere habui beneficia; longè magis id præstare deberem tanto Benefactori, cuius seruitio in tot notis muneribus addictus viuo. Studiosè tamen abstineo maioris obsequij, ac deuotionis impulsu, vt eius genio magis occurrerem, eiusque voluntatem obedientia præoccuparem, conscius laudes ab animi magnitudine negligi, & à modestia recusari; Vndè fas est tanti Principis conijcere virtutem.

INDEX
Titulorum, seù Materiarum totius Operis.

Par.

INDEX
ARGVMENTORVM
IN DISCVRSIBVS
Qui continentur in hoc Supplemento tituli de Feudis,

Disc.



INDEX

INDEX CAVSARVM

Quæ continentur in hoc Supplemento Tit. de Feudis ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

SVPPLE-



SVPPLEMENTVM THEATRI



PROEMIVM.

SVMMARIVM.

1 *Quod opera hominum sint imperfecta.*
2 *Fortius in legalibus, & quare?*
3 *De fine huius Supplementi.*
4 *Difficile est cognoscere errores proprios, facilè autem alienos.*
5 *Quæ species imperfectionum non excusentur.*
6 *De rationibus styli, qui ab aliquibus damnatur, & præsertim circa enarrationem facti.*
7 *Qualis debet esse finis Scriptorum.*
8 *In quo consistant partes Iudicis, vel Consulentis.*
9 *De ratione ob quam negligantur allegationes, & quando illæ sint commendabiles.*
10 *De aliquibus excusationibus.*
11 *Distinguuntur partes, & de voluminibus, vel partibus, in quas iste Supplementi liber diuiditur.*
12 *De Indice generali, qui annectitur.*

1 DEI perfecta sunt opera; hominum autem semper imperfecta, etiam in ijs, quæ ex certis, ac inuariabilibus pendeant principijs: Humanæ siquidèm imbecillitati perfectio non conceditur, quæ solùm cęlesti reseruata est vitæ; atq; ille, qui perfectus esse credit, maiori vtiq; laborat imperfectione.

2 Magis verò in hac legali forensi, quàm in alijs facultatibus ista dignoscitur imperfectio, quoniam non ab inuariabilibus scientiæ principijs causarum decisio pendet, sed ab eorum applicatione ad indiuidua, ideóque semper incerta est veritas, variaque est casuum, licèt similium, decisio; Tùm ob ingeniorum varietatem; Tùm etiam ob casuum circumstantias, ex quarum, licèt modica varietate, magna diuersitas iuris manat. Atque hinc sequitur, vt iurisprudentia potiùs, quàm iuris scientia dicatur, cùm tota vis in applicatione benè facienda consistat, exindéque tot manant iudiciorum, seu

rerum iudicatarum in eisdem casibus variationes.

Hanc itaque imperfectionem præuidendo ab ipso initio; quo (teste Deo)
3 ex vnico veritatis, & iustitiæ zelo, aliquot forenses labores publicæ luci tradere decreui, hunc particularem Supplementi librum promisi, vt eo mediante, aliqua sequi posset suppletio illarum imperfectionum, quas interim eadem humana imbecillitas in proprijs operibus agnoscere tribuerit; Nil enim est in hoc
4 Mundo faciliùs, quàm alienos, nil verò difficiliùs, quàm proprios cognoscere errores; festuca enim in alieno oculo nimium de facili inspicitur, vix autem trabes in proprio.

Omnes itaque ingenij, vel iudicij imperfectiones, & errores, quos multos fateor, & agnosco (nullum tamen certé voluntatis) tàm á Sapientibus, quàm
5 ab insipientibus adnotatos admitto, nullamque peto excusationem, sed potiùs gratias ago, vt itá criticando, magis inseruiatur Iustitiæ, & veritati, circa quas vnicus est meorum laborum scopus. Tres autem vociferatos errores non admitto, neque corrigo. Vnum nempè super prolixa, nimiumque exacta, & distincta facti serie, vel enarratione, quasi quod Iurisconsulto incongruat in ijs, quæ facti sunt nimium immorati, dum pro Curiæ Romanæ stylo, causarum Patronis potiùs, quàm Aduocatis id congruit. Alterum super allegationum, vel auctoritatum penuria, & aliquando omnimoda carentia, maiorem vim in ratiocinijs, vel in distinctionibus proprio marte constituendo, cùm ita à communi iuris professorum stylo deuiatum esse obijci soleat. Et tertium super frequentibus relationibus ad alibi dicta.

Sciens etenim, ac volens, ex virtutis motiuo, in his omnibus talem adhibui
6 stylum, eadem me impellente ratione, quæ omnibus æqué congruit; Vt enim alibi agendo de modo iudicandi, ac scribendi aduerto (A) raræ sunt hodie fori quæstiones, quæ in puro iuris articulo consistant, vt in decurso sæculo, ac etiam in currentis initio casus præbebat, quando tot quæstiones, quas nunc iam sopitas habemus, adhuc sub nimium incerto Iudice indecisæ pendebant; Hodie siquidem tota vis disputationum, vt præmissum est, congruam solùm applicationem percutit, & an cum ea opinione, quæ recepta sit pro regula, vel cum altera, quæ pro limitatione, procedendum sit, idque ex facti qualitate, & circumstantijs pendet; Igitur, nedùm commendabilis, & opportuna, sed necessaria est exacta, benèque distincta facti series cum omnibus eius circumstantijs, dum ex eis iuridicarum propositionum applicatio, congruauè causarum decisio pendet, adeóvt leuis etiam, ac modica diuersitas totũ ius variare faciat; Exindèque manar, vt in casibus, qui penè identifici videntur, sub eisdem cadentes iuris articulis, diuersum proferri debere iudicium, quotidiana praxis doceat. (B)

Præcipuus namque finis eorum, qui proprios labores publicæ luci proferunt, non ille vanitatis, propriæque inanis
7 gloriæ, vel ambitionis ad captandos honores, vel dignitates, esse debet, sed alter charitatis ergá posteritatem, ac zeli ergà veritatem, & iustitiam, vt itá Iudices, & Consulentes, benè iudicandi, vel consulendi artem addiscant; Ista verò ars, vnicè, ac principalitèr consi-
8 stit in benè, congruèue adaptando legem facto, iuxtà indiuiduorum casuum particulares circumstantias, vt ita, cum aliorum similium, vel dissimilium casuũ exemplis, rebusque iudicatis, proprium iudicium congrué ad veritatis, & iustitiæ limites interponi valeat; Ideòque opportuna, quinimó prçcisè necessaria censenda est exacta, benèque distincta notitia facti, vt ita circumstantiarum vtriusque casus combinatio fiat, atque dignoscatur, an id quod in vno casu aliàs decisum est, congruat illi, qui pendeat. Impossibile siquidem videtur, citrà æquiuocorum labem, decisiones, vel doctrinas oportunè adaptare, nisi præmissa casuum, eorumque circumstanriarum combinatio fiat, ac proptereà apud posteritatem, vel apud exteros, qui illius casus seriem non calleant, manifestus censendus est error eorum, qui respon-
sa,

A. *lib.15.in relat.Cur.disc.32.& 46. & disc. 35. de iudic. & in opusculo styli legalis.*

B. *in eisdem mox citatis locis.*

sa, vel decisiones edunt in voluminibus absque bené distincta facti serie; Maior veró est ille edendi responsa, quæ non ad veritatem, sed ad requirentis oportunitatem conductitio more dentur; Id etenim perniciosum, atque Reipublicæ, ac iustitiæ, & veritati nimium præiudiciale censendum est.

9 Eadem quoque ratio me impulit deuiare à magis communi modernorũ collectorio stylo, circà inutiles, ac superfluos allegationum cumulos, super ijs, quæ ampliùs in quæstione non sint, sed præsupponi possint, vel debeant, vtpoté iam recepta, & per oppositores non negata; Cúm etenim ex præmissis, tota vis in applicatione consistat, & an illud iuris principium, quod generalitèr, ac in abstracto verum, & incontrouersum fit, congruat nec nè casui quæstionis, idcircó in hoc insistendum venit, vt alij edoceantur, non autem in superfluis, vel notorijs euagandum est, vt *in styli legalis* opusculo magis ex proposito aduertitur.

Cumque hunc abusum vtpoté repræhensione, ac reformatione dignum semper damnare, ac redarguere sim professus, cùm reverà omni ratione sit destitutus; Hinc meritó debui illum respuere, nè aliàs facta essent contraria verbis, & monitis; Adeóvt pęniteat quidem in aliquibus partibus id egisse, quando non coegerit necessitas, ad cuius limites id agendum est, dum ea vrgente, stylus remanet commendatione dignus, super ijs scilicét punctis, vel articulis, qui adhuc dubij, ac indecisi remaneant, ideòque ad eos quæstio restringatur, atque necessitas, vel oportunitas cogat; Natura enim abhorret superflua, quibus excrementorum nomen tribuit; Ideòque in huiusmodi superfluitatibus immorari idē est, ac responsa, vel discursus excrementis replere.

Demùm veró quoad tertium, id studiosè factum est euitandi gratia maiorem errorem in modernis Collectoribus frequentem, vt eædem conclusiones ex integro centiés per eadem verba, & cum eisdē allegationibus transcriptorio stylo repetantur, adeóvt ex multis voluminibus vnum resecatis superfluis repetitionibus confici posset, quo nil ineptiùs; Atq; si aliàs allegando auctoritates, cogendus esset lector incredulus illos inuenire, ac aperire libros, non videtur cur id, quod faciliùs est in eodem opere fieri non valeat.

Alij veró errores humanę condonandi sunt imbecillitati, cúm non possit vnus facere omnia; Ipse etenim Deus fecit nos, & non ipsi nos; Ipseque in Euan-10 gelica parabola non vniformem, sed difformem talentorum distributionem seruis fecit, dum vni commisit quinque, alteri duo, alteri veró vnum; Æquè tamen laudatur ille seruus, qui operatus est minora, & qui maiora; Sufficit namq. illam bené gerere personam in scena, quam eiusdem scenę Magister distribuerit. Curaui itaque operari illud vnum exiguum talentum, quod Domino mihi distribuere placuit. Illi veró, qui duo, vel quinque, aliaué maiora sibi distributa esse credant, ea iuxtà dominicum præceptum ad proportionem operentur, atque ita alienos defectus supplendo, maiora faciant, ac meliora.

Duas veró partes continet hæc Suppletio: Primò nempè, iuxtà eumdem librorum, seù materiarum ordinem iam tentum in Theatro, adnotandi in singulis quibusque discursibus iam editis id, quod in illis causis suppletione, vel animaduersione dignum reputetur. Et secundó agendo de nouis casibus, de quibus interim disputare occasio dedit, ita continuando eiusdem materiæ discursus, eorumq. ordinem, adeóvt ille discursus, qui in singulis materijs in hoc Supplemento sit primus, sequatur cum ordine numerico vltimum iam editum.

11 Opinabar, quod vnum volumen pro isto decimosexto Supplementi libro iam promisso, sufficeret, casus autem aliàs præbuit, ac propterea in quatuor partes, vel quatuor volumina diuiditur; In quorum primo continentur quatuor materię, vel tituli, de Feudis, de Regalibus, de Iurisdictione, & foro competenti, & de Præeminentijs contentæ in primo, secundo, & tertio libro. In secundo de Seruitutibus, Emphyteusi, locato, & conducto, vsuris, cambijs, censibus, societat. officiorum, de dote, donationibus, emptione, & venditione, alienat. & contract. prohib. Tutoribus, & Curatoribus, & Credito, & Debito, contentę in 4. 5. 6. 7. & 8.

In tertio de Testamentis, Hærede, & hæreditate, legitima, & alijs detractionibus, Fideicommissis, Legatis, Successionibus ab intestato, & renunciationibus, de quibus agitur in 9. 10. & 11. Et in quarto de beneficijs Ecclesiasticis, Canonicis, Dignitaribus, & Capitulo, Parochis, & Parochijs, Iurepatronatus, Pensionibus ecclesiasticis, Regularibus, Matrimonio, Decimis, Miscellan Ecclesiast. Annot. ad Concil. Tridentin. Iudicijs, & relatione Curiæ, de quibus in 12. 13. 14. & 15. ità omnes materias in quindecim iam editis Voluminibus contentas complectendo.

Singulis libris, vel respectiuè titulis, ac materijs iam editis, pro maiori à modernis adeò desiderata, & commendata,
12 apud me tamen patùm laudabili cōmoditate, materiarum Indices, vel Repertoria à plerisque studiosis Iuuenibus fieri curaui, quorum aliqua meliora, alia deteriora sunt, iuxtà Compositorum varia talenta; Quia tamen Professorum Vniuersitas vndique Indicem generalem totius Operis enixè petijt; Idcircò istum quoque à meo studioso Alumno, & studiorum Adiutore componi curaui, atque huic Supplemento adijci, nulla tamen mea opera in hoc adhibita.



ANNO-

ANNOTATIONES

Ad Discursus iam editos.

SVMMARIVM.

1 *De statu causæ.*
2 *Quod etiam senex possit generare filios.*
3 *De distinctione inter fraudem consilij, & fraudem praiudicij.*
4 *De alia distinctione inter conditionem suspensiuam, & resolutiuam, seù modalem.*
5 *Actus factus cum vno præsupposito, corruit eo præsupposito cessante.*
6 *Qualis impotentia habendi successorem attendatur.*
7 *Quod in hac materia subinfeudationis procedi debeat cum distinctione casuum.*
8 *Qualis sit subinfeudatio propria de qua agunt antiqui feudistæ.*
9 *Quod non sit in vsu ista species subinfeudationis.*
10 *De alia specie subfeudi, vt subinfeudans aliquid retineat.*
11 *Et pariter ista species non est in vsu sine assensu.*
12 *De subfeudis improprijs, quæ sapiant potiùs allodialitatem in excadentijs.*
13 *Quod ista subfeuda dicantur esse in fructu.*
14 *Et quod in hac specie non attendatur fraus præsumpta, de qua num.3.*
15 *Et non intrat Bulla Pij V. de non infeudando.*
16 *Qualis sit propriè casus subinfeudationis, in qua intrat ratio fraudis in eo qui desperatus est successore.*
17 *Et quod in eo intret Bulla Pij V.*
18 *De errore modernorum circa collectiones doctrinarum.*
19 *De quæstione an deuoluto feudo, deuoluantur subfeuda.*
20 *De clausula* sine præiudicio, *vel alia* saluo iure, *apposita in assensu quid operetur.*
21 *An leges feudales attendi debeant, & quomodo in Statu Ecclesiastico, in illius feudis.*
22 *De fraude præsumpta in inuestituris abusiuis de feudo adhuc pleno.*
23 *De infeudatione locorum habentium priuilegium, vt non possint infeudari.*

ANNOT. AD DISC. I.


1 REMANET ista causa in eodem statu, neque vlteriorem prosequutionem habuit; Quamuis enim initio Pontificatus Clementis Noni, successoris Alexandri Septimi, sub quo illa disputata fuit, Actor, vel ipso defuncto, eius filij obtinuissent iterùm audiri, nouamque disputationem præparassent, communicando iuxtà stylum, anticipatè ministris Cameralibus, informationes facti, & iuris, vt pro eorundem Cameralium commoditate, responsiones parari possent, cum in hoc præsertim consistat priuilegium fisci in litibus, quas habet cum priuatis; Attamen (incertum est ex quo motiuo) ab vlteriori prosequutione desiterunt.

In his itaq; nouis informationibus, in substantia continebãtur eadẽ fundamenta, quæ in prioribus disputationibus deducta fuerunt; atq; Scribentes se restringendo ad solum punctũ (in quo verè nodus causę consistebat) inualidę subinfeudationis, ob fraudem à lege præsumptã ex imminentia deuolutionis, in duobus potissimè insistebant; Primò nempè in exclusione præsumptionis fraudis, tàm ratione notoriæ integritatis, ac religionis subinfeudantis, quàm etiam ratione iustę causæ, quæ illum impulit ad id agendũ, vt adeò grata memoria huius familiæ apud illos subditos conseruaretur.

Et secundò aliqui ingeniosè ponderabant, quod neque dici poterat, vt verificaretur præsuppositum certæ, ac imminentis deuolutionis, ob desperatum successorem, dum reassumendo collecta per *Narbon. in tract. de ætat. ann. sexagesim. quæst.4. & Rot. apud Merlin. decis.229. in fin. repetit. decis.20. par.5. rec.*
2 probare conabantur, quod etiam senes septuagenarij, & vltrà, filios procreare possent, cum in hoc differant viri à mulieribus, deducendo non solùm exempla antiqua à Scriptoribus relata, sed etiam aliqua moderna, & de præsenti in ipsamet Vrbe, quod septuagenarij habentes vxorem etiam senem, ista defuncta, aliam iuuenem duxerunt, & filios procrearunt, vt præsertim sequutum est in eodẽ Duce Iouij Hieronymo Matthæio

qui hodiernum Ducem procreauit.

Occasione autem congressus habiti per Camerales prò huius nonæ disputationis præparatione, de præmissis discurrendo, quatenùs pertinet ad primum fundamentum bonæ fidei pro exclusione præsumptæ fraudis; denuò reflectendo ad iam deducta in discursu, in sensu solius veritatis credebam, quod ea subsi-
3 sterent, quod scilicèt, ista non sit fraus consilij, seù criminosa desideranda in singulis casibus, & in personis indiuiduis facientibus actum, sed sit illa fraus, quæ dicitur præiudicij, seù rèipsa generalitèr per legem inducta, ex sola ratione status, in quo reperiatur ille, qui actum gerit, iuxtà iam adducta exempla, quodque verè, & propriè actus irritatio non proueniat directè á fraude, iuxtà ea, quæ habemus in materia litigiosi, vel in materia ædicti *de his, quæ in fraudem creditorum &c.* cum similibus, in quibus rectè procedit; vt sola iuris præsumptio tolli possit per contrariam probationem, etiam præsumptam, & elicitam ex fortioribus præsumptionibus, sed quod potiùs proueniat á defectu potestatis, quam lex isto casu neget, vel auferat; Quasi quod illa subinfeudandi licentia, quam lex, vel homo feudatario concedit, istam sub se habeat implicitam conditionem à lege subintellectam, dummodò scilicèt actus fiat tempore habili, non autem quando sit verisimilitèr de prole desperatus, ac propterea immineat deuolutio, adeòvt dicatur potiùs defectus conditionis suspensiuæ, impedientis ne actus fiat, & ne ius subinfeudato quæratur, non autem, vt sit conditio resolutiua, quæ irritet actum iam perfectum, tan-
4 quam per speciem priuationis iuris quæsiti, iuxtá distinctionem inter conditionem, per quam impeditur ius quærendum; Et modum, per quem tollatur ius quæsitum, de qua plenè *sub tit. de fideicommiss. disc.* 154. *& disc.* 73. *de testamen. atque disc.* 70. *de benef.*

In primo enim casu conditionis, non requiritur fraus, vel malitia, sed sufficit ipsum factum ex deductis locis proximè citatis, ideòque in hoc proposito istud vocabulum fraudis adhibetur per quemdam improprium modum loquendi, ad explicandam rationem, quæ generalitèr impulit legem, ad adijciendam, vel ad subintelligendam istam conditionem, per quam auferatur potestas, siuè quod illa habeatur pro non attributa.

Quo verò ad aliud fundamentum metaphysicę possibilitatis procreandi filios, ponderabam responderi posse, quod motiuum forsan aliquam haberet subsistentiam, quando imminentia deuolutionis, atque desperatio successoris deducerentur ex sola præsumptione iuris, ratione grauis ætatis; Secùs autem in hac facti specie, quod idem feudatarius, iuxtá facti seriem in discursu recensitam, iam agnouerat imminentem deuolutionem, atque per concordiam se exauctorauerat, ac propterea versabamur in terminis fortioribus ex circumstantijs facti.

Verùm, reflectendo ad veritatem, responsio non satisfaciebat, quoniam dicta declaratio facta fuit ob præsuppositum,
5 quod tunc feudatarius habebat, rebus in eo statu permanentibus, & quatenùs casus aliàs non præberet, ac propterea si de facto postmodùm aliam iuuenem fœcundam vxorem ducendo, prolem legitimam suscepisset, iuxtá superiùs recensitum casum, quem nostra ætate in Vrbe praxis docuit, vtique deuolutioni locus non esset, dictaque concordia, seù declaratio euanuisset, tanquam ex cessante, seù ex falso præsupposito; ad instar eorum, quæ in fortioribus terminis habentur *sub titulo de donation. disc.* 20. ad materiam *text. in l. si vnquam C. de reuocand. donat.* vt scilicèt quamuis dicti textus dispositio super resolutione donationis ob superuenientiam filiorum cesset, quando dispositioni dictæ legis fuerit renunciatum, eiusque mentio habita sit, adhuc tamen locum habeat, ob immutatum rerum statum, ac cessatum præsuppositum, quod donator tunc in animo habebat, quia nempè haberet vxorem sterilem, ac propterea iustum haberet motiuum se opinandi desperatum de filiorum procreatione, renunciando dispositioni dicti textus, tanquam cum eo effectum non sortituri, adeòvt dici valeat, quod fuerit renunciatio eorum quæ haberi non possunt, Et per consequens non obstat, si casus præbeat, vt mutata vxore, insperatorum filiorum procreatio sequeretur, ex ibi deductis.

Solidior autem videbatur responsio,
6 quod ad hunc effectum per leges feudales,

les; vel per feudistarum traditiones, de quibus in discursu, non desideratur physica negatio potentiæ, adeóvt excludat contrariam possibilitatem, sed sufficiat desperatio verisimilis, siue impotentia moralis, dum tàm in ista materia feudali, ad hunc effectum, qnam etiam in materia fideicommissaria, & in alijs, ex cõmuni, ac recepto omnium sensu, de legitima, & naturali prole desperati reputantur religiosi solemnitér professi, ac etiam clerici sæculares constituti in sacris, quamuis aliás ad id essent naturalitér habiles, & tamen etiam in istis verificatur physica possibilitas, ob dispensationem Apostolicam, cum similibus; potissimè vbi iam verisimile per euentũ comprobatum fuit esse verum.

Prætereà ad clariùs elucidanda æquiuoca in hac materia subinfeudationis, tàm de iure communi feudorum, quàm in hoc Principatu ex Bulla B. Pij V. de non infeudando, cum quibus, tàm in primis disputationibus, quàm etiam in
7 his præparationibus procedi videbatur per Scribentes hinc indé, ex consueto errore (qui est æquiuocorum fæcunda mater) procedendi cum generalitatibus, atque maiorum traditiones accipiendo in sola litera in quibuscumque casibus, non reflectendo ad illorum distinctionẽ; Aduertebam, quod in hac materia subinfeudationis reflectendum est ad plures illarum species, insinuatas supra *disc.7;* ità plures casus constituendo.

Primus enim casus est, in illa pura, &
8 omnimoda subinfeudatione, quæ ad instar subemphyteuticationis, vel sublocationis nostrorum temporum, antiquis temporibus fiebat, de toto feudo, per quandam cessionem sui iuris alteri, illum subrogando, vel ponendo in locum suum nihilo pro se reseruato, adeóvt subinfeudans exiret omninó de scena; Et tunc propriè intrat quæstio de qua in discursu, an scilicèt leges feudales, quæ id permittunt, sint authenticæ nec ne, ac etiam alia quæstio, an eædem leges feudales, admittendo illas esse authenticas, sint antiquatæ, vel correctæ per legem Federici *in cap. Imperialem &c.* Istòque casu opinio, quæ concedit feudatario istã facultatem subinfeudandi, desiderat concursum trium requisitorum, illius præsertim, vt fiat personæ æqualis conditionis, & cum eisdem legibus, & conditionibus ad illum effectum, ne fiat potentiori, ob difficultatem obtinendi seruitium, & fidelitatem, & ob alias difficultates in casu deuolutionis; Et é conuerso, ne fiat pauperiori ob eandem difficultatem obtinendi seruitium reale, vel personale, siuè etiam ob deteriorationẽ, quæ in feudo contingere solet; Et sic desideratur æqualitas, vt præseruetur omne Domini præiudicium, adeòvt nil sua intersit mutati personam feudatarij; Vt etiam desideratur, vt fiat de toto feudo, nihilo subinfeudanti reseruato, ne indé sequatur feudi diuisio; Ac etiam desideratur, vt gratis fiat, ne aliàs, ita sequatur prohibita venditio, vel alia prohibita alienatio, sub hoc subinfeudationis pallio occultata.

Verùm euidens videtur aliquorum æquiuocum, applicandi modernis sub-
9 feudorum speciebus, iuxtà præsentis controuersiæ casum, ea quæ per antiqua iura feudalia, vel per antiquos feudistas, in hac specie subfeudi dicuntur, cùm sint termini diuersissimi; Siquidém in proprijs, & rectis feudis, Ciuitatum, Oppidorum, & Castrorum cum iurisdictione, & imperio, & quæ propriè constituunt Barones, iste vsus omnimodæ subinfeudationis ampliùs non datur, atque fabulosum esset assumprum, vt sine consensu Domini infeudantis, qui iuxtà hodiernum rerum statum, frequentiùs est præsupponendus Princeps supremus, licitum sit id gerere, quodque Dominus ignarus, vel inuitus, teneatur alium feudatarium, seù vassallum recipere; Et per consequens ideales remanent quęstiones prędictę á nostris maioribus disputatę.

Alter casus est, illius subinfeudationis, quę fiat quidem de integro feudo,
10 omnibusque iuribus, ponendo alterum in suum locum, aliquo tamen iure sibi reseruato, ac propereà ille, qui facit subinfeudationem, adhuc remaneat Domini directi vassallus, & feudatarius, ipseque efficiatur Dominus subalternus subinfeudati, qui ipsum immediatum, non autem mediatum agnoscit in dominum, iuxtà distinctionem, de qua *d.disc.7.* & *disc.59.*

Sed paritér in feudis rectis, & proprijs, vt supra, fabulę speciem redolet dari

dari in praxi istum casum, vt sine consensu Domini id agere liceat, dum in hoc sæculo currenti, ac etiam in proximè decurso, in nostra Italia aliqua desupèr vidimus exempla in feudis Senarum, & Plumbini, de quibus *d.disc.59.& in alijs ibi proximis, & disc.54.* non solùm cum expresso assensu, sed etiam(saltèm respectu Plumbini) cum obligatione feudatarij subinfeudandi personam ab ipso infeudante nominandam; atque in huiusmodi subinfeudationibus praxis docuit, nullum ex tribus requisitis prædictis seruatum fuisse; Siquidem (exemplificando in eodem recentiori feudo Plumbini) nõ fuit quidèm seruatum primum requisitum subinfeudandi integrum feudum, nihil pro se retinendo, dum Rex feudatarius, qui subinfeudationem fecit, pro se retinuit altum dominium subalternũ, siuè illam maiorem supremitatem, quæ vulgò dicitur *S: uranità*, nec non ius deuolutionis, atque ius muniendi arces, siuè vt vulgò dicitur, *ius Præsidiorum*. Minùsque alterum, vt gratis fieret, cùm potiùs processum fuerit per viam concessionis feudi emptitij, soluendo Imperatori pro nominatione duodecim centena milia florenorum Rheni sub nomine laudemij, & Regi pro subinfeudatione scuta circitèr centum mille.

Et demùm neque tertium, vt fieret personæ æqualis cõditionis, cum feudatarius esset potentissimus Rex,& Monarcha, subinfeudatus autem simplex Baro; Quinimò potiùs abhorretur subinfeudatio personæ æqualis potentiæ, vel etiam minoris, quæ sit de sphera Principum, cum similibus exemplis, quæ dari pos-
11 sent, ergo palpatur manibus simplicitas modernorum, quos elaboratè colligere professus est in ista causa *Altograd.cons.5. lib.2.* adhibendo nostris temporibus in feudis rectis, & proprijs Ciuitatum, Oppidorum, & Castrorum cum imperio,iurisdictione, & vassallis, ea quæ per antiquos feudistas in hac materia subinfeudationis traduntur.

Tertius est casus, illorum subfeudo-
12 rum, quæ concedi solent, etiam per feudatarios subditos, & merè subordinatos, de aliquibus prædijs, vel petijs terræ subinfeudari, & concedi solitis, & quæ veniunt sub nomine excadentiarum, atque in Regno Neapolitano nuncupantur feuda plana, & de tabula, iuxtà diuersas species distinctas *d. disc.7.* Et paritèr fabulosum videtur hodie huiusmodi subfeudis applicare antiquas leges, vel consuetudines feudales,vel antiquorum feudistarum traditiones, cum istis adaptetur terminus subfeudi, per quendam improprium vsum loquendi,sed reverà nihil habent feudalitatis, nisi aliquam imaginem remotam; Neque in eis verificantur dicta tria requisita,dum non est subinfeudatio de toto feudo, neque fit personæ æqualis conditionis,quoniam frequentiùs fieri solet personis priuatis, & proprijs subditis, ac etiam pretio mediante sub nomine laudemij, (vel intraturæ, in quo consistere videtur totum, vel maius Domini emolumentum, iuxtà ea, quæ habentur in materia emphyteotica *sub tit. de emphyt.* in Abbatijs Farfesi, & Nonantulan.& in Ecclesijs Status Vrbini, ac alijs comprehensis sub Bonifaciana, cum similibus ibi enunciatis.

Isto autem casu, huiusmodi ius sub-
13 infeudandi, dicitur esse in fructu tanquam per speciem iuris præsentandi, vel nominandi ad beneficia de iure patronatus, quando casus vacationis contingat; Et per consequens in hac specie subfeudi, intrare non videntur ea, quæ habentur circa dictam fraudis præsumptionem,
14 resultantem ab imminentia deuolutionis,quotiès iure feudatarij adhuc durante, citra fraudem, & affectationem supplantandi Dominum, sequatur casus deuolutionis huiusmodi excadentiarum, quoniã sicuti feudatarius senex, vel alias de successione desperatus, non prohibetur percipere omnes fructus, etiam insolitos,quos, suo iure durante, natura, vel fortuna producat,ac etiam non prohibetur facere præsentationes, vel nominationes in beneficijs de iure patronatus, quod sit annexum feudo, ità non prohibetur facere cõcessiones huiusmodi subfeudorum,& excadentiarum, quando casus vacationis sequatur, dùm punctus est in fraude,vel in affectatione supplantandi Dominum, atque ad hunc effectum aduertebam, quod in hac materia intrarent ea, quæ dicebantur per Scribentes in contrarium super qualitate fraudis consilij.

Ad instar eorum, quæ habentur sub titulo *de Regalibus disc. 78. cum seqq.* in

in Appaltatoribus gabellarum, & Dohanarum, super ijs, quæ geruntur circa finē Appaltus, & *sub tit. de locat. & conduct. disc.* 24. super locationibus, quæ fiunt per hæredem grauatum, & fideicommissarium, imminente restitutione fideicommissi, cum similibus, sed paritèr omnia ea, quæ hanc subfeudi speciem percutiunt, penitùs extranea sunt à casu præ-
15 sentis quæstionis; Istoque casu neque intrat prohibitio Pianæ Constitutionis, quia reverà non est infeudare, iuxtà pōderationes, de quibus *hoc eod. tit. disc.* 61. cum reverá non tangatur substantia feudi, vt etiam infrà *disc.* 128. *& in alijs*.

Quartus demùm est proprius, ac præcisus nostræ quæstionis casus, vbi scili-
16 cét agitur de feudo regali veræ dignitatis redolente supremum principatum, cum regalibus etiam maioribus, vt exēplificando in nostra Italia sunt, Regnum Neapolitanum, & Ducatus Mediolani, Mutinæ, & Regij, Parmæ, & Placentiæ, ac Senarum, & erant etiam iste Ducatus Vrbini, & alter Ferrariæ, ac propterea pro feudi, vel principatus dignitate congruat, vt ipse feudatarius possit cum concessionibus Oppidorum, & Castrorum, sibi construere Barones, & milites, vel nobiles primi ordinis magnatitij in suo principatu; Et ista est licita subinfeudatio etiam sine concessione expressa, tanquam connaturalis feudo, quod proindè scissuram, vel diuisionem pati non dicitur ob omnimodam subiectionem, & dependentiam; Sed paritér in hac specie non verificantur dicta tria requisita; Non quidèm primum de toto feudo cum eisdem legibus, cum fiat de parte, vel membro non notabili, ideòque fieri non possit de Ciuitatibus, vel fortalitijs, ac etiam fiat sub diuersa natura; Minùsque secundum, vt fiat gratis, dum communis praxis docet contrarium, cum sint concessiones venales; Neque tertium, dum non fiunt æqualibus, sed subditis, & inferioribus; Et per consequens omninó extranea sunt ea, quę per antiquos feudistas dicuntur, totumque restringitur ad prædictam rationē supplantationis Domini deuolutione imminente, ita sibi constituendo Barones, & feudatarios in tempore inhabili, & pro quando non erit ampliùs Dominus, nec feudatarius, iuxtà rationes, de quibus *d. disc.* 78. *& seqq. de Regal.*

Atque hinc sequitur, vt rectè congruant ea, quæ in discursu habentur circa obstantiam Pianæ Constitutionis, dum
17 in effectu esset constituere feudatarios de nouo in Statu Ecclesiastico immediato, atque dare, vt subditus, qui nullum ius pro tempore futuro est habiturus, faciat id, quod facere non potest, vel non solet ipse Pontifex Dominus directus.

Hinc proindè ad euidentiam edocemur, quàm magna sit, totiès inculcata
18 modernorum pragmaticorum, vel collectorum ineptia, procedendi in sola litera doctrinarum, seù in eis constituendo vim, aut eruditionem ostentandi cum earum numero, & collectionibus, non distinguendo casus, & tempora, neque reflectendo ad congruam applicationem, ex facti qualitate, & circumstantijs regulandam; Qui etenim in sola superficie videbunt *d. consil.* 5. *Altogr. lib.* 2. editum ad huius causæ opportunitatem fauore actoris, opinabuntur illud esse doctum, maturum, & elaboratum responsum, tractando de materia ex professo, & tamen qui benè, & intùs examinabunt materiam, comperient, quod est saccus plenus palea, ita cōfectus ad causæ opportunitatem, ad quam alioquin doctus, summèque considerandus Author scripsit, ideòque est quidem considerabilis artifex, sed non est considerabile opus ex defectu materiæ; Isteque est error quotidianus tot æquiuocorum productiuus, deferendi auctoritatibus Collectorum, vel Consulentium, ad distinctiones casuum, eorumque circumstantias non reflectendo.

Stante autem distinctione prædicta,
19 sequitur erroneū paritèr esse disputare generalitèr, & in abstracto quæstionem, de qua *in hoc discursu, ac etiam disc.* 40. an scilicèt deuoluto feudo, deuoluantur subfeuda, atque doctrinas præsertim antiquorum, ad hanc rem applicare, cùm reverà dicta quæstio percutiat primum, vel secundum casum, de quibus hodie inanis labor est agere, vt supra; In alijs autem posterioribus casibus intrat dilemma, quod aut actus subinfeudationis est validus, aut non; Si non est validus ab initio, & in substantia, tunc frustrá

frustrà de hoc disputatur, cum nullum, & nihil parificenrur; Et si est validus, tunc extranea paritèr est quæstio, dum istæ species subfeudi cōsiderantur potiús tanquam fructus, ad instar præsentationis factæ per possessorém, cuius effectus tanquàm consumatus non cessat, cessante causa postmodum productiua.

Ad ea veró, quæ habentur *num.*7.
20 *&* 8. super clausula *sine præiudicio*, vel super alia *saluo iure*, quæ adijci solent in assensu Domini, videnda sunt ea, quæ habentur infrà *in Neapolitana Concursus creditorum disc.*106.

Et quoniam in discursu circa præsumptam fraudem præiudicij, principale fundamentum constituitur in legibus, & auctoritatibus feudalibus, de quibus
21 *num.*15. inferiùs autem *disc.*135. dubiratur an istæ leges locum habeant in hoc Principatu temporali Ecclesiæ; Hinc aduertendum venit, quod vbi etiam tenenda esset opinio, quod istæ leges feudales in hoc principatu nō habeant vim legum, quamuis probabilis videatur ibidem tradita distinctio inter antiquas consuetudines collectas per *Gerardum*, *& Obertum*, & Constitutiones Imperiales *Lotharij*, & *Federici*; Adhuc tamen istæ leges attendendæ venirent tanquam doctrinæ magistrales corroborantes rationem generalem, cui ista fraus est innixa, iuxtá ea, quæ *disc.*35. *de iudic.* & alibi pluriès habenrur de legibus aliorum principatuum attendendis, vbi non habeatur lex propria, & particularis; Atque hoc est quod in effectu dicere volunt *Fagnan.* & alij Ecclesiastici per eum relati, de quibus supra *disc.*54. & alibi, distinguenres, vt consuetudines feudales attendendæ veniant etiam in hoc principatu in alijs, non autem in ijs, quæ lædāt ecclesiasticam immunitatem, vel sacris Canonibus aduersentur, quoniam nō potest eadem lex in parte acceptari, & in parte reprobari, sed capienda est prout iacet cum sua causa, & qualitate; Sed quod in ijs, quæ habeant fundamentum rationis, & probabilitatis, & non aduersentur sacris Canonibus, attendi debeant magis ex vi rationis, quæ vbique est eadem, omnibusque est communis, quàm ex vi potestaris, & iurisdictionis legislatoris, vt *eod. disc.*135. aduertitur.

Ad hanc autem materiam præsumptæ
22 fraudis rarione præiudicij tertij, conferunt ea, ea quæ habentur *disc.*3. *de Regal. & disc.*1. *de Emphit. & disc.*1. *de Pens.* circa inuestituras, vel concessiones abusiuas, & expectatiuas de re plena, & ante factum casum deuolutionis, vel vacationis, dum in eisdem materijs allegantur feudistæ, qui de hoc agunt in proposito abusiuæ inuestituræ feudalis.

Item his terminis feudalibus congruunt ea, quæ *disc.*148. *de Regal.* habentur super potestate Principis tollēdi ius ter-
23 tij, dum ibi agitur de infeudationibus illorum locorum, quæ ex causa onerosa habent priuilegium, vt non possint infeudari.

DE FEVDIS

AD DISC. II.

SVMMARIVM.

1 *De punctis principalibus contentis in hoc discursu.*
2 *Quare sub hac materia feudali cadat illa regalium.*
3 *De erroribus non distinguentium, & numer.*7.
4 *De natura, & effectibus feudi Regalis, & vera dignitatis, quod habeant regalia, & quæ remaneant Domino.*
5 *Quid in Baronibus, & Domicellis inferioris ordinis non regalibus.*
6 *De eodem, & de diuersitatibus morum.*
7 *De eodem errore, de quo supra num.*3.
8 *De quæstione an Castra, & loca sint potiùs feudalia, vel allodialia quomodo debeat intelligi.*
9 *De feudo, & respectiuè allodio improprio Castrorum, & locorum Status Ecclesiastici.*
10 *De locis habitatis, quæ possideātur per Ecclesias, & cuius qualitatis sit illud allodium.*
11 *An bona possessa per priuatos intra fines feudi sint feudalia, & feudo redditi tia.*
12 *De eodem errore, de quo num.*3. *&* 7.
13 *Distinguntur casus, vel effectus quæstionis, an quod possidet feudatarius intra fines*

fines feudi, censeatur feudale, vel allodiale.

14 *De eodem, & quomodo ista quæstio decidi debeat.*

15 *An dari possit, vt quis sit feudatarius, vel dominus totius territorij, & sit dominus priuatus aliquorum locorum.*

16 *An, & quando feudatarius acquirendo bona priuata censeatur incorporare cũ feudo.*

17 *De alijs distinctionibus in materia.*

18 *De Pischerys, vel piscarijs.*

AD DISC. II.



VM de tempore editionis huius discursus iam sequuta esset concordia, quæ controuersiæ finem dedit, idcircò defuit occasio vlterioris disputationis; De contentis autem in eo, pluriès in alijs causis agere occasio dedit, circa eius duos punctos principales; Pri-
1 mò nempè, circa originem, & naturam Regalium, & quæ nam pertineat ad feudatarium, atque veniant sub inuestitura feudali; Et secundó super natura, seù qualitate bonorum existentium intrá fines feudi, an præsumantur feudalia, vel allodialia.

Quatenùs pertinet ad primum; licèt regalium tractatio, suam particularem, ac diuersam habeat sedem in libro se-
2 quenti; non tamen incongruit ad effectum præsentis, vel aliarum similium controuersiarum, de eis actum quoque esse sub hac materia feudali, sub qua eorum inspectio cadit ad prædictum effectum compræhensionis sub feudo, & an, & quando Barones habeant regalia, & quomodo.

In hoc autem puncto verificari paritèr videtur illud idem æquiuocum, insinuatum *disc. præcedenti*, quod oritur ex modo procedendi cum generalitatibus, vel cum litera doctrinarum, non distin-
3 guendo casus, vel loca, seù Regiones, aliasque circumstantias facti; Siquidèm reflectendum est in primis ad naturam, seù qualitatem feudi, an sit regale, ac veræ dignitatis, in recta, & propria eius natura, quod importat omnimodum imperium, & Principatum absolutum, vel potiùs è conuerso sit inferioris classis magisque Improprium, & subordinatum in figura Baronis, vel Domicelli cum dignitate impropria, & abusiua; Primó
4 etenim casu, feudum importare dicitur principatum absolutum, iuxtà nostræ Italiæ exempla insinuata in annotatione præcedenti, & per consequens secum trahit omnia regalia, etiam maiora, & primi ordinis, illis exceptis, quæ consistunt in alto dominio, quod ad differentiā vt infrà ab aliquibus dici solet altissimum, & in illa maiori superioritate, quę vulgó dicitur *Souranità prima*, cum hæc sint inseparabilia à Corona, & ab Imperio infeudantis, ex regula quod nemo facere potest sibi æqualem, ipsumque feudum pernecesse, atque de sui natura importat subiectionem, & vassallagium, dictumque dominium ab aliquibus, vt supra, dici solet altissimum per quendam modum loquendi, & ad effectum contradistinguendi aliud altum dominium subalternum, quod consideratur in ipsomet feudatario, respectu eius Baronum, & feudatariorum, qui ab ipso subinfeudati fuerint de aliquibus partibus, seù membris feudi, & cum iurisdictione cognoscendi de successione, vel deuolutione feudi, iuxtà casum, de quo *disc.59.cum similibus*, & in hoc supplemento *disc.128.* vbi de his distinctionibus duplicis alti dominij, & superioritatis. Omnia veró alia transeunt in feudatarium, quotiés lex inuestituræ, vel consuetudo, aliam non redoleat exceptuationem.

In altero autem casu, in quo agatur
5 de illis feudatarijs veris, & proprijs, cum expressa inuestitura, ac præstatione seruitij, vt ex:gr: sunt feudatarij Regnorum vtriusque Siciliæ, ac etiam Status Ecclesiastici, qui dicitur immediatus ad differentiam Status mediati, consistentis in dictis feudis regalibus, & maioribus respectu illorum feudorum, quæ ita obtineantur; Ac etiam sunt feudatarij improprij, & remoti, quod scilicèt in figura Baronum, & Domicellorum sub alto dominio, ac superioritate Principis possideant loca sine inuestitura, & sine seruitio in natura allodij, vt sunt plerique Barones dicti Status Ecclesiastici immediati; Et tunc regula est in oppositum, quod scilicèt regalia non censentur eis concessa, sed remansisse penès Princi-

pem,

pem, tanquam gemmæ coronæ Principatus, à quo sine scissura, vel deturpatione Coronæ auelli non debent, ideòq; in dubio non censentur auulsa, quotiès expressa concessio, vel implicita, quæ resultat à consuetudine immemorabili, seù centenaria, cuius vigore allegari possit priuilegium, vel quicumque alius titulus de Mundo melior, aliud non suadeat, siuè aliqua accedat particularis circumstantia, iuxtá casum, de quo *disc. 62. 63. 64. & 72. hoc tit.* cum similibus.

Et nihilominùs adhuc reflectendum est ad diuersos mores, & stylos princi-
6 patuum quoniam (ex: gr:) in Statu Ecclesiastico in huiusmodi Baronibus subditis, & merè subordinatis, datur frequentiùs possessio aliquorum regalium, iuxtá insinuata in supra allegatis *discursibus 62. 63. 64. & 72. & in tit. de Regalib. disc. 145. & 146. & in tit. de Seruitut. disc. 36.* ac etiam *in Miscellan. Ecclesiast. disc. 41.* occasione agendi de iure prohibendi venationem, vt etiam praxis docet in plerisque Baronibus, & Domicellis Liguriæ, & Lombardiæ, magis veró in illis Germaniæ; E' conuerso autem, talis praxis nullatenùs adest, vel nimium rara, & restricta ad aliqua regalia inferiora in pręfatis Regnis vtriusque Siciliæ, in quibus, & præsertim in hoc citeriori, de stricto iure, potiùs subfeudatarij, quàm feudatarij censendi sunt; Prout etiam magis restricta est iurisdictio, & potestas Baronū, & Magnatum in Hispania, & in Gallia, quàm in Germania, in quà latiús patet; Quinimò in ipsamet Germania tàm superiori, quám inferiori, longè diuersi sunt mores, vel leges iuxtà tot Principatuum diuersitatem.

Atque hinc oritur eadem ineptia manifesta, quæ annotatione præcedenti insinuata est, nostrorum pragmaticorum, seù collectorum, qui absque alio ratio-
7 cinio, vel reflexione ad huiusmodi distinctiones, totam vim constituunt in numero arithmetico Auctorum, quos cum improbo humerorum labore colligere student, in sola litera procedendo, & non distinguendo Vltramontanos á Citramontanis; Ac etiam in quolibet genere, non distinguunt Regiones, vel diuersas qualitates feudorum, & feudatariorum, de quibus ipsi loquuntur, confundendo Regnicolas vtriusque Regni vt supra, cum Lombardis, vel cum Germanis, siuè in istis nō distinguendo Prouincias, vel principatus; Revera etenim ista dicenda venit potiús quæstio facti, quàm iuris, decidenda pro singulorum casuum particularibus, ac indiuiduis circumstantijs, nimiumque clarus error est, cum generalitatibus procedere.

Quo veró ad alterum punctum, de quo principalitèr in hoc discursu actum fuit, super natura scilicèt allodialitatis, vel feudalitatis; Paritèr idem dignoscitur clarum æquiuocum confundendi auctoritates, illasque generalitèr applicandi quibuscumque casibus, non reflectendo ad eorum diuersas circumstantias, aliasque distinctiones, vt supra; Siquidem inhærendo distinctioni plurium casuum, de qua in hoc discursu; Quatenùs pertinet ad primum casum super qualitate loci in genere, seù in vniuersum, an scilicèt ipse locus censeri debeat potiùs feudum, quàm allodium, vel é conuerso; Quamuis regula assistat allodialitati, ex relatis *in eodem discursu, ac etiam disc. 6. 34. 60. & 135.* & in alijs pluriès; Attamen adhuc intelligenda
8 venit, iuxtà diuersitatem Regionum, quoniam (ex: gr:) in Regno Neapolitano, regula est potiùs in contrarium, vt omnia loca habitata cum Vassallis, & iurisdictione, censeantur potiùs feudalia, quàm allodialia, adeóvt regula generalis assistat feudalitati, transfundendo onus probandi allodialitatem tanquam limitationem regulæ; Exceptis locis, quæ ab antiquo possideantur per Ecclesias, quòniam non constito de contrario, præsumuntur potiùs allodialia, ex ijs, quæ tàm super regula, quàm super limitatione habentur relata *hoc eodem titulo disc. 60. & alibi pluries.*

E' conuerso in Statu Ecclesiastico, quāuis procedatur cum regula opposita, vt Castra, & loca etiam habitata cum iurisdictione, & imperio, non docto de qualitate feudali, præsumantur potiùs allodialia, quàm feudalia, adhuc tamen, vt aduertitur *in hoc discursu*, ac etiam *disc. 6. & dd. disc. 60. & 135. & in alys*, Id rectè procedit, ad effectum euitandi illam propriam, ac strictam feudalitatem, quæ importat formalem seruitutem, ac subiectionem legum feudalium, tàm circa obligationem seruitij, quàm circa prohi-

prohibitionem alienandi, vel circa restrictam successionem ad certum genus personarum, seù circa obligationem noui successoris accipiendi renouationem, cum similibus obligationibus, & restrictionibus, quæ ex feudali seruitute resultant; Non per hoc tamen inferri potest ad verum, & proprium allodium, quod negat alterius dominium, & superioritatem, cum in eo non recognoscatur alius superior nisi Deus, dum ratione alti dominij, & superioritatis, ac etiam multorum regalium, quæ etiam in locis possessis per Barones, & domicellos, possidentur, per Papam, & Sedem Apostolicam dicitur adesse feudalitas remota, & impropria ratione cuiusdam implicitæ, & præsumptæ inuestituræ sine oneribus feudalibus, quasi quod huiusmodi Barones, & domicelli obtineant ista loca ex inuestituris, & concessionibus Pontificijs, *iuxtà celebre cons.* 8. *Abbat.* cum alijs plenè, & elaboratè collectis *per Spadam cons.* 1. *lib.* 1. vt aduertitur *d. disc.* 63. *& alibi pluriès*; Adeoùt incesse dicatur onus seruitij feudalis extraordinarij, quod inest etiam feudis franchis, vel ijs, quę habent onus seruitij realis in quod personale, & commutatum, vt est illud adohæ in Regno Neapolitano quãdo necessitas Domini ità exigat, dum & isti sunt Barones, idest milites primi ordinis.

9

Proùt etiam in Ecclesia; in qua generalitèr potiùs præsumitur allodialitas, quàm feudalitas, in Castris, & locis habitatis, quæ sint intrà viscera principatuum laicalium, atque per Ecclesias possideantur ex Principum concessionibus. magna quæstio est, an istud sit allodium verum, & omnimodum, etiam respectu superioritatis, & alti dominij, & de hoc agitur *hoc tit. disc.* 34. *&* 60. Ex quo patet, quod difformis est obseruantia, cum qua procedendum videtur.

10

Igitur semper manifestus remanet error procedendi in his materijs cum generalitatibus, & cum auctoritatum consarcinationibus, absque distinctione locorum, temporum, & morum, aliarumque circumstantiarum, cum quarum prę-supposito singuli loquuntur.

Quo veró ad secundum istius quæstionis casum, in hoc eodem discursu distinctum, quod scilicèt posita qualitate feudali in ipso Castro, vel Oppido in Vniuersum quæstio sit, inter eiusdem Castri,

11 seù loci Dominum, & Ciues, & Incolas, aliosque priuatos, qui in eiusdem loci finibus, & Territorio possident prædia rustica, vel vrbana, vndè Dominus prætendat, quod totum Territorium sit de eius Domino directo, adeoùt omnes priuati possessores haberi debeant tanquam Coloni perpetui, sed Liuellarij, vel censiti, & reddititij, tám ad effectum soluendi aliquam partem fructuum loco portionis dominicalis, vel aliquam præstationem, quam etiam ad effectum prohibitionis alienandi sine assensu Domini, & cum obligatione soluendi aliquod laudemium, vel aliam recognitionem; Et sic quod bona dicantur feudalia impropriè, idest passiuè, tanquam affecta, seù reddititia feudo, eiusque Domino, vel possessori, quamuis in reliquis ipsa bona sint allodialia, iuxtà casum, de quibus *hoc eodem tit. disc.* 35. 47. *&* 72.

Istoque casu; licèt regula assistat allodialitati in exclusionem feudalitatis, vel seruitutis, ex deductis in hoc discursu; Attamen teuerà dicenda venit quæstio facti potiùs, quàm iuris, decidenda ex singulorum casuum circumstantijs, ideòque intrat idem consuetus error procedendi cum generalitatibus, vel cum doctrinis in abstracto, cum reflectendum sit ad concretum, ad mores scilicèt Regionum, & ad qualitatem Castri, seù loci in vniuersum, siuè ad qualitatem aliorum prædiorum, vel bonorum existentium in aliqua parte, seù contrata; Siquidem si (ex:gr:) de consuetudine vniuersali Prouinciæ, vel Principatus, totum Territorium censeatur de directo dominio Principis, vel Domini, vt Galli supponunt esse àliquas Galliarum partes, & præsertim illam, quæ Prouincia appellatur, iuxtá deducta infrà *in annot. ad dictum disc.* 47. Et tunc præsumptio potiùs assistit feudalitati, ratione causæ vniuersalis, de qua *sub tit. de iurisdict. disc. primo, & seqq. & tit. de decimis*, pluriés, & alibi, & per consequens prædicta regula generalis, quæ assistit libertati, atque transfundit onus probationis in eum, qui allegat seruitutem, non intrat, cum potiùs res se habeat in oppositum, vt qui prætendit, quod eius prædia, & bona

bona sint libera, & non reddititia feudo, debeat probare hanc limitationem, dum habet resistentiam causæ vniuersalis.

Ità pariter si eadem causa vniuersalis non sit adeò lata in tota Prouincia, vel Principatu, sed verificetur in ipso Castro, seù loco, totoque eius Territorio intrà quod sita sint prædia, seù bona, de quibus est quæstio, iuxtà casum, de quo *disc.* 72. quoniam intrat eadem ratio, iuxtà illam assistentiam in iurisdictionalibus, quam habet Episcopus in Ecclesijs, & locis existentibus intrà Diœcesim; Intelligendo tamen de illo dominio vniuersali totius Territorij, quod non sit in sola ratione iurisdictionali, & baronali, tanquam quid intellectuale, siuè vt nostri dicunt, tanquam nebula supra paludem, capiendo ius territoriale à solo iure terrendi; sed sit in iure territoriali vero, & effectiuo pro dominio territorij, eo modo, quo frequens praxis doceat in Statu Ecclesiastico, ex deductis *hoc eodem tit. disc.*47. *& 72. & de Regal. disc.*50. *disc.*145. *&* 146. *& tit. de seruit. disc.*36. & alibi pluries. Atque praxis docet in aliquibus locis Regni Neapolitani, ex insinuatis *Roc. eodem tit. disc.* 35. *& tit. de iurisdictione disc.*66. *& alibi*.

Idemque ad proportionem procedit in altera vniuersitate subalterna, quia nempè agatur de feudo, seù loco, in quo Feudatarius, vel Baro habeat solùm ius territoriale intellectuale pro iurisdictione, ac iure terrendi, non autem pro dominio priuato, & effectiuo totius territorij, iuxtà magis genericam locorum naturam, sed tamén possideat in dominio, tanquam de pertinentijs feudi, eiusque dote pro substentatione feudatarij, aliquam tenutam, seù aliquam montaneam, vel aliam territorij partem in vniuersum, quam Vassallis, & Incolis concesserit ad culturam, eo modo, quo in dies videmus in Vrbe, & locis adiacentibus concedi Tenutas, vel Casalia ad constructionem vinearum, iuxtà casum, de quo *hoc eodem titulo disc.*35. Et tunc proportionabilitèr intrat eadem regula, seù ratio causæ vniuersalis, in hac vniuersitate subalterna, sed non iure feudi, & baroniæ, cum id perueniat ex natura, seù virtute causæ vniuersalis, etiam in priuato Domino illius tenutæ, seù feudi rustici, iuxtà casum, de quo *dicto disc.*35. dum (vt præmissum est) qualitas feudalis in huiusmodi bonis consideratur potiùs impropriè, & in ratione passiua, quia bona sint reddititia feudo, quam quod ipsa prædia sint feudalia, eorum per possessores dici debeant feudatarij.

Igitur fabulosæ videntur illæ quæstiones, quæ desupèr disputari solent per nostros in abstracto faciẽdo desupèr magnos allegationum cumulos, atquè ad
12 id consarcinando omnes doctrinas, vel auctoritates, quas reuoluendo repertoria, cum improbo labore, inueniunt, non distinguendo loca, & tempora, aliasque circumstantias, cum quarum præsupposito singuli respectiuè loquuntur; Et proptereà firmum remanet, quod decisiones pendeat á facto, non autém à iure.

Demùm quoad tertium casum in hoc eodem discursu distinctum, respectu scilicèt illorum prædiorum, & bonorum, vel iurium incorporalium, quæ ab ipso-
13 met feudatario possideantur, intrà fines vel territorium ipsius feudi, iuxtà casus, de quibus *in hoc discursu, & disc. sequenti, & disc.*47. *&* 56. *&* 133. *& in alijs*; Atq; de hoc solet disputari ad plures effectus. Primò nempè ad illum deuolutionis, de quo in locis proximè citatis disputabatur, an scilicèt deuoluto feudo, deuoluantur prædia rustica, & vrbana, aliaque bona, vel iura possessa per feudatarium, intrà fines feudi, vel potiùs tanquam allodialia remaneant penés ipsum eiusque hæredem allodialem; Quod etiam, adhuc non facto casu deuolutionis, disputari contingit inter hæredes extraneos feudatarij defuncti, & agnatum successorem feudi pacti, & prouidentiæ independentér.

Secundó ad effectum prohibitionis alienandi, vel obligandi, iuxtà casum, de quo infrà *in Romana concursus creditorum disc.*117. Et tertió ad effectus fauorabiles ipsimet feudatario, & Domino, pro exemptione scilicèt á collectis, alijsque oneribus, quibus subiaceret, si bona essent allodialia per ipsum possessa iure cuiuslibet priuati, siuè iuxtà stylum Regni Neapolitani, Communitas, vel Vniuersitas loci teneatur dare idoneum administratorem, qui ibi hæreditarius dicitur, cum hæc obligatio percutiat

solùm

solùm bona feudalia, non autem allodialia; Aut pro iure prohibendi pascua, vel ligna &c. cum similibus; Ideòque contingit, quod quandoque in prædijs, & bonis per Baronem possessis, qualitas feudalis sustinetur, & quandoque negatur.

Pariterautem ista quæstio dicenda est potiùs facti, quàm iuris, decidenda ex singulorum casuum circumstantijs, ad
14 quas est principalitèr reflectendum; Ideóque intrat idem error procedendi cum generalitatibus, vel cum doctrinarum cumulo in abstracto; Siquidem in primis reflectendum est ad superiùs insinuatam distinctionem, inter illos feudatarios, & Dominos, qui iuxtà regularem naturam, habeant solum dominium territoriale, seù iurisdictionale, & illos, qui habeant dominium priuatum, & vtilitarium totius territorij, adeoùt Vassalli, alijque priuati possessores prædiorum habeantur potiùs tanquam coloni, seù liuellarij &c. In hoc etenim secundo casu, regula assistit feudalitati, quod scilicèt aliquam territorij partem dominus concesserit colendam Vassallis, & aliam pro se retinuerit, in qua prædia construxerit; Siuè quod prædia per ipsum possessa, quæ habeant opus manufactum, ad ipsum redierint iure deuolutionis, vel caducitatis.

Difficultas autèm intrat in casu insinuato *hoc eodem discursu*, & infrà *in dicta Romana concursus creditorum disc.* 117. quando scilicèt constet de explicitis titulis acquisitionum, iure priuato, emptionis, vel donationis, aut successionis, aliquorum prædiorum, quæ possidebantur per priuatos; Et tunc duplex intrat inspectio; Vna scilicèt potestatis, vt neque volens possit Dominus illa retinere in natura dominij allodialis priuati; Et altera voluntatis, quo scilicèt animo, vel intentione huiusmodi acquisitiones fecerit.

Circà primam quæstionem, potestatis, pro eius inclusione vrgere videtur ratio incompatibilitatis, quæ resultat à concursu actionis, & passionis in eodem subiecto, siuè ab alia incompatibilitate ha-
15 bendi seruitutem in re propria, vndè propterea, *vt hoc eodem titulo*, & alibi pluriès aduertitur, habemus, quod non potest quis esse Rex, & Baro, in eodem loco, sed eo ipso quod fit, reuersiuum dominum, feudum confunditur cum sua priori causa vniuersali, ad quam redit, adinstàr fluminis intrantis in mare, ex ponderatis *hoc eodem titulo disc.* 83. ac habemus in cessatione vsufructus, vel in alterius seruitutis, vel census per acquisitionem dominij, & proprietatis ipsius rei seruientis, cum similibus.

E conuerso, pro isto compatibili concursu, intrat illa diuersitas personarum formalium, quæ in eâdem persona materiali pro diuersitate respectuum consideratur *hoc eodem tit. disc.* 23. *&* 61. ac etiam infrà *dicto disc.* 117. *& disc.* 115. & frequentèr *sub tit. de cambijs*, & sub illo *de herede*, ac sub altero *de credito*, & sub altero *de decimis*, ac pluriès; Et consequentèr, quod non implicet, vt feudatarius tanquam dominus loci ratione dominij publici, & vniuersalis, acquitat, & possideat sub se ipso prædia, & bona priuata, tanquam vnus ex colonis; Istaque posterior pars videtur probabilior, magisque vsu recepta.

Quo verò ad alteram quæstionem voluntatis; Aut habetur illius expressa probatio, & tunc posita potestate, non
16 est de alio quærendum, ad regulam vulgaris Textus *in l. ille, aut ille ff. de legatis tertio*, quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta; Aut verò ista voluntas est ambigua, & tunc in primis recurrendum videtur, ad necessitatem, ex qua voluntas desumi potest, an scilicèt ipse feudatarius, vel Dominus, teneretur facere illam acquisitionem pro reintegratione feudi, eiusq; restitutione eius primæuæ vnitati, ità medicando malum, quod ipse, vel eius prædecessores fecerunt, in concedendo, vel alienando illa bona, vel membra, quæ concedi, vel alienari non poterunt, & tunc voluntas assistit reintegrationi, ad instàr illorum meliorамentorum, quæ fiant pro suppletione deteriorationum, ex deductis *sub tit. de detractionib. disc.* 35. *& alibi*.

Cessante verò hac circumstantia, præsumptio in dubio esse videtur pro exclusione incorporationis, cùm id redoleat donationem, quæ in dubio non est præsumenda, ex ponderatis *dicto disc.* 56. *&* 117. *& alibi*, nisi eius præsumptiones, & coniecturæ, vel adminicula concurrant;

rant, & per consequens punctus est incapax regulæ certæ, & generalis, dum, reverà totum pendet à facti qualitate, & singulorum causæ circumstantijs.

In altero autem casu, in quo dominiū vniuersale feudatarij sit solùm territoriale, vel iurisdictionale; alia verò bona intra feudi fines existentia, possideantur per priuatos, iure pleni dominij; Et tunc li-
17 cet nostri procedant cum regula generali, quod bona, etiam per ipsum feudatarium possessa intra fines feudi præsumantur potius allodialia, quàm feudalia; Nihilominùs omninò verior videtur distinctio tradita *in hoc eodem discursu, & disc.* 3. inter bona, & iura, quæ sint de sui natura priuata, nullamque annexam habeant iurisdictionem, vel prærogatiuā dominicalem; Et illa, quæ dictam prærogatiuam habeant, vt (ex: gr:) sunt molendina, furni, macelli, tabernæ, seù vulgó pizzicarie, & similia, cum iure prohibendi, & agendi quod est de regalibus; Isto enim secundo casu intrat præsumptio feudalitatis, donec ista præsumptio elidatur contraria probatione cōpetentiæ istius iuris, ratione priuatæ seruitutis, vt *d. disc.* 3. secùs autem in illis rebus, quæ hanc iurisdictionem, vel prærogatiuam annexam non habeant; Et nihilominùs etiam isto casu omninó probabilis, & vera videtur distinctio, de qua *in hoc discursu*, inter bona culta, & inculta, siue habentia, vel non habentia ministerium hominis; Et quatenùs sint culta, & de sui natura potiùs iuris priuati, quàm publici, adhuc intrat inspectio voluntatis, vel destinationis super incorporatione, vel ad desertionem iuxtà deducta per *Rouit. cons.* 101. *lib.* 2. *cum alijs hoc eod. disc.* & per consequens firmum remanet, vt totum pendeat ex facto, quodque semper erroneum sit procedere cum generalitatibus.

18 De ista veró regalia pischeriæ agitur *sub tit. de regalibus disc.* 134. vbi videndum.



DE FEVDIS

AD DISC. III.

SVMMARIVM.

1 *Quando molendina dicantur spectare ad feudum.*
2 *De iure prohibendi, seu priuatiuo redolente regalium.*
3 *Declaratur conclusio quod iura regalia penès priuatos habeant naturam locorum priuatorum.*
4 *Quod conclusiones debeant attendi iuxtà circumstantias facti, quodq; totus punctus est in applicatione.*
5 *De alia conclusione, quod habēs immemorabilem, vel centenariam, allegare potest præiudicium tit. de mundo meliorem.*
6 *Dantur exempla circà possessionem aequiuocam.*

AD DISC. III.



PARITER ista causa, alium non habuit disputationis progressum, ob eamdem rationem insinuatam in annotatione præcedenti, quod per concordiam sopita fuit; Cùmque in eadem præcedenti annotatione actum sit de articulo, super quo, circa ea, quæ iuris sunt; disputatio circumferebatur, an scilicet hæc molendina præsumerentur possessa iure feudi, vel iure priuato; Idcircó superfluum est repetere; Alter enim punctus super dominio Communitatis, quæ iure administrationis dicebat, ista molendina propria commendasse feudatario, tanquā illius Reipublicæ marito, & maiori administratori, consistebat potiùs in facto, quàm in iure.

Cùmque circà prædictum iuris articulum inspecta bonorum materialitate, regula assisteret hæredi feudatarij, ex eo quod ageretur de opere manufacto, habente hominis industriam, seu ministerium; E conuerso autem ob formale adiectum iuris prohibendi vassallis, ne accederent ad aliena molendina extra territorium, & de consequenti cogendi, vt accederent ad ista, regula assisteret Domino,

1 mino, vt ratione huius circumstantiæ dicenda essent de membris feudi, iuxtà distinctionem, quam in specie molendinorum inter bannerata, & non bannerata communitèr tradunt feudistæ relati *in discursu*, & alij collecti *per modernum iuuenem Agetam in compend. feudali rubr. 4 dict. 4. verb. molendina fol.* 190. Potissimè verò dum ista circumstantia non solùm præsefert simplicem iurisdictionem baronalem, quæ congruit cuilibet Baroni, vel Domicello, siue alicui communitati subditæ, sed importat ius regale ex ijs, quæ in specie molendinorum habentur *sub tit. de regal. disc.* 144. *&* 145. Et per
2 consequens clariùs resultaret exclusio iuris priuati, quoties cum immemorabili, vel centenaria benè probata, & absque initio vitioso probata non esset seruitus etiam in priuato verificabilis.

Hinc, vt in eodem discursu insinuatur, scribentes pro herede allodiali feudatarij defuncti, in duobus potissimùm insistebant; Primò nempè in conclusione, quod iura regalia eorum retinent naturam penès Principem, non autem penès priuatos, penès quos immutata natura fiunt iuris priuati; Et secundò in possessione centenaria, cuius vigore allegari potest priuilegium, & quicumque alius titulus de mundo melior, & per consequens ita iura regalia remanent compatibilia cum priuato dominio.

Non improbando autem ex alijs facti circumstantijs, ac etiã ex aliquibus prudentialibus motiuis concordiam, adeò vt causa digna videatur illa quiete, quã ita recepit; Quatenus pertinet ad ea, quæ iuris sunt, super dictis duobus articulis, denuò ad illa reflectendo, persistendum mihi videtur in eodem sensu tunc habito, quod scilicet neutrum ad rem faceret.

Non quidem primum, quoniam dicta
3 conclusio, quod iura regalia possessa per priuatum desinunt esse talia, atque amittunt suam priorem naturam, seu prerogatiuam, procedit, quando à persona merè priuata possideantur, ex merè priuatis titulis, de quibus constent, ad effectum ne ipse priuatus, in eis habeat, ac exercere possit illas iurisdictiones, & præeminentias, quæ competunt Principi obtinenti regalia iure suo, & in ratione principatus; Vt (ex: gr:) iuxtà modernã frequentem praxim, verificatur in illis priuatis, qui eo titulo emptionis, vel alterius concessionis, possident loca montium, & officia venalia, etiam transmissibilia, siue redditus, & prouentus gabellarum, aliorumque vectigalium, & arrẽdamentorum, seù iurium Principis, quoniam ista dicuntur de regalibus quoad habitum, siue quod ius illa indicendi, & percipiendi iure suo; In priuatis autem transferri dicitur potius eorum commoditas, siue effectus, quamuis habituale, iuxtà distinctiones deductas *sub tit. de regal. disc.* 81. vbi de ista conclusione magis ex professo agitur; non autem vbi possessio referri possit ad titulum publicum Principatus; siue vbi priuatus contra Principem, vel Rempublicam, prætenderet huiusmodi iurium regalium acquisitionẽ, resultantem à diuturna possessione, quoniam ita esset petere principium, atque facere quod regalia assumerent naturam bonorum priuatorum directè contra Principem, vel Rempublicam, cuius fauore hanc specialem naturam, seù prærogatiuam habent, quo nil absurdiùs.

Hæc autem omnia verificabantur in ista facti specie; tùm quia erat allegare contra Principem ius priuatum pro acquisitione, & competentia regaliæ; tùm clarius dum non agebatur de merè priuato possessore, sed de illo, qui durante feudo regale dignitatis, secum ferente iura regalia etiam maiora in ratione supremi principatus, qui ita magis congruè istud ius possedit, ac exercuit.

Vndè propterea, in omnibus fori controuersijs, semper edocemur idem, quod
4 in præcedentibus annotationibus, & alibi frequenter insinuatum est, quod scilicet in hac legali forensi, seù practica facultate, hodiè vis non consistit in conclusionibus iuris, earumque comprobatione; cum penè omnes videantur iam sopitæ, sed totum consistit in earum regulatione, vel applicatione pro circumstantijs facti.

Ex hac verò vltima consideratione, de plano resultare dicebam fallaciam alterius assumpti super virtute, vel operatione immemorabilis vel centenariæ, ex
5 ijs, quæ generaliter, de vna, vel altera super hac facultate allegandi priuilegiũ, vel quemcumque alium titulũ de mundo

do meliorem, quoties non constet de initio vitioso, ita exhibito per possessorem, vt ad illum restricta dicatur eius possessio, cum exclusione alterius tituli, habentur sub *tit. de regal. disc. 47. & sub tit. de alienat. & contract. prohibit. d. sc. 3. & sub tit. de iudic. disc. 21. & infra hoc eod. tit. disc. 133. & alibi pluries*, vbi scilicet iura regalia, seù aliàs imprœscriptibilia possideantur à persona merè priuata, quæ materialitèr, & formalitèr verè distincta sit ab altera persona publica, cui eadem iura regalia competunt, cùm tunc intrent duo extrema, præscribentis, & alterius contra quem præscribatur; Ac etiam intrat altera ratio inuerisimilis patientiæ, vel tolerantiæ Principis, eiusque officialium, quod priuatus tam diù iura regalia, & publica possideret, & exerceret, iuxtà plures casus, de quibus in sua materia *sub d. tit. de regal.* secùs autem, vbi in eadem persona materiali possessoris vniantur duæ personæ formales compatibiles; Vna scilicèt Principis, vel feudatarij, & altera propria, seù priuata, quoniam licèt istæ personæ pro diuersitate respectuum sint formalitèr distinctæ, atque in eis rectè dari possint actus incomparibiles; Attamen ad hunc effectum præscriptionis, vel facultatis allegandi quemcumque titulum meliorem, iste concursus diuersarum personarum formalium, in eadem persona materiali, impedit verificationem extremi, seù requisiti necessarij possessionis, quæ ita remanet æquiuoca, atque referibilis potiùs ad titulum proprium, & connaturalem principatus sub iuris assistentia, quàm ad alterum priuatum accidentalem, & improprium, cum iuris resistentia.

Aliàs etenim vltrà, exemplum in discursu deductum, viri per longissimum tempus possidentis bona dotalia, & ex-
6 tradotalia mulieris, adduci possent exempla plurium Episcoporum, qui ex resignatione, de eadem domo, seù de eodem genere continuassent per centum annos, & vltrà, in possessione alicuius Ecclesiæ Cathedralis, vel Metropolitanæ, quod ità eorum hæredes contrà Episcopum successorem diuersi generis allegare possent præscriptionem, vel alium titulum in iure decimandi, alijsque iuribus spiritualibus; siuè quòd omnes Barones, & feudatarij, qui de patre in filium, vel de vno in alium eiusdem generis, & agnationis, per plura sæcula feudum possederunt, allegare possent præscriptionem, vel titulum meliorem in omnibus iuribus, bonis, vel iurisdictionibus feudi, quo nil absurdiùs; In idem conferentibus iis, quæ habentur infrà *disc. 5.* super æquiuoca possessione agnatorum vnius lineæ contrà agnatos alterius lineæ, cum similibus.

DE FEVDIS

AD DISC. IV.

SVMMARIVM.

1 *De Constitutione Simmachi, & de potestate Papæ.*
2 *De bulla Py V. de non infeudando.*
3 *De inuestitura abusiua, seu praeuentiua de feudo pleno.*
4 *De prorogatione concessionis.*
5 *De potestate Principis tollendi ius tertij, & reuocandi concessiones, & de voluntate.*
6 *Merita an probentur per assertionem.*
7 *De æstimatione feudi, & bonorum iurisdictionalium.*

AD DISC. IV.



NEQVE ista causa vlteriorē habuit disputationis progressum, ideòque deficit occasio adnotationis, cū reverà improbabilis fuerit ratio dubitandi, excitata per aliquos vassallos, qui nacta occasione pontificiæ familiaritatis, quærebant iugum baronale excutere; Minusque hoc medio tempore occasio dedit agere de hic insinuato defectu potestatis
1 ob Constitutionem Simmachi, quæ vel in desuetudinem abijt, vel consilium potiùs redolet, cum ex deductis *in relatione Curiæ disc. 2.* potestas Papæ, quæ prouenit immediatè à Deo, in ijs, quæ iuri diuino clarè, & directè non aduersentur, huiusmodi restrictiones non patiatur, vt in specie facultatis infeudandi sine consensu Cardinalium, alijs relatis plenè cōprobat

probat *Fagnan. in cap. ex parte de feud. à num.* 18. *ad* 30. Illa solùm hodiè cadente difficultate ab eodem *Fagnano insinuata*
2 *num.* 31. quæ resultat à Bulla Pij V. de non infeudando insinuata *supra disc.* 1. de cuius dispositione particularitèr agitur infrà *disc.* 61. *& disc.* 118.

De materia verò inuestituræ abusiuæ, seù præuentiuæ de feudo, in supplanta-
3 tionem successionis, & an id procedat in Papa, tàm in spiritualibus, quàm in huiusmodi infeudationibus, vel similibus actibus prophanis concernentibus principatum temporalem, agitur *sub tit. de pension. disc.* 1. *& sub tit. de emphyt. disc.* 1. & insinuatur etiam *sub tit. de regal. disc.* 3. *& d. disc.* 2. *in relat. Curia*.

Et de prorogatione officij, vel feudi,
4 seù alterius concessionis, quæ adhuc duret, vt non redoleat concessionem nouã, sed importet continuationem antiquam, perindè, acsi ab initio, ità pro maiori tempore concessio facta fuisset occurrendo futuræ expirationi, ne illa sequatur, plura deducuntur *sub tit. de regalibus disc.* 6. Et conferunt, quæ habentur *d. disc.* 1. *de pension. & alibi*; Vndè propterea prodierunt aliæ pontificiæ constitutiones, illa præsertim Innocentij Noni, super interpretatione, vel ampliatione dictæ Bullæ Pij V. de non infeudando, per quas huiusmodi prorogationes quoque prohibentur, adeóvt inuestituræ vlteriorem non habeant durationem ex insinuatis infrà *in annot. ad d. disc.* 61.

Super potestate autem reuocandi cōcessiones, imó etiam contractus, habetur actum particularitèr *tit. de regal.*
5 *disc.* 148. *&* 177. *& alibi*. Quodque in dubio pro regulatione voluntatis potiùs quàm pro coarctatione potestatis, attendi debeat distinctio inter concessionem ex causa onerosa, & lucratiua, cùm primo casu difficiliùs hæc voluntas præsumatur, habetur *eod. disc.* 148. *de regal. ac etiam disc.* 47. *&* 93. *eod. tit. & tit. de iure patr. disc.* 10. *&* 65. vbi habetur, quod ad dignoscendum, an concessio sit ex causa onerosa, vel lucratiua, non defertur verbis, vel clausulis, sed attenditur ipsa rei veritas, vel substantia, quoniam, vt Beneficialistæ dicunt, occasione agendi de beneficijs Iurispatronatus ex priuilegio, quó magis verba sunt ampla, eo magis est priuilegium.

Et quoad merita, an probentur ex sola assertione, cum distinctione inter per-
6 sonas prohibitas, & non prohibitas, habetur *hoc eod. tit. disc.* 94. *& per Rot. decis.* 358. *&* 373. *par.* 6. *recent. & in Sarsinaten. feudi coram Dunoz. decis.* 748. *&* 760. *& coram Otthob. decis.* 265.

Et demùm, super æstimatione Castrorum cum differentia inter illa, quæ ha-
7 beant onus seruitutis feudalis, & illa, quæ ad differentiam dicuntur allodialia cum distinctione etiam in ipsismet feudalibus inter magis largam, vel strictam inuestituram, seù maiora, vel minora onera habetur infra *disc.* 19. *&* 24. & aduertitur *tit. de indic. disc.* 33.

DE FEVDIS,

AD DISC. V.

SVMMARIVM.

1 *Quare expediat tenere vinas aliquas prætensiones.*
2 *De potestate, & voluntate tollendi ius tertij.*
3 *De Concilio Constantiensi, & schismate.*
4 *Doctorum attestationi non est deferendum.*
5 *De distinctione in quæstione, an noua concessio eidem importet feudum nouum.*
6 *De eodem, & an clausulæ, & verba id operentur.*
7 *Quod debeat potiùs attendi substantia verbi, & voluntatis.*
8 *De præscriptione an obstet successori.*
9 *De caducitate ob non solutum canonem.*
10 *De aliquibus differentijs inter Statum Ecclesiasticum, & alios principatus circa rigorem caducitatis.*
11 *De deuolutione, vel confiscatione in præiudicium successoris independentis, & quando dicatur ad hunc effectum delictum feudale.*

AD

AD DISC. V.



QVAMVIS ista causa dici nō valeat sopita, dum apud Actores adhuc virescunt prætensiones, quas laudabile est conseruari pro nobilitate, & decore fa-
1 miliæ, vt docet praxis plurium magnatitiarum familiarum Hispaniæ, quæ adhuc conseruant prætensiones super aliquibus Regnis; Nihilominus huc vsque siluit, ideóque pariter, vt in præcedentibus defuit occasio alterius adnotationis particularis; verùm recensendo aliquid ex deductis in discursu.

Quoad ea, quæ initio dicuntur de potestate tollendi ius tertij; siue de modo regulandi voluntatem Principis super
2 vsu istius potestatis, est insinuatum *in annotatione præcedenti*, & latè *ibi allegato disc.* 148. & 177. *de Regal.* ac etiam habetur infrà *disc.* 9. & 10. occasione agendi de quæstione an in feudo pacti, & prouidentiæ concesso simplicitèr pro omnibus hæredibus sanguinis iuxtá formam diuiduam iuris Longobardorum erigi possit primogenitura, illudque redigi ad formam indiuiduam iuris Franchorum, de quo etiam in hoc *Supplemento disc.* 112. *cum plur. seqq.*

Super ijs autem, quæ concernunt Cōcilium Constantiense, & reuocarionem
3 eorum, quæ gesta fuerunt, illo schismate durante, habetur *in tit. de praemin. disc.* 2. & *decis.* 5. *par.* 13. *rec.* ædita in eodem casu, & aliquid aduertitur *disc.* 2. *in relat. Curiæ*.

Et super ea propositione, quod defendum nō est Doctoribus attestantibus
4 de aliquibus Constitutionibus Apostolicis, vel Decretis Sacræ Congregationis, habetur apud *Bich. decis.* 567. & 626. & *tit. de Canonic. disc.* 12. ac etiam *disc.* 1. *proœmiali in annot. ad Concil. Trident.* & *disc.* 33. *de iudic.*

Præcipuus autem huius controuersiæ
5 punctus est, an deuoluto feudo ex facto culposo possessoris, illoque denuò concesso eidem possessori, illud dicendum sit verè feudum nouum, in præiudicium agnatorum, qui per antiquam inuestituram vocati sunt; Vera videtur distinctio deducta in discursu, inter casum in quo Dominus sit in causa, suaque intersit inuestituram esse nouam; Et alterum casum, in quo istam qualitatem allegent successores illius, qui nouam inuestituram obtinuit contrá agnatos venientes ex inuestitura antiqua absque eo, quod dominus habeat interesse, & sit in causa.

Primo etenim casu, distinguendum venit, inter illos dominos, qui sint prælati inferiores, seù aliàs recognoscant superiorem, adeóvt non habeant potestatem derogandi legibus, & reuocandi concessiones factas, ac tollendi ius tertij & illum dominum, qui sit Princeps supremus, dictamque potestatem habeat latè expensam *d. disc.* 148. & 177. *de regal.* In hoc etenim secundo casu, intrat solùm quæstio voluntaris, an scilicet voluerit Princeps tollere ius tertij, atque destruere antiquam inuestituram, quoniam de potestate saltèm in foro externo non dubitatur, & de quo etiam infra *d. disc.* 112. *cum plur. seqq.*

In altero autem, in quo ista potestas non concurrat, quæstio videtur potiùs facti, quàm iuris, an scilicet reverá controuertio sit talis, vt ex parte Domini, eiusque fauore factus fuerit locus caducitati etiam in præiudicium successorum venientium independentèr á delinquente, seù contraueniente absque spe, vel remedio illam impediendi; Vel è conuersò, affectatè, & collusiuè id gestum sit, iuxtá ea, quæ deducuntur per *Fulgin. in disc. alleg. de solut. canon. quæst.* 1. *à n.* 48. *ad* 63. vbi multæ coniecturæ collusionis, & fraudis deducuntur; & habetur etiam *sub tit. de emphyt. disc.* 47. & alibi; Si enim actus est collusiuus, & fraudolentus, tunc sine dubio non attenditur, ex defectu potestatis, sed si sit sincerus, adeóvt Dominus volens, licitè potuisset feudum ad se deuolutum, pro se retinere, siue extraneis concedere, & tunc, si nouam concessionem ex integro faciat ipsimet, qui caducitatem passus est, non poterunt agnati venientes ex antiqua inuestitura impedire deuolutionem, vel aliud ius, quod fauore Domini resultat ex inuestitura noua, etiamsi id prouenerit ex culpa possessoris, citrà tamen fraudem, & collusionem ipsius Domini, dum ista solùm esse poterit apta ad eis tribuendum actionē contra ipsum culposum ad damna, & interesse.

Vbi verò ista quæstio esset solùm inter

ter ipsos comprehensos in vtraque inuestitura, vel habentes causam ab eis, absque eo, quod Dominus sit in causa, vel quod sua intersit; Et tunc, etiam vbi iuxta frequentiorem hodiernam praxim in feudis, agatur de illo domino, qui sit Princeps supremus, cum dicta potestate tollendi ius tertij, vndè propterea non cadat quæstio potestatis, sed solùm voluntatis; Adhuc ista voluntas præsumenda non est; Et quatenùs noua concessio concepta esset, cum tali prægnantia, seù amplitudine verborum, & clausularum, vt denotarent, quod processum non esset per viam simplicis remissionis incursæ caducitatis, vt remoto obstaculo antiqua
6 inuestitura iure suo cõtinuaret, sed quod processum esset per viam nouæ concessionis, tanquam ex integro, iuxtà ea, quæ desuper cumulantur in his terminis, vltrà allegatos *in discursu*, *per Marin. ad Reuerter. decis.* 562. *Apet. in compend. feud. rubr.* 10. *vision.* 14. *fol.* 87. *& seqq.* Nihilominùs omninò veriùs videtur, vt, Vel interet conclusio super qua multa colligunt *adden. ad decis.* 2. *par.* 3. *recen. & decis.* 676. *par.* 4. *rec. tom.* 3. *cum alys d. disc.* 148. *&* 177. *de regal.* & alibi frequenter, vt potius Princeps præsumatur circumuentus; Vel quod id proueniat ex stylis, & formularijs, citrà volontatem id agendi; Siquidèm, secluso iure, vel interesse ipsius Domini, cui magis expediat per nouam inuestituram restringere feudum ad vnam lineam, excludendo alias lineas in antiqua inuestitura contentas, pro faciliori deuolutione; siue vt ita excludantur lineæ, vel personæ magis potentes, vel parum gratæ, parumque beneuolæ; Vel vt augeatur seruitiũ reale, vel personale; siue quod restringantur facultates, & præeminentiæ; tunc speciem iniquitatis manifestæ redoleret ista voluntas, per quam licitum esset possessori feudi cum mora, aliove delicto, seù facto culposo supplantare successores, atque ex proprio delicto reportare commodum, cum iactura innocentium.

Hinc proindè pro meo sensu, contemptibiles videntur ponderationes, quæ desuper cum consueta leguleica simpli-
7 citate, vel ineptia fieri solent, per nostros super gramaticale, seù legali significatione, vel operatione verborum, & clausularum, quoniam veriùs videtur, vt etiam in ista materia procedi debeat, cũ toties inculcata propositione, præsertim in vltimis voluntatibus, ac etiam in contractibus, seù legibus, & statutis, & quæ à Iudicibus principalitèr, ac perpetuó præ oculis habenda est, vt scilicet tanquam in quæstione voluntatis, & facti, potiùs quàm iuris immorandum non sit in hac formalitate verborum, vel in regulis generalibus, vel immorandum veniat in substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis, quæ desumenda est ex qualitate, & circumstantijs facti, non autem ex huiusmodi verbis, & clausulis, quæ frequenter adijciuntur pro formulario.

Cum eodem sensu quoque procedendum videtur in alio puncto, de quo in discursu, super diuturna obseruantia,
8 vt scilicet ea rectè operatiua sit, nimiumque attendenda, quando, iuxtà præmissas considerationes, reducatur noua concessio ad probabilem dubietatem, ratione certæ voluntatis domini, in quo potestas, vt suprà concurrat, vel ratione bonæ fidei in eo, qui nouam inuestituram obtinuit, tanquam ex integro, eo quia sine eius delicto, prima inuestitura rigorosè esset resoluta, adeòvt obseruantia dici mereretur interpretatiua; secùs autem, vbi his cessantibus, atque in re clara, deduceretur tanquam præscriptiua, dum tali casu rectè intrant ea, quæ in materia iuris patronatus gentilitij, vel in altera fideicommissorum cæteris relatis habentur *apud Peregr. de fideic. c.*41. *n.*17 *Grat. discept* 577. *num.*44. *Ciarlin. contr.* 107. *n.*61. *Rota decis.* 220. *par.* 11. *rec. & habetur sub tit. de iure patron. disc.* 51. *& disc.* 21. *de iudicijs, & interdictis feudalibus, Rosenthal. in discurs. alleg. cap.* 9. *consil.*84. *&* 85. *Giurb. de feud.* §. 2. *gl.* 12. *num.* 87. *Spad. cons.* 53. *lib.* 3. quod scilicet, vel ex regula, quod non valenti agere non currit præscriptio; vel ex altera quod, qui non potest expresse alienare, seù aliàs successoribus præiudicare, multò minus potest tacitè negligendo, ne quod est directè prohibitum, indirectè sequatur, siue ex vtraque simul iuncta, verius est, vt successori venienti indepẽdenter á prædecessoribus ad feudum antiquum pacti, & prouidentiæ, non obstat præscriptio deducta ex negligentia prædecessorum. Nisi



Nisi obseruantia esset supra centum annos, atque non adesset obstantia tituli vitiosi, adeoùt intrare posset facultas, de qua supra in annotatione *ad disc.2.*& frequentèr allegandi scilicèt quemcumque alium titulum meliorem absque necessitate iustificandi.

Demùm quoad rigorem, cum quo post Constitutionem Gregorij XIII. de
9 qua *in discursu*, in hoc principatu proceditur, ob non solutum in tempore tributum, vel aliam recognitionem, subrogatam loco seruitij feudalis; Quamuis in discursu insinuetur, quod iste sit magnus rigor fortè singularis; Attamén ob eiusdem principatus, etiam singularem qualitatem pro eiusdem rigoris probabilitate, vel excusatione, rectè adaptari videntur ea, quæ super exclusione æquitatis canonicé circà purgationem moræ habentur *sub tit. de Emphyt. disc.46.*

Duæ siquidèm in isto principatu Status Ecclesiastici, concurrere videntur rationes, quæ in alijs principatibus non militant; Primó nempé quod est prin-
10 cipatus electiuus, pro frequentiori praxi breuis durationis, dum electio in senibus cadere solet; Vndè propterea cum quandoque pro humana fragilitate homines quærere soleant, quæ sua sint, & quæ ad proprios successores transmittere possunt, non autèm ea, in quibus administratores, & tanquam per speciem vsufructuarij persona geratur; Idcircò dari posset quandoque negligentia præiudicialis; Et secundò quoniam feudatarij huius principatus non sunt solùm proprij subditi, intra eiusdem principatus viscera viuant sub omnimoda superioritate ipsius Domini, vt (ex: gr: agendo de nostra Italia) sunt feudatarij Regnorum vtriusque Siciliæ, ac illi aliorum Italiæ Principum, sed adsunt feudatarij potentes, in figura Principum supremorum, cum feudis regalibus vnè dignitatis, redolentibus supremum principatum, vndè propterea iuxtá ponderationes, de quibus *d. disc.46.* quilibet sibi licitum redderet negligere solutiones huiusmodi tributorum, vel recognitionum, vt ità insensibilitèr cum longo temporis decursu libertatem vindicaret, assecuratus de præiudicijs, quæ ab hac mora resultant, ab isto clypeo canonicæ æquitatis, & purgationis moræ; Et per consequens iste rigor aliquam probabilem rationem habere videtur.

Mendosè autèm ex errore in præmissis, vt pluriès *num.21. allegatur Gobel. cap.24.* dum est *cap.29. eod. num.21.*

Et de feudi deuolutione, vel confiscatione ob delictum feudatarij, etiam in præiudicium successorum indepen-
11 dentium, & quando dicatur delictum feudale, quod istum effectum producat, habetur in præsenti *hoc Supplemento disc.131.* & aliqua *disc.161. de Regal.*

DE FEVDIS

AD DISC. VI.

SVMMARIVM.

1 *An Castrum præsumatur feudale, vel allodiale remissiuè.*
2 *An fœminæ succedant in feudis.*
3 *Declaratur conclusio, quod subfeudum est eiusdem naturæ, cuius est feudum.*

AD DISC. VI.



E quæstione, de qua etiam agitur in hoc discursu super qualitate Castri, seú
1 loci, an in dubio præsumatur potiùs feudale, quám allodiale, vel è contra, habetur supra *in annotatione ad disc.2.*

Et de regula generali super capacitate
2 fœminarum succedendi in feudis, habetur *hoc eodem tit. disc.11. & infrà in eius adnotatione, & in hoc Supplemento disc.112. & 127 & 134.*

Quatenùs veró pertinet ad assumptum principale huius discursus, vt subfeudum reguletur à naturale feudi; Erroneum videtur indefinitè procedere cum
3 hac generalitate, in quocumque casu, ad aliud non reflectendo, quoniam verè, & propriè id procedit in illo subfeudo, quod fiat de toto feudo per speciem subrogationis vnius Vassalli loco alterius, iuxtá primam speciem, de qua supra *in annotatione ad disc. primum*; Ex ea ratione, quod inter alia subfeudi requisita

quisita est illud, vt sit cnm eisdem legibus, & conditionibus, & quæ species hodiè videntur recessisse ab aula, vt in *d. adnot. ad disc.1.*

Quo verò ad alias species, quæ sunt in vsu; Adhùc reflectendum est ad earum diuersitatem, de qua *in dicta adnotatione ad discursum primum, ac etiam disc.seq.* quoniam vbi agatur de illo subfeudo, quod fiat de excadentijs quoque alicubi nuncupatur planum, & de tabula differentia est plana, cùm ista species subfeudi non reguletur iure feudi, sed iure allodij, ideòque sit longè diuersæ naturæ.

Et quoad aliam speciem, illorum subfeudorum, quæ de Oppidis, & Castris concedantur per feudatarium dignitatis cum iure principatus, ad effectum sibi constituendi milites nobiles; Quamuis in casu omninò ambiguo eum ista regula procedendum sit, ex ea congrua ratione, quod membra censenda sunt eiusdem naturæ, cuius est corpus, vt in discursu; Attamèn non videtur requisitum præcisè necessarium, dùm huiusmodi subfeuda, quæ fiunt cum longè minori iurisdictione, & potestate, tanquàm per speciem distributionis gubernionum, & administrationum, reuerà non important scissuram, vel diuisionem feudi, neque eius vnitati præiudicant, ideòque diuersitas naturæ nullam repregnantium præseferre videtur, atque ità docet plurium principatuum prouis, ac propertereà regula procedit in casu ambiguo.

DE FEVDIS

AD DISC. VII.

SVMMARIVM.

1 *De huius causæ decisionibus, vbi sint impressa.*
2 *In quibus feudis procedendum sit cum regulis feudalibus.*
3 *Feudum importat veram militiam ad plures effectus.*
4 *Qui possint hodiè concedere feuda vera, & propria.*
5 *De renunciatione feudi, cui suffragetur & quando excludat renunciantem.*
6 *De subfeudis, eorumque varijs speciebus.*

DISC. VII.



LIQVÆ ex prioribus decisionibus editis pro hac parte, quæ in discursu enunciantur, fuerunt postmodùm impressæ *in parte 12. recentior. decis.115.*
1 *& 429.* posterior autèm, quæ prodijt in contrarium fauore subinfeudantis contra Dominum, habetur impressa *par. 13. recent. decis.409.* & apud *Torr. de pact. futur. success. decis.89.* vbi studiosus videre poterit, an illa satisfaciat nec'nè motiuis, & rationibns, de quibus in hoc discursu.

Est benè verum, quod, vt aduertitur etiam infrà *disc.10. & 11.& 53.* occasione agendi de consimilibus feudis istius
2 Ecclesiæ Mantuanæ, non videtur, quod in eis strictè procedendum sit eum illis legibus, regulis feudalibus, eum quibus hodiè proceditur in feudis rectis, & proprijs primi ordinis, & dignitatis, quæ redolent speciem principatus, eum regalibus, & cum supremo imperio, siuè in alijs feudis inferioris ordinis, etiàm cum imperio, & iurisdictione, sed magis limitatis, vt sunt ea feuda, quæ consistunt in locis habitatis, cum Vassallis, & cum iurisdictione, & imperio, adeoùt eorum possessor efficiatur Baro, & nobilis ordinis magnatitij illius principatus, quoniam licet, iuxtà antiquas consuetudines feudales, attentaquè feudorum introductione, seù origine, forsan istæ feudorum vsus, ad instàr legis agrariæ verificaretur etiam in huiusmodi petijs terræ, alijsque priuatis prædijs, sine Vassallis, ac iurisdictione, & imperio, adeoùt darentur feuda etiam in aliqua parte Maris, vel fluminis pro iure piscandi, *vt hoc tit. disc.40.* siuè darentur etiam in aliquo redditu pecuniario, vel simili iure, iuxtà ea, quæ habentur infrà *eod. tit. disc.42.* Attamèn hodiè videtur, quod ex quodam recepto vsu, vera, & propriá feuda, quæ regulari debeant, iuxtà leges feudorum, sint superiùs dicta, quæ conceduntur per supremos Principes, habentes principatum iure pleni, ac liberi

beri allodij, siuè etiam iure feudi regalis, & dignitatis, eorumque concessio fit cum iurisdictione, & imperio in Vassallos, vt supra; adeoùt feudatarij efficiantur Barones, ac Milites, & nobiles primi ordinis, non autèm in huiusmodi prædijs rusticis, quæ conceduntur á viris priuatis, vel etiam ab Ecclesijs inferioribus, earumque Prælatis, cum reuera potiùs redolere videantur quandam speciem emphyteusis, seù liuelli, retinendo solùm antiquam consuetudinem supernuncupatione, iuxtà ea, quæ habentur etiam in feudis istius Ecclesiæ, *d. disc.*10. 11. *& 53.* ac etiam *disc.* 35. *& 39. & in alijs*.

Idquè ex ea congrua ratione, ponderata infrá *in Farsen. disc.*52. quod scilicèt feudatarij verè, & propriè dicuntur
3 milites, & nobiles primi ordinis, dùm feudum redolet veram militiam, etiam ad effectum vacationis beneficiorum, vel amissionis pensionum, Ecclesiasticarum, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de pension. disc.*48. Et per consequens iste vsus non est verificabilis in illis feudis, quæ concedantur per priuatos, vel per Ecclesias inferiores, earumque Prælatos, dùm immutato rerum statu, atque cessatis illis Italiæ motibus, ob quos, etiam priuati, siuè inferiores Prælati, cogebantur habere milites, & vassallos fideles, & formare exercitum saltèm ob defensionem, ab incursionibus, & vsurpationibus, quæ tunc erant in vsu, hodie ius indicendi bellum publicum, atque sibi
4 constituendi milites, est sine dubio de regalibus maioribus, & de competentibus Principibus supremis, & potentibus, vt aduertitur *d. disc.*52. Et per consequens, clarum æquiuocum videtur indefinité in quæstionibus huiusmodi inferiorum feudorum habentium reuera solam nuncupationem, & quæ in effectu non faciunt Barones, applicare rigorosos terminos feudales, siué auctoritates antiquorum, vel etiam modernorum fendistarum, non reflectendo ad hanc distinctionem.

Circà conclusionem in hoc discursu
5 deductam, ex theorica *Bartol. in l. qui Roma* §. *duo fratres*, *ff. de verb. oblig.* vt scilicèt renunciatio alicui facta de bonis differentibus, non transmissibilibus ad hæredes extraneos, censeatur facta limitatè ad fauorem renunciatarij, capacis, eiusque successorum, pariter capacium, non autèm, vt his defectis persona renunciantis excludatur, per alios remotiores, siué quod ità fiat locus deuolutioni ad fauorem Domini habetur *actum tit. de Emphyt. disc.*53. *& tit. de renunciat. disc.*4. *& 5.*

Et de subfeudis, eorumque diuersis
6 speciebus actum est supra *in annot. ad discurs.*1. vbi videndum nè idem repetatur.

DE FEVDIS

AD DISC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *De alijs auctoritatibus, quæ habentur in ista controuersia.*
2 *De diuisione feudorum, eorumque specierum.*
3 *De materia indiuiduitatis feudi, eiusque effectibus.*
4 *De præeminentijs inter plures eiusdem feudi possessores.*
5 *Laudatur decisio turnaria.*
6 *Turnarius dicitur habere totum ius.*
7 *Feudum est homo mutus, & surdus, qui operatur per Organum feudatarij.*

DISC. VIII.



Lteriorem disputationē ista quæstio non habuit, atque decisio in discursu enunciata, fauore remotioris, qui admissus fuit ad concursum æqualem cum proximiori ratione habituali indiuiduitatis, suum effectum sortita est.

Ea verò quæ in ista disputatione fue-
1 runt hinc indè deducta, habentur registrata inter *Consultationes Mansy postmodum editas consult.* 84. *cum pluribus seqq. lib.*1. ex quibus illis, qui rectè calleant materiam feudalem, patebit quàm nimis per scribentes hinc indè deuagatum fuerit in superfluitatibus, pro consueto moderno damnabili vsu, cum causa ad duos punctos nimis breues restringe-

stringeretur, illum scilicèt indiuiduitatis feudi, & alterum concursus linearum, reliqua verò continent paleam, & superfluitates absquè tùm culpa dicti scriptoris, qui coactus fuit respondere ijs, quæ in contrarium deducebantur; Opus verò fuit præter stylum, ac genium, scribendo in ista causa, reassumere cum aliqua euagatione terminos, seù diuersas species feudorum diuiduorum, & indiuiduorum, seù iuris fran-
2 chorum, & Longobardorum, & super quo etiam nimium se diffundit amicus meus *Bostolus controuers. feudali, edita occasione casus, de quo infrà disc.12. registrata in hoc eod. tit.* vt ità scilicèt tollerentur æquiuoca, cum quibus aliqui scribentes procedebant, confundendo vnam speciem cum altera.

Et de hac indiuiduitate eiusque effectibus agitur apud *Martin. in addit. ad*
3 *Reuerter. decis.536. ac etiam in adnot. sequenti*. Illud aduertendo, quod omninò verior videtur opinio, vt hæc indiuiduitas in Regnis vtriusque Siciliæ prouenerit à consuetudine potiùs, quàm à Constitutione *Constit. diua memoria*, vt alia opinio credit, dùm in alia Constitutione eiusdem Federici II. incipiente *Comitibus*, quæ fortè, est anterior ista, natura iàm supponitur introducta.

Post sopitam verò istam controuersiam, alia exorta fuit inter Io: Mariam iuniorem, pro quo scripsi, & Bonifacium filium Fortunati, in materia præeminen-
4 tiæ, seù præcedentiæ in modo subscribendi literas, vel prouisiones, concernentes regimen, & administrationem huiusmodi feudorum pro commodiori, magisque pacifica eorum fruitione, & exercitio iurisdictionis, dùm commodam non recipiebant diuisionem, vndè propterea remanentibus indiuisis pro meliori administratione, tollendisque inconuenientibus, quæ aliàs ex promiscuo exercitio oriri poterant in executionem cuiusdam laudi, deuentum est ad conuentionem, vt gubernium, siuè administratio per quandam speciem turni, alternatis annis, vel temporibus, per vnum tantùm fieret, ità tamen, vt aliqua grauiora negotia non explicarentur, nisi cum consensu, & participatione consortium; Hisque sic stantibus, quando gubernium, & administratio erat penès Marchionem Io: Mariam iuniorem, prætendebat Marchio Bonifatius, filius Fortunati etiam natu maior, quod in illis actibus, in quibus ipse consensum præstare debebat, subscribere priùs deberet pro ea præeminentia, quam sibi præbebat maior ætas; Quarè desupèr ex parte Io: Mariæ consultus; Respondi contrarium veriùs videri, quod scilicèt ista prærogatiua subscribendi priùs spectaret ad Io: Mariam, penès quem tunc erant gubernium, & administratio feudi, & iurisdictionis.

Admittendo siquidèm prærogatiuam, resultantem ab ætate, dicebam, illam procedere, quando ageretur de iure coæquali, quod per omnes fratres, vel consortes, æquè principalitèr exerceretur, cum tunc dicta prærogatiua attendi deberet, vt praxis vniuersalis docet in actibus capitularibus, vel collegiatiuis, qui admittant concursum omnium de capitulo, vel de Collegio; Et quando sint actus indiuidui, non explicabiles, nisi per vnam personam, tunc illi explicari debent per natu maiorem, vt in proposito retentionis clauium, vel scripturarum, & similium actuum, habetur per *Petr. de Vbald. de fratr. par.11. num.22. Michalor. eod. tract. par.3. cap.37. Caualcan. decis.25. de contract. par.2. num.17. Amendol. ad Franch. decis.386.* vbi etiam *Modernus elaboratus De Luca in addit.* aliqua ad rem adducit; Ac etiam conferunt, quæ habentur *sub tit. de praemin. disc.19. cum seqq.* circa functiones capitulares indiuiduas, explicandas à prima dignitate, siuè á Decano, cum similibus.

Secùs autèm, vbi actus in re communi, ex conuentione, vel consuetudine pro meliori exercitio, vt occurrarur
5 discordijs, & inconuenientibus, explicarur per vnum ex pluribus alternatim, seù ordine turnario, qui ordo in iure potiùs est commendabilis, iuxtà ea, quæ circa huiusmodi turnariam diuisionem iuris conferendi beneficia, vel officia, inter Canonicos eiusdem Capituli habentur *decis.14. par.12. recent.* & in alijs pluries, & de eadem turnaria diuisione inter compatronos in exercitio iuris præsentandi, habetur *sub tit. de Iurepatronat. disc.41.* vbi concordantes.

Tunc etenim, ille, qui ex hoc turnario iure

iure, vel ordine actum explicat, habe-
6 tur tanquam solus, & Dominus penès quem exercitium illius iuris integrè fuerit consolidatum, illo habitualitèr residente penès omnes, quorum vice, & nomine actus explicari dicitur; & consequentèr pro illo tempore ille dicitur solus Dominus, & feudatarius, qui perficit, & informat actum, subscriptio autèm consortium in aliquibus negotijs grauioribus, ex conuentione adhibenda, pro eorum scientia, & consensu, ad effectum occurrendi præiudicijs, redolere videtur quandam speciem consilij, & illius subscriptionis, quam faciat in sententijs, vel decretis Assessor, vel Consultor, & sic accessoriè, vel famulatiuè.

Atquè ad idem considerabam pluriès insinuatum assumptum feudistarum, desumptum ex celebri dicto *Glosa feudalis*
7 *Marini de Caramanic.* quod feudum dicitur homo mutus, & surdus, aliaquo membra habens impedita, vndè propterea indiget adiutore qualis est feudatarius, per euius organum explicat illos actus, quos per se ipsum explicare non potest, tanquam per eius Tutorem, & Curatorem, eo modo, quo habemus in amentibus, vel in pupillis; Et per consequens stante ista turnaria diuisione, ille ad quem pro suo tempore pertinet hæc administratio, dicitur Tutor, vel Adiutor feudi, eiusque organum, vel instrumentum immediatum, interuentus autem aliorum est per accidens, & mediatus pro conseruatione præiudiciorum, atque, vt dictum est in figura Assessorum, seù Consiliariorum; Incertus est autèm huius controuersiæ exitus; debeo tamèn eredere, quod fuerit iuxtà præmissa; Atquè super his edidi quoquè discursum paruiorem in sua sede *sub tit. de præeminent. disc.* 47.

DE FEVDIS

AD DISC. IX.

SVMMARIVM.

1 *De puncto, de quo in hoc discursu, & in alijs similibus.*
2 *De Auctoribus agentibus de eodem puncto & casu.*
3 *Vndè proueniat inuolutio quæstionum, quæ rèvera non sint tales.*
4 *De feudis Regnorum vtriusque Siciliæ, & de eorum peculiari natura, & de pluribus ad eorum materiam.*
5 *De errore adhibendi auctoritates, loquentes de his feudis.*
6 *De feudis merè hæreditarijs.*
7 *De feudis impropriatis, & alienabilibus per consuetudinem.*
8 *De conclusione, quod in feudis antiquis pacti, & prouidentiæ, vel etiam nouis, lucratiuis eiusdem formæ, non possit alterari ordo succedendi.*
9 *An id fieri possit cum assensu Domini, distinguitur.*
10 *De potestate Principis tollendi ius tertij, & de voluntate.*
11 *Quando hæc voluntas adesse dicatur.*
12 *Quid sit quæstio facti, & voluntatis, & quomodò decidetur.*
13 *De conclusione, quod primus acquirens potest præiudicare; cum distinctione inter patrem habentem in potestate, & alios plenè expenditur.*
14 *Quod donatio, quæ inest in acquisitione feudi, sit potiùs causa mortis.*
15 *Declarantur decisiones in Forolinie n. Castrorum.*
16 *De materia indiuiduitatis, quæ resultat à dignitate, vel titulo.*
17 *An dignitas de nouo adiecta feudo antiquo alteret eius naturam.*

AD DISC. IX.



Agitvr in hoc discursu de puncto, de quo etiam agitur *disc. sequenti, & disc.* 12. *&* 45. *hoc tit. & tit. de emphyt. disc.* 10. 18. *&* 42. &
1 in alijs pluriès; An scilicèt, & quando feudatarius præiudicare possit successoribus, vocatis per legem inuestituræ, peruertendo ordinem successionis, atque erigendo in feudo, aliàs diuiduo, & ad formam iuris Longobardorum, natura indiuidua, ad formam iuris francorum, cum ordine primogenituræ, vt est præsens casus; Siuè è conuerso, feudum indiuiduum reducendo ad naturam diuiduam, vt omnes eiusdem generis simultaneè succedant, vt

disc.

dist. seq. Vel non immutata indiuiduitate peruertere ordinem primogenituræ, vt scilicèt excluso primogenito succedat secundò, vel tertiò genitus, qualis est casus, de quo *disc.12.* Aut præiudicando in totum cuicumque successori per ipsius feudi alienationem, siuè per grauamen, & seruitutem, adeoùt successor teneatur habere ratum eius factum, & de qua materia agitur etiam infrà in hoc *Supplemento disc.111. cum pluribus seqq.* 120. *&* 134. & in alijs.

In hoc autèm, vt patet ex ijs, quæ habentur deducta tám in hoc discursu, quàm in alijs supra allegatis 10. 12. *&* 45. & in dictis *alijs discursibus sub tit.*
2 *de emphyt.* latiùs verò per scribentes hinc indè cum extero prolixiori stylo in eisdem casibus; Nempè in illo præsentis discursus apud *Mansium consult.* 45. *cum pluribus seqq.* quarum prima est repetita *apud Attolin.resol.*51. & apud *Altograd.iun.controu.*1. & plenè nimiumque elaboratè super casu, de quo *disc.*12. *Boscolus in controuersia registrata in calce huius libri.* Ista materia videtur inuoluta, & tamèn re vera illa talis dicenda non est.

Id autèm pro generali conditione, seù miseria huius facultatis prouenit á to-
3 tiès inculcato abusu, consarcinandi auctoritates, vel maiorum nostrorum traditiones indigestè, siuè in confuso totam vim constituendo in earum numero arithmetico, magnaque copia, non distinguendo, loca, & tempora, aliasque diuersas circumstantias, minusque eorundem Scriptorum qualitates, & occasiones, ob quas scripserint; Istaque est causa, seù origo omnium æquiuocorum, seù inconuenientium, quæ semper in dies fient maiora, quotiès pestis huius styli á mundo non aboleatur, sed professores in hac ineptia, seù cæcitate perseuerent, nescitur ex quo fine, vel ratione, vt etiam aduertitur *disc.35. de iudic. disc.46. in relatione Curiæ, & in opusculo styli.*

Quarè distinguendo, vt decet, plures casus; pro ea, quæ fieri potest æquiuocorum elucidatione; Primus casus est, in feudis Regnorum vtriusque Sici-
4 liæ, in quibus, vltra generalem prohibitionem, resultantem à legibus feudalibus, & præsertim ab illa *in cap. Imperialem, de prohibit. feud. alienat. per Feder.* quę saltèm de consuetudine recepta est pro lege communi, viget alia prohibitio longè strictior ex illorum Regnorum Constitutione particulari, edita ab Imperatore Federico II. tanquàm illorum Regnorum Rege, quæ incipit *Constitutionem Diuæ Memoriæ*; Atquè in ista specie feudorum, non cadit quæstio, de qua in præsenti discursu, an scilicèt feudum diuiduum reduci possit ad naturam indiuiduam, atque in eo erigi primogenitura, quoniàm, siuè iuxtà vnam opinionem id proueniat à prædicta Constitutione, siuè iuxtá alteram veriorem à quadam consuetudine, *vt in adnot. ad disc. prædictum*; Omnia feuda, quæ ibi dicuntur quaternata, & in capite, ex inuestitura Regis (exceptis quibusdam obscuris, & exiguis, existentibus in Celento, & in Aprutio) sunt indiuidua ad formam iuris Franchorum, atque in eis est infixus, & connaturalis ordo primogenituræ, vt habetur *disc.* 13. neglecta distinctione inter feuda noua, & antiqua, siuè inter illa, quæ concessa fuerint ex causa lucratiua, vel onerosa, quoniam, quoad ea, quæ concernunt corpus, vel substantiam feudi, nihil refert, an illud sit antiquum, vel nouum etiam ex causa lucratiua, vel ex causa onerosa, quoniàm etiam in isto secundo casu, nulla datur dispositio, vel alteratio sine assensu, solùmq; moderno tempore in ipsa acquisitione adijci solet facultas gratificandi inter filios iuxtá casum, de quo *disc.*12. quod est per accidens, atquè deuiat à regulis.

Esse autèm nouum ex causa onerosa, ex qua semper illa feuda obtineri solent (cum concessiones ex causa merè gratuita, saltèm sine recompensa seruitiorum, & meritorum, quæ longè maius pretium habeant, videatur ab aula recessisse) considerabile est, in ordine ad pretium desuper erogatum, quod dicitur esse in hæreditate allodiali, ac propterea per primogenitum successorem feudi, communicari debet secundogenitis, vt *disc.*19. *& seqq. &* 108. & in alijs frequentèr; Et quando etiam est antiquum, in hoc præsertim Regno Siciliæ citerioris, quod Neapolitanum dicitur, ob admixtam qualitatem hæreditariam etiam vltimo morientis, successoribus, præiu-

Suppl. Th.lib.16.de Feud. C 2

præiudicatur in ipso corpore feudi cum assensu, & sine illo, præiudicatur in integro valore, etiam vbi successor veniat contra iudicium defuncti, coque inuitò obtineat successionem feudi ex lege inuestituræ, quod exorbitat ab opinionibus alibi magis communitèr receptis in materia feudi mixti, vt frequentèr aduertitur *disc.21. & seqq. & in alijs.*

Igitur manifestus error est, super ista materia adhibere auctoritates Regnicolarum, illasque commiscere, seù confun-
5 dere cum illis Lombardorum, vel etiam Germanorum, & aliorum locorum, in quibus feuda diuersam habeant naturā, atqué in hoc versatur adeò frequens, & manifestum æquiuocum.

Alter casus est in feudis merè hæreditarijs; Atque in istis, quando non
6 vrgeat lex particularis, quæ prohibeat alienationem, vel aliam dispositionem, vt (ex: gr: vel à simili) sunt illa feuda impropria, & remota, quæ, ad differentiam feudorum, allodialia dicimus in Statu Ecclesiastico, ob prohibitiones resultantes á Constitutionibus Apostolicis, Sixti V. & Clementis Octaui, aliorumque Pontificum successorum; Et tunc, seclusa illa nullitate, allegabili etiam per ipsum met principalem, quæ resultat ex defectu licentiæ, vel solemnitatis, eodem modo, quo in dicto Regno; nulla dignoscitur differentia, inter feudum nouum, & antiquum, siuè inter gratuitum, & onerosum, & per consequens idem intrat error adhibendi in ista quæstione illas auctoritates, quæ hanc speciem percutiant.

Tertius est casus, in quo, feuda iuxtà legem inuestituræ habeant formam pacti, & prouidentiæ, sed non obstante, quod
7 sint antiqua, vel noua, ex causa lucratiua, adhùc tamèn, de consuetudine sint in commercio cum licentia Domini, quę requisita videtur principalitér pro eiusdem Domini interesse, ad effectum obtinendi laudemia, vel alias recognitiones, vt (ex: gratia) sunt feuda magis impropria, quàm propria Episcopatus Mantuæ, de quibus supra *disc.7. & infrà disc.10. & 11.* Et sunt illa Abbatiæ Farfensis, de quibus infrà *disc.* 52. & frequentèr *sub tit. de emphyt. præsertim disc.8.* Et paritèr intrat idem error, adhibendi in feudis aliorum locorum, quæ regulanda sunt cum legibus feudalibus, seu cum regulis, & propositionibus feudistarum, illas auctoritates, quæ percutiant hanc speciem, dùm consuetudo alterauit naturā feudalem, saltèm in hac parte, & per consequens auctoritates, quæ percutiunt hanc speciem, recensitæ *disc. sequen.* sunt etiam extraneæ.

Quartùs demùm est casus, in quo seclusis circumstantijs alteratiuis particularibus, de quibus, in tribus casibus præcedentibus, agatur de feudis veris, & non impropriatis, nisi in aliqua parte accidentali; & tunc rectè intrat distinctio, de qua *in hoc discursu*, ac etiam *disc. sequenti, & 12.* inter feuda pacti, &
8 prouidentiæ antiqua, & noua; Vt scilicèt, in antiquis facultas desit alterandi ordinem successionis, & præiudicandi successoribus, venientibus independentèr, ex persona propria; Idemque in nouis ex causa merè lucratiua.

Id autèm, non prouenit ex peculiari natura feudorū, siuè ex legibus, & regulis feudalibus, sed etiam ex regulis iuris communis, tàm in emphyteusi, seù liuello, aùt perpetua locatione, quam etiam in fideicommisso, & in Iurepatronatus gentilitio, seù familiari, vt possessor non possit alterare ordinem succedendi præscriptum à Testatore, vel à donatore, seù à fundatore, dùm successores veniunt ab ipso independentèr, suumque ius metiuntur ab ipso primo disponente, vel acquirente, vt etiam in prædictis *disc.55. & 57. & 134. cum pluribus seqq.* & habetur etiam *in hoc Supplemento d.disc.112. cum pluribus seqq.* vbi de alienabilitate, vel transitu ad fœminas, & in alijs.

Procedunt hæc cum præsupposito, quod alteratiua dispositio fiat sine assensu Domini, cùm tùnc ista distinctio procedat de plano; Difficultas verò cadit, quando eadem alteratio fiat cum licen-
9 tia, & consensu Domini, vt erat in casu præsenti, ac etiam in alijs, de quibus *disc. sequenti, & 12.* Et tunc, licèt Scribentes in hac eadem causa superiùs recensiti, cùm enunciato collectorio abusū indefinitè magnos faciant allegationum cumulos hinc indè super competentia, & respectiuè incompetentia potestatis Domini, præiudicandi successoribus; Nihilominùs idem dignoscitur æquiuocum

cum, quoniam multi Auctores percutiunt casum illius Domini, qui sit inferior, ideòque non habeat iura Supremi Principis, ac potestatem derogandi vltimis voluntatibus, & tollendi ius tertij, vt est casus, de quo *disc. sequenti*, quòd Dominus sit Episcopus, vel Prælatus inferior, vtique non habens hanc potestatem; ideóque huiusmodi auctoritates pariter extraneæ remanent à casu præsenti, vel simili, in quo agatur de Supremo Principe, habente hanc potestatem.

In isto itàque vltimo casu; Quamuis non desint plerique eandem negantes potestatem, quotiés non accedat iusta
10 causa publicæ vtilitatis, ex plenè insinuatis pluriès allegato *disc.* 148. 177. *de Regalibus*; Attamèn ex ijs, quæ habentur eisdem mox citatis locis, ac etiã *hoc eodem tit. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 73. *cum seqq. & sub tit. de testam. disc.* 72 ac etiàm sub altero *de fideic. disc.* 141. *&* 161. *& seqq.* hodié in foro externo, fabulæ speciem redolet dubitare de hac potestate, cùm facultas disponendi de bonis suis post mortem, atquè in eis adijciendi, ordinem successionis inalterabilem, proueniat ex benignitate legis positiuæ, cui derogare potest altera lex positiua animata, qualis est Princeps; Et per consequens quæstiones reducuntur ad voluntatem, pro cuius regulatione, tàm ad effectum non exercendi hanc potestatem, quàm ad alterũ moderandi, vel reuocandi id, quod eius vigore gestum sit, intrat inspectio iustæ causæ, quæ adesse dicitur, in casu præsentis controuersiæ, & in altero, de quo *disc. sequenti*, quod scilicèt agatur de inducendo ordinem primogenituræ, quia sic magis expediat ex rationibus *dicto disc. seq* & alibi insinuatis.

Dummodò tamèn certa sit voluntas
11 Principis, vtendi hac potestate, adeoùt, sciens, & volens illa vti voluerit, secus autèm vbi eius licentia, alium habeat finem, seù percutiat effectum, quia nempè agatur de licentia dispensatiua prohibitionum, quas feudatarius habeat alienandi, vel alterandi absque tamèn hac voluntate tollendi ius tertij; istaque voluntas in præsenti deerat, ideóque iustè contrà primogenitum decisum fuit, atquè circà hanc voluntatem vltrà deducta *dicto disc.* 148. *de Regal. conferunt deducta disc.* 43. *de donat.*

Hinc patet, quod istæ dicuntur quæstiones potiùs facti, quàm iuris, decidendæ pro singulorum casuum qualita-
12 te, & circumstantijs, quodquè propterea clarus, ac perpetuus remanet error, procedere cum generalitatibus, atquè confundere auctoritates, non distinguẽdo loca, & tempora, aliasque circumstantias.

Vbi veró agatur de primo acquirente ex causa onerosa; Quamuis concordare
13 videantur DD. in conclusione, vt ei licitum sit, cessante lege, vel consuetudine particulari, attentisque terminis generalibus iuris communis, disponere in præiudicium successorum, exaduerso allegatis; Attamèn ex originali doctrina *Bal. in Auth. si quas ruinas C. de Sacr. San. Eccl. & in l.* 1. *Cod. per quas person. nob. acquir.* quam sequuntur alij plenè collecti *per Ciarlin. contr.* 158. & sequuta est *Rota in Foroliuien. Castrorum decis.* 213. *par.* 12. *recent. confirmata* 4. *Maij* 1668. *coram Albergato*, adhiberi solet distinctio, an primus acquirens sit pater, qui acquirat pro filijs, alijsque descendentibus, vel sit extraneus, aut etiam Mater, siuè alter ascendens per latus maternum; Vt scilicèt primo casu conclusio procedat, secùs autèm in altero; Ex ea differentiæ ratione, quod in primo casu adsit obstaculum prohibitionis legalis super donatione inter patrem, & filium, & per consequens, id quod obtinent filij, ex bonis, & industria patris, remaneat in terminis peculij profectitij, quod dicitur esse in dominio patris, non autèm filiorum, quibus propterea præiudicare potest; secùs autèm vbi agitur de alijs acquirentibus, in quibus hæc ratio non intret.

Atquè hinc inferunt, idem dicendum esse in ipsomet patre, quotiès non haberet filios in potestate, siuè quod actus esset iuratus, dùm ex veriori, magisque recepta sententia iuramentum tollit obstaculum iuris ciuilis, atquè validat donationem inter patrem, & filium, vt præsertim ad rem *apud Dunozettum decis.* 915.

Verùm id continere videtur vnam ex consuetis nostris leguleicis simplicitatibus, quoniam istud assumptum, vt primus acquirens titulo oneroso præiudicare

care valeat successoribus, pro quibus inuestituram ex pacto, & prouidentia propria, non autèm ex illa Domini acquisiuit, originalitèr prouenire videtur potiùs à legibus, seù consuetudinibus feudalibus, earumque interpretatione, quàm à legibus ciuilibus Romanorum; Et perconsequens clarum videtur æquiuocum, id regulare cum subtilitatibus iuris ciuilis, atquè referre prohibitioni donationis, inter patrem, & filium, quoniam vt aduertitur in *hoc titulo disc.2. & disc.36.* de tempore, quo prodierunt istæ consuetudines, non habebatur notitia, nec memoria legum ciuilium, iuxtà earum historiam, latiùs enarratam *in disc. primo de seruitut.* ad quod fortè non aduertit *Bald.* de tempore, quo in lecturis id asseruit, tanquàm Ciuilista, non autèm feudista; Quàmuis etenim hic doctissimus, & ingeniosissimus Iurisconsultus, magnaque iuris lucerna, de quo nostri dicere solent, quod omnia sciuerit, doctè scripserit etiam in materia feudali; Nihilominùs, vt constans traditio est, id contigit in ætate prouecta, postquàm per Reginam Ioannam primam euocatus, & consultus, se agnouit in materia feudali parùm versatum, vndè coactus fuit se facere quodammodò discipulum magni feudistæ *Andreæ de Isernia*, ac propterea huius studio se dedit, & super eis scripsit probabilitèr post dictas lecturas editas:

Prætereà iuramentum, quod in huiusmodi actibus interponi solet, percutit obseruantiam conuentionis inter Dominum, & Vassallum, super fidelitate, & seruitio, alijsque in conuentione deductis, non autèm stipulationem pro filijs, & descendensibus, siuè pro transuersalibus, quorum fauore acquirere voluit, dùm istorum respectu, actus continet simplicem vocationem, cum ordine successiuo post eius mortem tanquam per speciem impliciti fideicõmissi, quod ità in bonis per ipsum quæsitis ordinare, seù imprimere voluit, iuxtà distinctionem, de qua infrà *disc.75.* Illaque donatio, quæ fauore filiorum, & descendentium, vel aliorum, de quibus inuestitura loquitur, dicitur potiùs præsumpta, seù a lege subintellecta.

Et perconsequens vtporè collata post
14 eius mortem sapit potiùs donationem causa mortis, iuxtà illam implicitam donationem, quæ inesse dicitur in acquisitione officiorum, seù locorum Montium ad fauorem alicuius, vt apud *Denouett. decis.560. & 579.* & habetur *disc. 24. de Regalib.* ac propterea esse debet ad libitum reuocabilis, etiàm tacitè per contrariam dispositionem, siuè donatarius, sit in potestate, siuè non.

Cùmq; huiusmodi feuda emptiria frequentiùs magnũ habeant pretium, quod penè integrum acquirentis assem absorbere solet, & quandoquè excedere, Vtique prorsùs improbabile est, vt acquirens ità implicitè voluerit se priuare bonis suis, & libertate de eis disponendi cum quadam occulta, vel subintellecta donatione, quam ipse nunquam fortè in animo habuit, vt etiam in materia emphyteutica aduertitur. Multo veró magis vltrá alia accedant argumenta istam donandi voluntatem excludenda, vt aduertebam *in vna Mutinen.* pro Comite Cæsare Rangono, de qua agitur *tit. de dote in hoc Supplemento*.

Decisiones autèm superiùs allegatæ *in Foroliuien. Castrorum coram Albergato*, quarum prima est impressa *decis. 213.*
15 *par.12. recent.* Sunt veræ in casu suo, sed non benè ex eis deducitur conclusio generalis, cuicumque casui applicabilis; Ibi etenim, vltrà difficultates, quæ habebantur, an ille diei posset, nec ne primus acquirens titulo oneroso, nulla aderat ipsius acquirentis expressa dispositio in contrarium, sed quæstio erat cũ fisco odibili, & penali tanquam hærede anomalo, ratione confiscationis ob delictum, siuè cum Domino directo prætẽdente deuolutionem ex eadem causa, *vt aduertitur infrà disc.131.* Ideóque tantùm abest, quod adesset contraria dispositio, quod potiùs ipsius acquirentis iam defuncti voluntas assisteret ipsis ab inuestitura vocatis in exclusionem fisci, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de Regal. disc. 160. & sub tit. de legitim. disc.14.* & alibi; Et sic posita etiam implicita donatione causa mortis, dùm illa reuocata non erat, rectè operatiua remanebat; Vndè propterea in dies edocemur, quàm erroneum sit capere decisiones, & doctrinas generalitèr, & in sola litera non reflectendo ad præcisas casuum circumstantias, ex quibus ius adeó variatur.

Nimium

Nimium quoque insistebant Scribentes pro primogenito, in motiuo indiui-
16 duitatis feudi ratione dignitatis, quam contendentium pater adijci curauerat à proprio Principe, mutuando fortè motiuum ab ijs, quæ iam à me motiuata fuerant in alia *Mutinen.* de qua suprà *disc.* 8. vndè propterea, vt patet ex eorum laboribus registratis apud *Manzium* vbi supra, magnus fiebat cumulus auctoritatum ad probationem huius indiuiduitatis.

Verùm pariter in hoc puncto dignoscebatur idem vitiosum æquiuocum, consarcinandi, seu confundendi auctoritates inter se diuersas, dùm illæ Scriptorum vtriusque Regni Siciliæ omninó extraneæ remanent, ob supra insinuatam illorum feudorum naturam generalem; Aliæ veró auctoritates Germanorum, & Lombardorum percutiunt diuersam speciem feudorum, illorum scilicèt regalium, & veræ dignitatis, quorum successio regulatur ad instar Regnorum, & supremorũ principatuum, quibus indiuiduitas est magis connaturalis ob inconuenientiam, quæ resultare possunt, ideòque exindè inferri non potest ad speciem huiusmodi feudorum inferioris ordinis, quæ potiùs dici possunt subfeuda, quàm feuda, dùm ipse concedens est feudatarius Imperatoris, atque dignitas est potiùs abusiua, ideòque in eis viget consuetudo, vt sint diuidua in fruitione & exercitio, cõsiderando solùm quandam fictam, seù intellectualẽ indiuiduitatem habitualem, considerabilem ad diuersum effectum æqualis concursus omnium linearum ad portionem defectam, iuxta casum de quo *d. disc.* 8. & sic ad effectum fauorabilem potiùs quàm præiudicialem; Et per consequens repetere, & inculcare oportet eundem errorem confundendi auctoritates, non distinguendo earum diuersas circumstantias.

Et vlteriùs ad excludendam voluntatem Principis præiudicandi tertio tollendo ius quæsitum, rectè intrabant ea, quæ habentur *hoc tit. disc.* 44. & 45. quod
17 scilicèt adiectio tituli, vel dignitatis, etiã cum expresso ordine primogenituræ non tollat ius secundogenitorum, quamuis istud motiuum solùm, & de per se videretur periculosum.

DE FEVDIS

AD DISC. X.

INtrant eædem adnotationes, de quibus in discursu præcedenti; Atque decisiones in hoc discursu enunciatæ super eius casu sunt impressæ *decis.* 12. & 82. *par.* 13. *recent.*

DE FEVDIS

AD DISC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Quod statuta laicalia capiant bona de directo dominio Ecclesiæ inter laicos.*

2 *De successione fœminarum in feudis remissiuè.*

AD DISC. XI.



ECISIONES, quæ in hoc puncto fœminarum prodierunt, habentur impressæ *decis.* 94. & 237. *par.* 12. *rec.* atque pro eodem masculo, pro quo ego scripsi, latè quoque scripsit *Andreol. consil.* 252. & 253. de quibus habeatur mentio infrà *disc.* 127.

Persistendum autèm videtur in codẽ sensu, non quidem ob leges feudales deferentes successionem masculis in exclusione fœminarum, cùm veriùs videatur decisionum assumptum (ex alijs tamen fundamentis, non autem ex illis, quæ in in eis ponderantur) quod istud esset feudum improprium, regulandum potiùs iure allodii.

Sed ob statutum comprobatum ab eadem diurna praxi, vel obseruantia; Neglecto prorsus earumdem decisionum
1 assumpto, quod statutum tanquam laicale, non comprehenderet hæc bona, & dominia Ecclesiæ, quoniam ipsius Ecclesiæ nihil interest, an magis masculi, quàm fœminæ succedant; Quinimò magis interest, quod seruetur ordo successionis statutariæ; Tùm quia in recta linea descensiua masculina, facilior est probatio domi-

dominij, & identitati s, quàm vbi per fœminas, & per cognatos, bona plures patiantur scissuras, atque in plures, ac diuersas transeant familias; Tùm etiam quia, vbi feudalitatis, & seruitij feudalis aliquę remanerent reliquiæ, magis à masculis, quàm à fœminis id obtineri potest; Ac propterea non videtur quid commune habeat exemptio Ecclesiæ, eiusque bonorum à statutis laicalibus, vbi agitur de quæstione successionis inter laicos, & super dominio vtili, vel subalterno, absque aliquo Ecclesiæ præiudicio, vel interesse, vt etiam aduertitur *sub tit. de successoribus disc.6.*

Vrgente quoque viua ratione, quod cum huiusmodi acquisitiones in forma pacti, & prouidentiæ redoleant quandam speciem fideicommissi, seù ordinis succedendi in eius descendentia, vel posteritate, adiectæ potiùs ab ipso acquirente, quàm ab Ecclesia concedente, cuius, vt præmissum est, nihil interest; Hinc proindè statutum, quod est lex propria ipsius acquirentis, attendendum venit, in ratione probationis voluntatis ipsius acquirentis, quod cum eo se conformare voluerit, quàm in ratione potestatis statuentis, iuxtà ponderationes, de quibus apud *Merlin. decis.447. repetit. decis.355. par.5. recent.* & aduertitur pluriès *d. tit. de success. & in altero de fideicomm. & alibi.*

2 Et de materia successionis fœminarum in feudis infrà *in adnot. ad disc.13.*

DE FEVDIS

AD DISC. XII.

SVMMARIVM.

1 *De gratificatione inter filios, negligendo Primogenitum, & præligendo Secundogenitum.*

AD DISC. XII.



Vper hoc discursu conferunt etiam ea, quæ habentur suprà *ad disc. 9.* dum idem est articulus, quamuis casus sit diuersus, quod scilicet ibi
1 agitur, an feudum antiquum diuiduum in omnibus ad formam iuris Longobardorum, immutata natura reduci possit ad naturam indiuiduam ad formam iuris Francorum cum ordine primogenituræ in præiudicium aliorum vocatorum. In præsenti autem agitur de alio punctο, an firma remanente indiuidua natura feudi, & successionis cum ordine primogenituræ, possit primus acquirens titulo oneroso gratificationem exercere inter filios, atque peruertendo ordinem naturæ, negligere primogenitum, & præligere sibi magis gratum secundo, vel tertiogenitum, quod videtur rationabile, iuxtà pōderationes, de quibus *disc.55. de fideicom. & alibi*; ac propterea introduci cœpit vsus etiam in locis, in quibus ista gratificatio sine regio assensu in feudis quamuis nouis, & onerosis denegatur in ipso corpore feudi, vt contingit in feudis Regni Neapolitani, obtinere hanc facultatem in ipso actu acquisitionis; Et de hac immutatione ordinis, & gratificatione infrà *in hoc Supplemento disc.113.* latèque de multis agitur *in controuersia Boscoli,* edita in isto casu præciso.

DE FEVDIS

AD DISC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *De decisione edita in causa.*
2 *De modo scribendi, & edendi decisiones, remissiuè.*
3 *De punctis causæ.*
4 *Quando valeat refutatio feudi in proximè successurum, & de eius requisitis.*
5 *Quæstio intrat, vbi desit assensus validus, secus eo accedente.*
6 *De æquiuocis in ista quæstione, vel materia, & de specialitatibus in Regnis vtriusque Siciliæ.*
7 *Qualis reseruatio permittatur in refutatione.*
8 *De iure communi, prohibitio alienandi non capit locum inter ipsos comprehensos.*
9 *Quod erroneum sit adhibere doctrinas Regnicolarum.*
10 *Quod possit fieri refutatio pactionata de iure communi.*

11. De

11 *De fraude quæ fiat per refutationem super relevio.*
12 *De fraude, qua per refutationem resultat creditoribus refutatis.*
13 *An successio regulari debeat attento tempore mortis naturalis refutantis, & ex istius persona.*
14 *De errore in extensione decisionum.*
15 *An præmoriente refutatario, feudum recedat ad refutantem.*
16 *Impugnatur opinio, vt femina neptis ex filio progenito excludat patruum.*
17 *De gratijs, vt feudatarius possit excludere fœminam per mortem, & vocare masculum.*
18 *De ordine succedendi in primogenituris.*

AD DISC. XIII.



Vamvis in decisione, quæ super ista celebri, adeòque graui causa prodijt impressa in hoc primo li-
1 bro, doctè quidem, nimiumque elaboratè, per quandam speciem tractationis, multæ quæstiones feudales reassumantur, cum eo superfluo euagatorio stylo, quem Regionum mores induxerunt, etiam in Aduocatorum, aliorumque Iuris Consultorum responsis, vt arguendo ex vngue leonem, patet ex ijs, quæ in eadem causa pro succumbente scripsit *Cammarata respons. 2. lib. 2.* non tamen quoad stylum multùm commendabilitèr ex ponderationibus, de quibus in relatione Curiæ
2 *lib. 15. disc. 46.* vbi de modo scribendi, ac etiam *disc. 31.* vbi de modo edendi decisiones.

Attamen quoad iuris articulos, qui strictè percuterent casum controuersiæ, quinque erant puncti. Primò nempè
3 super validitate refutationis. Secundò, an posita validitate, quoad ipsum refutantem, adhùc tamèn non præiudicaret tertio ad varios effectus; Et præsertim illum, vt successio regulanda esset ex persona refutantis, attento tempore mortis; Tertiò, an per prædecessum refutatarij, feudum reuertatur ad refutantem, tanquam ex cessante causa ad eundem effectum regulandi successorem à persona refutantis. Quartò quatenùs etiam regulanda esset successio ex persona refutantis, attento tempore mortis, cui successio, isto casu, esset debita; & quintò, quatenùs successio regulanda esset ex persona refutatarij, vel eius filiæ defunctæ sine proprio successore sanguinis, cuinam ista contendentium successio debita esset, an scilicèt consobrino ex patruo, sed minori natu, vel alteri consobrino ex amita natu maiori.

Quatenùs pertinet ad primum punctum validitatis refutationis factæ filio primogenito; In hoc discursu, latiùs verò, magisque ex professo infrà *disc. 76.*
4 firmatur conclusio super validitate refutationis in proximè successurum, dummodò habeat nonnulla requisita; Primò nempè, vt ita fiat, vt habeat cohærentiam contractus donationis; secundò, vt citra fraudem; & tertiò, quod sit pura, & simplex, non autem pactionata cum aliqua reseruatione; vndè propterea feudistæ cum scissura trium opinionum disputant quæstionem inter eos celebrem, an pacta vitient, vel vitientur; Et super qua materia, commendabilitèr quidem super doctrina, & eloquutione, sed paritèr non multùm commendabilitèr ob superfluitates multa deducit *Rosa postmodum impress. consult. 59.*

Verùm in hac facti specie, ista quæstio extranea videbatur, quoniam procedit cum præsupposito, quod facta sit sine as-
5 sensu Domini, atque in hoc consistit eius specialitas, vt sine dicto assensu valeat, ex ea ratione, quòd non sit alienatio, sed potiùs præuentiua successio; sed quando munita est assensu, qui non valeat de subreptione, vel defectu intentionis, aliaque nullitate redargui, tunc, nil refert, an sit pactionata, nec ne, quoniam vbi etiam pactum esset prohibitum, atque redoleret diuisionem, vel seruitutem feudi, adhuc tamen de eius validitate dubitandum non esset in præiudicii refutantis, & suo iure durante, quidquid sit in præiudicium tertij, iuxtà proximè sequentem punctum, dum assensus Domini tollit hoc impedimentum; Ad instar eorum, quæ habemus in materia beneficiali, super resignatione, vel dimissione beneficij ad fauorem alterius, quæ purè fieri posset sine beneplacito Apostolico, non autem cum reseruatione fructuum, vel pensionis; Vel magis proximè in praxi habetur in indulto transferendi pensionem, quod fieri potest purè, & simplicitèr, nō autem

autèm cum aliqua reseruatione ad fauorem transferentis ex deductis *sub tit. de pension. disc.64.* Attamén si in indulto id concederetur, siuè ipsa translatio iàm facta specialitér approbaretur à Papa, tunc non intraret hæc dubitatio, quæ totà pendet á carentia assensus, ità in præsenti.

Prætereá ad declarationem præsertim eorum, quæ habentur infrá *d. disc.76.* In ista quoque materia refutationis, dignosci videtur idem æquiuocum, quod su-
6 prá in adnotationibus *ad disc.1. & 2.* & in alijs pluriés obseruatum est, confundendi scilicét auctoritates feudistarum, eorumque indigestam faciendo consarcinationem, siné distinctione regionum, & legum, cum quarum præsupposito ipsi loquuntur. Et sic confundendo feudistas Regnorum vtriusque Siciliæ, loquentes in terminis illarum legum particulariũ, & alios, qui loquuntur iuxtà consuetudines, vel leges communes feudales.

In prædictis etenim Regnis, viget pluriés insinuata longé strictior prohibitio cuiuscumque actus, qui quomodocumq; importet diuisionem, vel seruitutem, aut quale quale onus feudi; Vndé propptereá ob hanc ampliorem prohibitionem, multa ibi fieri non possunt sine assensu, quæ aliás ex iure communi feudorum fieri possunt; Putá, quia de iure communi, fieri potest transactio bona fide, quod ad limites illarum legum denegatur, vt infrá *hoc tit. disc.49.* Itèm de iure communi, concurrentibus quibusdam requisitis, fieri possunt subinfeudationes, ibi ob dictam infeudationem interdictæ, *vt suprà disc.1.* Ac etiam in terminis iuris communis feudalis, prohibita non est sine assensu domini cessio, vel alter contractus super commoditate feudi ex deductis *d. disc.76.* & magis ad rem, *disc.61. & 110. & alibi;* Ac etiam in Curia docet praxis in materia pensionum Ecclesiasticarum; Et tamèn ibi id non permittitur ad fauorem extraneorum, dùm etiam illa simplex renuta, quæ prius concedebatur creditoribus sine assensu, hodié sublata est, atqué amplius non practicatur, solùmque conceditur coactio in actione personali ad vendendum feudum.

In his veró terminis refutationis, quod factæ sint in proximé successurum, permittitur solùm reseruatio commoditatis,
7 vel fructuum tanquam nudi facti, siuè reseruatio alicuius annuæ præstationis, per viam tamèn obligationis personalis refutatarij, & cum obligatione eius bonorum allodialium, non autèm cum aliquo iure reali in ipso corpore feudi ex deductis per *Marin. in addit. ad Reverter. decis. 550. De Luca ad Franch. decis. 591. n. 4. & non negat Rosa d. consult. 59. & d. disc. 76* Ideóq; limitaté permittitur dictus actus purus præuentiuæ successionis in proximé successurum, adeóvt aliás actus remaneret inualidus, & reuocabilis, etiam ab ipsomet faciente, & sine aliqua obligatione personali, vel obligatione ad damna, & interesse.

Hæc autem omnia cessant in terminis iuris communis feudalis, vel etiam alterius Romanorum, quoniam tám in hac
8 materia feudali, quám etiam in emphyteutica, prohibitio alienandi intelligitur quoad extraneos, non autèm quoad cõprehensos in inuestitura, in quos, licét remotiores, alienatio licité fieri potest, illaque valida est, & substinetur, durante iure ipsius alienantis, & in eius præiudicium, quidquid sit quoad præiudicium proximioris, cui successio aperta sit, vt feudum á remotiori, in quem alienatio facta est, vindicare valeat ex deductis infrá *hoc tit. disc. 107.* ac etiam *tit. de emphyt. disc. 39. & tit. de fideicom. disc. 55. & alibi.*

Et per consequens erroneum est procedere in hac materia, cum Regnicolis,
9 qui, siué ob strictissimam, & ampliorem prohibitionem, resultantem ab illa particulari Constitutione, quæ incipit *Constitutionem Diuæ memoriæ*, siué ab illa nimiùm stricta, & rigorosa indiuiduitate, negant etiam inter comprehensos quemcumque actum, qui diuisionem, vel seruitutem, seù quale quale onus redolere potest, ac proptereá termini sunt longé diuersi.

Hinc sequitur, vt in puris terminis iuris communis feudalis, nulla videatur subesse prohibitio refutandi feudũ pro-
10 ximé successuro, cum reseruatione, vel retentione, tám iurisdictionis, quám vsus fructus, aliarumque præeminentiarum, quodque actus sit validus quoad facientes, dúm omnes sunt comprehensi in inuestitura, ideóque non intrat alienatio prohibita; Idemque in refutationibus

primo-

primogeniorum, & maioratuum, dum ambo sunt de genere vocato, intrá quod, etiam sine ordine proximitatis, prohibitio non intrat; Ac propterea repetere oportet idem pluriés inculcatum monitum, vt omninó reflecti debeat in omnibus ad huiusmodi distinctiones, atque abstinendum sit ab indigestis cumulis, vel consarcinationibus diuersarum auctoritatum ob longam differentiam inter vnam speciem, & alteram.

Difficultas itàque, etiam in terminis iuris communis, magis veró in illis præfati iuris particularis dictorum Regnorum; percutit secundum supradistinctum casum, quod scilicet refutatio valida esset quoad ipsum refutantem, & habētes causam ab eo, qui illam impugnare non posset; prætenderetur autem inualida, vel impugnabilis per tertium, ratione fraudis, vel præiudicij.

Plures autem, ac diuersæ sunt istius fraudis, vel præiudicij species; Vna si-
11 quidem est illa, quæ consideratur per dictos Regnicolas potiùs, quám per alios, circá solutionem releuij, quæ facienda est per nouum successorem feudi in medietate fructuum illius anni, & de quo specialitér agitur infrá *disc.* 28. & super hac specie fraudis aliquid insinuatur suprà *disc.* 1.

Altera est illa fraus, quæ fiat creditoribus refutantis, in sola actione perso-
12 nali, respectu feudi refutati in agnatum successurum, contrá quem nullam habeant actionem realem, vel persequutoriam, ad ipsum corpus feudi, ob carentiam assensus, vndé propterea eius fraus fiat in fructibus, qui durante vita, vel iure refutantis eorum debitoris, ab eis obtineri potuissent; Et tunc intrat illa distinctio, quæ hodiè videtur vulgaris, tam in ista materia feudali, quám in fideicōmissis, & maioratibus, ac etiam in hæreditatibus, ac alijs iuribus delatis ex dispositione legis, vel alterius hominis, seù aliás quám per proprium contractum, quod scilicet; Aut agitur de refutatione impropria, quam nostri ad differentiam, renunciationem dicunt, per viam abstentiuam, ita tollendo se de medio, & negligendo acquirere ius delatum, vt alteri proximiori locum faciat, & tunc fraus non attendatur, iuxtá terminos textus *in l. qui autem ff. quæ in fraudem creditorum*, cum concordantibus *sub tit. de credito disc.* 137. *&* 138. Aut veró agitur de vera, & propria refutatione feudi, iam agniti, & possessi iuxtá præsentem casum, & tunc vbi agatur de refutatione in eius propria, & regulari natura, gratuita scilicèt sub prægnanti nomine contractus donationis, & tali casu, quamuis eisdem creditoribus nullum ius directum, ac reale competat ad ipsum corpus feudi; Attamèn ob fraudis præsumptionem á lege subintellectam ratione causæ lucratiuæ, est locus subsidiario remedio edicti *de his, quæ in fraudem creditorum, &c.* cum coactione personæ, vt tradat fructus, siue iuxtá locorum, & Tribunalium praxim, cum tenuta ad effectum percipiendi fructus, vt facti potiùs quám vt iuris, iuxtá distinctionem, de qua *hoc tit. d. disc.* 61. *&* 110. & in alijs ibi enunciatis, & habetur etiam ad rem *sub tit. de fideicom. disc.* 195.

Vbi veró actus validé sequutus esset ex causa onerosa, & correspectiua, & tunc intrare videntur distinctiones de quibus *disc.* 156. *de dote*, inter tertium consciū, seù participem fraudis, & tertium non participem, dum intrare videntur ea, quæ suprà *d. disc.* 1. habentur inter fraudē consilij, & fraudem præiudicij; Vt scilicet requiratur, etiam prima, & non sufficiat secunda, nisi cum fouente causam lucratiuam.

Et quamuis in emphyteusi habente expressam prohibitionem alienationis, etiam latissimé sumpto vocabulo, adeó vt veniat etiam prohibitio hypothecæ, vndé propterea procedunt eadem, quæ habentur in feudo, Rota aliás opinata fuerit, vt creditoribus sine assensu hypothecarijs, detur etiam contrá tertium, fouentem causam onerosam; exercitium hypothecæ cum Saluiano, vel cum alio remedio, non ad ipsum corpus, vel substantiam bonorum, sed ad commoditatem, quæ etiam in prohibitis cadit sub hypotheca, vt *decis.* 167. *par.* 9. *recent. & apud Zarat. decis.* 59. *& in alijs*. Attamèn vt aduertitur *disc.* 44. *de emphyt. & alibi*, iste videtur clarus error, quoties dicta ratio fraudis consilij non accedat ex ibi ponderatis; Ad quæ conferunt ea, quæ circa securitatem tertij acquirentis ex causa onerosa loca montium habentur *disc.* 26. *& seqq. de regalibus*, & alibi pluries.

Tertia

Tertia demùm est species fraudis præiudicij, de qua propriè in hac materia feudali, vel simili primogeniorum, vel maioratuum, disputari solet ad terminos
13 textus *in l. post mortem C. de fideic.* vbi scilicèt refutatio fieret in eum, quo tunc esset proximè successurus, sed non esset talis de tempore mortis naturalis refutantis, ob superuenientiam naturalem, vel ciuilem alterius proximioris, vel habentis aliquam maiorem prærogatiuam, vndè propterea si refutatio facta nõ fuisset, illi debita esset successio; Et tunc vt patet, ex relatis *in hoc discursu* latiùs veró in dicta decisione in isto casu edita *ex num. 39. cum alijs relatis per Thor. in add. ad decis. 14. Salernitan.* est magna quæstio cum scissura opinionum præsertim inter Hispanos agentes de illis maioratibus qualificatis, qui in substantia faciunt eandem figuram, quam apud nos faciunt feuda indiuidua ad formam iuris franchorum, cum illis differentijs, quæ resultant ex stylis, & legibus particularibus.

Ista veró quæstio pro meo sensu, videtur potiùs facti, quàm iuris, decidenda ex singulorum casuum qualitate, & particularibus circumstantijs, quòdq; propterea erroneum sit procedere cum solis generalitatibus, in quocumque casu, vel cum solo numero arithmetico DD. pro consueto ineptissimo modernorum pragmaticorũ cõsarcinatorio stylo; Vt scilicèt totum pendeat á bona, vel mala fide, iuxtá eamdem distinctionem, quam *hoc titulo disc. 49. & de emphyt. disc. 52. & de fideic. disc. 173. & seqq.* habemus in materia transactionis cum similibus.

Vbi etenim refutatio facta esset bona fide, & ex iusto, ac rationabili motiuo, rebus in eodem statu permanentibus, adeoùt absit omnis suspicio præordinatæ fraudis, ac supplantationis tertij; Et tunc illa rectè operatiua remaneat, atque intret dispositio *dicti Textus in l. post mortem*, non curato accidentali rerum euentu, cùm sufficiat, quod tunc benè actus gestus esset, ad instar eorum, quæ *disc. 1. de alienat. & contract. prohib.* habentur in materia alienationis bonorum Ecclesiæ cum similibus, & particularitèr aduertitur in his terminis in *Romana Primogenitura de Cæsarinis sub tit. de fideicom. in hoc Supplemento*, secùs autem è conuerso.

Quarè applicando ad rem, in casu præsentis controuersiæ, resolutio quidem placuit, eaque iusta visa est, ex ijs, quæ concernunt quintum punctum, regulando etiam successionem ex persona Principisse vltimò defunctæ filiæ refutatarię, non tamen placuit in hac parte, vt etiam in hoc discursu aduertitur, dum refutatio facta fuit nimium rationabilitèr, & ex iusto motiuo comprobato ab vsu cõmuni, occasione scilicet, vel contemplatione qualificati matrimonij, quod aliàs non fuisset contractum.

Atque hinc edocemur id, quod pluriès aduertitur, & præsertim *in relatione*
14 *Curiæ d. disc. 32.* quàm erroneum sit in extensione decisionum, multa cumulare motiua, atque canonizare omnia, quæ præter causæ necessitatem per defensores partis victricis, deductæ fuerunt, quoniam ita illa resolutio, quæ ex alijs motiuis iusta sit, iniustitiæ suspicionem concipit, ob canonizationem eorum, quæ canonizari non merentur.

Circá tertium punctum resolutæ refutationis ex cessante causa ob prædecessũ
15 refutatarij; Quamuis pro meo sensu de resolutione, vel cessatione ad alios effectus, respõderi debere videatur ex ijs, quę habentur infrà *hoc eod. tit. disc. 85. & tit. de donat. disc. 8. cum seqq. & 17.* Nihilominus in hac facti specie, posita capacitate fœminarum descendentium, in exclusionem masculorum transuersalium, veriùs videbatur contrarium, vndè propterea, quatenus decisionis extensor ostendat inclinationem pro resolutione refutationis, & reuersionis feudi ad refutantem, neque id placet, idemque error dignoscitur, de quo suprá, quamuis vt suprá placeat resolutio in genere ex alijs motiuis.

Regula enim de cessante causa, rectè procedit quando non sit consumatus effectus, qui adhuc duret, vt in præsenti, quod ex matrimonio, cuius contemplatione refutatio facta fuit, fuerunt superstites filij, qui saltém pro iure secundario contemplati dicuntur in huiusmodi donationibus, ex deductis *d. tit. de donat. disc. 1. cum pluribus seqq.* Vndè propterea licet casus præbeat asperitatem contrariam rationi, iuxtá nostros mores, ob existen-

ob existentiam filiæ fœminæ, adeó vt viuente refutante, atque ex eo superstitibus filijs masculis, feuda transitum facere valeant ad alienam familiam viri, qui illam fœminam duceret; Attamèn ista exorbitantia considerabilis est, ad effectum ordinandi legem inhabilitatiuam fœminarum per masculos, etiam transuersales, qui in feudo antiquo habeant qualitatem descensiuam, in ordine ad acquirentem, vel ad possessorem, communem stipitem; Non autèm, vt exindè inferri posset ad resolutionem refutationis, iam validæ, & perfectæ, ex hoc motiuo cessantis causæ, quodque transuersalis excludere deberet filios refutatarij morientis.

Benè tamèn aspera visa fuit resolutio in casu, de quo *sub tit. de donation. disc.* 8. *& disc.* 29. *de legitim. & de transact.* deferendo filio donatarij, vel refutatarij bona donata ex ista causa; Et vlteriùs successionem intestatam, vel necessariam, ratione legitimæ, in alijs bonis aui donatoris.

Diuisio quarti puncti, ex præmissis remanet superflua, quoniam si successio regulanda erat ex persona refutatarij, clatum est, quod filia excluderet fratres, dum bona dicuntur possessoris morien-
16 tis; sed quatenùs attendenda esset persona refutantis, iusta dicenda est resolutio, adeó vt opinio, quæ tenetur in hoc Regno citeriori, vt fœmina ex primogenito defuncto excludat filios masculos secundogenitos morientis, videatur nimium aspera, & irrationabilis, vt *in discursu* aduertitur.

Id autèm aduertentes ijdem Regnico-
17 læ, huic inconenienti occurrere curarunt cum gratijs de quibus *pragm.* 33. *&* *&* 34. *de feud.* per quas feudatario conceditur licentia excludendi fœminã proximè successuram ob illum masculum agnatum, qui esset proximè successurus, si fœmina non adesset, vndè propterea moderno tempore, orta est quæstio in feudis Andriæ, Ruborũ, & Corati, an illa dispositio, quam facere potest ipse feudatarius moriens, facere etiam possit per viam substitutionis pupillaris, quamuis relinquat filium pupillum, cui substituat proximiorem agnatum, atque iustè prodijt affirmatiua resolutio ab illo Sacro Concilio.

Demùm quoad quintum punctum denuò reflectendo ad deducta in discursu, &
18 in decisione, placent, atque resolutio visa est iusta; & circà istum ordinem gradualem, vltrà deducta in discursu, videri poterãt deducta in annot. *ad disc.* 15 *de fideicommiss.* occasione successionis in primogenitura.

Suppl. Th. lib. 16. *de Feud.*

DE FEVDIS

AD DISC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Quod hæc materia sit rara in praxi.*
2 *An ista lex exorbitet à iure communi ciuili.*
3 *An à iure communi feudali.*
4 *De ratione, cui eadem lex est innixa.*
5 *De casu, quo primogenita mutat statum ante factum casum successionis feudi, sed re non integra respectu secundogenitæ.*

AD DISC. XIV.



MATERIA huius discursus, super lege particulari regnorum vtriusque Siciliæ, quæ de tempore eius editionis, vnum, & idem regnum constituebant, videtur hodiè in praxi quodammodò
1 idealis, quoniam quando filiæ primogenitæ Baronum, vel Magnatum maritantur, ad hanc legem tanquam notoriam reflecti solet, atque super eius dispositione expressè prouideri, adeò vt tot quæstiones, vel casuum ponderationes, quæ fiunt per Doctores relatos *in discursu*, & per alios relatos per elaboratum *modernum De Luca in addit. ad Franch. decis.* 328. continere videantur potiùs ornatum materiæ in abstracto, cũ nullum, vel nimium rarum sit concretum.

In eo autèm assumpto, cum quo communitèr proceditur, circà huius legis exorbitantiam á iure communi, vndè
2 propterea plerique adhibent terminos generales, quos habemus in materia statutorum, & legum particularium exorbi-

D tantium

tantium à iure communi super earum stricta interpretatione, & non comprehensione casuum mixtorum, dignosci videntur consueta æquiuoca, vel simplicitates, quoniam iuxtà sæpiùs enunciatam historiam legalem, præsertim *disc. 1. de seruit.* de tempore, quo ista lex prodijt, ius ciuile Romanorum, quod commune dicimus, vepotè de recenti causalitér inuentum, atque vix in Hetrutia luci proditum, & vsu recipi cœptum, prorsus ignotum erat his regionibus, in quibus à duobus sæculis citrà, vel parùm plùs, haberi cæpit pro iure communi; Ac vlteriùs istud ius ciuile non cognouit feuda, neque de ijs agit, ideóque sine fundamento dicitur, quod à iure communi exorbitet.

Minùsque ista exorbitantia adesse di-
3 citur, respectu iuris communis feudorū; quoniam attento tempore, quo ista lex prodijt, incertum est, an consuetudines feudales, quæ in Lombardia initium habuerunt, atque priuata auctoritate per Gerardum, & Vbertum in Scripturam redactæ fuerant, essent in his regionibus receptæ, pro iure communi; Nimiùmque probabilis est negatiua, quoniam licèt Regnicolæ passim illas adhibeant, vt etiam adhibent leges Romanorum; Attamén omnes agnoscunt antesignanum, quinimó Euangelistam feudorum *Andream de Isernia*, qui scripsit post longa tempora, dum ista lex edita fuit per Imperatorem Federicum, ipse verò scripsit sub Regina Ioanna prima.

Ac etiam quia, vt aduertitur suprà *disc.8.&13.&alibi pluriès*, iuxtà dd. leges, & consuetudines feudales, omnia feuda erant diuidua ad formam, quæ dicitur Longobardorum, vndè propterea eædem leges non cognouerunt formam indiuiduam Francorum, neque prærogatiuam primogenituræ; raraque, & exorbitans est etiam apud eos successio fœminarum, vndè propterea iste concursus inter primogenitam, & secundogenitam, ob singularem, & indiuiduam successionem, deriuare videtur potiùs à quadam istorum Regnorum consuetudine particulari, quám eorumdem Regnorum lex particularis, itá interpretari, vel moderari voluit, ideòque non videtur, vbi nam hæc odibilitas, & exorbitantia à iure communi, pedes figat.

Quinimò, vt in hoc eodem discursu aduertitur, rationabilitatē potiùs, quàm
4 irrationabilitatem, ista lex redolere videtur, quoniam filia nupta iam exiuit à paterna domo, & vsque transiuit in illam viri, atque ita quodammodo ex quodam vsu, extranea effecta est. E conuerso autem in nupta, siue in capillo remanet in domo patris tanquam sua.

Illa etiam probabili ratione accedente; Potissimùm veró, & fortiùs, quandó rerum status immutatus esset, quód scilicet feudatarius haberet filios masculos, vel probabilitèr speraret, quando primogenitam nuptui tradidit; Quód scilicet quando casus præbeat feudatarij mortē sine masculis, magna differentia dignoscitur inter illud matrimonium, quod contrahere potest filia innupta successitrix feudorum, & illud, quod contraxit illa filia, quæ ab hac successione extranea, vel nimiùm remota de tempore nuptiarum credebatur, dum ista tradi solet viro inferioris ordinis; Et per consequens rationabilius est, vt innupta more baronali, vel magnatitio pro decore patris, & familiæ, nubat alteri æqué Baroni, vel Magnati, quàm quod inferioris fortunæ vir, primogenitæ status mutationem faciat; Ideóque sola exorbitantia consistere videtur in omnimoda exclusione, seù inhabilitatione filiæ maritatæ propter fiscum.

In proposito autem huius legis, in
5 contingentia casus, de quo *in Romana Primogenituræ de Cafarinis sub tit. de fideic. in hoc Suppl.* considerabam casum, quod si primogenita ita esset unpta, quód matrimonium non esset omninò firmum, adeò vt reverà esset putatiuū, siuè quod assumpsisset statum bighinæ, vel tertiariæ, in qua, licèt retractabili, velle perpetuó viuere declàrasset; Vndè propterea secundogenita innupta, tanquam futura feudorum succeditrix in hoc statu, & cum hoc probabili præsupposito, ab eodem feudatario patre, vel alio maiori, altis, & magnatitijs nuptijs collocata sit, deindéque ipso feudatario adhuc viuente, & priusquam fiat casus successionis feudorum, matrimonium primogenitæ dissolutum, seù minus legitimum detegatur; Aut quód ipsa mutando propositū in illo statu religioso, vel ibi ampliùs viuere nollet; Vt hæc status immu-

ratio,

tatio, vtpotè obueniens re non integra, & postquam ille magnates, magisque qualificatus vir, in eo statu, & in eo præsupposito matrimonium contraxit, aliàs inæquale, & incongruum, quod vtique sequutum non esset, attendi non debeat, quodque primogenita, quæ mutat statū, regulari debeat ex tempore huius mutationis, quasi quod nunc nata esset, quodque propterea ciuilitèr, secundogenita potiùs censenda esset, ex ibi deductis, vbi aduertitur, quod *decis.* 115. *Capic.* est magis communitèr reiecta.

DE FEVDIS

AD DISC. XV.

SVMMARIVM.

1 *De materia legitimationis præscriptum.*
2 *Quod eadem materia sit nimium rara in praxi, quoad feuda vera, & propria.*
3 *De legitimatione per subsequens matrimonium.*

AD DISC. XV.



D materiam habilitationis naturalium in successione feudorum cum legitimatione per rescriptum, re non integra, vel aliàs in præiudicium legitimi
1 agnati, cui aliàs successio debita esset, conferunt, quæ habentur *disc.* 148. *de Regal.* & *disc.* 68. & 69. *de fideicomm.* & pleraque ad hanc materiam aduertunt *Reuerter. & Marin. decis.* 118. & 405. *Castil. lib.* 4. *contron.* 31. & *lib.* 5. *controu.* 75. *Amayden. de stil. Datar. c.* 15. *n.* 14. *Royas de incompat. par.* 1. *c.* 6. §. 6. Nimiùm tamen rari in praxi videntur casus huiusmodi controuersiæ successionis naturalium in feudis veris, & rectis, cum iurisdictione,
2 & imperio in vassallos, quæ baronalem, vel magnatitiam qualitatem redoleant, & ad quam feudorum speciem ista particularis materia hodiè redacta videtur, adeòvt feudatarij dici valeant milites primi ordinis Principis supremi, constituentes nobilitatem, seù baronagium il-

lius principatus, dum alia feuda rustica, & ignobilia, quæ iuxtà mores Lombardiæ, & aliquarum Prouinciarum Status Ecclesiastici, consistunt in prædijs, & bonis de sui natura priuatis, nuncupationem feudalem potiùs, quàm naturam de facto redolere videntur, vt suprà *disc.* 11. & *in alijs.*

In isto autem casu præcisò legitimatus per subsequens matrimoniū obtinuit iam insinuatam successionem, non qui-
3 dem concorditèr, sed ex iudicio *Camer.* 16. *Iunij* 1659. *coram Saluiato*; Et de ista legitimatione naturalium per subsequens matrimoniū, an & quando attendenda veniat, ac valeat, nec nè, agitur in Tropieñ. de fideicommissis *disc.* 161. cum ibi dicta conferant ad rem.

DE FEVDIS

AD DISC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Milites Hierosolymitani sunt veri Religiosi.*
2 *Quodque sint incapaces feudorum in particulari.*
3 *Vndè prodeant æquiuoca Doctorum, & de feudis possessis per Prioratus, & Commendas.*
4 *Distinguntur species feudorum, quorum isti milites sint capaces, vel non.*
5 *Cum eis faciliùs dispensatur, & quare.*
6 *Quod sit deferendum consuetudini, ideòque non intret certa regula.*

AD DISC. XVI.



E huiusmodi militibus, qui profitentur pia, vel Ecclesiastica instituta, cum distinctione illorum, qui sint veri Religiosi professi, cum votis formalibus, castitatis, paupertatis, &
1 obedientiæ, & aliorum, qui impropriè reputantur tales, reverà tamèn non sunt, habetur actum *sub tit. de iurisd. disc.* 92. & *in eius Supplemento.*

Cum itaque milites Hierosolymitani, de quibus in præsenti discursu agitur,

emissa valida, & solemni professione, præuio anno probationis, ad præscriptū Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini, ac stabilimentorum Religionis, sint veri Religiosi, in alio non differentes ab alijs de Clero regulari, nisi quod non viuunt intra Claustra, & sub clausura, vndè propterea sunt intestabiles, ac etiam incapaces dominij; & possessionis in particulari, cum aliqua tamèn maiori permissione administrationis, ob modum viuendi, more sæcularium, ex ijs, quæ habentur *d. disc. 92. de iurisdict. disc. 9. & 35. de Testam. & disc. 45. de Regular.* Hinc proindè, posita incapacitate Clericorum sæcularium, obtinendi, vel
2 retinendi feuda, & de qua incapacitate Clericorum sæcularium habetur *in duobus discursibus proximè sequentibus, & infrà disc. 54.* clara remanet istorum militum incapacitas in particulari per argumentum à maioritate rationis, atque propterea clara dignosci videtur simplicitas illorum, qui in hac materia adeò se inuoluerunt, quoniam, vbi non vigeat consuetudo habilitatiua Clericorum, nulla subest ratio, ob quam isti milites possint esse capaces.

Ex tribus autem fontibus ista simplicitas æquiuocorum productiua, resultare videtur, non reflectendo ad debitas distinctiones casuum, qua neglecta sem-
3 per in hac facultate cum æquiuocis proceditur. Primò scilicet, quia reflectunt ad illa feuda, quæ de facto obtineantur per Priores, & Baiuliuos, & Commendatarios istius Religionis; Verùm istud est æquiuocum clarum, quoniam ista feuda obtineri non dicuntur ab ipsis militibus, qui sunt simplices administratores manuales, & obedientiarij, cùm potiùs obtineantur ab ipsis Ecclesijs, Prioratibus, & Commendis, eodem modo, quo feuda obtinentur etiam à Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesijs, quarum vice illa obtinentur, & administrantur per Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Prælatos.

Secundò, æquiuocum resultat à pluribus insinuato errore confundendi auctoritates, non distinguendo loca, & tem-
4 pora, aliasque casuum circumstantias, cum quarum præsupposito, plerique Doctores diuersimodè loquuntur; Siquidè aliud est agere de illis feudis improprijs, quæ solam nuncupationem, & aliqua pacta feudalia habent, sed re verà consistunt in bonis allodialibus, & indifferentibus sine imperio, & iurisdictione in Vassallos cum solo onere alicuius recognitionis realis, tanquàm per speciem emphyteusis, vel liuelli, erga illum Dominum, qui sit priuatus, vel subditus, adeòvt non habeat iura supremi Principatus, cum regalia maiori indicendi publicum bellum; Et alia sunt illa feuda, quæ iuxtà hodiernam praxim, sunt vera, & propria cum iurisdictione, & imperio in vassallos, obtenta à Principe supremo habente ius belli publici, adeò vt verè, & propriè feudum importet baroniam, & militiam sæcularem primi ordinis, quæ impedit etiam retentionem beneficiorum, vel pensionum Ecclesiasticarum ex insinuatis *lib. 13. tit. de pension. disc. 46. & 48.* Isto etenim secundo casu, non videtur quomodò verus Religiosus professus, qui est adstrictus voto obedientiæ erga proprios superiores Regulares, ita possit esse miles omninò addictus seruitio Principis sæcularis; Vndè propterea, ea, quæ inuoluendo materiam, & terminos, dicuntur per Doctores relatos in hoc discursu, ac etiam per alios quos colligit *Roias de incompatibilitate par. 7. c. 5. ex num. 102.* super habituali dominio existente penès Religionem capacem in communi, percutiunt primam speciem feudorum improprlorum, quæ veram militiam non redolent, sed spectato effectu reverà important allodium ad solam vtilitatem bursalem, vtpotè consistentia in prædijs, & petijs terræ, seu vineis, iuxtà illam speciem, de qua suprà *disc. 7 10. & 11. & infrà disc. 39. & 40.*

Et tertia causa huiusmodi æquiuocorum consistit in illa maiori facilitate dispensationis, quæ conceditur per aliquos
5 Principes sæculares, iuxtà varios principatuum stylo, super tenuta, & fruitione feudorum potiùs, quàm super titulo iuxtà insinuata *disc. seq.* quoniam cum isti milites de facto faciant figuram sæcularium, eorumque more viuant, atque armati incedant, ipsorumque institutum sit circa militiam, ac etiam quod Superiores de facili eis concedunt licentiam militandi pro Principibus sæcularibus; Hinc proindè minùs incongruit, vt cum eis dispensetur, quàm cum Clericis sæcula-

laribus togatis, & qui diuino seruitio sunt addicti; Et in summa, ista non est materia capax regulæ certæ, & generalis, nimiumque clarum æquiuocum est, procedere cum generalitatibus, siuè cum
6 auctoritatum cumulo, & consarcinatione, non distinguendo loca, & tempora, seù diuersas Principatuum consuetudines, á quibus reverá decisio quæstionis pendere videtur.

DE FEVDIS

AD DISC. XVII.

SVMMARIVM.

1 *De incapacitate Clericorum, & Religiosorum.*
2 *Quomodo debeat distingui.*
3 *Commutatio seruitij de personali in reale non tollit naturam feudi.*
4 *Quandò Clerici sint capaces feudi.*
5 *Quomodò alia quæstio decidi debeat.*
6 *An qualitas laicalis reputetur præcise de tempore facti casus.*
7 *An, & quando superueniens dimissio Clericatus tollat ius tertij.*
8 *De potestate Principis in habilitandi inhabilem in præiudicium tertij.*
9 *An pensio cum reseruatione regressus, ad beneficium inducat incapacitatem.*
10 *Quomodò fieri debeat dimissio Clericatus, & beneficij.*

AD DISC. XVII.



E incapacitate Clericorum, obtinendi, vel retinendi feuda, de qua in
1 præsenti discursu agitur, pleniùs habetur infrá *discursu* 54. vbi reijciuntur volentes irrita censeri iura feudalia inhabilitantia Clericos, tanquàm contraria Ecclesiasticæ libartati, quoniàm sicuti non prohibetur priuatus Testator, á fideicommissis, & maioratibus excludere Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas, quotiès non constet, quod ex irrationabili odio huius status, id egerit, sed ex alio honesto fine, ex deductis *sub tit. Supplem. Theatri Lib. 16. de Feud. de fideicom. disc. 63. & seqq.* & generalitèr *sub tit. de testam. disc. 73.* Itá non videtur quid prohibeat Domino concedenti feuda, adijcere hanc legem, quam etiam lex, adiectam subintelligat, non in ratione odibili exclusionis Clericorum, sed in ratione qualitatis laicalis, desiderandæ in ijs, qui extituri sint proprij milites, & Vassalli.

In hoc autèm articulo, eodem modo, quo habetur *disc. præcedenti*, de militibus Hierosolymitanis, nimium se inuol-
2 uunt DD. relati in *hoc discursu*, & *dicto disc.* 54. ac etiàm *disc.* 47. vbi de Religioso professo, qui ex causa Episcopalis dignitatis, vel ex alia simili occasione, iuxtá casus recensitos *disc.* 17. *de renunciat.* ad sęculum redierit, atquè reassumpserit capacitatem possidendi.

Verùm ista inuolutio, pendet etiam ex eisdem causis, de quibus dicta adnotatione præcedenti, quod scilicèt non distinguuntur casus, vel species feudorum, quoniam, vt ibi aduertitur; Aliud est agere de capacitate obtinendi illa feuda, quæ sint annexa prælaturæ, vel Ecclesiæ, & in his non cadit quæstio, dùm idem Princeps id voluit ab initio, atque per necessè in omnibus possessoribus istam qualitatem præsupposuit.

Quæstio itaquè cadit in feudis iure singulari, in illis personis, quæ per accidens in statu clericali reperiuntur, adeóut feudum sit de sui natura laicale, & tunc intrat eadem distinctio, inter feuda recta, & propria, quæ obtineantur à Principe supremo, habente ius publici belli, adeoùt verè importent veram militiam primi ordinis, & illa feuda omninó impropria, quæ in effectu idem important, ac emphyteusim, seù liuellum, vt scilicèt in isto secundo casu non intret incapacitas, intret veró in primo, ratione militaris seruitij, quod per necessè huiusmodi feudis est annexum.

Et quamuis in hac specie feudorum, practicari soleat cōmutatio seruitij personalis in reale, vt (ex: gr:) contingit
3 in Regno Neapolitano, quod loco seruitij personalis præstatur singulis annis reale in pecunia sub nomine adoæ; Idemque in plerisque alijs partibus magis communitèr seruari videatur, vt præsertìm praxis docet in Curia, quod pro feudis per Ecclesiam Romanam concessis,

sis, soluuntur census, vel tributa in die SS. Petri, & Pauli, sub rigore enunciato supra *disc.* 5. etiam pro feudis regalibus, & maioribus, dicti Regni Neapolitani, pro quo singulis annis, præfata die, cum notoria pompa, & solemnitate, per Oratorem Regis Catholici præstatur recognitio in vno equo, & in scutis septem mille auri, & pro Ducatibus Parmæ, & Placentiæ soluitur recognitio in scutis sex mille auri; Non tamen exindè cessat qualitas feudalis, & obligatio seruitij personalis, pro extraordinarijs occurrentijs Domini, vt aduertitur supra *disc.* 11. *& alibi*.

Et per consequens recepta est ista incapacitas, quotiès contrarium non disponat consuetudo particularis, quam vigere supponitur in aliquibus Prouin-

4 cijs Germaniæ, siuè quod ita non suadeat qualitas principatus, vt contingit in hoc principatu Pontificio, in quo meritò Clerici etiàm in sacris, & in Episcopali, vel Cardinalitia dignitate constituti, sunt capaces feudorum, eo quia non incongruit, vt Clerici sint milites Summi Pontificis, iuxtá magistrale *cons.* 217. *Iasen. lib.* 4. vbi agitur de Cardinale de Farnesio, qui postmodùm fuit Summus Pontifex Paulus III. vt aduertitur, *dicto disc.* 54. Ac etiam *disc.* 46. *&* 48. *de pensionibus*, & alibi.

Hinc proindè intrat idem, quod aduertitur *adnotat. præcedenti*, quod scilicèt

5 ista, dicenda potiùs est quæstio facti, decidenda ex natura, seù qualitate feudi, iuxtá prædictam distinctionem, siuè iuxtà mores Regionis, & per consequens intrat consuetus error, æquiuocorum productiuus, procedendi cum generalitatibus, vel confundendi auctoritates, cum consarcinatorio stylo, non reflectendo (vt decet) ad has distinctiones.

Præsupposita verò incapacitate Clericorum; quatenùs pertinet ad quæstionem, in qua paritèr scribentes se inuoluere solent, an scilicèt qualitas laicalis

6 adesse debeat præcisè de tempore apertæ successionis feudi, & an obstet Clericatus in minoribus, quem ille, cui successio aperta est, sit promptus dimittere; Paritèr decisio pendere videtur à circumstantijs particularibus singulorum casuum; Primò scilicèt, & principalitèr á consuetudine, vel stylo principatus, vt contingit in feudis huius Regni, de quibus in præsenti discursu, quoniam oportet facere preambulum, idest actum aditionis hæreditatis defuncti, ob qualitatem hæreditariam, quæ illis feudis annexa est, & quo sequuto, expediuntur prouisiones pro obtinenda possessione, & vt á Vassallis recognoscatur, idque non conceditur nisi illi, qui sit constitutus in statu sæculari, vndè propterea quando successor reperiatur in statu clericali retractabili, inoleuit enunciata praxis concedendi terminum ad deliberandum, cũ similibus pro locorum stylis, & consuetudinibus, adeoùt fortè non dentur casus, in quibus oporteat disputare dictam quæstionem in abstracto.

Quatenùs verò iste casus detur, tùnc habemus quandam Rotæ resolutionem *in Pisauren. Primogenitura* 16. *Ianuarij* 1651. *coram Cerro*, per quam firmatur, vt præcisè requiratur qualitas laicalis de tempore apertæ successionis, adeoùt obstet etiam clericatus in minoribus retractabilis, quamuis successor sit promptus illum dimittere, eo quia qualitas laicalis adesse debeat de tempore apertæ successionis, ex auctoritatibus in eadem decisione deductis.

Parùm veró probabilis, atquè communi vsui, humanæque rationi contraria videtur hæc resolutio, adeoùt iudaismi speciem sapere videatur, dum vis non est in tempore præciso, sed in effectu, seù in fine, vt scilicèt feudum non obtineatur nisi à laico, qui sit subditus ipsi Principi sæculari Domino directo, & sic spectato effectu, cum tractu successiuo, pro quo qualitas laicalis desideratur, & per consequens non videtur cui rationi istud assumptum innitatur, dùm incertum est tempus, in quo casus successionis euenturus est, quinimò incertus est quoquè ipse casus in substantia, dùm Clericatus suscipi potuit per secundo, vel tertiogenitum, qui posteá, ob naturalem, vel ciuilem mortem primogeniti, euaserit talis; Atquè aliàs esset prohibere statum clericalem in genere, ad euitandum hoc præiudicium, dùm casus inopinatè contingere potest; Siuè dari posset illa fraus, quam ponderat *Bich. quæst.* 33. *num.* 19. *tom.* 3. cuius verba registrat *Camerata respons.* 6. *num.* 44. *lib.* 1. quod scilicèt itá adolescens primogeniti per vim, & me-

tum,

rum, vel dolo, & fraude, seù blanditijs eum decepisset ad suscipiendum clericatum, vt ità eueniente casu inhabilis reperiatur, etiam fiat locus secundogenito.

Et quoniam in hoc considerari solet, an dimissio Clericatus post factum casum successionis fiat re integra nec nè,
7 quasi quod suffragetur, quatenùs alter successor capax, successionem non agnouerit, secus autèm è conuerso, re non integra, & post agnitionem ab altero factam, cui ius quæsitum esset; Hinc reflectendum quo ·· è videtur, vt id ità simpliciter, ac indefinitè intelligendum non veniat, sed discretè pro facti qualitate quatenùs scilicèt ipse primogenitus, vel proximior, rectè sciens factum esse casum successionis feudi, negligat clericatum dimittere, atque successionem agnoscere, vndè propterea alter proximior capax, iustè credens, quod ille non esset dimissurus clericatum, sub bona fide successionem agnoscat, atq; feudum obtineat, vndè propterea si ex interuallo, & re non integra, Clericus mutando propositum, velit eijcere possessorem, non videtur exaudiendus.

Multo verò magis si sciuerit, & aliquo tempore tolerauerit, vt admittitur apud *Camarat. dicto respons. 6. lib. 1.* qui scribit pro persona incapaci, quæ posteà re non integra capax detecta sit. Secus autèm si primogeniti, vel proximioris culpæ imputari non potest, quia nempè casum ignorauerit, vel si sciuerit, cum maiori affectata diligentia ab alio præuentus fuerit, ad instàr eorum, quæ habemus ad materiam *Text. in cap. consultationibus de Iurepatr.* Aut quod ob vim, & metum, vel fraudem, inuitùs steterit in eo statu, iuxtà casum, de quo apud *Camarat. d. respons. 6.* quod scilicèt primogenita, vel prima succeditrix per vim, & metum, & dolum emisisset professionem, quam priùs annullare non potuisset, dùm tunc intrat propositio, vt ex iustè impedito non currat tempus, vt etiam aduertitur *disc. 17. de renunciat. num. 4.*

Ac propterea, rem esse integram, vel non integram, intelligendum est sano modo, & quatenùs culpæ, vel negligentiæ ipsius primogeniti, vel proximioris existentis in statu inhabili, imputari valeat nec nè, cur in statu habili se nō constitueret, adeoùt alter capax bona fide feudum obtinuerit, adeoùt dignosceretur repugnantia æquitatis, vt expulsionis iniuriam pati deberet, secus autem è contrà.

Clariùs autèm iudicandum, & contra eum, qui non solùm re non integra, clericatum, vel alium statum incompatibile dimittit, sed etiam quod rectè sciens se esse in statu retractabili, attamèn expressam fecisset sui animi declarationem, velle perpetuó in eo statu permanere, atquè sciens passus esset, vt secundogenitus, vel alter renouatum feudum obtineret, cùm tunc magis confirmetur bona fides alterius proximioris capacis, qui propterea re non integra expelli non valeat.

Quinimó etiamsi casus successionis adhùc factus non esset, sed præuidendo eius certam imminentiam, alter proximior circà fraudis, & affectationis suspicionem destituatus esset successor, ità & taliter quod res dici non posset integra, ob mixturam præsertim iuris tertij, iuxtà casum insinuatū supra *in Adnot. ad disc. 13* & de quo *lib. 10. de fideicomm. in Supplem. in d. Rom. Primogen. de Caesarinis*. Cùm tunc nō videatur subesse ratio, cur subsequens voluntaria mutatio status, debeat tertio præiudicare, eiq; tollere ius quæsitū bona fide; Et per consequens, error est procedere cum generalitatibus, eùm re vera totum pendeat à singulorum casuū circumstantijs, & an ius tertij, cum bona, vel mala fide quæsitum fit, adeoùt iustè dici valeat, quod res non esset ampliùs integra.

De potestate verò Principis habilitandi inhabilem, seù cum eo dispensandi in
8 præiudicium alterius capacis, cum eadem distinctione, an res sit integra, nec nè, habetur plenè actum *disc. 148. de Regal.*

Disputatum itèm aliquando fuit, an dimisso Clericatu, ac etiam Beneficio,
9 quod possidebatur, cum reseruatione tamèn pensionis, & cum alia reseruatione regressus ad ipsum beneficium, inducat incapacitatem obtinendi feudum; Meritò autèm negatiuè responsum fuit apud *Cammill. de medic. cons. 2. num. 85. cum seqq.* quoniam reseruatio regressus non importat aliquod ius de præsenti, sed solum nudam facultatem, quæ pendet

ab

ab animo, & quæ poteſt non exerceri, Ideòque non importat actum; Siquidèm etiam ipſe Clericatus dimiſſus, poteſt quandocumque reaſſumi, ſed non per hoc interim ob hanc facultatem, ille dicendus eſt Clericus; Cùm præſuppoſito tamèn, quod Penſionarius habeat indultum Apoſtolicum retinendi etiam in ſtatu laicali, & militari, quoniam ſi illud non habeat, non per hoc id præſtabit impedimentum aſſequutioni feudi, ſed per hunc actum ipſa penſio ceſſabit, ex iis, quæ habentur *d. diſc.46. & 48. de penſion.*

Cadere autèm poteſt dubium, an ſuffragetur dimiſſio Clericatus de facto,
10 cum dimiſſione habitus, vel cum declaratione animi, coram Notario, & teſtibus, vel potiùs neceſſarium ſit, vt hæc dimiſſio acceptetur ab eius Ordinario; Atque dubitandi rationem præbent firmata *diſc.55. de iuriſdict.* quod ſcilicèt Clericus quamuis non incedat in habitu, & tonſura, imò quamuis expreſſam dimiſſionem feciſset Clericatus, adeoùt efficeretur ſubiectus foro laicali, adhùc tamen remaneat ſubiectus Epiſcopo, vel alteri Superiori fori Eccleſiaſtici, ex ca ratione, quod contractus, initus cum Eccleſia diſſoluendus eſt cum eodem reciproco conſenſu; Multó veró magis vbi poſſideret beneficium, cuius dimiſſio non cauſat vacationem, niſi ſequatur acceptatio Superioris, ad quem pertinet, vt pluriés in ſua materia *ſub tit. de beneſ.* Verùm ad hunc effectum contrarium dicendum videtur, quoniàm ità ſufficit animi declaratio, quodquè ipſe Succeſſor ſe conſtituere voluerit in diuerſo ſtatu laicali, adinſtar deſertoris militiæ, quod licèt puniri poſſit á Duce militum, attamèn quoad eum habendus venit pro non Milite, ità etiàm quodam communi vſu docente.

DE FEVDIS,

AD DISC. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *De incapacitate Clericorum, & Epiſcoporum infeudatarij baliatu, vel tutela.*

2 *De differentia inter tutelam, & baliatum.*

3 *De materia detinendi tutelam, vel baliatum, vt ſit arbitraria, & de differentia inter Principem, & Iudicem.*

4 *An legato feudo, debeatur æſtimatio.*

AD DISC. XVIII.



AD materiam huius diſcurſus, ſuper incapacitate Clericorum, & Epiſcoporum, tàm circa Baliatum feudatariorum, quàm
1 circa tutelam in genere, vltrà hic deducta, agitur *apud Coccin. deciſ.523. Reuerter. & add. deciſ.335. Fagnan. in cap. magnus de obligat. ad Ratiocin. & Gabr. lib.7. de Tutor. diſc.3.* Et de diſpenſatione Clérici pro exercitio tutelæ *Conrad. in praxi Diſpenſ. lib.5. cap.4. num. 10. cum ſeqq.*

Notabilis autèm differentia dignoſci-
2 tur inter tutelam, & Baliatum, quoniam reſpectu tutelæ, ſufficit licentia Superioris, vel diſpenſatio Apoſtolica; Reſpectu autèm Baliatus, vbi agatur de feudis veris, cum iuriſdictione, & imperio in Vaſſallos, præſertim in Regno, de quo agitur, requiritur diſpenſatio Regis, vt in diſcurſu.

Super huius autèm diſpenſationis cõceſſione, vel denegatione, dari non po-
3 teſt certa Regula cuicumque caſui applicabilis, dùm id non pendet à Iudice Ordinario, qui tenetur procedere iuxtá regulas iuris, ſed ab ipſo Supremo Principe, qui repreſentatur in præfato Regno, à Conſilio Collaterali, coram quo diſputatus fuit caſus relatus per *Reuerter. vbi ſupra*, ſuper Baliatu huiuſmet Ducatus Amalphiæ, ideòque intrat idem conſuetus error, procedendi cum generalitatibus, vel attẽdendi deciſiones, & auctoritates in ſola littera, illas cuicũq; caſui applicando, & non reflectendo ad caſuum circumſtantias, atquè adeò magnam diuerſitatem inter ſimplicem Iudicem &, Principem Supremum; Quamuis etenim hæc materia ſuſpicionis tutoris præſertim vbi res eſt adhuc integra, quodq; agatur de tutela deferenda, non autèm de remotione iàm delatæ, ſit nimiùm arbitraria, etiam in Iudice, eo modo, quo eſt altera materia educationis pupilli,

pupilli; *ex deductis d. tit. de Tutor. disc. 1. cum seqq.* Attamèn differunt arbitrium Iudicis, & arbitrium Principis.

4 Et de quæstione, an legato feudo debeatur æstimatio, vltrà deducta in discursu; plura habentur *sub tit. de legat. disc. 1. & 2.*

DE FEVDIS

AD DISC. XIX.

SVMMARIVM.

1 *De legitima feudatarij, & impetratione feudi in legitimam.*

2 *De valore, seù æstimatione feudorum.*

AD DISC. XIX.

DE legitima debita feudatario in feudo nouo, vel antiquo respectiuè; vltrà deducta *in discursu*, vbi men-
1 dosè *num.* 5. allegatur *Merlin. de Legitima*, qui de hoc agit *lib. 2. tit. 2. quæst.* 19. agitur infrà *disc.* 108. pluraque desupèr deducunt *Modernus de Luca ad Franc. disc.* 387. *Mucc. discept. for.* 28. & alia, quæ deducuntur in sua materia *sub tit. de Legitima disc.* 18. *cum plur. seq. &* 24. & agit *Boscol. in sua controu. hic impress. art. 2. ex num.* 38. *& num.* 117. *cum sequentibus, & art. 6. ex nu.* 38.

Et de valutatione, seù æstimatione
2 feudorum, & an censenda sint de melioribus, vel deterioribus bonis *infrà disc.* 24.

DE FEVDIS

AD DISC. XX.

SVMMARIVM.

1 *An, & quando feuda dari possint in dotem.*

AD DISC. XX.

SVPER deductis in hoc discursu, an scilicèt, & quandò feudum dari possit in dotem, pleniùs agitur *sub tit. de*
1 *Dote disc.* 146. & pleraque ad eandem materiam deducuntur *per Cæsar. de Afflict. contr.* 7. *Montan. contr.* 25. *de Marin. ad Reuerter. decis.* 45. Et conferunt etiam ea, quæ habentur *eod. tit. de Dote disc.* 143. occasione agendi de statutis, & legibus Dotium moderatorijs, an scilicèt præiudicent nec nè libertati matrimonij, & de qua materia, occasione agendi de conditionibus, quæ adijciantur per Testatores, siuè de pœnis, & priuationibus habetur *sub tit. de Testam. disc.* 73. *tit. de fideic. disc.* 44. *& tit. de matrim. disc.* 14. ac *etiam sub tit. de success. disc.* 25. vbi plura enunciantur, quæ conferunt ad materiam huius discursus.

DE FEVDIS

AD DISC. XXI. ET XXII.

SVPER hac materia contributionis inter plures hæredes, feudalem, & allodialem, siuè inter plures successores diuersorum patrimoniorum, aut diuersorum maioratuum, videri poterunt ea, quæ habentur infrà *in Annot. ad disc.* 89. nè idem pluriès repetatur; Atq; ad idem conferunt, quæ habentur *sub tit. de Credit. disc.* 11. *tit. de Herede disc.* 31. *tit. de Legat. disc.* 52. *& tit. de success. disc.* 4. *&* 9.

Et quod etiam in ipsomet genere feudorum adhuc detur diuersitas patrimoniorum pro diuersitatè Principatuum, conferunt, quæ habentur *tit. de Iurisd. disc.* 90.



DE

DE FEVDIS

AD DISC. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *De compatibili concursu plurium personarum diuersarum in vna materiali.*

2 *Quo nomine, vel cum qua persona feudatarius facere voluerit acquisitionẽ.*

3 *Quid referat acquisitionem factam esse ex vna, vel ex altera persona.*

4 *An Census extinguatur, si Creditor efficiatur Dominus fundi censiti.*

AD DISC. XXIII.

1 De isto compatibili concursu plurium personarum formalium, in vna, eademque persona materiali, pro respectuum diuersitate, quamuis ipsæ personæ inter se sint incompatibiles, puta creditoris, & debitoris; Emptoris, & Venditoris; Mandantis, & Mandatarij; Superioris, & Subditi, cum similibus habetur nimiùm frequentèr actum in omni ferè materia, & præsertim *sub tit. de credito disc.*8: 11. 30. 47. *&* 49. *sub tit. de hærede*, *sub tit. de cambijs*, & alibi pluriès Ac etiam ad idem conferunt ea, quæ habentur supra *in adnot. ad disc* 2. super compatibilitate, vt quis esse possit feudatarius, & Baro alicuius Castri, vel loci, & tanquàm subditus sui ipsius, more aliorum priuatorum esse possessor aliquorum bonorum iure priuato, quoniàm, vt alibi dictum est, præsertim *disc.*39.*num.*8. feudum reputatur corpus intellectuale, siué, vt feudistæ dicunt, homo mutus, & surdus, aliaque membra impedita habens, ideòque habet dominium, & possessionem iurium, sed non habet exercitium, quod explicatur per organum feudatarij tanquàm eius Curatoris, vel Administratoris; Et proptereà non prohibetur habere patrimonium, & iura propria contradistincta; Quód etiam á paritate rationis congruit hæredi beneficiato, siuè possessori fideicommissi, vel maioratus, aut possessori beneficij Ecclesiastici, cuius ratione ipse tanquám priuatus, sit subditus sui ipsius, atqué sibi ipsi soluat decimas, vt aduertitur *sub tit. de decimis*, & habetur etiam *sub tit. de pension.* vt quatenùs possit esse titularis, & cessionarius commoditatis pensionis super eodem beneficio à se possesso.

Quinimó dari potest etiam in eodem genere personarum formalium, siuè intellectualium, eadem pluralitas, idemque concursus incompatibilis, inter eas, quia nempè vnus, & idem sit possessor plurium feudorum, vel dominiorum iurisdictionalium, sub diuersa natura, iuxtá ea, quæ habentur *sub tit. de iurisdiction. disc.*90. vel possessor plurium fideicommissorum, & maioratuum, iuxtá ea, quæ habentur *infrà disc.*89. cum similibus; Eodem modo, quo potest quis esse possessor plurium Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, vel plurium Regnorum, & Principatuum, tanquàm Tutor plurium pupillorum diuersa patrimonia habentium, absque eo, quod vnum cum altero connectat, ex deductis *sub tit. de præeminent. disc.* 1. *cum pluribus seqq. &* 29. *cum similibus*.

2 Quæstiones igitur in hoc proposito esse solent, voluntatis potiùs, quàm potestatis, quando feudatarius acquirit bona, vel iura existentia intrà fines feudi, vel contra illud competentia, vt præsertim sunt census, vel alia onera, iuxtá casum præsentis controuersiæ, an scilicèt id agere voluerit in ratione meliorамentorum præsertim intrinsecorum seù indiuisibilium, vt feudi conditionem meliorem efficeret, vel potiùs in ratione priuata, vt remaneat creditor tanquàm tertius, ad instàr eorum, quæ habentur *sub tit. de credit. disc.*7. *& de censibus disc.*29. circà cessionem reportatam per fideiussorem, vel per Tutorem, seù alium Administratorem contra principalem debitorem, vel contrà personam administratam, an sit in ratione extinctiua, vel translatiua.

3 Id autèm nimiùm refert quo casu, in quo resoluatur ius feudatarij, vel possessoris, siuè quod eo durante, adhùc pro iure creditorum, seù ad alium effectum teneatur reddere rationem de fructibus, tám scilicèt, vt census, vel aliud ius fructiferum, cui feudum subiacebat, adhùc viuat, & producat fructus, vel è conuerso remaneat extinctus, & resolutus,

cum

cum sit simplex creditum, siuè in meliorationem intrinsecam, cuius detractio solùm conceditur ex æquitatiua actione, vel exceptione de in rem verso, ex deductis in materia melioramentorum *infrà disc. 27. & sub tit. de legitim. & detract. disc. 35.* & sic quoad detractionem sortis, non autèm quoad cursum fructuum tàm durante iure feudi, quàm eo resoluto, dum ità remanet creditum pecuniarium.

Super hoc autèm, statui non potest regula certa, & generalis, cum sit quæstio facti potiùs, quam iuris, vtpotè voluntatis, decidendæ ex facti qualitate, & circumstantijs, ideóque intrat idem, semper oportunè, pluriès repetitus error, procedendi cum generalitatibus, siuè applicandi quibuscumque casibus, illas decisiones, vel doctrinas, quæ de alijs casibus diuersis loquuntur.

Posita item ista diuersitate personarum, quæ finguntur omninò distinctæ,
4 non intrant ea, quæ habentur *sub tit. de censib. disc.* 28. super extinctione census, eo ipso, quód creditor efficitur Dominus fundi censiti, vel è conuerso debitor succedit creditori, quoniam ità census adhùc remanet viuus, & fructifer, idquè nimium referre potest etiam durante iure feudi pro iure, & interesse tertij, ad instàr eorum, quæ habentur *eodem tit. de legitim. & detract.* super non amissione legitimæ ob non confectum inuentarium, quamuis hæres de proprio teneatur ad debita, & legata, etiam vltrà vires, cum similibus.

De ijs autèm, quæ concernunt materiam renunciationis, eiusque resolutionis, habetur actum in sua materia *sub tit. de renunciat. disc. 1. 4. & 5. & in alijs*; & de materia contributionis, iam actum est in præcedentibus.

DE FEVDIS

AD DISC. XXIV.

SVMMARIVM.

1 *De conclusione, quod in feudis non datur simulatio, & in quibus alijs ea procedat.*

2 *An feuda sint de bonis melioribus, vel peioribus, & quomodo æstimentur.*

3 *De contractibus pupillorum, & Communitatum.*

4 *An pendente impugnatione transactionis, vel alterius contractus, peti possit eius obseruantia.*

AD DISC. XXIV.



SVPER conclusione, de qua initio huius discursus quod scilicèt in hac mate-
1 ria feudali non intret regula iuris communis; *plùs valere quod agitur, quàm quod simulatè concipitur*, habetur pluriès hoc eodem titulo, præsertim *disc. 7. 30. & 106.* Ac etiam à simili habetur in materia officiorum, vel similium iurium regalium, quæ obtinentur à Principe quoniàm metiuntur cum eisdem regulis *tit. de Regal. disc. primo,* 15. 17. 38. & 40. & insinuatur etiam *sub tit de Credito disc. 13 num. 24. & disc. 35. num 44. & 45.* & alibi, cum sit propositio vera, quotiès casus circumstantiæ non suadeant limitationem, quia nempè eiusdem Principis scientia, & approbatio accedat, iuxtà ea, quæ *sub tit. de pension.* habentur in materia pensionis fiduciariæ, quæ reseruetur in faciem vnius, re verà tamen ad fauorem, & commodum alterius.

De alio verò puncto, an feuda reputanda sint de melioribus, vel de peiori-
2 bus bonis, & quomodò æstimari debeant tàm in sorte, quàm in fructu; habetur actum supra etiam *disc. 19.* & habetur quoquè actum *sub titulo de iudic. disc. 33. num. 48. cum seqq.* vbi videndum.

De ijs, quæ concernunt alienationes aliosque contractus pupillorum, seù mi-
3 norum, vel Communitatum, agitur in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. prohib.* vbi præsertim *disc. 23.* agitur de ista consideratione adiacentiæ bonorum, vt censeri debeat pretio æstimabilis.

Et super quæstione, de qua in fine, an scilicèt pendente discussione validitatis,
4 vel inualiditatis actus, vel alterius contractus illemet, qui illum impugnat, agere possit ad adimplementum plura colligit hinc indè *Modernus de Luca ad Franch. decis. 373.*

DE

DE FEVDIS

AD DISC. XXV.

SVper contentis in hoc discursu, circà acquisitionem iurium, & super detractionibus competentibus resoluto feudo, habetur actum *disc. proximè praecedenti*.

Et de materia cõtributi ad debita feudatarij defuncti, inter hæredem in feudalibus, & alterum in allodialibus, siue etiam inter plures diuersos successores diuersorum feudorum, vel fideicommissorum, & maioratuum, habetur actum suprà *disc.* 21. *&* 22. & in alijs, ac etiam agitur infrà *disc.*89.

DE FEVDIS

AD DISC. XXVI.

CVm ista sit materia localis, vtpotè pendens ex gratia particulari non de facili versanti in Curia Romana datur occasio de illa agendi, ideòque vltrà deducta in discursu, videri poterunt deducta in materia apud *Reuerter. & adden. decis.*3. 120. 229. *&* 570. *& modern. de Luca ad Franch. decis.*613.

DE FEVDIS

AD DISC. XXVII.

SVper materia melioramentorum, aliarumque detractionum competentiũ feudatario post factum casum restitutionis, vltrà hic deducta, videri poterunt, quæ ad hanc materiam habentur *sub tit. de legitim. & detract. disc.* 35. & conferunt, quæ habentur *sub tit. de credito disc.* 24. cum defuerit occasio post hæc scripta agendi in specie de hac materia melioramentorum feudi.

DE FEVDIS

AD DISC. XXVIII.

CIrcà istam materiam releuij conferunt ea, quæ habentur infrà *disc.* 59. circà punctum, an pro renouatione, debitum sit laudemium, vel altera recognitio; In reliquis autèm intrat idem, quod dictum est suprà *disc.* 26. quod scilicet est materia localis, ideóque versanti in alia Curia, vel Principatu, non de facili tribuitur maturum iudicium desuper tradere, quando particularis occasio non tribuat, nimiumque facilè est in æquiuoca incidere, dum totum pendet à praxi, & stylis particularibus Tribunalium loci.

DE FEVDIS

AD DISC. XXIX.

SVMMARIVM.

1 *De materia discursus.*
2 *Quod lex, quæ tollit fidem scripturæ, non impediat aliam probationem.*
3 *Pœna conuentionalis, non exigitur vltrà interesse.*
4 *Quod ista lex laicalis debeat etiam seruari in foro Ecclesiastico.*
5 *Quando sit locus retentioni fructuum.*
6 *An ista lex procedat in vxore Baronis.*
7 *Quod non sit deferendum decisionibus, vna tantum parte informante.*

AD DISC. XXIX.


ST etiam ista lex localis, ideóque super eius interpretatione, vel praxi deferendum venit Auctoribus versantibus in illis Tribunalibus, quatenùs
1 ab istis, opiniones, vel styli mutentur; Inspecto autèm præsenti statu, adhuc probabilior videtur opinio *Afflicti* iuxtà firmata in hoc discursu, atque ad eius cõprobationem plura colligit *modern. De Luca ad Franch. decis.*118.

Et

Et quamuis idem deindè *in addit. ad decis.631*. subdubius remanere videatur, ob auctoritatem primæ decisionis *Rota apud Bichium* in eodem discursu insinuatæ, quæ est *inter eius postmodum impressa decis.55*. cum qua procedit alter Scribens, qui apud eundem addentem registratur; Attamèn cessat dubitandi ratio stante recessu coram *eod. Bichio inter suas decis. 91*. cuius notitia tàm per dictos Scribentes, quàm per addentes non habebatur; Atque apud eosdem, alij referuntur, agentes de materia huius legis.

Persistendum quoque videtur in opinione firmata in discursu, quam etiam sequitur *De Marin. ad Reuerter. decis. 386*. non obstante, quod eadem decisio sit in
2 contrarium, vt ista lex adimat quidèm scripturæ illam fidem, quam sibi præstat publica auctoritas notariatus, sed non annullet contractum, neque tollat facultatem probandi illius veritatem, per testes, aliasque species probationis, inter quas ipsamet scriptura, tanquam priuata connumeranda videtur, idemque Notarius, tanquam priuatus testis supplendus ex alijs testibus, alijsque probationis speciebus, & adminiculis adhiberi potest, ad instar eorum, quæ habentur *tit. de dote disc.* 143. de statutis, & legibus, quæ eandem fidem adimunt scripturæ, siue inducant in aliquibus contractibus præsumptionem metus, & doli cum decreto irritanti, iuxtá adeò frequentem praxim in Curia super contractibus mulierum, & minorum, non seruata forma statutorum, quoniam operantur quidem, vt instrumentum, de per se nō faciens illam fidem, quam aliàs de sui natura facere deberet, neque mereatur illam executionem, quam aliàs haberet, sed non impedit quin rei veritas aliundè probari valeat, quodque ipsamet scriptura deseruiat pro vna ex speciebus probationis, ab alijs tamen supplenda, dum etiam contractus non solemnes, qui non sufficiunt ad obligationem, attenduntur tamen ad probationem ex relatis apud *Arguell. decis.63. num. 37. & 38*. & alibi pluriès insinuatur; Et sic quod lex tollit id, quod ipsa dedit circa fidem Notario præstandam, siue quod inducit præsumptionem fraudis, & doli, vel metus; sed hæc est præsumptio iuris tantùm, quæ sufficit, non data contraria probatione, quam non tollit, quoniam aliàs esset derogari veritati naturali, atque consouere peccatum, atque permittere locupletationem de alieno, quod fieri non potest, nisi in pœnam, quod in dubio non præsumitur.

Et quatenùs etiam constaret, quod ita dispositum esset in pœnam, adhuc tamen
3 obstaret canonica æquitas, quæ ob dictam rationem peccati, quod resultat à locupletatione de alieno, inuito Domino, non permittit exactionem pœnæ cōuentionalis vltrà id, quod interest ex deductis *sub titulo de regal. disc.17. & sub tit. de locat. & conduct. disc. 43. & alibi*. Et licèt ibidem firmetur validitas conuentionum pœnalium, quotiès vsuræ suspicio adsit, & iuramentum accedat; Attamèn in illis, vel similibus casibus, id prouenit ratione subiectæ materiæ, & de natura illorum negotiorum.

Probabile quoque videtur, id, quod firmatur in discursu, vt ista lex, quamuis
4 sit laicalis, locum habeat etiam in Foro Ecclesiastico, & cum personis Ecclesiasticis ab eius auctoritate exemptis, quotiès tamen agatur de instrumento Notarij Regij tantùm, secùs autem si esset Apostolicus, ex ea congrua ratione insinuata *d.disc.143. de dote*, ac etiam *disc. 26. sub tit. de alienat. & contract. & tit. de iudic. disc.27*. quòd scilicèt lex non exercet suā auctoritatem cum persona Ecclesiastica, sed cum proprio subdito, quem publicum Notarium ex eius auctoritate creauit, dum illi attributam potestatem denegat in certis casibus, in quibus ille dicendus non est Notarius, ad instar Iudicis delegati, qui in restrictionibus in delegatione contentis, non dicitur Iudex, sed homo priuatus; Et sic dici non potest scriptura publica ob auctoritatem notariatus à Principe sibi collatam, dum ista auctoritas non adest, quia Princeps eam isto casu concedere noluit; Ac propterea dicitur illa cum non subditis indirecta operatio, quàm leges laicales faciunt in actibus iuratis, quamuis laico non detur potestas dispensandi iuramento, ex relatis *d.disc.143. de dote*, & pluriès in sua propria sede *sub tit. de alienat. & contractibus prohibitis*.

Super ijs autem, quæ in discursu habentur super imputatione, vel restrictio-
5 ne fructuum cum distinctione inter infe- ctionem

ctionem intrinsecam, ratione vsuræ, & extrinsecam, seù accidentalem, videri possunt ea, quæ habentur pluriès *sub tit. de vsur. præsertim disc. 17. & sub tit. de camb. disc. 31. & eod. tit. in Supplemento in Romana, seù Tudertina Cambiorum disc. 31.* ac etiam infrà *disc. 31.*

Super alio casu, *in Grauinen. Census*, qui insinuatur in fine huius discursus;
6 Quamuis in Tribunali A. C. iudicatum fuerit, vt ista lex non extendatur ad vxorem Baronis, iuxtà *decis. 118. Franch.* Nihilominùs interposita appellatione per debitorem succumbentem, & commissa causa *in Rota coram Dunozetto*, informante solùm ipso Appellante, ob contumaciam, seù negligentiam Procuratoris appellati, iuxtà huius Tribunalis stylum enunciatum *disc. 32. in relat. Curiæ*, ad fauorem ipsius informantis prodijt resolutio, quæ habetur *inter impressas eiusdē Dunozetti decis. 843.* incertumq; est qualem exitum causa habuerit.

Adhùc tamen dicta resolutione non obstante, persistendum venit in eadem sententia, dum Rota processit eum solis
7 auctoritatibus, & rationibus deductis per vnam Partem, eodem modo quo deducebantur coram A. C. sed non potuit instrui de earum fallacijs per alteram Partem; Ideóque huiusmodi decisiones, vna tantùm Parte informante, editæ, ità cogente huius Tribunalis stylo, insinuato *d. disc. 32. in Relatione Curiæ*, habendæ non veniunt in nimia consideratione, quando in alijs casibus pro auctoritate allegentur, quotiès in contrarium talia deducantur fundamenta, quæ si fuissent deducta in Rota, verisimilitèr illa resolutio non prodijsset; Atque ad id Iudices reflectere debent, non autem cum cæca fide, vel cum damnabili ineptia procedere in sola litera; Neque imputandum est Tribunali, cur nō practicet rubricam, *vt ea quæ desunt Aduocatis, Iudex suppleat*, quoniàm id rectè procedit in ijs, quæ cōsistunt in puncto iuris communis, vndè propterea frequentèr prodeunt resolutiones contrà informantem, non autem, vbi fallaciæ consistunt in facto, vel in legibus localibus, quorum notitiam habere non tenemur.

DE FEVDIS

AD DISC. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Ad materiam facultatis reuocandi.*
2 *De eadem in Statu Ecclesiastico in bonis iurisdictionalibus.*
3 *Generales de eadem materia pœnitentiæ de iure communi.*
4 *De pacto de retrouendendo non vallato assensu.*

AD DISC. XXX.



Assumptum huius discursus super libera facultate pœnitendi, & reuocandi con-
1 tractum, donec in forma valida sequatur assensus, qui actum perficit, & informat, in eo Regno in hac materia feudali, est indubitatum, ideòque aliam non exigit comprobationem; multaque desupèr habentur apud *Rosam consult. 14. & 15. & 23. Marin. ad Reuerter. decis. 358. & 498.* Et de assensu non suffragante quotiès obtineatur re non integra, nempè post reuocationem, vel post mortem vnius ex contrahentibus absque nouo consensu hæredis, habetur infrà *disc. 67. & 106.* & in alijs.

Omnia verò, quæ per Regnicolas dicuntur super ista facultate pœnitendi, & reuocandi in illis feudis, æquè proce-
2 dunt in statu Ecclesiastico in bonis iurisdictionalibus, quamuis feudalem qualitatem non habeant, sed sint allodalia, ob Constitutiones Apostolicas, quæ irritant contractum, eandemque facultatem præbent, & de quibus constitutionibus, earumque operatione, habetur infrà *d. disc. 66. cum seqq.* Ac etiam *sub tit. de credito disc. 13. & 151.*

Generalitèr autèm in puncto iuris cōmunis, an & quando, pendente conces-
3 sione, beneplaciti domini, vel tertij, sit locus pœnitentiæ, habetur *in Romana, seù Albanen. Vineæ sub tit. de donation. in hoc Supplemento disc. 61.* vbi latè de materia.

Et de altera conclusione, de qua in hoc discursu super pacto de retrouen-
4 dendo, adiecto ex interuallo, vel etiam incon-

incontinenti, non tamén approbato per assensum, an vitiet, vel vitietur, habetur infrà *hoc eod. tit. disc.69.*

DE FEVDIS

AD DISC. XXXI.

SVMMARIVM.

1 *De facultate pœnitendi in fœudis.*
2 *De punctis huius discursus.*
3 *De eadem facultate pœnitendi, etiam de iure communi, & de restitutione fructuum data resolutione contractus.*
4 *Quod ad fauorem emptoris intret etiam æquitas, l. curabit.*
5 *De differentia inter emptorem, & creditorem percipientem fructus ex pignore.*
6 *Quod non detur interesse pretij supra fructus ipsius rei, & num.9.*
7 *Potissimè fauore eius, qui dissedit à contractu.*
8 *Laudantur Doctores Neapolitani in materia feudali.*
9 *De eodem, de quo num.6.*
10 *Quando interesse, etiam in casu licito, nõ petatur vltrà fructus bonorum.*
11 *De ratione habenda in valutatione feudorum, eorumque fructuum.*
12 *De differentia inter emptorem, & venditorem in hac materia.*
13 *De modo tenendo per Consulentes, & quare eis deferri non debeat.*

AD DISC. XXXI.



RAESVPPOSITA in vtroque contrahente coæquali pœnitendi, seù reuocandi facultate, de qua *discursu præcedenti*, non solùm in casu non
1 impetrati assensus, sed etiam in altero deficientis perfectionis, ob non adimpleta, ea, quæ, iuxtà tenorem, & clausulas eiusdem assensus adimpleri debent, cum paria sint nullum, & nihil, siuè actum nõ esse gestum, vel gestum sub conditione suspensiua, siuè impeditiua perfectionis, ipsa conditione non purificata, ex ijs, *Suppl.Th.lib.16.de Feud.* quæ in hac materia laté expenduntur *per Rosam consultat.14.& 23.*& in alijs *in annotat præcedenti* insinuatis.

Duo sunt huius discursus puncti. Pri-
2 mò nempé super restitutione fructuum facienda per emptorem; & é conuerso super obligatione venditoris, ad interesse pretij percepti, quod interim in manibus habuit; Et secundó super excessu, an scilicét interesse debitum emptori, excedere possit metam fructuum venditori restituendorum; vel é conuerso, an venditor, qui interesse pretij non soluti exegit, vltrá metam fructuum feudi venditi, teneatur illud plús restituere, vel respectiué imputare.

Primus punctus dici non meretur localis, ac pendens ex stylis particularibus illorum Tribunalium, quoniam vbi-
3 que ex dispositione, vel ratione iuris cõmunis posita imperfectione contractus emptionis, & venditionis, intrat eadem restitutio fructuum, iuxtá ea, quæ habentur *sub tit. de alienat. & contract. disc. 1.* in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, & *sub tit. de empt. & vendit. disc. 44.* in casu læsionis enormissimæ, redolentis dolum præsumptum, & alibi pluriés, & & præsertim infrá *eod. tit. de alienat. in Ferrarien. Tenuta disc.69.*

Ex ea iuridica ratione, quód fructus dicuntur sequela dominij, atque pertinent ad eum, qui fuit dominus, qualis semper fuit venditor á quò, ob infectionem contractus, ipso iure, non autem ope exceptionis, nunquam dominium abdicatum fuit, & per consequens, non translatum in emptorem.

E conuersó autem, circá interesse pretij soluti, reficiendum emptori; Quam-
4 uis de stricta iuris censura, & iuxtà opiniones, quas ad mentem Sacrorum Canonum, probabiliùs sequitur Curia Romana, nullum interesse debeatur, quotiès non verificentur requisita lucri cessantis, vel damni emergentis, dum pecunia est de sui natura sterilis, & infructifera, ideóque non est apta producere fructus, & accessiones citrá labem vsurariam, ex ijs, quæ pluriès habentur *sub tit. de vsur. & sub altero de Camb.* Attamén in isto casu, probabiliùs est, atque in ipsamet Curia receptum, vt fauore emptoris quoque pro rata pretij soluti intret eadem æquitas, *tex. in l. curabit. C. de act.*

de act. empt. ex deductis *eod. tit. de vsur. disc.* 25. Tum ex natura correlatiuorum, quodque resistit eadem æquitas, vt venditor eodē tempore habeat rem, & pretium, atque locupletetur de alieno. Tum etiam quia ita emptor animum declarauit, non solùm verbis, sed etiam factis, erogandi eius pecuniam in bona stabilia fructifera; Et per consequens, itá probata remanent requisita lucri cessantis.

Hinc proindè, retentis opinionibus, cum quibus Curia procedit, magna dif-
5 ferentia est, inter emptorem, qui pretiū soluit, & fructus ex re percepit ex titulo emptionis, quamuis intrinsecè inualidæ, & imperfectæ; adeóvt detecta nullitate, vel imperfectione, causa reducatur ad non causam, & titulus ad non titulum; Et inter alium casum, in quo creditor, ex causa mutui, expliciti, vel impliciti, pignus possedit, atque fructus ex eo percepit, quos de iure restituere, vel imputare tenetur, absque eo quód prætendere valeat deductionem interesse pecuniæ mutuatæ, dum in creditore cessant dictæ rationes; Vndé propterea in Curia non admittitur ille modus calculandi, de quo apud *Fontanel. decis.* 208. *& seqq.* ac etiam apud *Merlin. decis.* 106. & aduertitur *sub tit. de vsur. disc.* 4. & in alijs.

Localis veró, & qui exorbitat à regu-
6 lis Iuris Canonici, est alter punctus, in quo supponitur, vt interesse pretij soluti, vel respectiué non soluti, excedere valeat meram fructuum ipsius rei; Id etenim, iuxtá dictas opiniones, quas Curia sequitur, omninó reprobatum est, ex ijs, quæ habentur pluriés deducta *d. tit. de vsur.* præsertim *disc.* 17. *cum seqq.* Ideóque extrá illa Tribunalia procedentia cum quodam stylo ibi recepto, non datur huius quæstionis casus; Et per consequens per Scriptorem exterum, saltém in ratione domicilij, & qui in illis Tribunalibus bené versatus non sit, tutum iudicium dari non potest, sed deferendum venit ibi versatis, dum, siuè bonus, siuè malus sit stylus, de facto cum eo proceditur.

Adhuc tamen, dicto stylo admisso, persistendum videtur in eodem sensu, de quo in discursu, quód scilicét, quotiés reuo-
7 catio contractus, proueniat ex facto voluntario, multó veró magis culposo emptoris, iuxtá casum præsentis discursus, ac alios, de quibus apud *Tappiā decis.* 8. & apud *Ros. d. consult.* 14. *&* 15. nullo pacto emptor in hac prætensione exaudiri debeat, sed solùm sit locus coæquali compensationi, dum aliás esset dare maximum inconueniens, ab vtraque naturali, & positiua lege damnatum, vt quis ex propria culpa, proprioque delicto, commodum, & lucrum reportare debeat cū damno, & iactura alterius innocentis, cui iniuria fieri dicitur, violando datam fidem; Ideóque contraria opinio, continere videtur quemdam rigorem leguleicum, omni ratione destitutum, ac fundatum in quibusdam legalibus propositionibus malè applicatis, illas attendendo ad literam iudaico more.

Itá enim dari posset de facili casus, vt callidus fenerator, sub hoc pallio alterum contrahentem excoriaret, suoque feudo, vel alia re priuaret, nullo soluto pretio, vel cum facultate illud iam solutum repetendi, atque obtinendi illam rem cum solis vsuris, & accessionibus, dum obdormitando alterum contrahentem in continuatione, & obseruantia contractus per multorum annorum decursum, fieri posset magis cumulus illius excessus interesse suprà fructus, quò nil absurdiùs.

Ac propterea, venerandò, vt decet, maiestatem, magnamque doctrinam il-
8 lorum Tribunalium, & professorum, qui in omni materia potissimé veró in ista feudali, rectè dici possunt de legali facultate optimé meriti, & quibus, aliarum Regionum professores, nimium debeant pro huius feudalis materiæ notitia, & elucidatione.

Attamèn intellectus captiuari non potest in obsequium eorum auctoritatis,
9 super hoc puncto dandi interesse pretij, suprà fructus ipsius rei, vbi potissimùm non accedat formalis, ac valida transfusio pretij in alium contractum census maiorum fructuum productiui, ex ponderatis *disc.* 18. *cum plur. seqq. de vsur.*

Ea etiam accedente ratione, quod vbi pecuniæ Dominus, animum suum declarauit, in quam speciem occasionum, eam
10 erogare voluit, aliud prætendere non potest, nisi id, quod importanr fructus ipsius inuestimenti, cúm fictio superare non posset veritatem, quamuis aliás pecunia esset de sui natura fructifera, & produ-

productiua maioris fructus, ex ijs, quæ habentur *sub tit.de Dote disc.161.num.45*, & in alijs, quod scilicèt quamuis ex statuto, fructus, vel vsuræ dotales debeantur (ex. gr.) ad septem pro centenario, si tamén præcisè pecunia dotalis destinata est inuestiméto bonorum stabilium, & multò magis si illud sit factum, sed imperfectè, seù resolubilitèr, tunc non potest prætendi interesse statutarium, sed solùm id, quod important fructus ipsius inuestimenti facti, vel destinati, dùm interesse non potest excedere id, quod interest, vt etiam aduertitur infrà *hoc eodē tit. disc.81*.

Nimiùm quoq; in his terminis atten-
11 denda venit consideratio, de qua *supra disc. 24.* ac etiam apud *Rosam consult.23.num.101.* quod scilicèt in calculo, seù valutatione fructuum feudi nobilis, & iurisdictionalis, non solùm habenda est ratio emolumenti bursalis, quod etiam in parte negligi potest, & solet per illum emptorem, cuius animus ab euentu detegitur deprauatus nō seruandi fidem, sed etiam magna ratio haberi debet præemioentiarum, & honorificæ, ac Baronalis qualitatis, cum iurisdictione, & imperio in Vassallos. Vndé meritò iuxtà deducta *d. disc.29. & 24.* boná iurisdictionalia, & honorifica æstimantur in fructu in mediétate pluri; Atq;eatenùs iste æstimationis modus non procedit in istis feudis, iuxtà ponderationes, de quibus in allegatis *discursib.19. & 24.* quatenùs ità suadeat ratio onerum, & periculorum, quibus cessantibus rectè intrat dictus diuersus valoris modus.

Probabiles quoque in hoc proposito videntur rationes differentiæ inter emptorem, & venditorem iudiciosè ponde-
12 ratæ apud *Rosam d.consult.14.* vndé propterea displicuit videre, quod *idem in consultatione 23.num.100. & seqq.* substinere conetur, quod nulla dignoscatur differentia inter Emptorem, & Venditorem.

Atqué hinc magis in dies edocemur, quam fidendum sit auctoritati Consulē-
13 tium; Excusabiles etenim videntur Aduocati, si modò vnam, & modò alteram tuentur opinionem, quoniam in eorum optione positum non est, vnius, vel alterius Partis clientélam assumere, ideòq; eorum operam impendere coguntur illi, qui eam conducit, dummodò tamen fiat, citrà mendacium, & calumniam, & cum illis cautelis, quæ insinuantur *in relatione Curia disc.46. & alibi*; Verùm excusatione digni non sunt, sed potiùs censura, illi, qui publicæ luci edunt eorum labores, eo modo, quo compositi sunt ad causarum oportunitatem, negligendo debitas conciliationes, vel declarationes, vt ità posteritas, pro sui ingenij viribus illuminetur, & quo magis fieri potest, agnoscat veritatem, ex cuius iustitiæ zelo, & seruitio, proprij labores perpetuitati dicari debent, non autém ad propriam inanem gloriam; quod alibi quoque aduertitur.

DE FEVDIS

AD DISC. XXXII.

SVMMARIVM.

1. *De regula, quod in venditione Vniuersitatis non præstatur euictio rerum singularum.*
2. *De limitatione.*
3. *Quomodò intelligi debeat tàm regula, quàm limitatio.*
4. *De eadem, & de differentia inter vnum casum, & alterum, ideòque sit quæstio facti decidenda ex casuum circumstantijs.*

AD DISC. XXXII.


E materia huius discursus, quod scilicèt venditò feudo, quod importat
1 Vniuersitatem, debeatur euictio de ipsa Vniuersitate, non autém de singulis membris, vel effectibus, habetur etiam infrà *hoc tit. disc.65. & tit.de empt. & vendit. disc.16.* vbi de eadem conclusione, si cessa, seú vendita sit hæreditas, *& tit. de dote disc.89.*

Quamuis autém vera sit regula, ac etiam vera sit limitatio in hoc discursu insinuata, respectu scilicèt illorum mem-
2 brorum, seù effectuum, quæ deducan-

tur ad speciem cum verbo, *signantèr*, vel cum alio æquipollenti; Attamén, tàm regula, quàm limitatio continent simplicem iuris præsumptionem operariuam in dubio, secùs autém accedente, non solúm clara, & expressa probatione contraria, quo casu nulla cadit quæstio
3 ad regulam Textus *in l. ille, aut ille, ff. de legat. 3.* sed etiam ob contrarias præsumptiones, & argumenta, illud præsertim, quod resultat à quantitate pretij, quod magnum est argumentum voluntatis partium, & quid in contractum deducere voluerint, vt pluriés aduertitur *in tit. de empt. & vend.* & alibi cum sit principium certum.

Magna igitur discretio dignoscitur
4 inter istum casum, & alterum, de quo *dicto disc. 65.* quoniam ibi venditio facta est ad æstimationem in fructu, ad tot pro centenario, iuxtà frequentiorem praxim venditionis Castrorum in Statu Ecclesiastico, ac etiam venditionis feudorum in hoc Regno Neapolitano, vbi per illos publicos æstimatores, qui tabularij dicuntur, fiunt æstimationes, habendo rationem de omnibus introitibus, & effectibus, & iuxtá qualitatem locorum, & Regionum respectiué, & per consequens deficiente aliquo membro, vel effectu, non debet venditor obtinere pretium rei, quæ non erat sua; Bené verùm, quod verificatur regula non præstandi euictionem, cum re verá potiùs intret refectio, vel deductio, ex actione quanti minoris; In præsenti autèm Venditor, qui nouus Emptor quoque erat, aliud non agit, nisi ponere alium in locum suum; Ideòque semper edocemur, vt procedendum non sit, cum generalitatibus, sed iuxtà singulorum casuum circumstantias, cúm reverá, istæ sint quæstiones potiùs facti, quàm iuris.



DE FEVDIS

AD DISC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *De citatione Feudatary in feudo, vel beneficiati in beneficio.*

2 & 3 *De duplici declaratione huius assumpti.*

4 *Quando Feudatarius debeat conueniri in loco feudi, & non possit conueniri in loco domicily.*

5 *Quod prò legato non detur hypotheca super feudo.*

AD DISC. XXXIII.



1 VLTRA ea, quæ in hoc discursu habentur de citatione facienda feudatario in ipso feudo plura colligunt *Adden. ad Capic. Latr. decis. 82. num. 4. & Baron. de citat. quæst. 12. num. 110.* Atq; ad instàr habemus in beneficiato, qui bené citatur in loco beneficij, ex relatis per *Baron. d. quæst. 12. num. 106. & seqq. & in addit. ad eandem quæst. num. 11. Vermigliol. consf. 406. num. 2.* & habetur de vtroque *sub tit. de iudic. disc. 9. num. 18. & seqq.* ac etiam *sub tit. de benefic. disc. 77.* super citatione beneficiati, occasione procedendi ad priuationem, aliasque pœnas ob non residentiam.

Dupliciter autèm temperanda videtur ista propositio. Primò nempè, circà illas citationes, quæ percutiant pœ-
2 nam, vel graue præiudicium ipsius feudatarij, vel respectiué beneficiati, qui citandus est, quamuis id sit occasione feudi, vel beneficij, puta in beneficialibus, ad effectum procedendi ad priuationem ob non residentiam, vel ob aliud delictum; Et in feudalibus ad effectum procedendi ad declarationem incursus caducitatis, ob non præstitum seruitium personale, vel reale, vel ob feloniam, siué ob aliam causam; Vt scilicét procedat, quando incertum sit, vbi nàm ille reperiatur, vel si habeatur notitia, attamén sit in loco, ad quem non patet, facilis, & tutus accessus, cum tunc sufficiat illum citare in feudo, vel in benefi-

cio

cio respectiuè; Secùs autèm, vbi habeatur notitia loci, in quo sit, ibique possit commodè citari personalitèr, eo modo, quo regularitèr de iure requiritur, pro contumaciali condemnatione, ex deductis in hac materia citationis *d. disc.9. de iudicijs*, atque in terminis beneficialibus in specie habetur *d. disc.77. de benefic.*

Et secundò, vt id procedat in ijs, quæ concernant ipsum feudum, seù beneficium, cum quo principalitèr sit causa, adeoùt intret sæpiùs insinuata pro-
3 positio, quod feudum censeatur homo mutus, cęcus, & surdus, qui citari non potest, quia non videt, nec audit, neq; loqui potest; Vndè propterea oportet citare eius Curatorem, vel Organum, qualis est feudatarius; Eademque ratio, seú proportio intrat in beneficio, quia, nempè agatur de oneribus, vel citationibus, quæ fiant occasione onerum realium, & seruitutum, vel occasione iurisdictionum, & præeminentiarum, &c. Secús autèm (sicùt in præsenti) vbi agatur de causa indifferenti, quæ principalitèr percutiat personam, vel obligationem personalem ipsius feudatarij, siuè beneficiati.

Quinimó etiamsi id sit ex causa, & occasione ipsius feudi, vel beneficij, sed principale interesse sit personæ, quia, nempè citatio fiat in causa, in qua agatur inter plures inuicem contendentes, de pertinentia illius feudi, vel beneficij, quoniam tunc ipsum feudum, vel beneficium non dicitur esse in causa, neque habet interesse, cum nil eius intersit, an ab vno magis quàm ab altero administretur, & per consequens citanda est persona, eo modo, quo in alijs eius causis indifferentibus citanda esset.

E conuerso feudatarius, qui existat in diuerso loco, aliquando dicere potest, se non posse, nec debere citari, &
4 conueniri in loco, in quo reperiatur, sed quod debeat citari, & conueniri in feudo, siuè in eo principatu, in quo feudum existat, quotiès non agatur de obligatione merè, ac principalitèr personali, sed de negotijs concernentibus aliquod feudum, vel illud patrimonium, ob reduplicationem personarum, quodquè non obstante identitate personæ materialis, tot fingantur personæ diuersæ, quot sunt feuda, vel sunt patrimonia, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de iurisdictione, disc.90.* ac etiam *sub tit. de iudic. disc.3.*

Reliqua veró, quæ in hoc discursu continentur, percutiunt materiam competentiæ fori, de qua agitur *sub tit. de iurisdict. & for. compet.* ac etiam *d. disc.3. de iudic.*

Et quod pro legatis non detur hypo-
5 theca super feudo, vt in præsenti *discursu Reuerter. dec.366. num.3.*

DE FEVDIS

AD DISC. XXXIV. ET XXXV.

SVMMARIVM.

1 *De qualitate feudali, vel allodiali.*
2 *Quando procedi possit ad censuras contra non subditum.*
3 *Feudatarius Ecclesiasticus in causa feudi conuenitur coram laico Domino feudi.*
4 *An quis possit esse Rex, & Baro.*

AD DISC. XXXIV. ET XXXV.

1 DE principali puncto contento in his discursibus super qualitate feudali, vel allodiali habetur supra in *annotatione ad disc.2.* vbi videndum.

Et de contentis in istorum primò, circà facultatem proferendi censuras, etiam
2 contra non subditos pro defensione bonorum, & iurium Ecclesiæ, habetur pleniùs actum *tit. de iurisdict. disc.47. & 48.*

Et de competentia fori, quodq; etiam Clericus, vel Ecclesia in ijs, quæ con-
3 cernant feudum, subiaceat foro infeudantis, quamuis secularis, habetur infrà *disc.55. & in alijs.*

Atquè super puncto, an quis possit
4 esse Rex, & Baro, & quomodo id procedat, habetur infrà *disc.61. & disc.83. & de Regal. disc.80.* ac etiam *tit. de praemin. disc.29.* & in alijs.

DE

DE FEVDIS,

AD DISC. XXXVI.

Cum duobus sequentibus.

AGITVR in his discursibus de iure prothomiseos, seù de retractu prælatiuo, dum sonat in idem, & de hoc etiam agitur infrà *disc.*110. vbi an hoc ius prothomiseos procedat in venditione commoditatis.

Et de pluribus ad hanc materiam iuris prothomiseos in feudis, habetur apud *Cæsar. de Afflict. contron.*20. *& Rosam consult.*27. Et conferunt, quæ ad hanc materiam retractus prælatiui habentur *sub tit. de seruit. à discursu* 68. *ad* 88. ac etiam *tit. de emphyt. disc.*61.

Decisio allegata *disc.*38. *in Perusina coram Coccino*, circa retractum ratione consortij, est impressa inter *suas decisiones* 2229. *& repetita decis.*417. *par.* 12. *recent.*

DE FEVDIS

AD DISC. XXXIX.

DE confundente fines agitur *tit. de emphyteusi disc.*56. ac etiam *tit. de fideicommissi disc.*194.*& in hoc Supplemento in Bononien. fideicommissi de Ghisleriis eod. tit.*

DE FEVDIS

AD DISC. XL.

DE hac materia, an deuoluto feudo, deuoluantur subfeuda, est actum supra *in annotatione ad disc.*1. vbi videndum; Et de alijs concernentibus materiam concessionis ad arbitrium, vel ad beneplacitum, agitur *sub tit. de beneficijs*, & sub altero *de pension.* dùm in ijs cadunt frequentiùs istæ quæstiones, & apud *Reuerter.& Addentes dec.*511. *Moles de iure deuol.* §. 23. *quæst.*6. & de facultate reuocandi *disc.*148. *de Regal.*

DE FEVDIS

AD DISC. XLI.

DEFVIT occasio vlterioris disputationis super isto puncto resolutionis numeri pluralis in singularitates, in actibus inter viuos in hac speciali materia feudali, generaliter autèm de hac materia agitur *sub tit. de fideic. disc.*95. *cum seqq.* vbi in annotationibus aduertitur, an, & quæ differentia vigeat inter actus inter viuos, & vltimas voluntates, atquè disputat hincinde *Modern. Torres de pact. futur. succeß. lib.*2. *cap.*17. *ex num.*36.

Decisio in discursu enunciata habetur hodie impressa inter *Decisiones Dunozetti decis.*879. & coram eodem sunt aliæ editæ in eadem causa inter easdem partes *decis.*839. 860. *&* 896.

DE FEVDIS

AD DISC. XLII.

QVAMVIS non implicet, vt feudum consistat etiam in annuo redditu pecuniario, siuè in alia re indifferenti, etiam mobili, ex ijs, quæ colligit elaboratus iuuenis *Ageta in compend. seù visione feudal. rubr.*4. *visio.*4. *fol.*203. *& seqq.* Attamèn, vt pluriès supra aduertitur, hodiè quodammodò antiquatæ videntur huiusmodi feudorum species, quodquè nuncupatione solùm retenta, in reliquis bonorum allodialium indifferentium, iure regulanda videātur, aliqualitèr pactionata ad excludendam libertatem liberè disponendi, eo modo, quo sunt bona emphyteotica, seù liuellaria, aut concessa in perpetuam locationem, dum in plerisque fraternizare videntur, cum pactis, seù vinculis feudalibus; Ex quodam vero recepto vsu verè, & propriè feuda esse videntur illa,

quæ

quæ constituunt Baronem, seù Magnatem, ac Militem primi Ordinis illius principatus, adeoùt ille annuus redditus, qui vt in præsenti subrogetur loco Castri, vel alterius feudi, ex regula subrogatorum hàbeat eandem naturam, atque subiaceat eisdem pactis, & cessationi per quandam speciem deuolutionis, potiùs per similitudinem, quàm per veritatem: Et in specie de annuo redditu subrogato loco feudi, apud *Rerner. & Adden. ad decis.* 137. Non indè tamèn inferri potest, vt possessor huiusmodi annui redditus, dicendus veniat feudatarius, & Baro, cum illa militia nobili, & primi Ordinis, quæ feudis annexa est, adeoùt in Curia intrare posset Bulla Baronum.

Antiquiori enim tempore, præsertim in superioribus Italiæ partibus, Lombardiæ, & Emiliæ, in quibus feudorum vsus initium hàbuit, ob factionarias diuisiones, cuilibet etiam priuato diuiti expediebat habere feudatarios, idest adhærentes, & fideles, qui sibi assisterent, suasque partes sequerentur, quod etiam practicare cœperunt Ecclesiarum Prælati, pro suorum bonorum, & iurium defensione, dum ità exigebat illorum temporum conditio, vt aduertitur supra *in annotatione ad disc.* 1. Ideòque non mirum si in petijs terræ, & in vineis, seù in annuo redditu, vel in iure piscandi in aliqua parte fluminis, vel Maris constituebantur feuda, vt præcæteris erat obseruantia Ducum Ferrariæ, ex relatis suprà *disc.* 39. *&* 40. illamque continuat Sedes Apostolica, post deuolutionem, in dies concedendo illa feuda, quæ deuoluuntur tanquam per speciem beneficiorum, & Commendarum, sub aliqua recognitione reali; ad solam fruitionem aliquorum petiorum terræ, seù aliorum prædiorum, quibus propereà feudorum nobilium, & qualificantium titulus eis attribuendus non videtur, nisi obseruantia assistat.



DE FEVDIS

AD DISC. XLIII. & CIV.

ISTI duo Discursus sunt in eâdem causa, in qua, assumendo etiam inspectionem boni iuris, seù negotij principalis, prodijt à consilio Placentino, quædam sententia, ex circumstantijs facti potiùs quàm ex articulis iuris, fauore Ducis rei conuenti, illum obligando ad fauorem Actoris, ad suppletionem cuiusdam quantitatis, quatenùs satisfacta non esset, eaque aliquibus alijs huius Partis defensoribus melioribus facti notitiam habentibus, visa est probabilis. Vndè propereà credo, quod ista Pars acquieuerit.

De materia verò legitimi contradictoris, vltrà ea, quæ deducuntur in hoc discursu, & in alio 104. agitur *tit. de fideic. disc.* 197. *cum seq. tit. de Benef. disc.* 73. *& tit. de iudic. disc.* 43.

Et de Statuto continuatiuo possessionis defuncti in hæredem *tit. de Testam. disc.* 27. *& tit. de Herede disc.* 26. ac etiam aliquid insinuatur *tit. de iudic. disc.* 44.

DE FEVDIS

AD DISC. XLIV.

DE euictione præstanda in feudis agitur suprà *disc.* 32. & an, & quando præstanda sit euictio, quæ sequatur de natura rei, vltrà hic deducta, agitur *tit. de Regal. disc.* 31. *de Emphyt. disc.* 53. *de fideic. disc.* 175. *& de Pension. disc.* 69.

De alijs autèm circà facultatem disponendi, vel præiudicandi successoribus, seù aliàs alterandi naturam feudi, atque de diuiduo facere diuiduum, vel è contra, habetur supra *in Annot. ad disc.* 9. *&* 12. Ibique etiam de puncto, an Dignitas, quæ de nouo adiecta sit feudo, illius naturam alteret, seù eandem patiatur restrictionem.

Et circà facultatem testandi in feudis, habetur infrà *in Neapolitana, seù Theatina disc.* 116. occasione agendi, an filiusfamilias feudatarius testari valeat.

DE

DE FEVDIS

AD DISC. XLV.

CONTENTA in hoc discursu pertinent potiùs materiam fideicommissorum, seù maioratuum, ac etiam, enunciantur supra *in Annot. ad disc.9. & 12.* Incertus verò est istius causæ status, quoniam, me non laudante, causa auocata fuit à Tribunali Rotæ, & commissa vni, vel pluribus Cardinalibus, mutatis etiam defensoribus.

DE FEVDIS

AD DISC. XLVI.

PRIMA istius causæ decisio 20. Aprilis 1663. est impressa *decis.52. par.14. recent.* repetita *decis.3. post Torr. de Pact. futur. success.* atque de hac eadem causa agitur *disc.157. de fideicommiss.*

De articulo autèm, an feudum acquisitum pro patre, & filijs, censeatur ordine simultaneo, vel successiuo, agitur infrà *disc.75.* ac etiam *in Ianuen. feudorum disc.113.* Et conferunt, quæ habentur *tit. de Donat. disc.47.*

Et de facultate disponendi, seù alterandi ordinem successionis, aut naturam feudi, agitur paritér *in Annot. ad disc.9. & seq.* & infrà *in Tholosana, seù Parisien. disc.112.*

DE FEVDIS

AD DISC. XLVII.

SVMMARIVM.

1 *De transactione an capiat, ea, quæ deducta non sunt in litem.*
2 *De capacitate Clericorum in feudis.*
3 *De bonis existentibus intrà fines feudi, an sint feudalia, seù feudo affecta.*
4 *De natura bonorum Status Auenionensis, & Comitatus Venaissini.*
5 *Quid referat, an regula assistat feudalitati, nec nè.*

AD DISC. XLVII.



DE pluribus contentis in hoc discursu super comprehensione, vel interpretatione transactionis, an restringatur ad ea, quę deducta fuerunt in litem,
1 vel etiam comprehendat alia in litem non deducta ob amplitudinem verborũ, & clausularum, vtpotè non pertinentibus ad hanc peculiarem materiam feudalem, atque cadentibus sub regulis generalibus indifferentibus, pluriès alibi agitur, & præsertim *sub tit. de Alien. & Contract. prohib. disc.50.* vbi particularis agitur de hac materia transactionis atque, re verà, est potiùs quæstio voluntatis, quàm iuris, an scilicèt ex alijs motiuis reminiscere, & condonari sibi voluerint transigentes, ea, quæ non erant in lite, quorum respectu verè, & propriè non intrat terminus transactionis, sed alter donationis, cui transactio causam, seù fomentum dederit.

De obitèr autèm enunciata capacita-
2 te Clericorum, obtinendi, & retinendi feuda, particularitér agitur *infrà disc.54.* ac pluriès in alijs, etiam incidentèr.

Quo verò ad punctum principale huius discursus super natura scilicèt, & qualitate tenutarum, & prædiorum exi-
3 stentium in territorio, siuè intrà fines feudi, an habeant naturam feudalem; Pro suppletione sufficere videntur ea, quæ insinuata sunt supra *in Annot. ad disc.2.* Præsertìm verò notabilis est illa consideratio, seù distinctio, inter feuda, in quibus Baro, vel Domicellus habuit solum dominium iurisdictionale, seù publicum in vniuersum, ex solo iure Baronali, & illud feudum, in quo Baro, vel Domicellus habeat etiam directum dominium totius Territorij iure priuato, & vtilitario, adeoùt Vassalli, alijque priuati, possideant prædia, & bona in solo dominio vtili, per quandam speciem coloniæ perpetuæ, seù Liuelli, iuxtà casum, de quo infrà *disc.72. & tit. de Regal. disc.146. tit. de seruitut. disc.36. &*

in

in *Miscell. Eccl. lib. 14. disc. 7. & alibi*.

In plerisque etenim locis, & prouincijs, ex quadam consuetudine generali, dominium directum omnium terrarum est domini, ideòque omnia prædia, & bona priuatorum, dicuntur feudalia, idest reddititia feudo, vt de Prouincia Hydruntina testantur plures Doctores relati locis citatis, ac etiam *d. tit. de regal. disc.* 50.

De hoc autem frequentèr in Curia disputari solet in particulari Congregatione negotiorum Status Auenionensis, & Comitatus Venaisini, præsertim in lo-
4 cis existentibus in Diœcesi Carpentoratenſi; Cum etenim supponatur, quòd in ea parte Galliæ, quæ dicitur *Delfinatus*, & in altera, quæ *Prouincia* appellatur, ex quadam antiqua consuetudine directum dominium totius territorij sit Regis, quodque dominium priuatorum sit vtile, ac subalternum per speciem perpetuæ locationis, seù liuelli, iuxtá casum præsentis discursus ex relatis per *Ludou. Bell. cons.* 103. *Claper. cons. 1. quæst. 2. cum alijs per Tondut. quæst. ciuil. 25. tom.* 1. hinc proindè inter ministros illius Cameræ, vel Barones, & domicellos ab eadem Camera causam habentes, & priuatos possessores tenutarum, & prædiorum, frequentes audiuntur quæstiones super dictorum bonorum libertate, vel seruitute, respectiuè, quasi quód eadem consuetudo, quæ viget in dictis Prouincijs, militet quoque in isto Principatu, qui antiquitùs per maiores Reginæ Ioannæ II. illum vendidit, sed Apostolicæ, possidebatur tanquàm pars earundem Prouinciarũ, vndè propterea apud *Spad. cons. 13 lib.* 1. agendo de consuetudine, vt omnes terræ incultæ á nemine possessæ, spectant ad Principem, infertur, vt idem dicendum sit in hoc Principatu ad fauorem Cameræ Apostolicæ.

Quamuis autem in huiusmodi quæstionibus pluriès scripserim, modò pro libertate, fauore priuatorum, & modò pro seruitute fauore Cameræ, seù habentium causam ab ea, iuxtá consuetudinem Aduocatorum, qui pro requirentium opportunitate, coguntur modó album, & modó nigrum tueri; Nihilominùs, certa regula generalis, desupèr statui non potest, quibuscumque casibus applicabilis, cùm reverà totum pendeat ex singulorũ casuum, seù locorum, & bonorum qualitate, & circumstantijs, dum aliqua loca, vel bona respectiuè ex Apostolicis Constitutionibus, vel ex antiqua possessione libertatem vindicasse non improbabilitèr prætendant.

Nimiùm autem refert inspicere, an adsit, nec ne, dicta consuetudo generalis,
5 & adesse probabilius dici posse videatur, (absque tamen veritatis præiudicio, dum defuit occasio desupèr efformandi maturum iudicium) ad illum scilicèt effectũ valdè proficuum, qui resultat à regula transfundente onus probationis in alterã partem, quæ prætendat limitationem, & per consequens quemadmodũ de iure communi, ex pluriès insinuatis *hoc eod. tit.* & sub altero *de seruit.* feudalitas, vel altera seruitus non præsumitur, sed omnia bona præsumuntur libera, ideóq; alleganti libertatem sufficit intentare negatoriam, dum habet intentionem fundatam in regula, ita è conuersó, quando vel ratione huiusmodi consuetudinis generalis, vel ratione situationis bonorum, & qualitatis omnium aliorum bonorum adiacentium, iuxtá casum de quo suprà *disc.* 35. & infrà *disc. 52. & 72.* & in alijs supra allegatis locis *sub tit. de regal. & tit. de seruit.* tunc fundata dicitur intentio eius, qui allegat feudalitatem, vel aliam similem seruitutem, donec ille, qui prætendit libertatem, tanquam per speciem limitationis regulæ illam probet; vt ex: gr: habemus in Regno Neapolitano, quod Castra, & loca habitata cum iurisdictione, & vassallis, exceptis Ecclesijs, præsumuntur feudalia potiùs, quàm allodialia, & è conuersó in Statu Ecclesiastico regula est in oppositum, ex deductis suprà *disc.* 2. & frequentèr. Et per cõsequens, qui contrà regulam allegat diuersam naturam, eam iustificare tenetur, ac propterea firmum remanet, quod istæ sunt quæstiones potiùs facti, quàm iuris, incapaces regulæ generalis, vndè clarus remanet consuetus error desupèr procedere cum generalitatibus, & cum cumulo auctoritatum, non distinguendo loca, & tempora, aliasque facti circumstantias particulares.

DE FEVDIS DE FEVDIS

AD DISC. XLVIII.

SVMMARIVM.

1 *An pretium feudi succedat loco ipsius feudi.*
2 *An defensor necessarius, siue auctor laudatus declinet forum.*
3 *Possessor, & interessatus immediatus est solùm citandus.*

AD DISC. XLVIII.



SVPER principali quæstione istius discursus, an scilicèt pretium feudi sit feudale, videri poterunt ea, quæ habentur
1 *tit. de emphyt. disc.* 58. *& in eius annot. & sub tit. de credito disc.* 13. *&* 151. ac etiam generalitèr, an, & quando pretium succedat loco rei, vel res loco pretij, habetur *eod. tit. de cred. disc.* 35.

De articulo autem concernente competentiam fori, & an defensor necessa-
2 rius, qui alicubi, auctor laudatus appellatur, declinet forum ex propria persona, vel priuilegio, seù aliàs illud communicet, habetur in sua materia *sub tit. de iurisd. disc.* 63. *& sub tit. de iudic. disc.* 2. *&* 3. *&* 37. Bené verum, quòd in his materijs, quæ concernunt ordinem iudicij, vel competentiam fori, non de facili regula certa, & generalis statui potest ob varios stilos Principatuum, & Tribunalium, quibus est deferendum; Regularitèr autem attenditur possessor, & inte-
3 ressatus immediatus, non autem mediatus excepto fisco, etiam ad effectum citationis, ex deductis *eod. tit. de iudic. disc.* 9. vbi de materia citationis.



AD DISC. XLIX.

SVMMARIVM.

1 *Status causæ.*
2 *Pro beneplacito præsumpto non sufficit tempus siue obseruantia.*
3 *Declaratur quando obseruantia debeat esse in totum, vel sufficiat in parte.*
4 *De alia declaratione circa obseruantiam coniungendam cum lapsu temporis, alijsque adminiculis pro hac præsumptione.*
5 *Quomodò leges prohibentes alienationes feudorum, debeant intelligi.*
6 *De Constitutione Federici Imperatoris in l. Imperialem, non attendenda in statu Ecclesiastico.*
7 *De eadem ob Constitutiones Apostolicas prohibitiuas.*
8 *De materia, seù qualitate feudorum Status Ecclesiastici, quod in plerisque differant ab alijs feudis.*
9 *Quando transactio afficiat successores.*

AD DISC. XLIX.



NON aequiescentes Comites de Genga sententiæ Camerarij, super validitate, & obseruantia
1 transactionis, in ijs partibus, in quibus de obseruantia, & effectuatione docebatur, interpositam appellationē prosequuti fuerunt, in Camera coram Bichio, atque proposita causa de mense Iunij 1673. super dubio, an præfata sententia esset cōfirmanda, vel infirmanda, pro confirmatione prodijt resolutio, ex eisdem fundamentis, de quibus in discursu, dum scribentes pro appellantibus, eadem deducebant motiua, ideóque eædem dabantur responsiones; concessaque noua audientia, & repropofita causa, pluriès ob votorum scissuram nulla capta fuit resolutio, quæ demùm sub *die* 4. *May* 1676. vna factione præponderante fuit pro recessu à resolutis, incertum est ex quibus motiuis, atque in hoc statu causa reperitur.

Cùmque potissimè insisteretur in inualiditate transactionis, ob defectum benepla-

neplaciti Apostolici, è conuersò autem ex hac parte allegaretur beneplacitum
2 præsumptum, deductum ex lapsu longissimi, adeóque diuturni temporis; Replicabatur de defectu obseruantiæ, sine qua solus lapsus temporis, quantumuis magnus nullius est momenti, vt aduertitur *disc.143. de dote, & disc.1. de alien.& contr.& alibi pluriès*, dum docebatur quidem de obseruantia, & effectuatione in aliquibus partibus in eadem concordia contentis, sed in pluribus ea deficiebat.

Verùm id nullius momenti videbatur,
3 quoniam, vt dicebam, scribendo in Camera, quando obseruantia allegetur tanquam præscriptiua, ex quo noua iuris acquisitio desumatur, adeóvt eius vigore prætendatur allegari posse quemcumque titulum meliorem priuatiué ad eũ, qui habeat iuris assistentiam, vt (ex: gr:) contigit in quæstionibus iurisdictionalibus, inter Ordinarios locorum, & Prælatos inferiores, de quibus *tit. de iurisd. disc.1. & seq. cum similibus*, quibus eadem ratio congruat; Et tunc rectè procedit assumptum, vt obseruantia debeat esse vniformis, ac generalis, adeóvt aliqui actus cõtrarij, etiam modici illam interrumpant, vt *d. disc.1. de iurisd. & disc.21. de iudic.* vbi de hac materia obseruãtiæ, & alibi, secus autem vbi adducitur titulus contrà quem obijciatur de defectu assensus Papæ, vel alterius Principis, qui deducatur præsumptus ex lapsu temporis iuncto cum obseruantia, quoniam si de ista appareat in parte, cadere potest difficultas, circà illas res, de quarum obseruantia non doceatur, sed in illis in quibus ea accedit, tunc eadem præsumptio intrat, nullaque probabilis dubitandi ratio subesse videtur, quoniam stant bené simul, vt frequens, & quotidiana praxis docet, quód pluribus in conuentionem deductis inter partes, Papa, vel Princeps, seù alter ad quem pertinet assensum præstare, atque conuentionem reualidare, aliqua approbet, & alia reijciet; Ac propterea intrat vtraque præsumptio affirmatiua, & negatiua respectiuè, quód scilicèt præstiterit assensum in ijs, quæ obseruata fuerunt, negauerit autem in ijs, quæ non habuerunt obseruantiam, quotiès non agatur de actibus ità indiuiduis, & connexis, vt vitium in parte, vitiet totum, sed agatur de rebus diuiduis, vt in præsenti.

Clariùs verò, quoniam ista inspectio
4 circà obseruantiam exactè desiderandam cum requisitis, de quibus *d. disc. 1. de alien. & contract. prohib. & disc. 143. de dote*, percutit casum, in quo præsumptio beneplaciti, vel alterius solemnitatis, vnicè deducatur ex lapsu temporis, iuncto cum obseruantia, sed vbi quamplures aliæ accedunt præsumptiones, & adminicula ad constituendam probationem adminiculatiuam, de qua *disc.33. de iudic.* tunc nil prohibere videtur, vt ista species præsumptionis, quamuis non omninó perfecta, adeóvt sola, & de per se non sufficiat, perfectionem, seù fomentum recipiat ab alijs præsumptionibus, & adminiculis, siuè quód ipsa præstet vnum ex adminiculis, cum alijs coniungendũ, cum reverà, ista tanquam quæstio probationis, videatur potiùs facti, quám iuris, non habens vniformem regulam generalem, sed regulanda sit ex singulorum casuum circumstantijs; Ideóque erroneũ videtur in hac materia procedere in omni casu cum solis generalitatibus.

Quó veró ad punctum principalem
5 necessitatis adhibendi beneplacitum pro validitate actus, in hac noua disputatione in Camera, denuó inculcatam eandem distinctionem trium diuersarum classium Doctorum, de qua in discursu, cum ex huiusmodi distinctionibus resultet congrua applicatio conclusionum, & metodica decisio causarum; Cùmque attento tempore huius transactionis, absque dubio applicari non posset illa classis, quæ hodiè irrepsit ex Constitutionibus Apostolicis Sixti V. & Clementis VIII. aliorumque Successorum, ac propterеà vrgeret solùm prima deducta *ex cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Feder.* Aduertebam (etiam cum sensu veritatis) istud esse vnum ex consuetis æquiuocis Pragmaticorum, vel collectorum, procedentium cum sola cæca fide auctoritatũ in littera, non distinguendo loca, & tempora, aliasque circumstantias.

Siquidem ista lex condita fuit per Federicum primum Imperatorem, qui nullam auctoritatem habebat in hoc Prin-
6 cipatu Status Ecclesiastici; Quinimó tanquam caput, & protector Giballinæ factionis, fuit Sedi Apostolicæ, & Summis Pontificibus potiùs infensissimus, vt docent

cent Cronicæ, tàm in vita ipsius, quàm in illa Alexandri Tertij, aliorumque Pontificum illorum temporum. Et consequentér si ista lex recepta fuit in Germania, id prouenit in ea Regione ex auctoritate Imperiali, vt etiam verificatur in illis partibus Italiæ, quæ sequebantur partes dicti Imperatoris, dum ibi adsunt plura feuda imperialia, vt præsertim in Lombardia, in Liguria, Etruria superiori, ac etiam in Pedemontana Regione.

Malé autem eadem lex trahitur ad hæc feuda Status Ecclesiastici, tùm ex defectu potestatis, vel iurisdictionis; Tùm etiam ex omnimoda inuerisimilitudine, quod Summi Pontifices voluerint recipere leges Imperatoris; adeò insensi; Et quòd magis, quoniã de tempore æditionis huius legis, Pontifex ipsum declarauerat Imperio priuatus.

Duabus quoque circumstantijs, seù ponderationibus accedentibus; Primò
7 nempè, quód constitutio 3. Sixti V. clarè agnoscit, quod priùs nulla adesset prohibitio, illamque restringit ad tres contractus, venditionis, donationis, & permutationis, deindéq; Clemens Octauus, alijque Pontifices successores illam ampliarunt ad alios contractus ex deductis infrà *hoc tit. disc. 66. cum pluribus seqq.* ac etiam *sub tit. de credito disc. 13. & 151. & alibi*, atqué ex ibi deductis patet, quod apud omnes in Curia receptum est, quód antè dictas Constitutiones, aliæ non adessent prohibitiones, ideóque clarum resultat argumentum, quód præfata lex, nunquam in hoc Principatu recepta fuerit.

Et secundó, quód feuda Istius Principatus, longè diuersam habent naturam, neque in eis consuetudines feudales,
8 quas dicimus ius commune feudorum in pluribus practicantur, tám scilicet circà inhabilitatem Clericorum, vt aduertitur pluriès in præcedentibus, ac etiam infrà *disc. 54. & in alys*, quam etiam circà qualitatem seruitij militaris, seù personalis, quod in hoc pacifico Ecclesiastico Principatu non est in vsu; Ac etiam circà renouationem à nouo feudi successore, petendam infrà annum, & diem, cũ noua præstatione iuramenti fidelitatis, vt infrà *disc. 59.* cũ id sit in vsu tantùm respectu feudorum maiorum, & Regalium, potiùs ex lege particulari inuestituræ, quàm ob huiusmodi leges feudales, iuxtà casum de quo apud *Apon. decis. 1.* non autem in huiusmodi feudatarijs inferioribus, qui veniunt sub nomine, ac sphæra baronum, cum istorum respectu, illa Castra, & loca iurisdictionalia, quæ habentur in feudum, in alio differre nõ videantur ab alijs causis, quæ retineantur in natura allodij, nisi pro obligatione soluendi tributum, seù seruitium reale singulis annis, sub rigore Constitutionis Gregorij XIII. de qua suprá *disc. 5.* ac etiam super restrictione successionis ad personas in inuestitura comprehensas, ideóque clarus error videtur adhibere terminos *d. legis Imperialis*.

Reuoluebantur etiam antiqua iura Communitatis, & præsertim circa veritatem tituli de anno 1216. & circà vali-
9 ditatem sententiæ Magalotti, & laudi Ducis Petri Aloysij Farnesij, sed meo iudicio frustrá, quoniam aduertebam, quód huiusmodi inspectio cadere potuisset, quando de præsenti Communitas peteret dictæ sententię, vel laudi exequutionem, secùs autem ad effectum substinendi trãsactionem, quódque ista afficiat etiam successores, quoniam sententia, & laudum, aliaque iura indubitantèr constituebant, saltém casum in nimiùm probabili dubietate, cum maiori assistentia præsumptionis ad fauorem Communitatis, quæ obtinuerat, vt propterea dici deberet concordia bona fide inita, quæ afficeret etiam successores independentes, ex deductis *in hoc discursu*, & latiùs *sub tit. de fideicomm. disc. 173. & seqq. & sub tit. de emphytheusi disc. 52.* & sæpiùs; Sed quoniam plures repetitæ fuerunt disputationes, in quibus scribentes multa cumulabant super obseruantia legum feudalium, etiam in Statu Ecclesiastico, idcircó desupèr edidi particularem discursum, de quo infrà *disc. 135.* vbi videndum.

†



DE

DE FEVDIS

AD DISC. L.

SVMMARIVM.

1 *De materia fideicommissorum, & maioratuum.*

2 *An, & quando primogenitus admittere possit secundogenitum ad successionem feudi.*

3 *De differentia inter primogenituras, & maioratus.*

4 *Potest admittere ad participationem fructuum.*

AD DISC. L.



1 EA, quæ continentur in hoc discursu, percutere potiùs videntur materiã fideicommissariam, tàm circà differentias inter maioratus Italiæ, & Hispaniæ, de quibus *tit. de fideic. disc. 1. cum plur. seqq.* & præsertim *disc. 7.* vbi de puncto, an successiones possint stare in suspenso, quam etiam circa derogationes concessas à Principe, de quibus *ibid. disc. 165. & in alijs.*

Quatenùs verò pertinet ad punctum principalem, an scilicet primogenitus ad-
2 mittere possit secundogenitum ad coæqualem successionem feudi, quod ad formam iuris Francorum, cum ordine primogenituræ deferatur, extranea videntur ea, quæ habentur apud Hispanos, super illis primogenituris, & maioratibus, ex plenè telatis per *Oleam de cess. iur. tit. 3. quæst. 3. adden. ad Molin. lib. 3. c. 2. à num. 21. Gallerat. de renunc. cap. 52.* an scilicèt maior natu, possit natu minorem secum admittere ad successionem, quoniam iuxtà ea, quæ habentur infrà *in Iamuen. Feudi Arquati disc. 114.* lõga differẽtia est, inter illos maioratus, qui ex pri-
3 uata dispositione ordinantur in bonis allodialibus indifferentibus, obtento desupèr priuilegio Regio ad certos effectus honorificos, & priuilegiatiuos, & inter feuda, quæ ex dispositione iuris communis, vel particularis, vel ex lege inuestituræ, sint de sui natura indiuidua, & non admittant pluralitatem successorũ. Primo etenim casu, videtur priuilegium priuatum maioris natu, seù primogeniti, obtinendo integram successionem, & excludendi alios natu minores, ideòque potest suo fauori renunciare, eodem modo, quo *sub tit. de success.* pluriès habetur de masculis excludentibus fœminas á successione in vim statuti, quod volentes possunt eas admittere; Istoque casu maioratus, vel primogenituræ in bonis indifferentibus, aliud non videtur subesse obstaculum annullatiuum actus talis admissionis, nisi illud quód resultet ab enixa voluntate testatoris, vel á præiudicio successoris, terminato iure eius, qui voluit sibi præiudicare.

Secùs vero est in feudis, de sui natura indiuiduis, quoniam in eis, vrget positiua resistentia legis, prohibentis alienationem, sub qua sine dubio venit diuisio, etiam impropria, & intellectualis, quæ resultat à reseruatione vsusfructus, vel ab impositione alicuius oneris, vel seruitutis, ex pluriès insinuatis in materia refutationis, & per consequens termini sunt omninó dispares.

Ista igitur admissio non est practicabilis, nisi in sola commoditate, considera-
4 ta, vt quid facti, non autem, vt quid iuris, iuxtá ea, quæ habentur infrá *disc. 61. & 110. & alibi pluriès*, & præsertim *sub tit. de pension.* Ac etiam iuxtá eam distinctionem, de qua habetur *sub tit. de locat. disc. 26. & 27.* inter socium, & participẽ vtilium cum similibus; Idque est contingibile etiam pro maiori commoditate primogeniti possessoris feudi, putá vt se eximat ab onere vitæ militiæ, seù appanagij, præstandi secundogenitis in pecunia singulis annis, vel temporibus, vt ita eos admittat ad fructuum, & emulentorum proportionatam participationem, intacta penès ipsum remanente substantia, vel indiuiduitate feudi.

DE FEVDIS

AD DISC. LI.

ISta materia seruitiorum, & angariarum cadit potiùs *sub tit. seq. de Regalibus*, vbi de hoc agitur, præsertim *disc.*

disc. 146. ac etiam aliquid habetur infrà *disc.* 65.

Et quòd sola possessio in regalibus non sufficiat suprà *disc.* 40. *num.* 2. & aduertitur *d. disc.* 146. ac etiam *disc.* 81. *de Regal.*

Ad dignoscendum item, an præstatio seruitiorum fuerit ex affectione personali, vel ratione officij; cum sit quæstio potiùs facti, quàm iuris, certam non recipit regulam vniformem, sed pendet à singulorum casuum circumstantijs, conferre autem videntur ea, quæ super interpretatione legatorum habentur *tit. de legat. disc.* 22. *&* 32.

DE FEVDIS

AD DISC. LII.

DE ista materia renouationis, pro moderna praxi, in emphytheusi potiùs, quàm in feudo disputari solet, ideóque in sua sede videndum est *sub tit. de emphyt.* Triplex etenim est species renouationis. Prima est ista, quæ pati debet per nouum feudi successorem, siue veniat iure successorio, siuè etiam veniat ex titulo particulari emptionis, vel similî, & de hac specie agitur infrà *disc.* 59. ac etiam *in Iannen. Feudorum disc.* 113. vbi de venientibus iure successorio; Et de renouatione petenda per nouum emptorem, seù alium successorem particularē, plura colligit *Rosa consult.* 14. *& seq. &* 23. & ista species propriè cadit in feudis. Verùm illa videtur esse parùm in vsu apud nos in Italia, exceptis quibusdam feudis Imperialibus, & feudis Regalibus maioribus Ecclesiæ, nempè Regno Neapolitano, & Ducatibus Parmæ, & Placentiæ; siquidem in feudis Regnorum vtriusque Siciliæ, in quibus maior copia, maiorque feudorum sedes esse videtur, vt aduertitur infrà *disc.* 59. formalis renouatio respectu venientium iure successorio, videtur recessisse ab aula, eiusque loco successit solutio releuij, de quo suprà *disc.* 28. Et in successore, titulo particulari, practicatur petitio litterarū assecurationis, vt suprà *disc.* 31. cum præstatione iuramenti ex deductis per *Rosam d. consul.* 14. *&* 15. sed si non petatur, nō per hoc intrat caducitas, vel alia pœna, sed solùm contractus remanet imperfectus, quandocumque reuocabilis ex deductis *eod. disc.* 31. Et in hoc Principatu Status Ecclesiastici, loco renouationis, stare videtur illa solutio tributi, vel alterius recognitionis, quæ de more fiat in vigilia, vel festo SS. Apostolorum, qua occasione nouus successor per se ipsum, vel per procuratorem præstat quoddam iuramentum in Camera; nisi particularis obseruantia aliquorum feudorum alitèr exigat, sed non expeditur noua inuestitura, vt practicatur in feudis Imperialibus.

Altera est illa species renouationis, de qua propriè in præsenti agitur, quæ ex æquitate debetur proximioribus vltimi inuestiti per cuius mortem facta est deuolutio. Et tertia est illa, quæ debetur singulis quibusque temporibus ex pacto, etiā vbi daretur inuestitura pro faciliori probatione dominij, seù pro solutione laudemiorum, & de his duabus speciebus agitur in materia emphytheotica, vbi videndum.

DE FEVDIS

AD DISC. LIII.

SVper hac materia capacitatis fœminarum succedendi in feudis, inanis labor videtur hodiè disputare in puncto iuris, quoniam in Regnis vtriusque Siciliæ, etiam cum aliqua diuersitate inter eadem Regna, sunt generalitèr habilitatæ, ex ea ratione, adaptabili præsertim nostro Regno Siciliæ citerioris, quòd scilicèt cùm ipsum Regnum, quod est feudum in capite, sit fœmininum, hinc meritò subfeuda regulantur á natura feudi, ex deductis suprà *disc.* 13. In alijs autem, leges inuestiturarum sustulisse videntur omnes quæstiones.

Et quatenùs tales leges non habeantur, intrat distinctio inter feuda vera, & propria, & corrupta, seù impropriata, de quibus suprà *disc.* 7. 11. *& in alijs*; Qnoniam in rectis, & veris regularitèr sunt incapaces, in alijs autem sunt capa-

ces,

ces, non ex aliqua lege, vel priuilegio particulari, sed quia reverà non sunt feuda, quæ cum legibus feudalibus regulanda sint, sed potiùs sunt bona allodialia, & indifferentia, quandam feudalem nuncupationem, vel imaginem retinentia, ideòque in his, concursus inter successores sanguinis vtriusque sexus, pertinet potiùs ad materiam fideicommissariam, siuè pendet à locorum statutis, & legibus; Et per consequens materia est incapax regulæ certæ, & generalis, erroneumq; est, in ea cũ generalitatibus procedere, siuè adhibere doctores, loquentes de vna Regione, in feudis alterius Regionis, in qua cum diuersis legibus viuatur, iuxtà frequentem modernorum ineptiam.

DE FEVDIS

AD DISC. LIV.



IDEM, quod dictum est *in Annotatione præcedenti*, in proposito capacitatis fœminarum, in omnibus procedere videtur respectu capacitatis Clericorum, quod scilicèt erroneum sit procedere, cum generalitatibus, siuè adhibere auctoritates loquẽtes de feudis vnius Regionis, in feudis diuersæ Regionis, cum totum pendeat à legibus, & stylis Principatuum, vt occasione agendi de capacitate militum S. Io: Hierosolymitani, & similium aduertitur supra *disc. 16*.

Distinctio autèm, quæ, vt patet, ex deductis in discursu, adhiberi solet, inter feuda franca, siuè inter habentia annexum seruitium personale, vel reale, quod æquè benè à Clerico, sicutì à Laico præstari potest, hodie fabulæ speciem habere videtur, ob idem dilemma, de quo *Annot. præcedenti*, occasione capacitatis fœminarum, quod scilicèt; Aut agitur de feudo recto, & proprio, quod importet militiam, quæ hodie non datur, nisi in Principe habente hanc maiorem Regaliam indicendi publicum bellum, cum illa obligatione seruitij personalis, quæ saltèm in vrgentibus, & extraordinarijs indigentijs inest sub iuramento fidelitatis, etiam vbi præstetur seruitium ordinarium reale; Et tunc (exceptis feudatarijs Papæ) clericatus est incompatibilis cum militia, vt aduertitur in discursu, ac etiam *sub tit. de Pens. disc. 48*. Aut est feudum impropriũ, cuius naturæ sunt frequentiùs feuda Ecclesiarum inferiorum, siuè illorum Dominorum, qui non habeant hoc ius Principatus, dictamque Regaliam indicendi bellum publicum, vt pluriès supra aduertitur; Et tunc intrat capacitas clericorum, non ratione franchitiæ, sed quia rè vera, spectato effectu, bona non sunt feudalia, sed potiùs allodialia indifferentia, quæ retinent solùm quandam nuncupationem, & aliqua pacta feudis proportionata, tanquàm per Imaginem, seù Reliquias antiquæ feudalitatis; Ideòque æquiuocum videtur in hoc procedere, cum auctoritatibus antiquorum, loquentium, cum præsupposito illorum temporum, quando, etiam Ecclesiæ inferiores, & Ciuitates subditæ, ac Barones, & Domicelli inferioris ordinis, imò etiam priuati nobiles diuites, ob factiones, quæ tunc vigebant, sibi comparabant milites, ac Vassallos fideles, atq; ad hunc effectum, loco stipendij, illis dabant in feudum prædia, & possessiones, &c. ac propterea magna est differentia, inter tempora antiqua, & hodierna.

DE FEVDIS

AD DISC. LV.

SVPER materia istius discursus, defuit occasio alterius disputationis, quoniam, quidquid apud antiquiores dubitatum fuerit, hodie vbique locorum, in quibus habeatur vsus illorum feudorum, quæ vera, & propria dici merentur, iuxtà ponderationes *in duabus Annot. præcedent.* receptum est, vt cognitio pertineat ad ipsum Dominum, quem hodie in feudis veris supponimus Principem supremum, cum alia feuda sint potiùs impropria, & abusiua, vt supra, ideòque deferendum non est antiquis

tur ad speciem cum verbo, *signantèr*, vel cum alio æquipollenti; Attamén, tàm regula, quàm limitatio continent simplicem iuris præsumptionem operatiuam in dubio, secùs autém accedente, non solùm clara, & expressa probatione contraria, quo casu nulla cadit quæstio
3 ad regulam Textus *in l. ille, aut ille, ff. de legat.3.* sed etiam ob contrarias præsumptiones, & argumenta, illud præsertim, quod resultat à quantitate pretij, quod magnum est argumentum voluntatis partium, & quid in contractum deducere voluerint, vt pluriés aduertitur *in tit. de empt. & vend.* & alibi cum sit principium certum.

Magna igitur discretio dignoscitur
4 inter istum casum, & alterum, de quo *dicto disc.65.* quoniam ibi venditio facta est ad æstimationem in fructu, ad tot pro centenario, iuxtà frequentiorem praxim venditionis Castrorum in Statu Ecclesiastico, ac etiam venditionis feudorum in hoc Regno Neapolitano, vbi per illos publicos æstimatores, qui tabularij dicuntur, fiunt æstimationes, habendo rationem de omnibus introitibus, & effectibus, & iuxtà qualitatem locorum, & Regionum respectiué, & per consequens deficiente aliquo membro, vel effectu, non debet venditor obtinere pretium rei, quæ non erat sua; Bené verùm, quod verificatur regula non præstandi euictionem, cum re verá potiùs intret refectio, vel deductio, ex actione quanti minoris; In præsenti autèm Venditor, qui nouus Emptor quoque erat, aliud non agit, nisi ponere alium in locum suum, ideòque semper edocemur, vt procedendum non sit, cum generalitatibus, sed iuxtà singulorum casuum circumstantias, cúm reverà, istæ sint quæstiones potiùs facti, quàm iuris.



DE FEVDIS

AD DISC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *De citatione Feudatary in feudo, vel beneficiati in beneficio.*

2 & 3 *De duplici declaratione huius assumpti.*

4 *Quando Feudatarius debeat conueniri in loco feudi, & non possit conueniri in loco domicily.*

5 *Quod prò legato non detur hypotheca super feudo.*

AD DISC. XXXIII.



VLTRA ea, quæ in hoc discursu habentur de citatione facienda feuda-
1 tario in ipso feudo plura colligunt *Adden. ad Capic. Latr. decis.82. num.4. & Baron.de citat.quæst.12. num.110.* Atq; ad instàr habemus in beneficiato, qui bené citatur in loco beneficij, ex relatis per *Baron. d. quæst.12. num.106. & seqq. & in addit. ad eandem quæst.num.11. Vermigliol. cons.406. num.2.* & habetur de vtroque *sub tit. de iudic. disc.9. num.18. & seqq.* ac etiam *sub tit.de benefic.disc.77.* super citatione beneficiati, occasione procedendi ad priuationem, aliasque pœnas ob non residentiam.

Dupliciter autèm temperanda videtur ista propositio. Primò nempè, circà illas citationes, quæ percutiant pœ-
2 nam, vel graue præiudicium ipsius feudatarij, vel respectiué beneficiati, qui citandus est, quamuis id sit occasione feudi, vel beneficij, puta in beneficialibus, ad effectum procedendi ad priuationem ob non residentiam, vel ob aliud delictum; Et in feudalibus ad effectum procedendi ad declarationem incursus caducitatis, ob non præstitum seruitium personale, vel reale, vel ob feloniam, siué ob aliam causam; Vt scilicét procedat, quando incertum sit, vbi nàm ille repetiatur, vel si habeatur notitia, attamén sit in loco, ad quem non patet, facilis, & tutus accessus, cum tunc sufficiat illum citare in feudo, vel in benefi-

cio

cio respectiuè; Secùs autèm, vbi habeatur notitia loci, in quo sit, ibique possit commodè citari personalitèr, eo modo, quo regularitèr de iure requiritur, pro contumaciali condemnatione, ex deductis in hac materia citationis *d. disc.9. de iudicijs*, atque in terminis beneficialibus in specie habetur *d. disc.77. de benefic.*

Et secundò, vt id procedat in ijs, quæ concernant ipsum feudum, seù beneficium, cum quo principalitèr sit causa, adeoùt intret sæpiùs insinuata pro-
3 positio, quod feudum censeatur homo mutus, cęcus, & surdus, qui citari non potest, quia non videt, nec audit, neq; loqui potest; Vndè propterea oportet citare eius Curatorem, vel Organum, qualis est feudatarius; Eademque ratio, seú proportio intrat in beneficio, quia, nempè agatur de oneribus, vel citationibus, quæ fiant occasione onerum realium, & seruitutum, vel occasione iurisdictionum, & præminentiarum, &c. Secús antèm (sicùt in præsenti) vbi agatur de causa indifferenti, quæ principalitèr percutiat personam, vel obligationem personalem ipsius feudatarij, siuè beneficiati.

Quinimò etiamsi id sit ex causa, & occasione ipsius feudi, vel beneficij, sed principale interesse sit personæ, quia, nempè citatio fiat in causa, in qua agatur inter plures inuicem contendentes, de pertinentia illius feudi, vel beneficij, quoniam tunc ipsum feudum, vel beneficium non dicitur esse in causa, neque habet interesse, cum nil eius intersit, an ab vno magis quàm ab altero administretur, & per consequens citanda est persona, eo modo, quo in alijs eius causis indifferentibus citanda esset.

E conuerso feudatarius, qui existat in diuerso loco, aliquando dicere potest, se non posse, nec debere citari, &
4 conueniri in loco, in quo reperiatur, sed quod debeat citari, & conueniri in feudo, siuè in eo principatu, in quo feudum existat, quotiès non agatur de obligatione merè, ac principalitèr personali, sed de negotijs concernentibus aliquod feudum, vel illud patrimonium, ob reduplicationem personarum, quodquè non obstante identitate personæ materialis, tot fingantur personæ diuersæ, quot sunt feuda, vel sunt patrimonia, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de iurisdictione, disc.90.* ac etiam *sub tit. de iudic. disc.3.*

Reliqua veró, quæ in hoc discursu continentur, percutiunt materiam competentiæ fori, de qua agitur *sub tit. de iurisdict. & for. compet.* ac etiam *d. disc.3. de iudic.*

Et quod pro legatis non detur hypo-
5 theca super feudo, vt in præsenti *discursu Reuerter. dec.366. num.3.*

DE FEVDIS

AD DISC. XXXIV. ET XXXV.

SVMMARIVM.

1 *De qualitate feudali, vel allodiali.*
2 *Quando procedi possit ad censuras contra non subditum.*
3 *Feudatarius Ecclesiasticus in causa feudi conuenitur coram laico Domino feudi.*
4 *An quis possit esse Rex, & Baro.*

AD DISC. XXXIV. ET XXXV.


1 E principali puncto contento in his discursibus super qualitate feudali, vel allodiali habetur supra in *annotatione ad disc.2.* vbi videndum.

Et de contentis in istorum primò, circà facultatem proferendi censuras, etiam
2 contra non subditos pro defensione bonorum, & iurium Ecclesiæ, habetur pleniùs actum *tit. de iurisdict. disc.47. & 48.*

Et de competentia fori, quodq; etiam Clericus, vel Ecclesia in ijs, quæ con-
3 cernant feudum, subiaceat foro infeudantis, quamuis secularis, habetur infrà *disc.55. & in alijs.*

Atquè super puncto, an quis possit
4 esse Rex, & Baro, & quomodo id procedat, habetur infrà *disc.61. & disc.83. & de Regal. disc.80.* ac etiam *tit. de praemin. disc.29.* & in alijs.

DE

DE FEVDIS,

AD DISC. XXXVI.

Cum duobus sequentibus.

AGITVR in his discursibus de iure prothomiseos, seù de retractu prælatiuo, dum sonat in idem, & de hoc etiam agitur infrà *disc.*110. vbi an hoc ius prothomiseos procedat in venditione commoditatis.

Et de pluribus ad hanc materiam iuris prothomiseos in feudis, habetur apud *Cæsar. de Afflict. controu.*20. *& Rosam consult.*27. Et conferunt, quæ ad hanc materiam retractus prælatiui habentur *sub tit. de seruit. à discursu* 68. *ad* 88. ac etiam *tit. de emphyt. disc.*61.

Decisio allegata *disc.*38. *in Perusina coram Coccino*, circa retractum ratione consortij, est impressa inter *suas decisiones* 2229. *& repetita decis.*417. *par.* 12. *recent.*

DE FEVDIS

AD DISC. XXXIX.

DE confundente fines agitur *tit. de emphyteusi disc.*56. ac etiam *tit. de fideicommissi disc.*194.*& in hoc Supplemento in Bononien. fideicommissi de Ghislerijs eod. tit.*

DE FEVDIS

AD DISC. XL.

DE hac materia, an deuoluto feudo, deuoluantur subfeuda, est actum supra *in annotatione ad disc.*1. vbi videndum; Et de alijs concernentibus materiam concessionis ad arbitrium, vel ad beneplacitum, agitur *sub tit. de beneficijs*, & sub altero *de pension.* dùm in ijs cadunt frequentiùs istæ quæstiones, & apud *Reuerter.& Addentes dec.*511. *Moles de iure deuol.* §. 23. *quæst.*6. & de facultate reuocandi *disc.*148. *de Regal.*

DE FEVDIS

AD DISC. XLI.

DEFVIT occasio vlterioris disputationis super isto puncto resolutionis numeri pluralis in singularitates, in actibus inter viuos in hac speciali materia feudali, generaliter autèm de hac materia agitur *sub tit. de fideic. disc.*95. *cum seqq.* vbi in annotationibus aduertitur, an, & quæ differentia vigeat inter actus inter viuos, & vltimas voluntates, atquè disputat hincinde *Modern. Torres de pact. futur. success. lib.*2. *cap.*17. *ex num.*36.

Decisio in discursu enunciata habetur hodie impressa inter *Decisiones Dunozetti decis.*879. & coram eodem sunt aliæ editæ in eadem causa inter easdem partes *decis.*839. 860. *&* 896.

DE FEVDIS

AD DISC. XLII.

QVAMVIS non implicet, vt feudum consistat etiam in annuo redditu pecuniario, siuè in alia re indifferenti, etiam mobili, ex ijs, quæ colligit elaboratus iuuenis *Ageta in compend. seù visione feudal. rubr.*4. *visio.*4. *fol.*203.*& seqq.* Attamèn, vt pluriès supra aduertitur, hodiè quodammodò antiquatæ videntur huiusmodi feudorum species, quodquè nuncupatione solùm retenta, in reliquis bonorum allodialium indifferentium, iure regulanda videâtur, aliqualitèr pactionata ad excludendam libertatem liberè disponendi, eo modo, quo sunt bona emphyteotica, seù liuellaria, aut concessa in perpetuam locationem, dum in plerisque fraternizare videntur, cum pactis, seù vinculis feudalibus; Ex quodam vero recepto vsu verè, & propriè feuda esse videntur illa,

quæ

quæ constituunt Baronem, seù Magnatem, ac Militem primi Ordinis illius principatus, adeoùt ille annuus redditus, qui vt in præsenti subrogetur loco Castri, vel alterius feudi, ex regula subrogatorum habeat eandem naturam, atque subiaceat eisdem pactis, & cessationi per quandam speciem deuolutionis, potiùs per similitudinem, quàm per veritatem; Et in specie de annuo redditu subrogato loco feudi, apud *Reruerter. & Adden. ad decis.* 137. Non indè tamèn inferri potest, vt possessor huiusmodi annui redditus, dicendus veniat feudatarius, & Baro, cum illa militia nobili, & primi Ordinis, quæ feudis annexa est, adeoùt in Curia intrare posset Bulla Baronum.

Antiquiori enim tempore, præsertim in superioribus Italiæ partibus, Lombardiæ, & Emiliæ, in quibus feudorum vsus initium habuit, ob factionarias diuisiones, cuilibet etiam priuato diuiti expediebat habere feudatarios, idest adhærentes, & fideles, qui sibi assisterent, suasque partes sequerentur, quod etiam practicare cæperunt Ecclesiarum Prælati, pro suorum bonorum, & iurium defensione, dum ità exigebat illorum temporum conditio, vt aduertitur supra *in annotatione ad disc.* 1. Ideòque non mirum si in petijs terræ, & in vineis, seù in annuo redditu, vel in iure piscandi in aliqua parte fluminis, vel Maris constituebantur feuda, vt præ cæteris erat obseruantia Ducum Ferrariæ, ex relatis suprà *disc. 39. &* 40. illamque continuat Sedes Apostolica, post deuolutionem, in dies concedendo illa feuda, quæ deuoluuntur tanquam per speciem beneficiorum, & Commendarum, sub aliqua recognitione reali; ad solam fruitionem aliquorum petiorum terræ, seù aliorum prædiorum, quibus propterea feudorum nobilium, & qualificantium titulus eis attribuendus non videtur, nisi obseruantia assistat.



DE FEVDIS

AD DISC. XLIII. & CIV.

ISTI duo Discursus sunt in eadem causa, in qua, assumendo etiam inspectionem boni iuris, seù negotij principalis, prodijt à consilio Placentino, quædam sententia, ex circumstantijs facti potiùs quàm ex articulis iuris, fauore Ducis rei conuenti, illum obligando ad fauorem Actoris, ad suppletionem cuiusdam quantitatis, quatenùs satisfacta non esset, eaque aliquibus alijs huius Partis defensoribus meliorem facti notitiam habentibus, visa est probabilis. Vndè propterea credo, quod ista Pars acquieuerit.

De materia verò legitimi contradictoris, vltrà ea, quæ deducuntur in hoc discursu, & in alio 104. agitur *tit. de fideic. disc. 197. cum seq. tit. de Benef. disc. 73. & tit. de iudic. disc.* 43.

Et de Statuto continuatiuo possessionis defuncti in hæredem *tit. de Testam. disc. 17. & tit. de Harede disc.* 26. ac etiam aliquid insinuatur *tit. de iudic. disc.* 44.

DE FEVDIS

AD DISC. XLIV.

DE euictione præstanda in feudis agitur supra *disc.* 32. & an, & quando præstanda sit euictio, quæ sequatur de natura rei, vltrà hic deducta, agitur *tit. de Regal. disc. 32. de Emphyt. disc. 53. de fideic. disc. 175. & de Pension. disc.* 69.

De alijs autèm circà facultatem disponendi, vel præiudicandi successoribus, seù aliàs alterandi naturam feudi, atque de diuiduo facere diuiduum, vel è contra, habetur supra *in Annot. ad disc. 9. &* 12. Ibique etiam de puncto, an Dignitas, quæ de nouo adiecta sit feudo, illius naturam alteret, seù eandem patiatur restrictionem.

Et circà facultatem testandi in feudis habetur infrà *in Neapolitana, seù Theatina disc.* 116. occasione agendi, an filiusfamilias feudatarius testari valeat.

DE

DE FEVDIS

AD DISC. XLV.

1 CONTENTA in hoc discursu pertineunt potiùs materiam fideicommissorum, seù maioratuum, ac etiam, enunciantur supra *in Annot. ad disc.9. & 11.* Incertus verò est istius causæ status, quoniam, me non laudante, causa auocata fuit à Tribunali Rotæ, & commissa vni, vel pluribus Cardinalibus, mutatis etiam defensoribus.

DE FEVDIS

AD DISC. XLVI.

PRIMA istius causæ decisio 20. Aprilis 1663. est impressa *decis.52. par.14. recent.* repetita *decis.3. post Torr. de Pact. futur. success.* atque de hac eadem causa agitur *disc.157. de fideicommiss.*

De articulo autèm, an feudum acquisitum pro patre, & filijs, censeatur ordine simultaneo, vel successiuo, agitur infrà *disc.75.* ac etiam *in Ianuen. feudorum disc.113.* Et conferunt, quæ habentur *tit. de Donat. disc.47.*

Et de facultate disponendi, seù alterandi ordinem successionis, aut naturam feudi, agitur paritèr *in Annot. ad disc.9. & seq.* & infrà *in Tholosana, seù Parisien. disc.112.*

DE FEVDIS

AD DISC. XLVII.

SVMMARIVM.

1 *De transactione an capiat, ea, quæ deducta non sunt in litem.*

2 *De capacitate Clericorum in feudis.*

3 *De bonis existentibus intrà fines feudi, an sint feudalia, seù feudo affecta.*

4 *De natura bonorum Status Auenionensis, & Comitatus Venaissini.*

5 *Quid referat, an regula assistat feudalitati, nec nè.*

AD DISC. XLVII.



DE pluribus contentis in hoc discursu super comprehensione, vel interpretatione transactionis, an restringatur ad ea, quæ deducta fuerunt in litem,
1 vel etiam comprehendat alia in litem non deducta ob amplitudinem verborũ, & clausularum, vtpotè non pertinentibus ad hanc peculiarem materiam feudalem, atque cadentibus sub regulis generalibus indifferentibus, pluriès alibi agitur, & præsertim *sub tit. de Alien. & Contract. prohib. disc.50.* vbi particularis agitur de hac materia transactionis atque, re verà, est potiùs quæstio voluntatis, quàm iuris, an scilicèt ex alijs motiuis reminiscere, & condonari sibi voluerint transigentes, ea, quæ non erant in lite, quorum respectu verè, & propriè non intrat terminus transactionis, sed alter donationis, cui transactio causam, seù fomentum dederit.

2 De obitèr autèm enunciata capacitate Clericorum obtinendi, & retinendi feuda, particularitèr agitur *infra disc.54.* ac pluriès in alijs, etiam incidenter.

Quo verò ad punctum principale huius discursus super natura scilicèt, & qualitate tenutarum, & prædiorum exi-
3 stentium in territorio, siuè intrà fines feudi, an habeant naturam feudalem; Pro suppletione sufficere videntur ea, quæ insinuata sunt supra *in Annot. ad disc.2.* Præsertim verò notabilis est illa consideratio, seù distinctio, inter feuda, in quibus Baro, vel Domicellus habuit solum dominium iurisdictionale, seú publicum in vniuersum, ex solo iure Baronali, & illud feudum, in quo Baro, vel Domicellus habeat etiàm directum dominium totius Territorij iure priuato, & vtilitario, adeoùt Vassalli, alijque priuati, possideant prædia, & bona in solo dominio vtili, per quandam speciem coloniæ perpetuæ, seù Liuelli, iuxtà casum, de quo infrà *disc.72. & tit. de Regal. disc.146. tit. de seruitut. disc.36. &*

in

in Misell. Eccl. lib. 14. disc. 7. & alibi.

In plerisque etenim locis, & prouincijs, ex quadam consuetudine generali, dominium directum omnium terrarum est domini, ideòque omnia prædia, & bona priuatorum, dicuntur feudalia, idest redditititia feudo, vt de Prouincia Hydruntina testantur plures Doctores relati locis citatis, ac etiam *d. tit. de regal. disc.* 50.

De hoc autem frequenter in Curia disputari solet in particulari Congregatione negotiorum Status Auenionensis, & Comitatus Venaisini, præsertim in lo-
4 cis existentibus in Diœcesi Carpentoratenſi; Cum etenim supponatur, quòd in ea parte Galliæ, quæ dicitur *Delfinatus*, & in altera, quæ *Prouincia* appellatur, ex quadam antiqua consuetudine directum dominium totius territorij sit Regis, quodque dominium priuatorum sit vtile, ac subalternum per speciem perpetuæ locationis, seù liuelli, iuxtà casum præsentis discursus ex relatis per *Ludou. Bell. cons.* 103. *Claper. cons.* 1. *quæst.* 2. *cum alijs per Tondut. quæst. ciuil.* 25. *tom.* 1. hinc proindè inter ministros illius Cameræ, vel Barones, & domicellos ab eadem Camera causam habentes, & priuatos possessores tenutarum, & prædiorum, frequentes audiuntur quæstiones super dictorum bonorum libertate, vel seruitute, respectiuè, quasi quòd eadem consuetudo, quæ viget in dictis Prouincijs, militet quoque in isto Principatu, qui antiquitùs per maiores Reginæ Ioannæ II. illum vendidit, sed Apostolicæ, possidebatur tanquàm pars earundem Prouinciarũ, vndè propterea apud *Spad. cons.* 13 *lib.* 1. agendo de consuetudine, vt omnes terræ incultæ à nemine possessæ, spectant ad Principem, infertur, vt idem dicendum sit in hoc Principatu ad fauorem Cameræ Apostolicæ.

Quamuis autem in huiusmodi quæstionibus pluriès scripserim, modò pro libertate, fauore priuatorum, & modò pro seruitute fauore Cameræ, seù habentium causam ab ea, iuxtà consuetudinem Aduocatorum, qui pro requirentium opportunitate, coguntur modò album, & modò nigrum tueri; Nihilominùs, certa regula generalis, desupèr statui non potest, quibuscumque casibus applicabilis, cùm reverà totum pendeat ex singulorũ casuum, seù locorum, & bonorum qualitate, & circumstantijs, dum aliqua loca, vel bona respectiuè ex Apostolicis Constitutionibus, vel ex antiqua possessione libertatem vindicasse non improbabilitèr prætendant.

Nimiùm autem refert inspicere, an adsit, nec ne, dicta consuetudo generalis,
5 & adesse probabilius dici posse videatur, (absque tamen veritatis præiudicio, dum defuit occasio desupèr efformandi maturum iudicium) ad illum scilicèt effectũ valdè proficuum, qui resultat à regula transfundente onus probationis in alterã partem, quæ prætendat limitationem, & per consequens quemadmodũ de iure communi, ex plurièś insinuatis *hoc eod. tit.* & sub altero *de seruit.* feudalitas, vel altera seruitus non præsumitur, sed omnia bona prǽsumuntur libera, ideóq; alleganti libertatem sufficit intentare negatoriam, dum habet intentionem fundatam in regula, ita è conuersò, quando vel ratione huiusmodi consuetudinis generalis, vel ratione situationis bonorum, & qualitatis omnium aliorum bonorum adiacentium, iuxtà casum de quo suprà *disc.* 35. & infrà *disc.* 52. & 72. & in alijs supra allegatis locis *sub tit. de regal. & tit. de seruit.* tunc fundata dicitur intentio eius, qui allegat feudalitatem, vel aliam similem seruitutem, donec ille, qui prætendit libertatem, tanquam per speciem limitationis regulæ illam probet; vt ex: gr: habemus in Regno Neapolitano, quod Castra, & loca habitata cum iurisdictione, & vassallis, exceptis Ecclesijs, præsumuntur feudalia potiùs, quàm allodialia, & è conuersò in Statu Ecclesiastico regula est in oppositum, ex deductis suprà *disc.* 2. & frequentèr; Et per cõsequens, qui contrà regulam allegat diuersam naturam, eam iustificare tenetur, ac propterea firmum remanet, quod istæ sunt quæstiones potiùs facti, quàm iuris, incapaces regulæ generalis, vndè clarus remanet consuetus error desupèr procedere cum generalitatibus, & cum cumulo auctoritatum, non distinguendo loca, & tempora, aliasque facti circumstantias particulares.

AD DISC. XLVIII.

SVMMARIVM.

1 *An pretium feudi succedat loco ipsius feudi.*
2 *An defensor necessarius, siue auctor laudatus declinet forum.*
3 *Possessor, & interessatus immediatus est solùm citandus.*

AD DISC. XLVIII.



1 SVPER principali quæstione istius discursus, an scilicèt pretium feudi sit feudale, videri poterunt ea, quæ habentur *tit. de emphyt. disc.* 58. *& in eius annot. & sub tit. de credito disc.* 13. *&* 151. ac etiam generalitèr, an, & quando pretium succedat loco rei, vel res loco pretij, habetur *eod. tit. de cred. disc.* 35.

De articulo autem concernente competentiam fori, & an defensor necessarius, qui alicubi, auctor laudatus appel-
2 latur, declinet forum ex propria persona, vel priuilegio, seù aliàs illud communicet, habetur in sua materia *sub tit. de iurisd. disc.* 63. *& sub tit. de iudic. disc.* 2. *&* 3. *&* 37. Benè verum, quòd in his materijs, quæ concernunt ordinem iudicij, vel competentiam fori, non de facili regula certa, & generalis statui potest ob varios stilos Principatuum, & Tribunalium, quibus est deferendum; Regularitèr autem attenditur possessor, & inte-
3 ressatus immediatus; non autem mediatus excepto fisco, etiam ad effectum citationis, ex deductis *eod. tit. de iudic. disc.* 9. vbi de materia citationis.



AD DISC. XLIX.

SVMMARIVM.

1 *Status causa.*
2 *Pro beneplacito præsumpto non sufficit tempus sine obseruantia.*
3 *Declaratur quando obseruantia debeat esse in totum, vel sufficiat in parte.*
4 *De alia declaratione circa obseruantiam coniungẽdam cum lapsu temporis, alijsque adminiculis pro hac præsumptione.*
5 *Quomodò leges prohibentes alienationes feudorum, debeant intelligi.*
6 *De Constitutione Federici Imperatoris in l. Imperialem, non attendenda in statu Ecclesiastico.*
7 *De eadem ob Constitutiones Apostolicas prohibitiuas.*
8 *De materia, seù qualitate feudorum Status Ecclesiastici, quod in plerisque differant ab alijs feudis.*
9 *Quando transactio afficiat successores.*

AD DISC. XLIX.



1 NON acquiescentes Comites de Genga sententiæ Camerarij, super validitate, & obseruantia transactionis, in ijs partibus, in quibus de obseruantia, & effectuatione docebatur, interpositam appellationẽ prosequuti fuerunt, in Camera coram Bichio, atque proposita causa de mense Iunij 1673. super dubio, an præfata sententia esset cõfirmanda, vel infirmanda, pro confirmatione prodijt resolutio, ex eisdem fundamentis, de quibus in discursu, dum scribentes pro appellantibus, eadem deducebant motiua, ideóque eædem dabantur responsiones; concessaque noua audientia, & reproposita causa, pluriès ob votorum scissuram nulla capta fuit resolutio, quæ demùm sub *die* 4. *Maij* 1676. vna factione præponderante fuit pro recessu à resolutis, incertum est ex quibus motiuis, atque in hoc statu causa reperitur.

Cùmque potissimè insisteretur in inualiditate transactionis, ob defectum bepla-

neplaciti Apostolici, è conuersó autem ex hac parte allegaretur beneplacitum
2 præsumptum, deductum ex lapsu longissimi, adeóque diuturni temporis; Replicabatur de defectu obseruantiæ, sine qua solus lapsus temporis, quantumuis magnus nullius est momenti, vt aduertitur *disc.143. de dote, & disc.1. de alien.& contr.& alibi pluriès*, dum docebatur quidem de obseruantia, & effectuatione in aliquibus partibus in eadem concordia contentis, sed in pluribus ea deficiebat.

Verùm id nullius momenti videbatur,
3 quoniam, vt dicebam, scribendo in Camera, quando obseruantia allegetur tanquam præscriptiua, ex quo noua iuris acquisitio desumatur, adeóvt eius vigore prætendatur allegari posse quemcumque titulum meliorem priuatiué ad eũ, qui habeat iuris assistentiam, vt (ex: gt:) contigit in quæstionibus iurisdictionalibus, inter Ordinarios locorum, & Prælatos inferiores, de quibus *tit. de iurisd. disc.1. & seq. cum similibus*, quibus eadem ratio congruat; Et tunc rectè procedit assumptum, vt obseruantia debeat esse vniformis, ac generalis, adeóvt aliqui actus cōtrarij, etiam modici illam interrumpant, vt *d. disc.1. de iurisd. & disc.21. de iudic.* vbi de hac materia obseruātiæ,& alibi, secus autem vbi adducitur titulus contrà quem obijciatur de defectu assensus Papæ, vel alterius Principis, qui deducatur præsumptus ex lapsu temporis iuncto cum obseruantia, quoniam si de ista appareat in parte, cadere potest difficultas, circà illas res, de quarum obseruantia non doceatur, sed in illis in quibus ea accedit, tunc eadem præsumptio intrat, nullaque probabilis dubitandi ratio subesse videtur, quoniam stant bené simul, vt frequens, & quotidiana praxis docet, quód pluribus in conuentionem deductis inter partes, Papa, vel Princeps, seù alter ad quem pertinet assensum præstare, atque conuentionem reualidare, aliqua approbet, & alia reijciet; Ac propterea intrat vtraque præsumptio affirmatiua, & negatiua respectiuè, quód scilicèt præstiterit assensum in ijs, quæ obseruata fuerunt, negauerit autem in ijs, quæ non habuerunt obseruantiam, quotiès non agatur de actibus ità indiuiduis, & connexis, vt vitium in parte, vitiet totum, sed agatur de rebus diuiduis, vt in præsenti.

Clariùs veró, quoniam ista inspectio
4 circà obseruantiam exactè desiderandam cum requisitis, de quibus *d. disc. 1. de alien. & contract. prohib. & disc. 143. de dote*, percutit casum, in quo præsumptio beneplaciti, vel alterius solemnitatis, vnicè deducatur ex lapsu temporis, iuncto cum obseruantia, sed vbi quamplures aliæ accedunt præsumptiones, & adminicula ad constituendam probationem adminiculatiuam, de qua *disc.33. de iudic.* tunc nil prohibere videtur, vt ista species præsumptionis, quamuis non omninó perfecta, adeóvt sola, & de per se non sufficiat, perfectionem, seù fomentum recipiat ab alijs præsumptionibus, & adminiculis, siuè quód ipsa præstet vnum ex adminiculis, cum alijs coniungendũ, cum reverà, ista tanquam quæstio probationis, videatur potiùs facti, quám iuris, non habens vniformem regulam generalem, sed regulanda sit ex singulorum casuum circumstantijs; Ideóque erroneũ videtur in hac materia procedere in omni casu cum solis generalitatibus.

Quó veró ad punctum principalem
5 necessitatis adhibendi beneplacitum pro validitate actus, in hac noua disputatione in Camera, denuó inculcatam eandem distinctionem trium diuersarum classium Doctorum, de qua in discursu, cum ex huiusmodi distinctionibus resultet congrua applicatio conclusionum, & metodica decisio causarum; Cùmque attento tempore huius transactionis, absque dubio applicari non posset illa classis, quæ hodiè irrepsit ex Constitutionibus Apostolicis Sixti V. & Clementis VIII. aliorumque Successorum, ac propterea vrgeret solùm prima deducta *ex cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Feder.* Aduertebam (etiam cum sensu veritatis) istud esse vnum ex consuetis æquiuocis Pragmaticorum, vel collectorum, procedentium cum sola cæca fide auctoritatũ in littera, non distinguendo loca, & tempora, aliasque circumstantias.

Siquidem ista lex condita fuit per Federicum primum Imperatorem, qui nullam auctoritatem habebat in hoc Prin-
6 cipatu Status Ecclesiastici; Quinimó tanquam caput, & protector Gibellinæ factionis, fuit Sedi Apostolicæ, & Summis Pontificibus potiùs infensissimus, vt docent

cent Cronicæ, tàm in vita ipsius, quàm in illa Alexandri Tertij, aliorumque Pontificum illorum temporum. Et consequentér si ista lex recepta fuit in Germania, id prouenit in ea Regione ex auctoritate Imperiali, vt etiam verificatur in illis partibus Italiæ, quæ sequebantur partes dicti Imperatoris, dum ibi adsunt plura feuda imperialia, vt præsertim in Lombardia, in Liguria, Etruria superiori, ac etiam in Pedemontana Regione.

Malè autem eadem lex trahitur ad hæc feuda Status Ecclesiastici, tùm ex defectu potestatis, vel iurisdictionis; Tùm etiam ex omnimoda inuerisimilitudine, quod Summi Pontifices voluerint recipere leges Imperatoris; adeò infensi; Et quòd magis, quoniã de tempore æditionis huius legis, Pontifex ipsum declarauerat Imperio priuatus.

Duabus quoque circumstantijs, seù ponderationibus accedentibus; Primò
7 nempè, quód constitutio 3. Sixti V. clarè agnoscit, quod priùs nulla adesset prohibitio, illamque restringit ad tres contractus, venditionis, donationis, & permutationis, deindèq; Clemens Octauus, alijque Pontifices successores illam ampliarunt ad alios contractus ex deductis infrà *hoc tit. disc. 66. cum pluribus seqq.* ac etiam *sub tit. de credito disc. 13. & 151. & alibi*, atqué ex ibi deductis patet, quod apud omnes in Curia receptum est, quód antè dictas Constitutiones, aliæ non adessent prohibitiones, ideóque clarum resultat argumentum, quód præfata lex, nunquam in hoc Principatu recepta fuerit.

Et secundó, quód feuda istius Principatus, longè diuersam habent naturam, neque in eis consuetudines feudales,
8 quas dicimus ius commune feudorum in pluribus practicantur, tám scilicèt circà inhabilitatem Clericorum, vt aduertitur pluriés in præcedentibus, ac etiam infrà *disc. 54. & in alijs*, quam etiam circà qualitatem seruitij militaris, seù personalis, quod in hoc pacifico Ecclesiastico Principatu non est in vsu; Ac etiam circà renouationem à nouo feudi successore, petendam infrà annum, & diem, cũ noua præstatione iuramenti fidelitatis, vt infrà *disc. 59.* cũ id sit in vsu tantùm respectu feudorum maiorum, & Regalium, potiùs ex lege particulari inuestituræ, quàm ob huiusmodi leges feudales, iuxtà casum de quo apud *Apon. decis. 1.* non autem in huiusmodi feudatarijs inferioribus, qui veniunt sub nomine, ac sphæra baronum, cum istorum respectu, illa Castra, & loca iurisdictionalia, quæ habentur in feudum, in alio differre nõ videantur ab alijs causis, quæ retineantur in natura allodij, nisi pro obligatione soluendi tributum, seù seruitium reale singulis annis, sub rigore Constitutionis Gregorij XIII. de qua suprà *disc. 5.* ac etiam super restrictione successionis ad personas in inuestitura comprehensas, ideóque clarus error videtur adhibere terminos *d. legis Imperialis*.

Reuoluebantur etiam antiqua iura Communitatis, & præsertim circa veritatem tituli de anno 1216. & circa vali-
9 ditatem sententiæ Magalotti, & laudi Ducis Petri Aloysij Farnesij, sed meo iudicio frustrá, quoniam aduertebam, quód huiusmodi inspectio cadere potuisset, quando de præsenti Communitas peteret dictæ sententiæ, vel laudi exequutionem, secùs autem ad effectum substinendi trãsactionem, quódque ista afficiar etiam successores, quoniam sententia, & laudum, aliaque iura indubitantèr constituebant, saltèm casum in nimiùm probabili dubietate, cum maiori assistentia præsumptionis ad fauorem Communitatis, quæ obtinuerat, vt proptereà dici deberet concordia bona fide inita, quæ afficeret etiam successores independentes, ex deductis *in hoc discursu*, & latiùs *sub tit. de fideicomm. disc. 173. & seqq. & sub tit. de emphytheusi disc. 52.* & sæpiùs; Sed quoniam plures repertitæ fuerunt disputationes, in quibus scribentes multa cumulabant super obseruantia legum feudalium, etiam in Statu Ecclesiastico, idcircò desupèr edidi particularem discursum, de quo infrà *disc. 135.* vbi videndum.

†



DE

DE FEVDIS

AD DISC. L.

SVMMARIVM.

1 *De materia fideicommissorum, & maioratuum.*

2 *An, & quando primogenitus admittere possit secundogenitum ad successionem feudi.*

3 *De differentia inter primogenituras, & maioratus.*

4 *Potest admittere ad participationem fructuum.*

AD DISC. L.

1 A, quæ continentur in hoc discursu, percutere potiùs videntur materiã fideicommissariam, tám circá differentias inter maioratus Italiæ, & Hispaniæ, de quibus *tit. de fideic. disc.* 1. *cum plur. seqq.* & præsertim *disc.*7. vbi de puncto, an successiones possint stare in suspenso, quam etiam circa derogationes concessas á Principe, de quibus *ibid. disc.*165. *& in alijs*.

Quatenùs verò pertinet ad punctum principalem, an scilicet primogenitus ad- 2 mittere possit secundogenitum ad coæqualem successionem feudi, quod ad formam iuris Francorum, cum ordine primogenituræ deferatur, extranea videntur ea, quæ habentur apud Hispanos, super illis primogenituris, & maioratibus, ex plenè relatis per *Oleam de cess. iur. tit.*3. *quæst.* 3. *adden. ad Molin. lib.*3. *c.*2. *à num.*21. *Gallerat. de renunc. cap.* 52. an scilicèt maior natu, possit natu minorem secum admittere ad successionem, quoniam iuxtà ea, quæ habentur infrá *in Iannuen. Feudi Arquati disc.*114. lõga differẽtia est, inter illos maioratus, qui ex pri- 3 uata dispositione ordinantur in bonis allodialibus indifferentibus, obtento desupér priuilegio Regio ad certos effectus honorificos, & priuilegiatiuos, & inter feuda, quæ ex dispositione iuris communis, vel particularis, vel ex lege inuestituræ, sint de sui natura indiuidua, & non admittant pluralitatem successorũ. Primo etenim casu, videtur priuilegium priuatum maioris natu, seù primogeniti, obtinendo integram successionem, & excludendi alios natu minores, ideóque potest suo fauori renunciare, eodem modo, quo *sub tit. de success.* pluriés habetur de masculis excludentibus fœminas á successione in vim statuti, quod volentes possunt eas admittere; Istoque casu maioratus, vel primogenituræ in bonis indifferentibus, aliud non videtur subesse obstaculum annullatiuum actus talis admissionis, nisi illud quód resultet ab enixa voluntate testatoris, vel á pręiudicio successoris, terminato iure eius, qui voluit sibi præiudicare.

Secùs vero est in feudis, de sui natura indiuiduis, quoniam in eis, vrget positiua resistentia legis, prohibentis alienationem, sub qua sine dubio venit diuisio, etiam impropria, & intellectualis, quæ resultat á reseruatione vsusfructus, vel ab impositione alicuius oneris, vel seruitutis, ex pluriès insinuatis in materia refutationis, & per consequens termini sunt omninó dispares.

Ista igitur admissio non est practicabilis, nisi in sola commoditate, considera- 4 ta, vt quid facti, non autem, vt quid iuris, iuxtá ea, quæ habentur infrá *disc.*61. *&* 110. *& alibi pluriès*, & præsertim *sub tit. de pension.* Ac etiam iuxtá eam distinctionem, de qua habetur *sub tit. de locat. disc.*26. *&* 27. inter socium, & participẽ vtilium cum similibus; Idque est contingibile etiam pro maiori commoditate primogeniti possessoris feudi, putá vt se eximat ab onere vitæ militiæ, seù appanagij, præstandi secundogenitis in pecunia singulis annis, vel temporibus, vt ita eos admittat ad fructuum, & emulentorum proportionatam participationem, intacta penès ipsum remanente substantia, vel indiuiduitate feudi.

DE FEVDIS

AD DISC. LI.

ISta materia seruitiorum, & angariarum cadit potiùs *sub tit. seq. de Regalibus*, vbi de hoc agitur, præsertim

disc. 146. ac etiam aliquid habetur infrà *disc.* 65.

Et quòd sola possessio in regalibus non sufficiat suprà *disc.*40. *num.* 2. & aduertitur *d. disc.*146. ac etiam *disc.* 81. *de Regal.*

Ad dignoscendum item, an præstatio seruitiorum fuerit ex affectione personali, vel ratione officij; cum sit quæstio potiùs facti, quàm iuris, certam non recipit regulam vniformem, sed pendet à singulorum casuum circumstantijs, conferre autem videntur ea, quæ super interpretatione legatorum habentur *tit. de legat. disc.* 22. *&* 32.

DE FEVDIS

AD DISC. LII.

De ista materia renouationis, pro moderna praxi, in emphytheusi potiùs, quàm in feudo disputari solet, ideòque in sua sede videndum est *sub tit. de emphyt.* Triplex etenim est species renouationis. Prima est ista, quæ pati debet per nouum feudi successorem, siue veniat iure successorio, siuè etiam veniat ex titulo particulari emptionis, vel similiùs, & de hac specie agitur infrà *disc.*59. ac etiam *in Iannen. Feudorum disc.*113. vbi de venientibus iure successorio; Et de renouatione petenda per nouum emptorem, seù alium successorem particularé, plura colligit *Rosa consult.* 14. *& seq. &* 23. & ista species propriè cadit in feudis. Verùm illa videtur esse parùm in vsu apud nos in Italia, exceptis quibusdam feudis Imperialibus, & feudis Regalibus maioribus Ecclesiæ, nempè Regno Neapolitano, & Ducatibus Parmæ, & Placentiæ; siquidem in feudis Regnorum vtriusque Siciliæ, in quibus maior copia, maiorque feudorum sedes esse videtur, vt aduertitur infrà *disc.*59. formalis renouatio respectu venientium iure successorio, videtur recessisse ab aula, eiusque loco successit solutio releuij, de quo suprà *disc.*28. Et in successore, titulo particulari, practicatur petitio litterarũ assecurationis, vt suprà *disc.*31. cum præstatione iuramenti ex deductis per *Rosam d. consul.*14. *&* 15. sed si non petatur, nõ per hoc intrat caducitas, vel alia pœna, sed solùm contractus remanet imperfectus, quandocumque reuocabilis ex deductis *eod. disc.*31. Et in hoc Principatu Status Ecclesiastici, loco renouationis, stare videtur illa solutio tributi, vel alterius recognitionis, quæ de more fiat in vigilia, vel festo SS. Apostolorum, qua occasione nouus successor per se ipsum, vel per procuratorem præstat quoddam iuramentum in Camera; nisi particularis obseruantia aliquorum feudorum alitèr exigat, sed non expeditur noua inuestitura, vt practicatur in feudis Imperialibus.

Altera est illa species renouationis, de qua propriè in præsenti agitur, quæ ex æquitate debetur proximioribus vltimi inuestiti per cuius mortem facta est deuolutio. Et tertia est illa, quæ debetur singulis quibusque temporibus ex pacto, etiã vbi daretur inuestitura pro faciliori probatione dominij, seù pro solutione laudemiorum, & de his duabus speciebus agitur in materia emphyteotica, vbi videndum.

DE FEVDIS

AD DISC. LIII.

Super hac materia capacitatis fœminarum succedendi in feudis, inanis labor videtur hodiè disputare in puncto iuris, quoniam in Regnis vtriusque Siciliæ, etiam cum aliqua diuersitate inter eadem Regna, sunt generalitèr habilitatæ, ex ea ratione, adaptabili præsertim nostro Regno Siciliȩ citerioris, quòd scilicèt cùm ipsum Regnum, quod est feudum in capite, sit fœmininum, hinc meritò subfeuda regulantur á natura feudi, ex deductis suprà *disc.*13. In alijs autem, leges inuestiturarum substulisse videntur omnes quæstiones.

Et quatenùs tales leges non habeantur, intrat distinctio inter feuda vera, & propria, & corrupta, seù impropriata, de quibus suprà *disc.* 7. 11. *& in alijs*; Qnoniam in rectis, & veris regularitèr sunt incapaces, in alijs autem sunt capa-

ces, non ex aliqua lege, vel priuilegio particulari, sed quia reverà non sunt feuda, quæ cum legibus feudalibus regulanda sint, sed potiùs sunt bona allodialia, & indifferentia, quandam feudalem nuncupationem, vel imaginem retinentia, ideòque in his, concursus inter successores sanguinis vtriusque sexus, pertinet potiùs ad materiam fideicommissariam, siué pendet á locorum statutis; & legibus; Et per consequens materia est incapax regulæ certæ, & generalis, erroneumq; est, in ea cũ generalitatibus procedere, siuè adhibere doctores, loquentes de vna Regione, in feudis alterius Regionis, in qua cum diuersis legibus viuatur, iuxtà frequentem modernorum ineptiam.

DE FEVDIS

AD DISC. LIV.



IDEM, quod dictum est *in Annotatione præcedenti*, in proposito capacitatis fœminarum, in omnibus procedere videtur respectu capacitatis Clericorum, quod scilicét erroneum sit procedere, cum generalitatibus, siué adhibere auctoritates loquẽtes de feudis vnius Regionis, in feudis diuersæ Regionis, cum totum pendeat à legibus, & stylis Principatuum, vt occasione agendi de capacitate militum S. Io: Hierosolymitani, & similium aduertitur supra *disc.* 16.

Distinctio autèm, quæ, vt patet, ex deductis in discursu, adhiberi solet, inter feuda franca, siuè inter habentia annexum seruitium personale, vel reale, quod æquè bené á Clerico, sicutí à Laico præstari potest, hodie fabulæ speciem habere videtur, ob idem dilemma, de quo *Annot. præcedenti*, occasione capacitatis fœminarum, quod scilicèt; Aut agitur de feudo recto, & proprio, quod importet militiam, quæ hodie non datur, nisi in Principe habente hanc maiorem Regaliam indicendi publicum bellum, cum illa obligatione seruitij personalis, quæ saltém in vrgentibus, & extraordinarijs indigentijs inest sub iuramento fidelitatis, etiam vbi præstetur seruitium ordinarium reale; Et tunc (exceptis feudatarijs Papæ) clericatus est incompatibilis cum militia, vt aduertitur in discursu, ac etiam *sub tit. de Pens. disc.* 48. Aut est feudum impropriũ, cuius naturæ sunt frequentiùs feuda Ecclesiarum inferiorum, siuè illorum Dominorum, qui non habeant hoc ius Principatus, dictamque Regaliam indicendi bellum publicum, vt pluriès supra aduertitur; Et tunc intrat capacitas clericorum, non ratione franchitiæ, sed quia ré vera, spectato effectu, bona non sunt feudalia, sed potiùs allodialia indifferentia, quæ retinent solùm quandam nuncupationem, & aliqua pacta feudis proportionata, tanquàm per Imaginem, seù Reliquias antiquæ feudalitatis; Ideòque æquiuocum videtur in hoc procedere, cum auctoritatibus antiquorum, loquentium, cum præsupposito illorum temporum, quando, etiam Ecclesiæ inferiores, & Ciuitates subditæ, ac Barones, & Domicelli inferioris ordinis, imò etiam priuati nobiles diuites, ob factiones, quæ tunc vigebant, sibi comparabant milites, ac Vassallos fideles, atq; ad hunc effectum, loco stipendij, illis dabant in feudum prædia, & possessiones, &c. ac propterea magna est differentia, inter tempora antiqua, & hodierna.

DE FEVDIS

AD DISC. LV.

SVPER materia istius discursus, defuit occasio alterius disputationis, quoniam, quidquid apud antiquiores dubitatum fuerit, hodie vbique locorum, in quibus habeatur vsus illorum feudorum, quæ vera, & propria dici merentur, iuxtá ponderationes *in duabus Annot. præcedent.* receptum est, vt cognitio pertineat ad ipsum Dominum, quem hodie in feudis veris supponimus Principem supremum, cum alia feuda sint potiùs impropria, & abusiua, vt supra, ideòque deferendum non est antiquis

tiquis loquentibus, etiam de feudis, quæ concedebantur á personis subditis, & ab inferioribus.

DE FEVDIS

AD DISC. LVI.

SVMMARIVM.

1 *De statu causæ.*
2 *De articulo principali, an recognoscens in feudum Castrum, censeatur etiam recognoscere bona in eo existentia.*
3 *Pendente quæstione deuolutionis, quis debeat obtinere in possessorio.*

AD DISC. LVI.



1 STA causa finem receperat per honestam concordiam, iam conclusam, cuius effectum impediuit nimia scrupulosa leguleitas aliquorum defensorũ actoris, dum defuncto interím Principe Nicolao, eiusque filio, & successore distrahente omnia existentia in hoc Principatu, iuxtá ea, quæ recensentur *sub tit. de Credit. disc. 13. & 151.* cessauit illa vnica timoris occasio in hoc discursu, vel præcedenti insinuata, ob quam expediebat hanc litem substinere; Vndè propterea nimiùm affectatæ cautelæ intulerunt damnum in toto illo, cui magis consuli curabatur, ideóq; causam adhùc pendet, sed fine spe effectus.

De articulo autém principale, an scilicèt recognoscens proprium Castrum in 2 feudum ab alio, recognoscere etiam censeatur prædia, & bona priuata in eo existentia, & quando hæc efficiantur, etiam feudalia, pluriès habetur actum *hoc eodem tit.* & præsertím supra *disc. 2. & 47. & infrà disc. 63.* Ac etiam *in Romana seù nullius disc. 111.* ideóque superfluum est repetere, & præsertim *d. discurs. 63. & disc. 111.* aduertitur ad distinctionem in præsenti contentam, quæ videtur nimiùm probabilis, benèque fundata inter concessionem veram, quæ fiat ab infeudante de re propria, & illam concessionem fictam, quæ ab infeudato de re sua recipiatur; Atque in effectu ista est potiùs dicenda quæstio facti, & voluntatis, quám iuris, & per consequens erroneum videtur in ea procedere cum generalitatibus, vel cum illis auctoritatibus, quæ percutiant terminos diuersos, ac habentes diuersas circumstantias, ex quibus re verá totum pendet.

De altero autèm puncto, an scilicèt pendente quæstione deuolutionis feudi, 3 possessio esse debeat penès feudatarium, vel penès Dominum, nimium raræ, penèque nullæ videntur hodie quæstiones in praxi, retenta eadem distinctione pluriés insinuata supra *in annot. ad disc. 53. & 54.* & in alijs frequentér, inter feuda vera, & propria, quæ solùm hodie videntur esse illa, quæ obtineantur á Principe, habente ius belli, & fiscum, & alia impropria, quæ obtinentur ab Ecclesijs, alijsque inferioribus; Isto etenim secundo casu intrare potiùs videntur termini Emphyteotici, de quibus in sua sede sub *tit. de Emphyt. disc. 7. & 59.* in altero autèm, communis videtur consuetudo fisci litigandi manibus plenis, & sic non est quæstio iuris, sed obseruantiæ, & consuetudinis.

DE FEVDIS

AD DISC. LVII.

SVMMARIVM.

1 *Pactum resolutiuum non potest allegari per contrauenientem.*
2 *De pacto commissorio.*
3 *Quando conditio exigat perseuerantiam.*
4 *Obligatio causatiua cessat cessante causa.*
5 *De melioramentis repetendis à feudatario, vel Emphyteuta.*
6 *An Emptor possit transigere, vt praeueniat, seu euitet euictionem.*
7 *De materia Mineralium.*

AD

AD DISC. LVII.



1 SVPER conclusione, quod pactum resolutiuum adiectum in gratiam eius, cui implementum præstādum est, allegari non potest ab altera parte contrauenien-te, agitur sub *sub tit. de Emphyt. & vend. disc.33.* & alibi pluriès, cum videatur principium certum, ac fundatum, non solùm in dispositione legali, sed etiam in ratione naturali, ne aliás contrauenïens ex proprio delicto comodum reportet, atque inductum fauore creditoris, retorqueatur in odium.

De validitate autèm pacti resolutiui, vel commissorij, de quo dubitari solet ob fraudem vsurarum, agitur *sub tit. de*
2 *vsur. disc.* 8. ac etiam *tit. de Camb. disc.6.* & in alijs occasione agendi de reductione Cambiorum, vel interessuriorum sub conditione implementi, quo non sequuto debeantur Cambia currentia, & rigorosa; & de validitate pacti resolutiui in censibus, ob non solutionem fructuum, *sub tit. de Cens. disc.1. & in alys.*

Quando autèm conditio exigat perseueranriam, atque respiciat effectum, vel
3 potiùs sufficiat, quod momento temporis extiterit, agitur *tit. de Dote, disc.27. & de fideic. disc.44.*

De obligationibus causatiuis cessantibus, cessante causa, habetur *tit. de Regal.*
4 *disc.8. & seq. & disc.98. tit. de Cens. disc 28. tit. de Emphyt. vend. disc.23. & 39. & infrà disc.71. & alibi.*

De materia melioramentorum est di-ctum supra *disc.27. & tit. de Legitima, &*
5 *Detract. disc.35.* Et in specie de expensis pro recuperatione, vel custodia feudi vel rei Emphyteoticæ, habetur infrá *disc.76. & tit. de Emphyt. disc.12. cum alijs d. disc.35. de Legitima, & Detract. adden. ad Reuerter. decis.225.* vbi de expensis pro custodia.

Quod possessor possit bona fide transigere, vt præueniat euictionem, vt itá meliorem efficiat conditionem eius, qui
6 ad euictionem tenetur, habetur *tit. de Emphyt. & Vend. disc.16. & 19.* & incidentér *tit. de Cens. disc.25.* Dummodó tamèn bona fide fiat, secús autèm mala fide, atquè principalitèr, vt fiat negotium proprium, iuxtá ponderationes, de quibus in materia negotiorum gestorum, vel de vtili in rem verso, habentur *sub tit. de Vsur. disc.50.*

Et de his Mineralibus, habetur *tit. sequenti de Regal. disc.117. & 118.* Alia
7 veró respiciunt materiam vsurariam, de qua agitur in sua Sede.

DE FEVDIS,

AD DISC. LVIII.

SVMMARIVM.

1 *De bonis captis in bello.*
2 *De postliminio.*
3 *De iustitia belli.*
4 *De diuisione fructuum feudi.*
5 *De eadem materia præsentis discursus.*

AD DISC. LVIII.



CONTENTA in hoc discursu percutiunt potiùs materiam Belli, quæ cadit *sub tit. sequenti de Regal.* adeoùt incidentér sub hac materia feudali, de ista
1 controuersia actum sit, ad effectum inspiciendi, an recuperari feudi, cum vi bellica importet concessionem nouam, feudi, vel potiùs continuationem antiqui.

Ad istam veró materiam bonorum in bello captorum plura congerunt, vltrá hic deducta, *per Constan. in l. vnica C. de Clasic. lib.11. ex num.98. Demacin. ad Reuerter. decis.24. Thor. in Compen. decis. par. prima, verbo capta in Bello, de Luca ad Franch. decis.268. apud quos alij, & in Melenitana Depredationis, sub tit. de Regal. in Supplemento disc.170.*

Et de materia postliminij *de Luca ad*
2 *Franch. vbi supra*, ac etiam in spiritualibus pro restitutione Officiorum, vel præeminentiarum, *Fagnan. in cap. per reas il primo, de Simon. Dian. par.10. tract.16. resol.74. Franc. de Eccl. Cathed. cap.32.* vbi agit, de casu, de quo *disc.3. de Preamin. & seqq.*

De eadem materia iustitiæ belli, plura colligunt *Constan. in l. vnica, C. vt armorum*

3 *morum vsus, lib.*11. *Castropal par. prima, tract.6. disput.*5. *puncto* 1. *& seqq.* laté *Iuuenis Ageta vision. feudal. rubr.4. vision.*5. *pag.*135. *& seqq.*

4 Et de diuisione fructuum feudi inter hæredes feudatarij defuncti, & fiscum, vel agnatos, *Giurba obser.*44. *Reuerter. & decis.*246. *&* 205. *de Luca ad Franch. decis.*19.

De alio consimili casu, super ferrac-
5 cio vendito, per Gallos sic enunciato, agitur *tit. de Tutor. & admin. disc.*16.

DE FEVDIS

ANNOT. AD DISC. LIX.

DE hac materia renouationis, agitur supra *disc.*52. ac etiam infrà in *Ianuen. feudorum disc.*113. Et de releuio paritèr suprà *disc.*28.

DE FEVDIS

AD DISC. LX.

DE matteria istius discursus, periculosum est agere, ac loqui ad veritatem, quoniam quælibet potestas exigit Scriptores ad propriam opportunitatem, occasio autèm non dedit vlteriùs disputare, dum ista controuersia, cum honesta concordia finem accepit, vt infrà *disc.*128. insinuatur. Videatur tamén quod materia sit incapax regulæ certæ, & generalis, cuicumque casui applicabilis, cùm re verà obseruantia totum facere videatur, iuxtà diuersos Principatuum stylos, ac praxim; Ideóque dignosci videtur consuetus error pragmaticorum, & collectorum, in ea procedendi cum generalitatibus, siué applicandi antiquorum, ac etiam modernorum auctoritates in abstracto, non distinguendo loca, & tempora, aliasque circumstantias, ex quibus principalitèr decisio pendere videtur, & aliqua ad materiam insinuatur *d. disc.*128.

Ad rem tamèn nimium facere videntur, ea, quæ habentur *disc.*1. *& seqq. de iurisdict.* super puncto, an Prælatus inferior, qui iurisdictionem spiritualem, & quasi Episcopalem possidet in aliquo loco, habente Clerum, & populum, dicatur verus Ordinarius, cum qualitate nullius, & cum vero territorio independentèr à quocumque Episcopo, ex vicinioribus, vel potiùs sit inferior Prælatus sub altero Ordinario, vel Episcopo, vt attēdi debeat situatio loci, an sit in alicuius Diœcesis circūdario, adeoùt vndique ab illa Diœcesi sit circumdatus, vel è conuerso sit in extremitate, vt propterea dici valeat corpus distinctum, quod stet de per se, vt isto posteriori casu faciliùs intret probatio territorij separati, cum omnimoda independentia, secùs autèm in altero, ità à pari in tēporali iurisdictione, an sit, nec nè, intrà viscera, & in circumdario Regni, vel Principatus, & dominij, eius, qui iura Regni, vel supremi Principatus habeat.

DE FEVDIS

AD DISC. LXI.

SVMMARIVM.

1 *An Bulla de non infeudandis, locum habeat in Castris confiscatis.*

2 *An eadem Bulla procedat in pignoratione, vel hypotheca.*

3 *De eodem, de quo num.*1. *cum distinctione.*

4 *Declaratur materia allodij in Castris iurisdictionalibus.*

5 *An remissio incursa caducitatis cadat sub Bulla.*

AD DISC. LXI.



AM super contentis in hoc discursu super concessione cōmoditatis, quā etiam super alijs questionibus, quæ desupèr excitari solent, & præsertim super illa, de qua particularitèr agit *Spada consil.*16. *lib.*1. de qua etiam obitèr
1 non gustato articulo, *Fagnan. in cap. ex parte de feudis num.penult.* an scilicèt hæc Bulla habeat locum in illis Castris, & locis

locis

locis iurisdictionalibus, quorum incameratio sequatur ratione confiscationis bonorum, ob delictum priuatum, ac aliàs, quam per fellioniam erga proprium Principem (cùm isto casu non sit confiscatio, sed deuolutio connaturalis feudi) omnem dubitandi occasionem substulisse videtur moderna Constitutio Alexandri VII. quæ adhibet verba nimis generalia, & effrenata.

Atquè in idem, vt Bulla comprehendat etiam concessionem cõmoditatis cõferunt deducta *per Spad. consf.23. eodem*
2 *lib.1.* vt etiam pignoratio, & hypotheca cadat sub eadem Bulla, cum præsupposito tamen pignoris veri, & naturalis, mediante scilicèt traditione rei pignoratæ de facto in manibus Creditoris, ac etiã respectu hypothecæ, quod ea sit specialis, secús autèm si generalis, quæ tamèn non deducatur ad exercitium, per quod resultet idem effectus alienationis, iuxtà distinctionem, de qua *tit. de Alien. & Contract. prohib. disc.1. & tit. de Cred. disc.13. & 51.* vbi concordantes.

Quatenùs verò pertinet ad dictum punctum, de quo agitur *Spada d.consf.16.* adhùc non dedit casus formitèr disputare, obitèr tamèn excitata ista difficultate
3 in forma discursiua, vltrà dictum motiuum nouum, quod resultat in contrariũ, ex præfata moderna Constitutione Alexandri Septimi; Ista etiam seclusa, mihi videbatur parùm probabilis opinio, quã *Spada* substinet, quatenùs agatur de Incameratione omnimoda, & perpetua, cùm id, nullum habere videatur probabile fundamentum, ideóque dicebam procedendum esse, eum distinctione inter illam confiscationem ad tempus, quæ fiat durante vita, vel iure delinquentis, absquè præiudicio aliorum, qui ex inuestitura in forma pacti, & prouidentiæ, vel ex fideicommisso Maiorum, seù aliàs vocati sint, ex persona propria, adeóut delictum possessoris non valeat eis præiudicare; Et illam confiscationem omnimodam, quæ in perpetuum sequatur.

Primò enim casu, rectè intrat consideratio *Spada*, quod iura Vassalli non sunt extincta, neque, rè vera, intrant termini deuolutionis, vel incorporationis, & consolidationis dominij vtilis, cum directo, sed quod potiùs, fiscus obtinet commoditatem, vel fruitionem ad tempus, ex persona delinquentis, tanquam Cessionarius, vel Procurator in rem propriam, siué hæres anomalus.

Ad instàr eorum, quæ apud *Surd. decis.102. & tit. de Emphyteusi*, habemus in materia emphyteotica, quod si Dominus directus durante inuestitura emat, seù alio titulo acquirat ipsa bona emphyteotica, non resultat confusio dominij vtilis eum directo, neque dicitur possidere illa bona tanquàm Dominus iure suo primæuo, sed potiùs tanquám tertius Cessionarius illius commoditatis durante iure cedentis; Et eodem modo, quo *tit. de fideic.disc.195.* habetur de vocato ad fideicommissum, cui facta sit præuentiua restitutio, vel refutatio fideicommissi, vel maioratus iàm agniti, & possessi, quoniam durante vita, vel iure refutantis, istius nomine, & iure potiùs obtinere dicitur, vt propterea eius debitis, & oneribus subiaceat.

In altero autèm casu incamerationis omnimodæ, & perpetuæ, adeoùt non sit illa acquisitio ad tempus, quæ redoleat potiùs speciẽ fructus, quàm proprietatis, sed sit perpetua, tunc nullatenùs hæc opinio videtur substentabilis, quoniam, aut ista Castra, & loca iurisdictionalia, in quibus ratione delicti possessoris intret confiscatio, ab eo possidebantur in natura veri feudi; Aut in natura allodij, vt pro maiori parte obtinent Barones, & Domicelli Romani. Primó enim casu planum est, quod quomodocunque cesset ius feudatarij, adeó vt non sit suspensio, vel obdormitio ad tempus, sed cessatio totalis, & perpetua, sequuta dicitur reuersio rei ad suam primæuam causam, vel vnitatem, & extinctio seruitutis feudalis, ex illo certo principio, quod non datur seruitus in re propria, neque potest quis esse eodem tempore Dominus, & Vassallus, vel Rex, & Baro; Quod generalitèr habemus in omni materia indifferenti, quod scilicèt, si habens seruitutem vsusfructus vel Census in aliqua re, efficiatur eiusdem rei Dominus, seruitus extinguitur, eodem modo, quo, clauso, vel cessato viculo, seù Aquæductu, per quem aliqua pars aquæ ad priuatam vtilitatem trahebatur à Lacu, vel à Flumine, illa aqua remanet in sua antiqua vnitate, per viam confusionis, & per consequens quã-

do

do eadem pars, vel quantitas aquæ alteri denuò, per nouum viculum, vel Aquæductum conceditur, ista erit noua concessio ex integro, per speciem nouæ formalis dismembrationis, ac separationis à sua antiqua vnitate, quod est prohibitum per Bullam, vt à simili habemus in Domino fundi, cuius alter vsumfructum habebat, quod si ipse ex quocumque titulo vsufructum acquirat, iste extinguitur, adeoùt si denuó vsusfructus, etiam ad fauorem eiusdem antiqui vsufructuarij constituatur, multó veró magis, si ad fauorem tertij, iste erit vsusfructus nouus, ex integro constitutus, ex relatis *sub tit. de Dote*, *disc.* 148. & alibi pluriés.

Verùm, vbi etiam huiusmodi Castra, & loca inabitata, quæ cadunt sub hac Bulla, per eum, qui patitur confiscationem, possideantur in natura allodij, potiùs quàm feudi, adhùc tamen intrat 4 idem, quod supra dictum est, quoniam vt conciliando, seù declarando *consil.*8. *Abbat. cum concordan.* plené deductis per *Spad. cons.*1. *lib.*1. pluriès *hoc tit.* aduertitur; Quamuis in huiusmodi Castris, & locis non adsit vera, & propria feudalitas, quæ redoleat formalem seruitutem feudi, ad effectum seruitij, ac renouationis, cum obligatione noui iuramenti fidelitatis, & cum subiectione fidelitatis, & cum subiectione deuolutionibus, & caducitatibus; Attamèn neque in eis verificatur verum,& proprium allodium, quale in iurisdictionalibus dicitur esse illud, quod redoleat omnimodam independentiam, adeoùt non recognoscatur alter superior, nisi Deus, dùm sine dubio in eis Papa habet altum dominium, & superioritatem, istique Domini sunt Subditi subordinati, vt poté ab hoc fonte causam trahentes, atque ex eiusdem Papæ concessione hoc dominiũ subalternum obtinentes; non tamén in rigorosa qualitate,seù natura feudi,vndé propterea dici potest quoddam mixtum quod participat de vtraque qualitate, pro effectuum, vel respectuum diuersitate; Et per consequens verificatur idẽ, quod dictum est de consolidatione partis, cum toto, siuè consolidationis dominij vtilis, cum directo, quodque noua concessio, quæ alteri fieret, semper importaret nouam dismembrationem, nouamquem infeudationem, siué fit per viam feudi, siué per viam gubernij, aut Vicariatus, vel quocumque alio nomine, seù titulo, seù omnes species sint prohibitæ, spectato effectu separationis partis à toto.

Et quamuis aliqui discurrendo de hoc eodem puncto, in diuersam abeuntes sententiam, ponderarent, quod si 5 itá esset, sequeretur, quod particulares non essent illæ remissiones caducitatis, quam feudatarij ob contrauentionem Apostolicarum Constitutionum, vel ob alia crimina, & inobedientias incurrunt, quas frequens praxis docet, & præsertim nostra ætate sequutum est occasione belli, quod pluriès aliquis feudatarius Regalis, seù veræ dignitatis habuit cum Sede Apostolica.

Nihilominùs id ad rem nostram extraneum videtur, quoniám, quando agitur de caducitatibus iuris tantùm, non autém facti, idest, quod sequuto incursu, adhùc feudum remaneat penès feudatarium, absque actuali, & effectiua incorporatione, per quam sequi dicitur confusio vtriusque dominij, siuè reuersio rei ad suam primam causam, & vnitatem, tunc non est alienare, vel concedere de nouo, sed solùm remittere incursum pœnæ, tanquàm per remotionem obstaculi, vt propterea feudatarius continet in eius iure antiquo, & primæuo, absque eo, quod obstet ratio nouæ dismembrationis ex ijs, quæ in his terminis feudalibus habentur suprá *disc.*5. Et generalitèr in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, ad terminos *Extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* vt procedat in alienationibus rerum incorporatarum, non autém in huiusmodi remissionibus, habetur *sub tit. de Alien. & Contract. disc.*1. ideòque magna differentia est inter vnum casum, & alterum.

Quinimó, vbi agitur de remissione caducitatis,& restitutione feudi eidem antiquo possessori, vel eius successori, ius habenti ex antiqua inuestitura, videtur idem dicendum, etiam vbi caducitas de facto effectum sortita esset, quotiés non ex causa omninó voluntaria, & per viam nouæ concessionis, ex integro, sed per viam remissionis incursæ pœnæ, & caducitatis, concederetur restitutio, seù reintegratio, vt sequi solet in illa restitutione,

turione, quæ fiat Rebellibus, vel Bannitis, vigore Capitulationum pacis, ex ijs, quæ habentur suprà *hoc eodem titulo, disc.27.num.8.* Super quo tamén nihil firmum statui potest, cum videatur quæstio potiùs facti, quàm iuris, ex singulorum casuum particularibus circumstantijs decidenda.

allegari potest, iuxtà *decis.56. Franchi*, vt pluriès insinuatur, præsertim *disc.præcedenti*, ac propterea, vt ibidem insinuatum est, quæstio remanet potiùs facti, quàm iuris, pro diuersis Principatuum, vel Regionum moribus, ideòque incapax regulæ generalis, cùm totum faciat consuetudo.

DE FEVDIS
AD DISC. LXII.

SILVIT ista causa ad plures annos atquè reassumpta de Mense Iunij 1673. coram Taia subrogato, altera parte non informante dilata fuit resolutio, quæ expedita est.

DE FEVDIS
AD DISC. LXIII.

DE contentis in hoc discursu, agitur etiam supra, *disc.2. & 56.* & intrà in *Nullius, seù, &c. disc.120.* vbi de eadem distinctione inter feudum receptū ab infeudante, & illud, quod per voluntariam deditionem receptum est iure propria.

DE FEVDIS
AD DISC. LXIV.

CONTENTA in hoc discursu, pertinere potiùs videntur ad materiā Regalium, de qua Libro sequenti super iure, seù facultate colledandi; Quam regularitèr non habent Barones, & feudatarij inferiores, quibus concessa non censentur iura Regalia, vtporè annexa Principatui, quotiés per viam limitationis regulæ, non accedat Principis priuilegium explicitum, vel implicitum, quod in vim immemorabilis, vel centenariæ

DE FEVDIS
AD DISC. LXV.

DE materia euictionis præstandæ in feudis, vel Castris, alijsque similibus Vniuersitatibus regulandis, iure hæreditaris habetur suprà *disc.32.* vbi concordantes insinuantur; Et de Angarijs, & Berangarijs, alijsque seruitijs, habetur etiam supra *disc.51.* & latiùs *tit. de Regal. disc.146.* vbi est eius sedes; Ac etiam de iure lignandi, & pascendi *sub tit. de Seruit. disc.35. cum seqq. ad 44.* vbi paritèr est sedes istius materiæ.

Priores decisiones huius causæ super modo faciendi æstimationem, super quo Ego non scripsi *coram Dunozetto*, habentur impressæ inter suas *dec.921. & 944.* Punctus autèm principalis contentus in præsenti discursu, vlteriorem disputationem non habuit, dùm subsequuta concordia, controuersiæ finem dedit.

DE FEVDIS
AD DISC. LXVI.
Cum seqq. vsque ad LXX.

SVPER casibus particularibus contentis in his quatuor discursibus, alia non adfuit occasio disputandi, vel quia ipsæ causæ vlteriorem prosequutionem non habuerint, vel quia mutauerint defensores; Super puncto, an, & quando in assensu, vel alia gratia facienda sit necessaria mentio litis, videantur ea, quæ deducuntur *in Romana Porta sub tit. de Regal. disc.169. in hoc Supplemento.*

Quo

Quo verò ad punctum generalem super prohibitione alienationis Castrorum & bonorum iurisdictionalium, etiam inter subditos, ob Constitutiones Apostolicas; Vltrà ea, quæ in præcedentibus pluriès incidentèr, seù occasionalitèr enunciantur; Magis ex professo occasione hypothecæ, & concursus Creditorum, agitur sub *tit. de Cred. disc.* 13. *& 151*, ac etiam infrà *disc.* 118. Cumque agatur de legibus particularibus istius Principatus, & sic de materia locali, ac etiam, vt docet series tot Constitutionum desupèr editarum à Sixto V. citrà, vsque ad præsens, iuxtà casuum varias contingentias, vel dubitandi occasiones, prohibitiones in dies creuerint, siuè declarationes editæ sint; Hinc proindè, certa regula generalis non de facili desupèr statui potest, cum totum pendeat ab interpretatione, quam pro tempore illi tribuant nouæ declarationes, vel obseruantiæ.

Super huiusmodi autèm Constitutionibus circa prohibitionem alienationis in forenses, aliqua scribit modernus elaboratus *Capon. consultat.* 3. occasione illius controuersiæ, quæ dedit causam Constitutioni Innoc. X. Ac etiam de ista materia alienationis in forenses, agitur *tit. de Alien. & Contract. prohib. disc.* 39. *& tit. de Dote disc.* 149.

Quo verò ad validitatem assensus cõferre videntur aliqua, quæ habentur infrà *disc.* 106. & super eodem casu, de quo *disc.* 67. habetur infrà *disc.* 105.

DE FEVDIS

AD DISC. LXX.

SVPER ista causa videantur ea, quæ occasione aliarum disputationum in eadem causa habentur infrà *disc.* 133.



DE FEVDIS

AD DISC. LXXI.

NIMIVM rarus est iste casus, ac fortè singularis in feudis veris, & nobilibus, iuxtà hodiernam praxim, sæpiùs enunciatam, benè tamèn super hoc in praxi disputari solet in terminis Emphyteoticis, iuxtà earum, de quo in sua materia *sub tit. de Emphyt. disc.* 38. *& in Annot. ad illum*.

In istis autèm terminis feudalibus, pro opinione negatiua, quod scilicèt nõ possit feudatarius, inuito Domino, repudiare feudum, congruunt à simili, quæ habemus in Episcopatibus, & Archiepiscopatibus, quod licèt importent qualificatum beneficium, cum vtilitate, & præeminentia, attamèn non est in arbitrio Episcopi dimittere Episcopatum, nisi accedat voluntas Papæ, qui illum soluere velit ab eo vinculo, idque concedi non solet, nisi ex iusta causa formitèr discussa, & examinata in Sacra Congregatione Consistoriali, istaque paritas est adaptabilis.

DE FEVDIS

AD DISC. LXXII.

DE ista Regalia bonorum vacantiũ, latiùs agitur in sua sede *sub tit. de Regal. disc.* 149. vbi occasione agendi de articulo, an fiscus Principis sæcularis, succedat in bonis vacantibus per mortem Clerici, quamuis firmetur opinio negatiua, quodqué potiùs succedat Ecclesia, admittitur tamèn eadem distinctio, de qua in præsenti discursu inter bona libera, & illa, quæ sint de directo dominio eiusdem Domini sæcularis, atq; videtur distinctio vera.

Et de hac specie Baronum, & Domicellorum, habentium dominium totius Territorij, non in sola ratione territoriali, & Baronali, sed in dominio vtilitario, habetur pluriés suprà, & præsertim *in Annot. ad disc.* 2. *& 47.* ac etiam *infrà in Romana Concursus disc.* 117. vbi alleganter alia loca, in quibus de hoc agitur.

DE

DE FEVDIS

AD DISC. CIV.

EST idē casus, de quo supra *disc.43.* & de contentis in *disc.105.* agitur supra *disc.67.*

De contentis in *disc.106.* plenè agitur *per Caesar. de Afflict. contr.40.* qui fuit causæ Aduocatus in partibus; Cumque agatur de legibus localibus, quæ in dies, vel ob diuersam praxim, seù ob nouas gratias, & prouisiones variantur, idcircò remanet materia incapax regulæ certæ, & generalis, atque incongruum videtur, vt ij, qui in diuerso Principatu, diuersisque Tribunalibus versantur, nimiùm se diffundant, sed deferendum est versatis in Regione, illisque Tribunalibus.

De contentis in *disc.107.* habetur actum suprà *disc.9. & 12.* & etiam infra *disc.134.*

1675. & 1676. ex capite iniustitiæ laudi in ea parte, in qua negatur transmissio legati scutorum vigintiquinque millium, per eos, qui ante ætatem à Testatore in conditione positam obierunt, quasi quod expresse contrarium disponat *Tex. in l. Seius Saturninus, ff. ad Trebell.* reseruando videre de alijs capitibus, & an laudum ob indiuiduitatem corruat in totum; Quare vbi Deus superuiuentiam concedat, expectabitur vlterior progressus, ac exitus, & fortè infrà cū discursu particulari aliquid adnotabitur, quamuis Ego in causa non scripserim, neque aliquam habuerim applicationem, quoniam licèt ex parte Marchionis fuerim requisitus ad scribendum, nullaque adesset prohibitio substinere coram Iudice appellationis, vel recursus proprium iudicium arbitramentale, adhùc tamen abstinere volui.

Et de vita militia, de qua agitur in præsenti *disc.* habetur etiam infrà in hoc Supplemento *disc.124.*

DE FEVDIS

AD DISC. CVIII.

NON acquieuerunt hæredes Caroli laudo, quamuis in plerisque partibus esset eis fauorabile, quodque ad componendam huiusmodi diuturnam litem, aliqu od arbittium, ad eorum fauorem potiùs dilatatum esset, vndè curarunt committi causam appellationis in Rota coram *Rondanino*, coram quo super canonizatione, & executione laudi, duæ prodierunt resolutiones, sub diuersa tamen nuncupatione, *Neapolitana, seù Ianuen. Laudi 12. Iunij 1671. & 18. Martij 1672.* ad quarum normam, expedito mandato exequtiuo in vim obligationis contentæ in compromisso, illoque canonizato per Signaturam Iustitiæ cum clausula, *sine praiudicio exequutionis*, coram *Albergato*, ac dato dubio, an dictum decretum Rotale esset confirmandum, vel infirmandum, pro infirmatione responsum fuit, sub diebus 10. Iunij

Suppl. Th. Lib. 16. de Feud.

DE FEVDIS

AD DISC. CIX.

SVPER assensu post mortem, plura deducunt *de Luca ad Franch. dec.86. 126. & 620. Adden. ad Marin. resol.25. lib.1. idem Marin. in addit. ad Reuerter. decis.513. Marott. discept.33.* & generalitèr de assensu non suffragante post lapsum terminum inuita altera parte, & declarante contractum resolutum, apud *Bich. decis.660.* vbi concordantes, & conferunt, quæ in materia pœnitentiæ ante assensum in illis contractibus, qui ab ipso assensu perfectionem recipiunt, latè deducuntur *sub tit. de Donat. disc.61.*



DE FEVDIS
AD DISC. CX.

DE iure prothomiſeos habetur ſupra *diſc.36.& ſeqq.* cũ ibi notatis,& de ceſſione commoditatis,etiam in prohibitis ſupra *diſc.61. & tit.de Emphyt.diſc.44. & tit. de Penſ. diſc.2.& 68. & ſeq.*

DE FEVDIS
AD DISC. LXXIII. & ſeqq. ad CIII.

Ad totam materiam Bullæ Baronum.

SVMMARIVM.

1 *De materia Bullæ Baronum in vniuerſum.*
2 *De diſc.75. ſuper ſubfeudis.*
3 *De conceſſione facta patri, & filio, vel viro, & vxori.*
4 *De diſc.76. ſuper materia refutationis feudi.*
5 *De facultatibus, & modo procedendi Congregationis Baronum.*
6 *An Bulla Baronum procedat contra tertium poſſeſſorem tit. ſingulari.*
7 *An Exequutor cognoſcat de iuſtitia, vel iniuſtitia.*
8 *De concurſu creditorum ad formam Bullæ.*
9 *De materia* Auth. res quæ Cod. commun.de leg.
10 *An procedat etiam pro vſuris dotalibus.*
11 *Ad diſc.80. ſuper eadem materia concurſus creditorum.*
12 *An per auocationem pecuniæ ſolutæ veniuiſcunt cenſus, & credita fructifera.*
13 *De eodem concurſu creditorum Baronis, cum dotibus deſcendentibus teſtatoris.*
14 *An loces principatus capiant Ciuitates, & Prouincias additas.*
15 *An Bulla Baronum procedat in debitis cõtractis poſt dimiſſam baroniam.*
16 *De caſu diſc.85. ſuper probatione qualitatis baronalis.*
17 *De eodem, & de effectibus diuerſis in idem.*
18 *An Bulla procedat viuente ordinatore fideicommiſſi.*
19 *De contentis in diſc.86.*
20 *De Bulla Archiuij.*
21 *De contributo ad debita Baronis inter plura fideicommiſſa per eum poſſeſſa.*
22 *De diuerſitate patrimoniorum.*
23 *In quibus bonis Bulla locum habeat.*
24 *Ad diſc.93.*
25 *An Bulla habeat locum pro debito ex cauſa donationis.*
26 *De modo procedendi Congregationis, & an ommitti poſſit citatio.*
27 *An Bulla tollat pactum prælationis, vel ius retractuum.*
28 *De cautione præſtanda per creditores de reſtituendo anterioribus, & an creditor, agat contra debitorem ad reſtitutionem, præſtita cautione.*
29 *De fideiuſſore obligato inſolidum, an dicatur debitor ad effectum Bullæ.*
30 *De ſolutione facta per debitorem, ex pluribus cauſis, in quam cauſam referri debeat.*
31 *Vbi agatur de hac Bulla in hoc Supplemento.*

AD DISC. LXXIII. & LXXIV.



IN his triginta diſcurſibus, agitur de particulari, ſeù locali materia Bullæ, & Congregationis Baronum, in qua
1 nonniſi in Curia Romana agi contingit, & per conſequens, non eſt materia vniuerſalis; Cumque tàm in iſto diſcurſu 73. compendioſo totius materiæ, quàm in alijs ſequentibus agatur penè de omnibus, vel ſaltèm de maiori parte caſuum, ſuper quibus de huius Bullæ interpretatione diſputare contigit; Hinc proindè rari videntur caſus noui ſuppletione digni, ac propterea ſparſim adnotatur, id, quod hoc medio tempore tàm in eiſdem caſibus, quàm in alijs denuó diſputare occaſio dedit, ac etiam generalitèr agitur *in relatione Curiæ diſc.28.* vbi de iſta Congregatione Baronum.

AD DISC. LXXV.

Super contentis in hoc diſcurſu in
2 materia ſubfeudi, vel facultatis ſubinfeudandi actum eſt ſupra *in Annot. ad diſc.1.* vbi videri poteſt.

Et

Et de alia quæstione, an concessio facta patri, & filio, seù viro, & vxori
3 intelligatur ordine simultaneo, vel successiuo, aliquid insinuatur supra *disc.*46. ac etiam infrà *in Iannen.feudor. disc.*113. & conferunt, quæ habentur sub *tit. de Donat. disc.*47. in vocationibus, quæ fiunt de patre, & filijs, de quibus etiam *sub tit. de fideicommissis*.

AD DISC. LXXVI.

Ad materiã refutationis feudi in proximè successurum, contentam in hoc discursu,
4 videri possunt, ea, quæ habentur infrà in *Neapolit. seù Theatina disc.*116.

AD DISC. LXXVII.

Super facultatibus Congregationis Baronum, an possit proferre sententias,
5 & facere alia acta iudicialia, adnotandum est, quod non solùm vigore cuiusdam Chirographi Clementis VIII. sed etiam vigore alterius Vrbani VIII. hodie passim id seruatur.

Quinimò, cum Princeps Baptista Lu-
6 douisius, post venditum Statum Zagarolæ, habitumque super pretio illum creditorum concursum, de quo agitur infrà *disc.*118. *& tit. de Cred. disc.*13. *&* 151. tribus eius sororibus, tàm pro earum dotibus in testamento paterno relictis, siué ad terminos *Auth. res quæ* debitis, quàm etiam pro parte crediti dotalis materni, dedisset insolutũ Castrum Fiani, aliaque bona, creditores autém in dicto concursu exclusi, habuissent recursum ad Congregationem Baronum, pro transmissione Commissarij; Quamuis Ego scribens pro dictis sororibus dicerem, quod non videbamur esse in casu Bullæ, & per consequens, quod non intrarent facultates Congregationis, cũ Bulla verè, & propriè percutere videatur casum, in quo Baro modernus possessor Castrorum, & bonorum, quæ fuerunt possessa per prædecessorem Baronem debitorem, illa possideat iure successorio primi acquirentis, siué testatoris iure fideicommissi contenti in inuestitura, vel testamento, aut alio pacto, quo Baro prædecessor, qui debita contraxit grauatus erat, quasi quod tollente Bulla de medio fideicommissa, aliaque vincula, per reductionem rerum ad statum, in quo erant ante tempora Augusti, qui ea fecit obligatoria, iuxtà ponderationes, de quibus infrà *disc.*89. & in alijs, ità quod sublato vinculo bona remanere dicãtur libera, & hæreditaria defuncti Baronis debitoris, penés successorem, agentem de causa lucratiua, atque ità gerentem personam hæredis, contra quem, remoto obstaculo, ad exequutionem in bonis hæreditarijs debitoris procedi potest, secus autèm, vbi agitur de tertio possessore titulo singulari, & translatiuo dominij, ex causa onerosa, & correspectiua emptionis, & venditionis, dationis insolutum, quoniam contra istum tertium, practicabilis non est processus exequutiuus in actione personali, sed tantùm in vim hypothecæ competunt interdicta possessoria, seù rei persequutoria, ex deductis *tit. de iudic. disc.*42. *&* 44. atquè ità docet praxis, quod contra emptores, aliosué tertios possessores titulo singulari translatiuo dominij, ista Bulla practicari non consueuit.

Nihilominùs his non obstantibus, in d. casu contraria prodijt resolutio super deputatione Commissarij, iuxtà praxim Congregationis, sed pendet reuisio; Idque ex particularibus facti circumstantijs, quod scilicèt ista fuisset datio in solutum facta per Procuratorem absque mandato, in quo expresfé excipiebantur bona iurisdictionalia; ac etiam, quia reputata fuit alienatio collusiua, in fraudem paratæ exequutionis, adeoùt habenda esset pro infecta, ipsaque bona continuarent in eodem Barone successore debitoris; vndé propterea, (quidquid sit de veritate motiui, & probabilitate resolutionis) ità implicitè admissum fuit assumptum, quod Bulla non procedat in isto casu.

Et de alio articulo contento in hoc
7 eodem *disc.*77. an scilicèt, & quando exequutor cognoscere possit, ac debeat de iustitia, vel iniustitia sententiæ, vel mandati exequendi, agitur sub *tit. de Iudic. disc.*40. ac etiam *in Miscell.Ecclesiast. lib.*14. *disc.*22. *& tit. de Regalibus, in Romana Incamerationis disc.*161.

AD DISC. LXXVIII. & LXXIX.

In iis, quæ specialitèr pertinent ad hanc Bullam Baronum, conferunt, quæ
8 habentur *tit. de Cred. disc. 13. & 151.* in cuius casus disputationibus per Scribětes hinc indè, ac etiam per Iudices in magna parte processum fuit, cum deductis in hoc discursu.

Et quoad ea, quæ generalitèr perue-
9 tiunt materiam *Auth. res quæ, C. communia de Legat.* super dote extrahenda à fideicommisso, agitur *sub tit. de Dote disc.* 145. ac etiam in discursibus particularibus 35. *cum plur. seqq.*

Eod. tit. de Dote d. disc. 145. ac etiam *disc.* 51. agitur de puncto, de quo *disc.* 79.
10 an scilicèt, & quando dispositio *d. Auth. res quæ* locum habeat pro fructibus, vel vsuris dotalibus.

AD DISC. LXXX.

Materia istius discursus est generalis, & indifferens, circà concursum Credi-
11 torum, atque in magna parte pendet ex circumstantijs facti, ob quas non benè elucidatas, causa adhùc pendet.

AD DISC. LXXXI.

De contentis in hoc discursu super reluiscentia census, vel alterius contractus, ob auocationem pecuniæ solutæ,
12 seù ob aliud non implementum, agitur in sua sede *sub tit. de Cens. disc.* 15. & 16.

AD DISC. LXXXII.

In disc. 145. *de Dote*, agitur quoque latiùs de contentis in hoc discursu, super
13 concursu puellarum descendentium pro dotibus constituendis, cum creditoribus Baronis grauati; Istaque causa introducta in Rota (quod sciam) vlteriorem progressum non habuit.

AD DISC. LXXXIII.

Super contentis in hoc discursu, an scilicèt leges Principatus, locum habeant
14 in Ciuitatibus, & Prouincijs superadditis, siuè superadditio sit per viam nouæ conquisitionis; siuè sit per viam recuperationis, vel deuolutionis, agitur *sub tit. de Iudic. disc.* 35. ac etiam conferunt, quæ habentur *disc.* 29. *de Præem.* Istæque decisiones, vt in discursu insinuatur, non sunt receptæ in Congregatione Baronum, in qua passìm seruatur contrarium, & meritò.

AD DISC. LXXXIV.

De contentis in hoc discursu, an Bulla Baronum habeat locum in debitis cō-
15 tractis, post cessatam Baroniam, per venditionem feudi, seù loci iurisdictionalis, videnda sunt ea, quæ habentur deducta infrà *in Romana Census disc.* 119.

AD DISC. LXXXV.

Ista causa mutauit faciem, quoniam
16 defuncto bo: mem: Andosilla donatore Magistro meo, recessum fuit à decisionibus fauorabilibus in discursu recensitis, coram *eodem Cerro* 1. *Aprilis* 1669. & deindè 10. *Decembris* 1670. & 1. *Iunij* 1671. *coram Bourlemont*, subrogato in locum *Cerri*, interim ad purpuram euecti; atque prolata sententia, & commissa causa in eadem *Rota coram Calataiù*, & his proposita causa dilata fuit resolutio, atque in hoc statu causa reperitur.

Fundamentum autèm istarum posteriorum decisionum, firmantium in Raphaele debitore qualitatem baronalem, post mortem Annæ vxoris, in eo consistit, quod cum ob prohibitionem alienandi resultantem à Constitutionibus Apostolicis, Castrum semper resederit penès eandem Annam, à qua per inualidam cessionem, nunquam fuit abdicatum, ità per consequens transitum fecit in Raphaelem hæredem, qui hæreditatem acceptauit, cùm penès cessionarium, ex eodem defectu, esse non potuerit; Multò magis, dùm subsequutæ venditioni factæ per cessionarium, de qua supra *decis.* 65. idem Raphael consensum præstitit, atque in contractu interuenit, ponderando etiam quosdam actus denotantes exercitium iurisdictionis.

Verùm (in sensu etiam veritatis) credebam istas posteriores resolutiones esse parùm probabiles, malèque fundatas, dùm Testatrix in testamento optionem dedit Raphaeli viro, vel reassumendi à cessionario ipsum Castrum, vel petendi dotem

dotem constitutam in pecunia; relinquendo Castrum cessionario; Ideòque, cum sequuta morte, Raphael elegerit hanc secundam partem, atque etiam viribus praeturae coegerit, cessionarium ad solutionem dotis in pecunia, ità manifesta dignosci videbatur implicantia, quod habuerit dominium, & possessionem Castri; sed quod potiùs idem Castrum illicò effectum fuerit de dominio cessionarij, si non iure prohibitae, & inualidae cessionis inter viuos, iure tamén legati, quod non est prohibitum, dummodò legatarius sit subditus, ac propterea dicebam intrare conclusionem, de qua *decis.356. num.17. par.9. recent.* & apud *Dunozett. decis.993.* quod scilicèt obuento in possessorem ex titulo minus efficaci altero titulo efficaci, censetur etiã absque alia declaratione sibi mutasse causam possidendi, iuxtà receptam *decis. Achill. de Gras.*

Et quoad consensum praestitum venditioni, illum potiùs retorquebam in contrarium, quod scilicèt actus venditionis principalitér factus fuerat, per dictum cessionarium, seù legatarium actualem possessorem, qui pretium recepit, atque ad euictionem se obligauit; Raphael autém, ad cautelam emptoris, qui erat eius sororius, consensum praestiterat, pro suo iure tali quali, &c. cum expressa protestatione nolle teneri ad euictionem, vel pretij restitutionem, nec ad aliud quidquam, ideòque aduertebam, quod ista praestatio consensus erat compatibilis cum legato, quod praestandum est à manu haeredis; Alij verò actus expresé negabantur ex hac parte, ac praesupponebantur, quod essent falsi.

Dicebam praetereà, quod in omnem euentum iste esset quaedam baronia intellectualis, ità deducta ex quadam fi-
17 ctione, seù metaphisica legis, absque veritate naturali, & de facto, dum praefatus cessionarius, eodem modo, quo, Anna viuente, possedit, ac se gessit pro Domino, & Barone, & per consequens, quod ista species Baroniae intellectualis, possit quidem suffragari ad aliquos effectus, onorificos, & meré fauorabiles, absque tertij praeiudicio, nunquam verò ad istum ità odiosum, & exorbitantem effectum, iuxtà ponderationes, de quibus *disc. praecedenti* ac etiã infrà *disc.119.*

Suppl. Th. Lib. 16. de Feud.

Fortiùs verò accedente alia maiori exorbitantia ponderata in discursu, quod
18 scilicèt agebatur de fideicommisso ordinato, per actum inter viuos, ordinatore adhùc viuente, suumque animum expresè in contrarium declarante; Bené verùm, quod de hoc puncto in his vltimis decisionibus actum non fuit, sed solùm firmatũ in abstracto, quod Raphael fuisset Baro, reseruata inspectione, an ista Baronia esset sufficiens, nec nè ad effectum huius Bullae, cuius contrarium omninó veriùs videtur.

AD DISC. LXXXVI.

Super deductis in hoc discursu defuit
19 occasio alterius disputationis, eaque videntur firma, quoniam circa punctum qualitatis baronalis, agitur in duobus *disc. praecedentibus*, & infrà *disc.119.* & circa punctũ vsusfructus, qui patri competat *tit. de Seruit. disc.60.* & in alijs ibi proximis.

AD DISC. LXXXVII. & LXXXVIII.

Idemque super deductis, circá Bullam Archiuij; Et licèt hoc medio tem-
20 pore de hoc formitèr, & ex professo, quod sciam, actum non sit, attamèn incidentér occasione aliarum disputationum, cum hoc meo sensu potiùs processum fuit; Atque super contentis super eadem materia Bullae Archiuij, in alio *disc.88.* aliud non occurrit.

AD DISC. LXXXIX.

Curiosus autém, & singularis punctus, de quo in hoc discursu paritér vlteriorẽ
21 non habuit disputationem, vtpotè iam sopitus per concordiam, quam Ego consului, desideraui, & inculcaui, quoniam, quo magis, ad casum reflectebam, eo magis mihi crescebant difficultates, non solùm ob differentiam in discursũ ponderatam, inter fideicommissa ascendentium, & illa transuersalium, ducto argumento á dispositione *Auth. res quae C. communia de legatis*; Sed fortiùs quoniam deuentum erat ad alienationem specialem bonorum spectantium ad vnũ, & non ad alterum fideicommissum, vndé

propterea non intrabant termini contributi, qui rectè intrarent, quando ageretur de debitis simplicitèr, ac in genere contractis; Minusque termini, de quibus *tot. tit. ad l. Rhodiam de iactu*, cum ille sit actus necessarius, qui fit in gratiam, & vtilitatem omnium, iste autèm dicitur actus voluntarius, administratoris plurium patrimoniorum, qui in vna administratione voluit benè se gerere, & in altera malè.

Si etenim Commendatarius, vel administrator, seù Rector plurium Ecclesiarum, vel beneficiorum, bona vnius Ecclesiæ, vel beneficij alienaret, vel dissiparet, aut consensum præberet impositioni pensionis, non per hoc tenebuntur aliæ Ecclesiæ, vel beneficia contribuere ad refectionem damni, vel ad pensionem; Idemque dici potest in illo, qui esset tutor plurium pupillorum, cum similibus.

Siuè, cum dispositio istius Bullæ, seù alienatio eius vigore facta, dicatur species casus fortuiti, vt aduertitur apud *Caualer. decis.* 612. *&* 618. & pluriès in *hoc tit.* super ista materia, idcircò si ex fulmine, vel ex alio casu pereant aliqua bona, vnius fideicommissi, non per hoc intrabit contributum.

Verùm quia è conuerso probabilia quoque sunt fundamenta, de quibus in discursu, & in causæ decisionibus, quarum prima est impressa *decis.* 331. *par.* 14. *recent.* idcircò causa fuit digna concordia, quæ honestè sequuta est, vt acquiescentiam mereatur.

De ista verò materia contributi, siuè
22 de altera diuersitate patrimoniorum, agitur supra *disc.* 21. 22. *&* 23. *& tit. de Cred. disc.* 11. *& tit. de Hared. disc.* 3. *& tit. de legat. disc.* 52. & plura ad rem deducunt *de Marin. ad Reuerter. decis.* 144. *de Luca ad Franch. decis.* 1. Proùt etiam de diuersitate patrimoniorum, ad alios effectus agitur *tit. de Success. disc.* 4. *&* 9.

AD DISC. XC. XCI. & XCII.

Ad deducta in his discursibus conferunt, quæ habentur infrà *disc.* 119. Et super contentis in *disc.* 92. vlteriorem di-
23 sputationem occasio non dedit, videtur autèm, quod indefinitè in praxi seruetur dispositio Bullæ in omnibus bonis, ac etiam in censibus, & locis montium.

AD DISC. XCIII.

Iste punctus, an scilicet Bulla proce-
24 dat in bonis de dominio directo Ecclesiarum adhùc pendet cum tractatu concordiæ, neque occasio aliam dedit disputationem.

AD DISC. XCIV.

De ista causa ampliùs actum non audiui, forsan per mortem donatarij; Et de concernentibus materiam donationis
25 remuneratoriæ, vel aliàs causatiuæ, agitur in sua peculiari sede *sub tit. de Donat.* cum in præsenti incidentèr de his agere casus dederit.

AD DISC. XCV.

Decisio istius causæ coram *Bichio*, est inter eius impressas *decis.* 589. Adhuc tamen subsistere videntur ea, quæ dicun-
26 tur in discursu, quod scilicèt in praxi non seruatur totalis omissio citationis, ob cuius defectum, actus passim annullantur potissimè verò postquam inoleuit vsus, de quo supra in *Annot. ad disc.* 74. super modo procedendi etiam in forma iudiciaria, ad quod conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de Iudic. disc.* 9. ad materiam citationis, super puncto, an, & quando ista possit omitti, atque proceditur cum distinctione, inter omnimodam omissionem, & formam, vel solemnitatem, vt hoc secundo casu, atque ad hunc effectum intelligi debeant leges disponentes, vt ità summariè, ac cum manu Regia procedi valeat, non autèm de illa omnimoda, quæ dicitur de iure naturæ; Cumque in quodam concursu super patrimonio Mercatoris defecti, per chirographum commissum esser Thesaurario, vt procedere posset cum facultatibus Congregationis Baronum, citando certos domi, & incertos per edictum, atque in subhastatione omissa esset citatio personalis, prætendebatur sustineri actus, cum *d. decis.* 589. *Bich.* dicebam, quod vbi etiam sustineretur *dicta decisio* in plena Congregatione, nullatenùs tamen in vno iudice per fictionem.

AD

AD DISC. XCVI.

Super contentis in hoc discursu, an Bulla tollat pactū prælationis, vel retra-
27 ctū, occasio non dedit medio hoc tempore disputare, atque subsistere videtur ea, quæ ibi deducuntur; potissimè, quia de eisdem pluriès alibi agitur.

AD DISC. XCVII. & seqq.

De materia cautionis contentæ in hoc discursu, habetur pluriès actum *sub tit. de*
28 *credito*, præsertim *disc.* 53. *& seqq.* Ac etiam *ibid. disc.* 127. agitur de contentis *in disc.* 98. Ac etiam de contentis *in disc.* 99. *eod. tit. de credito disc.* 53. *cum seqq.* & multa deducit *De Marin. in addit. ad Reuerter. decis.* 82.

AD DISC. C. & seqq.

Ad istos discursus, conferunt ea, quæ inter verum fideiussorem, qui accessoriè
29 tantùm se obliget, & illum, qui se constituat principalem correum, habentur *eod. tit de credito disc.* 97. *& seq. eodemque tit. de credito disc.* 43. *& seq.* agitur de materia contenta *in disc.* 102. in quam scili-
30 cèt causam, referendæ sint solutiones. Et super *discursu* 103. defuit occasio vlterioris disputationis.

De hac eadem Bulla Baronum agitur
31 etiam *in hoc Supplemento disc.* 118. *&* 119. *&* 126.



DE FEVDIS

DISC. CXI.

Romana, seu nullius Feudi, &c.

Consilium pro directione, suppressis nominibus.

De mutatione naturæ, vel status rei, quod de allodiali efficiatur feudalis, recognoscendo alterum in dominum, an importet restrictionem, cui subiacet feudum ab alio acceptum, iuxtà leges feudales; Vel potiùs retineat in reliquis antiquam naturam; Et præsertim an sub nomine hæredum veniant solùm illi sanguinis, vel etiam extranei, ad eandem materiam, de qua suprà *disc.* 55. & 63.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum ratione dubitandi.*
2 *Bullæ de non infeudando, comprehendunt etiam extensionem lineæ.*
3 *De operatione, vel interpretatione verbi hæredum, & successorum, & quid, ubi adest verbum quorumcumque.*
4 *Quid, ubi præcedit verbum filiorum, & descendentium.*
5 *An, & quando gesta per procuratorem vltrà fines mandati valeant.*
6 *Quod mandatum deseruiat pro interpretatione in dubio.*
7 *De differentia inter casum feudi suscepti ab infeudante, & inter feudum in re propria.*
8 *An prohibitio alienationis sit compatibilis cum feudo hæreditario, & transmissibili ad extraneos.*

DISC. CXI.



1 POSSIDENTE ab antiquo ex successione maiorum, quodam Domicello, Castrum iurisdictionale, cum vassallis, iure illius improprij, & subordinati allodij, iuxtà cuius naturam per Barones, & Domicellos Romanos, & Status Ecclesiastici possidentur Oppida, & Castra, ac etiam aliquæ Ciuitates ex pluriés in præcedentibus insinuatis; Incertum est quibus motiuis, annis decursis, præfatus Domicellus per procuratorem iuramentum fidelitatis præstitit Papæ, cui idem Castrum supposuit, atque ab eo in feudum recepit pro se, suisque hæredibus, & successoribus in perpetuum, sub obligatione recognitionis singulis annis in vna libra ceræ albæ elaboratæ, sub pœnis, in Constitutione Gregorij XIII. contentis, alienatione penitùs interdicta; Cùm autem idem Domicellus, vel eius filius, Castrum alteri vendere vellet, atque beneplacitum Apostolicum super emptione, non denegaretur, in forma consueta, absque, scilicèt, præiudicio iurium Cameræ, & ad præscriptum Constitutionum Pij V. & Innocentij IX. aliorumque Pontificum, de non infeudandis, Hinc pro parte eius, qui emere intendebat, desupèr consilium petitum fuit, an dicta emptio tutè fieri posset.

Respondi resolutionem pendere ab interpretatione dd. verborũ, *pro hæredibus, & successoribus*, quę cõtinentur in recognitione, seù inuestitura feudali, an scilicèr, intelligenda essent, iuxtà naturam, seù strictam significationem feudalem, pro hæredibus sanguinis tantùm, vel potiùs, iuxtà naturam bonorum allodialium, & indifferentium pro hæredibus, & successoribus etiam extraneis; Isto etenim secundo casu credebam, quod tutè emptio fieri poterat, dum nulla sequebatur mutatio linearum, atque extraneus emptor venit sub nomine successoris titulo singulari, E conuersò autem in primo casu emptio suffragari, & substineri poterat durante linea, vel descendentia venditoris, dum ad præscriptum bullæ Beati
2 Pij V. de non infeudandis, de qua frequentèr in præcedentibus, & præsertim *disc.* 1. 4. & 61. iuxtà declarationem factam per Constitutionem Innocentij IX. non solùm interdicta est infeudatio feudi, iam deuoluti, vel cuius deuolutio immineret, sed etiam quicumque actus, per quem sequeretur lineæ prorogatio, atque maior feudi duratio.

Quatenùs itaque pertinet ad hunc punctum, probabilitér respondendum debere credidi, de lata, & benigna dictorum verborum interpretatione ex du-
3 plici fundamento. Primò scilicèt, quoniam

niam licèt in inuestitura recepta per procuratorem, qui nomine dicti Domicelli absentis, iuramentum præstitit, verba essent concepta *pro hæredibus, & successoribus* simplicitèr; Attamèn in mandato procuræ dicitur *pro hæredibus, & successoribus quibuscumque*; Istud etenim verbum, seù adiectum vniuersale *quibuscumque*, in hoc proposito cessare facit omnem quæstionem, quæ cadit, vbi dicatur *pro hæredibus, & successoribus* simplicitèr, cum illud verbum *quibuscumque* tanquam amplum, & effrenatum, comprehendit omnes hæredes, etiam extraneos, omnesque successores, non solùm vniuersales, sed etiam particulares, ex ijs, quæ passim habemus in materia emphyteotica, quotiés præsertim agatur de emphytheusi Ecclesiastica, cuius regularis natura est, non egredi hæredes sanguinis; Et in his terminis feudalibus, latè habetur in decisionibus, quæ hinc indè prodierunt in celebri *Sarsinaten. feudi apud Coccin. decis.* 2305. *repetit. apud Capic. Latr. consultat.* 75. *num.* 279. *& apud Dunozet. decis.* 748. *&* 760. *repetit. post Contrium decis.* 18. *&* 19. *ac etiam fuit apud Otthob. decis.* 265.

4 Difficultas etenim in eo casu cadebat, ex eo quòd præcederet verbum *filijs*, an scilicèt, ista alia verba magis ampla, *hæredum, & successorum*, starent famulatiuè, vel qualificatiuè, vt primo loco decisum fuit *coram Coccino*; Vel potiùs ampliatiuè, vt vltimo loco decisū fuit *coram Dunozetto, & Otthobono*, sed quando non præcedit dictum verbum *filiorum, & descendentium*, quod denotat successores sanguinis, tunc, accedente dicto verbo amplo, & effrenato *quibuscumque*, casus videtur extrà omnem dubitationem, dū huic verbo tradi solent etiam quædam improbabiles operationes enunciatæ *sub tit. de renunciat. disc.* 4. *& in eius adnotationibus*.

5 Et quamuis, vbi inuestitura restrictionem haberet ad solos heredes sanguinis, adeóut dignosceretur contrarietas inter mandatum, & inuestituram, amplitudo verborum mandati, nullius remaneret operationis, stante subsequuta ratificatione inuestituræ, per quam tollitur illa nullitas, quæ resultare dicitur ab excessu finium mandati, dum hic excessus operatur, vt principalis non remaneat obligatus ex facto procuratoris vltrà fines mādati, quatenùs ipse ratum non habuerit, secùs autem ratihabitione accedente, ex deductis *tit. de credito disc.* 84. & alibi pluriés.

6 Attamén, cum verba inuestituræ, sint ambigua, vel apta comprehendere, etiā hæredes, & successores extraneos, dum nullum præcedit verbum *filiorum, & descendentium*, seù aliàs restrictiuum hæredum sanguinis, hinc proindè mandatum rectè deseruire potest pro interpretatione.

7 Et secundó in idem ponderabam distinctionem, de qua suprà *disc.* 56. *&* 63. quòd scilicèt magna sit differentia inter casum illius veræ, & propriæ inuestituræ feudalis, per quam infeudans concedit infeudato rem suam; Et alterum casum huius inuestituræ, potiùs impropriæ, & intellectualis, per quam infeudans nihil dat de suo, sed potiùs acquirit, quia nempè infeudatus agnoscit rem suam in feudum ab ipso infeudante, habente rei dominium intellectuale ob præambulam occultam donationem. Primo etenim casu, strictiùs, & rigorosiùs proceditur, vt censeatur donatum, vel concessum quid minus, & cum ea lege, quæ est connaturalis qualitati bonorum, atque vt quo citiùs fieri potest ea redeant ad suam causam, & vnitatem.

Et nihilominùs, etiam isto casu concessio interpretanda videtur à sua causa, an ea scilicèt sit lucratiua, vel onerosa, vt in casu quo sit lucratiua, intret dicta stricta prohibitio ob strictam naturam, vel interpretationem donationis. In altero autem reflecti debeat ad quantitatē pretij, ex qua desumi solet quid sit voluntas Partium, istudque est magnum argumentum ad probandum quid in contractum deductum sit, iuxtà vulgatam, & receptā propositionem, frequentèr in omni ferè materia insinuatam; siuè reflectendum est ad alias facti circumstantias, ex quibus desumi valeat vna, vel altera verisimilis voluntas, cuius potiùs facti, quàm iuris reverà est quæstio, vndè propterea pro meo sensu erroneum videtur procedere cum solis generalitatibus, ad has distinctiones, & circumstantias non reflectendo.

In altero autem, in quo infeudans nihil det de suo, sed potiùs in actu infeudationis

dationis occultari dicatur dicta præambula donatio, quam feudatarius infeudanti faciat, tunc vtique diuersa intrat interpretatio ex eadem ratione, vt censeatur donatum quid minùs; Ac etiam habendo respectum ad finem, vel effectum, ob quem huiusmodi actus sequi solent, qualis est, vt ille Princeps, ob fines politicos ampliationis, vel munitionis eius principatus, acquirat illius loci dominium directum, & altum, eiusdemque loci dominum, & possessorem habeat in eius vassallum, & fidelem; E conuersò autem, ex parte illius, qui supponit rem suam, aliàs liberam illi seruituti, finis est itá obtinendi illam protectionem, suumque dominium ponendi in tuto ab aliorũ oppressionibus, iuxtá casus, de quibus *d. disc. 54. & 63.* In reliquis autem, ex verisimili voluntate vtriusque, res remanet in eius primæua natura, quotiès contrarium expresśè non dicatur, vt in consimili casu, sequutum fuit in statu Plumbini, de quo *d. disc. 54.* quod recepta fuit inuestitura in forma pacti, & prouidentiæ cum restrictione ad solos descendentes inuestiti, exclusis agnatis, descendentibus ab eodem primo eiusdem status conquisitore.

Alij in idem consulti ex parte eiusdem futuri emptoris, difficultatem habebant circa dictam restitutionem, ob alienationis prohibitionem in inuestitura contentam, quasi quod essent inter se contraria,
8 feudum esse transitorium ad hæredes, & successores quoscumque, & prohibitam esse alienationem; Verùm istud mihi nõ videbatur motiuum considerabile, quoniam cum de tempore huius inuestituræ concessæ per Pontificem Paulum V. iam prodijssent Constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. strictè prohibentes alienationem, etiam illorum Castrorum, & bonorum iurisdictionalium, quæ in natura allodij in hoc principatu à Baronibus, & domicellis possidentur, ad omnes transmissibilia; Idcircò ista prohibitio adiecta videtur pro exequutione, & obseruantia dictarum Constitutionum, ac etiam ad alios fines, & effectus, compatibiles cum transmissibilitate ad hæredes, etiam extraneos, vt frequens, & quotidiana praxis docet in Vrbe in concessionibus emphytheoticis, merè hæreditarijs, & transmissibilibus ad hæredes etiam extraneos, continentibus tamèn strictissimam alienandi prohibitionem, sine consensu Domini directi, qui absque iusta causa denegari non potest eodem modo, quo habetur *sub tit. de regal.* in officijs venalibus, tàm scilicèt ad effectum solutionis laudemiorum, aliorumque emolumentorum, quàm etiam vt Dominus sciat qualitatem personæ, ad quam bona transferenda sunt, ne transferantur in potentiorem, aut aliàs talis qualitatis, quod iustè denegare valeat assensum; siuè vt ipse ista occasione recognoscatur, meliùsque conseruetur probatio sui dominij, vel occurratur alijs fraudibus, & præiudicijs, quæ sibi parari possunt; Et per consequens stat benè simul prohibitio alienandi sinè consensu cum transmissibilitate ad quoscumque.

DE FEVDIS

DISC. CXII.

Tholosana Feudorum de Luxemburgo, seù de Ligny.

Pro Principe Bernardo cum Principissa Maria.

RESPONSVM.

De ordine successionis feudorum inter plures lineas, earumque masculos, & fœminas respectiuè; Et an idem ordo alterari possit per feudatarium in præiudicium successorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De puncto ad quem restringebatur difficultas causæ.*
3 *Quod non placeret via per quam alij ambulabant.*
4 *Fœminæ de linea admissa vincunt masculos alterius lineæ.*
5 *Linea iam admissa, sed exclusa, remanet tanquam extranea in concursu lineæ excludentis.*
6 *De proprio sensu pro directione causæ.*

7 *Quan-*

DISC. CXII.

1 RINCEPS Ludouicus de Luxemburgo, possessor antiqui feudi de Ligny, cum dignitate Comitatus, de anno 1505. in codicillis istud feudum, cum annexis, reliquit capiti armorum, seù domus, eiusque descendentibus sub strictissima alienationis prohibitione; istaque dispositio effectum sortita est in Carolo, ex fratre nepote, à quo transijt in Antonium filium, cùmque hic esset quoque possessor alterius feudi Brienny paritèr Comitatus dignitate decorati, vtrumque feudum, seù Comitatum de anno 1555. donauit Ioanni primogenito, inter quem, ac Antonium, & Franciscum fratres (sequuta morte patris) ortae fuerunt controuersiae, sopitae per concordiam de anno 1561. per quam dicta donatio effectum sortita est, dictique Comitatus penés ipsum primogenitum remanserunt alijs fratribus obtinentibus quaedam alia feuda, & bona.

De anno verò 1572. inter eosdem fratres inita est conuentio, vt praefatus Comitatus de Ligny, ad formam dictorum Codicillorum Ludouici, deberet semper esse praecipuus masculi maioris natu, qui deferret nomen, & insignia domus de Luxemburgo, cum alijs pactis ad rem non facientibus, super alijs castris, & baronijs; defunctoque dicto Ioanne, superstitibus Carolo, Diana, & Aloysia filijs, eodemque Carolo sine prole defuncto, orta est controuersia super dicto feudo, seù Comitatu de Ligny, inter Aloysiam auiam dicti Principis Bernardi, & Franciscum praedictum fratrem secundogenitum Ioannis, atque de anno 1611. in vim dictae conuentionis anni 1572. Franciscus obtinuit fauorabile arrestum, cui Aloysia per quandam concordiam acquieuit, vndè propterea Fràciscus donec vixit, Comitatum possedit, ipsoque defuncto, in eo successit Henricus filius, quo paritèr sine prole defuncto, superstite Carlotta, contra istam, praefata Aloisia, litem instituit, reassumptam per dictum Principem Bernardum, Aloysiae nepotem ex Carolo filio, contrà dictam Mariam Carlottae filiam, cuius vir, nomen, & insignia de Luxemburgo acceperat eodem modo, quo fecerunt praefatus Bernardus, & Carolus eius pater; Istaque diuturna lite adhuc pendente, supèr eius meritis ex parte eiusdem Bernardi, consultus fui.

In discursu autém transmisso, super quo responderi petebatur, duo continebantur praesupposita; Primó nempè, quód feudum esset antiquum in prouincia, in qua viuatur iuxtà leges, seù consuetudines feudales, quódque in eadem prouincia vigeat lex particularis, expressè disponens, vt feuda decorata dignitate sint indiuidua deferenda cum ordine primogeniturae; Et secundò, quód foeminae, earumque descendentes essent quoque capaces, ad instar feudorum, quae sunt in Regnis vtriusque Siciliae, ex deductis suprà *disc.13.*

Atque in eodem discursu desupèr tràsmisso, non impugnando, sed potiùs praesupponendo praefatam conuentionem anni 1572. ad fauorem masculorum, totum
2 fundamentum constituebatur pro Bernardo, in praerogatiua lineae, quòd scilicèt cum contentio esset inter aequè foeminas, vel descendentes ex eis; hinc proindè linea primogenita, de qua erat Bernardus, praeualere deberet, quodq; propterea per mortem Henrici vltimi masculi, successio aperta esset Aloysiae, filiae Ioannis primogeniti potiùs, quàm Carlottae filiae Henrici vltimi possessoris, ità insistendo supèr ordine graduali, de quo suprà *disc.13. & latiùs in decis. Siciliae, in eo casu adita, & registrata hoc eod. lib. & tit. de fideicom. disc.15. & 34. & in eius annotationibus*; Et cum hoc sensu postscripta praesuppositum fuit processisse.

Alios in Curia, & extrà, desupèr consultos,

fultos, maiorem, imò totam vim constituendo in comprobatione conclusionis super dicta prærogatiua lineæ, quæ vincere debet tàm gradum,quam sexum & ætatem, magnum desupèr faciendo cumulum allegationum, atque admittendo, quòd successio regulanda esset ex persona Henrici vltimi de linea masculina secundogenita.

Quamuis autem, stantibus dictis præsuppositis, ac iuxtà ea, quæ proponebantur, non tamèn visis iuribus alterius
3 partis, pro eodem Bernardo respondendum fore, mihi quoque visum fuerit; quódque in ista successione potiores essent eius partes; Non tamèn placuit illa via, quæ vt suprà tenebatur; siquidem admisso iure Francisci, & Henrici eius filij, ad formam præfatæ conuentionis, adeòvt successio regulanda esset ex persona dicti Henrici; tunc ad fauorem Carlottæ, eiusdem Henrici filiæ, potiùs re-
4 sponderi debuisset, ex eadem conclusione, de qua *d. disc. 34. de fideicom.* vbi allegantur *Fontanell. Castrill. & alij antiquiorum relatores*, quòd scilicèt fœmina superstes de linea admissa, seù ingressa, vincat masculos alterius lineæ remotioris; Et per consequens, quòd non daretur ordo retrogradus, vt defuncto masculo de linea secundogenita, qui excludit fœminam de linea primogenita, ista fœmina exclusa reassumeret suum ius succedendi ex prærogatiua lineæ, quamuis sit remotior in exclusione filiæ masculi deficientis, dùm potiùs intrat regula, quòd fœmina semel exclusa, remanet perpetuò exclusa, per excludentem eiusque posteritatem, idcóque successio regulanda est ex persona excludentis inter cuius descendentes intraret idem or-
5 do gradualis cum prærogatiua lineæ, nulla ratione habita alterius lineæ primogenitæ, dum illa iam annihilata fuerat, ideóque habenda venit pro iam extincta, seù effecta extranea per admissionem alterius lineæ masculinæ secundogenitæ, quæ contendebat de continuatione, iuxtà distinctiones, de quibus *in annot. ad disc. 15. de fideicommiss.*

Credebam itaque, vt potiùs insistendum esset in ista cõclusione continuationis successionis ex eadem linea, etiam fauore fœminarum, in exclusionem alterius lineæ iam exclusæ, vel non admissæ, quódque ex eadem, bonum ius assisteret Bernardo, ex diuerso tamen præsupposi-
6 to, impugnando scilicèt validitatem dictæ conuentionis anni 1572. & per consequens, quód ea non obstante, per mortem Ioannis primogeniti, seù Caroli eius filij, successio aperta esset ad fauorem Aloysiæ, filiæ, ac sororis respectiuè in exclusionem Francisci, ita negando initium ingressus in lineam Francisci, stipitis Mariæ aduersariæ, ex eadem regula prædicta, quod fœmina superstes ex linea primogenita admissa, vincat masculos transuersales, ac remotiores alterius lineæ secundogenitæ, & subsidiariè vocatæ.

Tunc etenim caderet hæc inspectio super prærogatiua lineæ, quæ vinceret gradum, ac sexum, & ætatem, quando
7 omninò defecta esset linea possessoris, adeòvt ageretur de nouo concursu plurium personarum, ex diuersis lineis, quæ omnes venirent ex integro pro nouo ingressu, iuxtà casum successionis Regni Portugalliæ, cum aliis *in dd. annot. ad disc. 15. de fideicomm.* sed vbi possessor, in cuius lineam successio legitimè ingressa est, relinquit prolem, quæ sit capax, tunc locus est continuationi, quæ eatenùs cessat, quatenùs obstet incapacitas, vel prælatio ratione sexus, iuncti cum qualitate agnatitia, quatenùs agnationem tenetur, vel lex contempletur, ex latè deductis *in d. decis. Siciliæ*.

Hinc proindè, eædem erant conclusiones iuris, quæ vtrique contendentium
8 assistebant, punctus autem erat in applicatione, ad quam hodiè reverà omnes penè controuersiæ restringuntur, quoniã si dicta conuentio anni 1572. esset valida, conclusiones assistebant Carlottæ, & Mariæ eius filiæ, dum successio regulanda erat ex persona Henrici. E conuersò autem, si non esset valida, assistebant Aloysiæ, & Bernardo eius nepoti, dum successio regulanda erat ex persona Ioannis patris, vel Caroli, fratris Aloysiæ; ac propterea semper magis, ac magis edocemur, quàm erroneum sit procedere cum generalitatibus, vel totam vim constituere in conclusionibus, earumque comprobatione cum inani allegationum cumulo, non benè distinguendo casus, neque reflectendo ad eorum diuersas circumstantias, ex quibus reverà causa-

causarum decisiones pendent.

Restricta itaque, pro meo iudicio, difficultate ad punctum validitatis, vel inualiditatis dictæ conuentionis anni 1572 pro eius inualiditate respondendum videbatur, quoniam cum ageretur de feudo antiquo pacti, & prouidentiæ, deco-
9 rato dignitate, ideoque tàm de iure feudorum, quàm fortiùs ex legibus regionis, regulando ad formam iuris Francorum, cum ordine primogenituræ, ità clarum remanebat, quòd Ioannes primogenitus, non potuit præiudicare eius filijs, & descendentibus, cum id solùm concedatur in feudis nouis acquisitis titulo oneroso, ex relatis suprà *disc. 9. & 10.* vbi concordantes frustrà transcribendi; Quotiés non accedat explicitus consensus Domini, qui sit Princeps supremus habens potestatem derogandi legibus, atque tollendi ius tertij, adeòvt accedant copulatiuè voluntas, & potestas, ex ibidem deductis.

De isto autem Principis assensu præsupponebatur non constare; Nequè ille
10 deduci poterat præsumptus ob diuturnā obseruantiam legitimi temporis, iuxtà ea, quæ habentur *tit. de dote disc. 143. & & tit. de alien. & contract. prohib. disc. 1. & 3.* & in terminis feudalibus *post Frecc. de subfeud. lib. 2. de assens. quæst. 28. Fab. de Ann. cons. 112. num. 1.* cum non assisteret factum, ob interruptionem obseruantiæ cum litibus, quinimò cum recessibus à dicta conuentione infrà annos triginta.

Supponebatur, quòd per alteram partem constitueretur fundamentum in eo, quod dicta conuentio anni 1572. sequuta esset per viam transactionis, quæ proindè apta esset obligare successores, veniẽtes etiam ex persona propria ex deductis
11 suprà *disc. 49.* Verùm istud videbatur fragile fundamentum, cum nulla desupèr adesset lis probabilis, adeòvt verificari posset illa bona fides, cuius ratione transactio esset obligatoria successorum uenientium ex propria persona; Et quod, magis est, nil per eam reseruabatur successoribus per lineam fœmininam ex primogenito; Et per consequens nullus superesse videbatur prætextus, cuius ratione ista concordia esset substentabilis.

Minùsque videbatur subsistere alterũ fundamentum præfatæ dispositionis co-
12 dicillatis Principis Ludouici de anno 1505. quoniam cum etiam in eo supponeretur, quòd feudum esset antiquum, idcircò intrabat idem defectus potestatis; Ac etiam quia hæc dispositio continebat idem, quod importat ius commune feudale in feudis indiuiduis, cui etiam conformat ius particulare regionis, quód scilicèt feudum deberet semper esse præcipuum capitis armorum, seú capitis domus, quod sonat in idem, ac dicere vt
13 spectare deberet ad primogenitum, seù natu maiorem, quod regulandum venit ex ordine linearum; Et per consequens, data capacitate fœminarum, eo modo quo in præfatis Regnis vtriusque Siciliæ, per mortem Caroli filij Ioannis primogeniti, ex tunc feudum apertum fuit Aloysiæ, malèque occupatum per Franciscam à qua Maria ius metiebatur.

Ità mihi respondere visum est, recedendo á via, per quam alij ambulare videbātur, Non potuit autem omninó certum, ac maturum iudicium desupér efformari, cum ignota essent fundamenta, seù præsupposita alterius partis, ità respondendo cum præsuppositis discurrentis pro hac parte.

DE FEVDIS

DISC. CXIII.

Ianueñ. Feudorum:

PRO PRINCIPE AB AVRIA.

Consilium pro directione.

Concessio feudi Patri, & filijs an censeatur ordine simultaneo, & successiuo, & quid de concessione facta viro, & vxori; An feudatarius alterare possit ordinem successionis in præiudicium vocatorum.

Et de renouatione petenda per nouum successorem feudi, an peti valeat ante factum casum successionis, sine consensu possessoris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Sensus Auctoris super directione.*
3 *Distin-*

3 *Distinguuntur puncti, siue inspectiones.*
4 *Concessio facta patri, vel matri, & filijs, an intelligatur ordine simultaneo, vel successiuo.*
5 *Quomodo intelligenda sit concessio facta viro, & vxori.*
6 *De potestate Principis alterandi inuestituram, & tollendi ius agnatorum.*
7 *De successione consortis in feudo indiuiduo.*
8 *De renouatione petenda per nouum feudi successorem.*
9 *Concessio renouationis facta ante factum casum successionis, non praeiudicat facultati disponendi, quam feudatarius habeat.*
10 *De potestate Principis tollendi ius tertij, eique praeiudicandi.*
11 *Quando consensus possessoris feudi requiratur in renouatione, qua alteri concedatur.*
12 *De errore Pragmaticorum.*
13 *Quando dicatur concessio ex causa onerosa.*
14 *Aliqua alteratio non immutat naturam feudi antiqui.*
15 *An solemnitates statuti loci originis feudatarij, requiratur in actibus, qui fiant in feudo diuersi Principatus.*

DISC. CXIII.


1 ONCESSIS per Imperatorem Carolum V. de anno 1551. Augustino Lando, Principi Vallis Taræ, feudis Bardi, cum titulo Marchionatus, & Compiani cum titulo Comitatus, in forma pacti, & prouidentiæ pro descendentibus masculis cum ordine primogenituræ; Cùm Fridericus Augustini ex filio nepos primogenitus feudorum possessor vnicam haberet filiam Mariam Polixenam destinatam vxorem Melphiæ Principi Io: Andreæ ab Auria; De anno 1626. ex gratia speciali cum solutione scutorū 50. mil. sub nomine laudemij, reiecta oppositione Hyppoliti agnati, obtinuit ab Impeatore Ferdinando II. prædictorum feudorum nouam inuestituram pro dictis Maria Polixena, & Io: Andrea, eorumque filijs, & descendentibus masculis, cum eodem ordine primogenituræ, idemque ordo statutus fuit in tabulis dotalibus, de anno sequenti initis super matrimonio; Prædictoque Friderico defuncto, ijdem coniuges de anno 1640. in Regno Sardiniæ, cuius Præfecturam, vel Præsidatum nomine Regis Io: Andreas exercebat, primogenituram quoque ordinarunt, in Andrea communi filio; Atque de anno 1641. defuncto etiam Io: Andrea, Maria Polixena obtinuit ab Imperatore renouationem feudorum, pro se tantùm eius vita durante, & post eius mortem pro dicto Andrea, qui tamen factus maior, atque prætendens ordinem, vel ius simultaneū, curauitde anno 1648. obtinere aliam renouationem dicti iuris simultanei canonizatoriam, quæ tamen de anno 1654. per sententiam consilij aulici moderata fuit, illam reducendo ad limites renouationis anni 1641. super ordine successiuo; Defunctoque etiam Andrea, superstite Io: Andrea pupillo, eius tutor de anno 1659. curauit renouationem obtinere cum clausula præstationis iuramenti, postquam pupillus factus esset maior, vndè propterea cum idem factus maior peteret admitti ad præstationem iuramenti, ab eodem Consilio aulico prodijt rescriptum, quod audiretur pro eius iuribus præfata Maria Polixena auia, dictorum feudorum posseditrix; Atque in hoc statu, in otio Villæ Tusculanæ, ex parte præfati Principis Io: Andreæ consultus fui, an expediret acquiescere consensui, quem auia beneuolè præstare offerebat renouationi, sub clausula sine eius præiudicio, vt propterea nonnisi post eius mortem effectum sortitura esset ordine successorio; Vel potiùs neglecta oblatione, ea citata, petitionem prosequi in forma contentiosa.

Respondidi, quod neutrum pro meo sensu faciendum erat, dum ista renoua-
2 tio, vel non erat necessaria, vel non sufficiebat, vnde propterea videbatur diligentia, & impensa inanis, cuius nullus erat effectus, adeóvt cum æquiuoco procedere viderentur eiusdem Principis cōsiliarij, qui opportunam, imò necessariam huiusmodi renouationem putabant, ad effectum ponendi eius iura in tuto, ac se assecurandi ab aliqua suspicata dictæ Principissæ gratificatione in huiusmodi feudorum successione.

In hoc itaque Responso, in præfato otio ædito, tres pro aliqua dictorum Consiliario-

filiariorum instructione, & pro æquiuo-
3 cis tollendis constituebam inspectiones. Primó scilicèt circá ordinem successionis inter ipsum Principem, & præfatam eius auiam annexum, & simultaneum, vel successiuum. Secundò super renouatione, de qua agebatur, an pro ea requirerertur Principissæ auiæ consensus; Et tertiò super dicta concepta suspicione gratificationis, alterius filij secundogeniti.

Quatenùs pertinet ad primum, dixi quod pro meo sensu iusta videbatur sententia Consilij aulici, lata de anno 1654.
4 quæ defert integram pertinentiam feudorum Principissæ, donec viueret, quodque ius Andreæ eius filij primogeniti esset successorium post mortem matris, non autem simultaneum, quoniam cum de tẽpore primæ inuestituræ anni 1626. idem Andreas filius adhuc in rerum natura non esset, adeóvt cadere non posset ratio meriti, vel affectionis personalis, hinc proindè de plano sequitur, quod concessio feudi facta patri, vel matri, & filijs, intelligenda veniat ordine successiuo, non autem simultaneo, qui solùm intrat in illa inuestitura feudali, quæ cõcessa fuerit patri, & filio per nomina appellatiua, & in ratione coæqualis meriti, & seruitij, secùs autẽ vbi concessio facta esset ex causa onerosa, vel meritoria, quæ solùm patrem respiceret, quoniam tunc etiamsi filius esset in rerum natura, atque per nomen appellatiuum vocatus, adhúc eius vocatio censenda esset ordine successiuo potiùs, quàm simultaneo, iuxtà veriorem, magisque receptam distinctionem, de qua suprá *hoc eod. tit. disc.* 75. vbi referuntur concordantes frustrá trãscribendi; Multó igitur magis isto casu, in quo vtraque circumstantia concurrebar, quòd scilicèt filius adhuc non erat in rerum natura, atque concessio reverá non erat noua, sed solùm continebat alterationem antiquæ, vt infrá.

Ratio dubitandi pro simultanea, & coæquali successione filij cum matre, in eo consistere videbatur, quód cum dicta
5 noua inuestitura anni 1626. facta esset, tàm Io: Andreæ viro, quàm Mariæ Polixenę vxori simultaneè, adeóvt essent ambo coæqualitèr feudatarij, hinc proindè viri transmissum esset in filium primogenitum, eius hæredem, & successorem in Principatu Melphiæ, alijsque feudis, non autem in vxorem, cuius nulla est successio in feudis; quinimó neque in bonis indifferentibus in concursu filiorum, vel collateralium vsque ad decimum gradum.

Id autem continere dixi æquiuocum clarum, quoniã vbi etiam ista esset concessio omninó noua, & ex integro, adhuc tamen cum illa esset principalitér in gratiam vxoris, eiusque patris, iuxtà præmissam facti seriem, & (quod magis est) ageretur de feudo dignitatis indiuiduo, itá vir adiunctus videbatur potiùs accessoriè, & famulàriuè pro exercitio illius administrationis, quam ipse in bonis vxoris habere dicitur, dominium verò, seù ius inuestituræ esset potiùs penés ipsam mulierem, cuius intuitu principalitér concessio facta sit, ad instar eorum, quæ in casu conuerso de inuestitura obtenta per virum pro se, & vxore habentur *sub tit. de emphyt. disc.* 41. vbi concordantes.

Multó veró magis cum ista non esset noua concessio, sed solùm immutatio inuestituræ antiquæ, quód scilicèt cum illa esset pro descendentibus masculis tantùm, vndé propterea cum per mortem dicti Friderici exclusa propria filia, feuda deferri debuissent ad proximio-
6 rem agnatum descendentem ab Augustino primo acquirente; Imperator Dominus directus vtendo illa suprema potestate, de qua habetur actum *sub tit. de regal. disc.* 148. tollendo ius agnati, habilitare voluit fœminam aliàs incapacẽ, ita illam fingendo masculum, eique adiungendo virum tanquam stipitem filiorum, & descendentium masculorum, pro quibus antiqua feudi natura non immutata, etiam ista noua concessio facta erat; Ad instar illius concessionis officij, cuius sit incapax fœmina, quæ fiat viro, ipsius tamen fœminæ intuitu, & contemplatione, quód scilicét vir stare dicitur famulatiuè, siué tanquam adiunctus in ratione administrationis, non autem dominij, vel iuris proprij transmissibilis ad proprios successores, *vt disc.* 35. *de regal.* idcóque viro moriente, nullus intrabat
7 ordo successorius, quinimó neque illud ius accrescendi, vel non decrescendi, quód inter plures possessores feudi habitualitèr indiuidui, consideratur suprà *disc.* 8. sed solùm eius mors, importaret cessa-

Suppl. Th. lib. 16. de Feud. H 2

cessationem administrationis, vel illius iuris, quod marito feudatariæ, vel Principissæ, durante matrimonio competeret, vt habetur *sub tit. de dote disc.* 146.

Hinc circà secundam inspectionem, seù punctum renouationis, quæ disputandi occasionem præbebat, resultare dicebam, quod incongrua, & intempestiua esset petitio, vtpoté non necessaria, vel non sufficiens, ob dilemma clarum, quod, Aut Principissa possedittrix feudi, habet facultatem faciendi suspicatam gratificationem, seù dispositionem fauore alterius filij secundogeniti, aut non; si non habet, (vt omninó veriús esse dicebam,) & tunc nil refert, quod nó adesset hæc renouatio, cum nullibi in iure
8 feudali cautum sit, vt feudi successor teneatur ante factum casum successionis, renouationem petere, atque iuramentum præstare, dum id faciendum est post adeptam successionem intra annum, & diem, ex ijs, quæ habentur suprà *disc.* 52. & 59. nisi lex inuestituræ terminum breuiorem præfigat, vt contingit in feudo Regni Neapolitani ex deductis apud *Aponte decis.* 1. cum similibus.

Aut veró dicta feudataria potest disponere, siue peruertere ordinem successionis, & tunc paritèr, nil suffragaretur, quod proximè successurus, cui in casu non factæ dispositionis successio debita
9 sit, hanc intempestiuam renouationem obtineat, atque cum iuramenti præstatione recipiatur, seù recognoscatur à Domino, quoniam id solùm operatiuum est respectu ipsius Domini, qui contentetur recipere hanc anticipatam solutionem illius debiti, quód post factum casū intrà dictum terminum soluendum erat, cum præsupposito tamen, quòd futurus esset debitor ille, á quo solutio anticipata recipiatur; sed non exindè sublata censetur facultas, quam feudatarius haberet disponendi, vel gratificandi.

Quamuis emissa ex veriori sententia, in foro externo recepta, Dominus, quan-
10 do est Princeps supremus, derogare possit iuri tertij, quod ex eius concessione, vel aliás iure positiuo manat, quidquid aliqui terminos inuoluendo, atque non distinguendo illum dominum directum, qui sit priuatus, vel inferior, & alterum qui sit supremus, præsertim omninó independens, aliqui de hac potestate dubitent ex insinuatis suprà *in annot. ad disc.* 9. & 12. & *disc.* 148. *de regal.* atque de facto docet praxis istorum feudorum in facti serie insinuata.

Nihilominùs, vt aduertitur in locis proximé citatis, & præsertim *d. disc.* 148. *de regal.* vbi latiùs de hac materia potestatis tollendi ius tertij, id non præsumitur, atque de tali voluntate debet clarè constare, quod vtique per huiusmodi concessiones, & renouationes probari non dicitur.

Hinc de consequenti inspectio, an requireretur consensus feudatarij viuentis,
11 ac possessoris feudi, extranea remanebat á casu quæstionis, dum talis consensus desiderari solet in inuestituris abusiuis, seù præuentiuis, quæ de feudo pleno, etiam sub hoc vocabulo renouationis, quód pro aliquarum regionum moribus adhiberi solet, fiat extraneo, tanquam de feudo iam deuoluto, idest ex nunc pro tunc, pro quando casus fieret, quoniam, cum in huiusmodi abusiuis cōcessionibus de bonis viuentium, ab illis Doctoribus, qui confundunt terminos iuris communis, cum terminis feudalibus, considerari soleat illa ratio, quæ resultat à voto captandæ mortis; Hinc proindé ad remouendum hoc obstaculum, desiderari solet iste consensus, ex ijs, quæ in materia huiusmodi abusiuæ inuestituræ habentur *sub tit. de regal. disc.* 3. *tit. de emphyt. disc.* 1. & 2. *ac etiam tit. de pension. disc.* 1. & *alibi*; Ideóque edocemur, continuum, & quotidianum adeò frequētèr insinuatum errorem professorum hu-
12 ius facultatis, inepto more pragmatico procedentium cum sola littera auctoritatum, non reflectendo ad terminorum, & casuum diuersitates.

Demùm, quatenùs pertinet ad tertiam inspectionem, an scilicet Principissa auia feudorum possedittrix, dictam suspicatam gratificationem facere posset; Dicebam, quod nisi accederet suprema, & absoluta potestas Imperatoris, qui ex certa voluntate ordinem successionis peruertere velit, casus erat indubitatus pro negatiua, etiam vbi dicta inuestitura anni 1526 esset omninò noua, atque feudum nouū importaret in ipsa Principissa prima feudataria, dum non per hoc ipsa dici poterat prima acquirens titulo oneroso; Tùm quia dicta summa scutorum, seù tallarorum

rum 50. mill. quæ sub nomine laudemij soluta fuit, dici non potest causa onerosa, quæ veré, & propriè dicitur, quando
13 adæquet valorem, vel ei approximet iuxtà casum illius concessionis, de qua suprà *disc. 54. & seqq. & 59.* & in plerisque alijs *in hoc eod. tit. & in altero de emphyt.* vel saltém quod excedat medietatem, adeóvt intret illa præponderantia, quæ considerari solet in materia iurispatronatus, ex deductis *tit. de iurepatronat. disc. 10. & 65.* Tùm etiam quia dicta summa soluta nõ fuerat per ipsam Principissam inuestitam, sed per Principem Federicum patrem, ex cuius prouidentia potiùs hoc beneficium obtinebatur, ideóque ipsa rectè dici poterat prima acquirens ex causa lucratiua.

Dicebantur autem hæc ad superabundantiam, dum veriùs est, quód ista essent feuda antiqua, ex dicta inuestitura Imperatoris Caroli V. vsque ab anno 1551.

Ista veró anni 1626. aliud non conti-
14 net nisi quandam dispensationem agnatis præiudicialem, vt filia feudatarij, habere deberet in eorum exclusionem pro masculo, atque esset capax successionis, quam aliàs obtinere non potuisset, ideóque pro ista dispensatione potiùs dicta summa, quàm pro noua concessione feudi dicta summa soluta fuit.

Credebant discurrentes de partibus, vt transmissæ notulæ ostendebant, quod potissimum fundamentum istius defectus
15 potestatis peruertendi ordinem successionis, & primogenituræ, proueniret ab erectione primogenituræ, facta per dictos coniuges de anno 1640. in Insula Sardiniæ, vt suprá; Et quoniam ille actus munitus non erat illis solemnitatibus, quæ ex statutis Ciuitatis Ianuæ requiruntur in contractibus mulierum; Hinc proindè magnum assumebant laborem in disputatione quæstionis, de qua in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. prohibit.* ac etiam *sub tit. de donation.* an scilicèt, & quando in contractibus, qui fiunt per subditum extrá territoriũ statuentis, requirantur huiusmodi solemnitates statutariæ. Istum autem dicebam inanem laborem: Tùm quia, seclusa etiam præfata conuentione, ius primogeniti erat certum, ac indubitatum vt suprá; Tùm etiam quia, ad instar eorum, quæ habemus in beneficialibus, in his, quæ concernunt feudum, feudatarius dicitur in omnibus subditus domini feudi, non autem alterius domini, vel superioris loci originis, vel domicilij, dum ita eadem persona materialis, formalitér consideraretur multiplex, & omninó diuersa ex deductis *disc. 90. de iurisd. & pluriès in præcedentibus.*

DE FEVDIS

DISC. CXIV.

Ianuen. Feudi Arquati.

Pro Marchione Iulio Spinola cum Marchione Gherardo fratre.

Casus disputatus in Cesareo Consilio Aulico, vbi pendet.

An habente facultatem peruertendi ordinem primogenituræ, gratificante secundogenitum, deindèque reuocante hunc actum, & faciente nouam dispositionem inutilem ob diuisionem feudi, reuiuiscat prima dispositio fauore secundogeniti, vel potiùs primogenitus succedat in vim inuestituræ tanquam ab intestato.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *In feudis dignitatis succeditur cum ordine primogenituræ, & num. 6.*
3 *Per secundum testamentum reuocatur primum, etiamsi secundum non habeat effectum.*
4 *De alio casu, in quo condito duplici testamento neutrum subsistat.*
5 *Quid in milite, & num. 12.*
6 *De eodem, de quo num. 2.*
7 *Diuisio feudi est prohibita, & est species alienationis.*
8 *Si habens facultatem, illa malè vtatur, actus est, ac si non esset factus.*
9 *De reuocatione primi testamenti, per secundum etiam ineffectuatum, vt n. 3.*
10 *Qualitas hæreditaria cum beneficio legis, & inuentarij præseruat omne ius.*

11 *De eadem materia reuocationis testamenti.*
12 *De eodem, de quo num.5. in milite.*
13 *De secundo testamento condito ad suggestiones, aut cum malis artibus extorto, an operetur reuocationem primi.*
14 *An habens potestatem erigendi maioratum, possit erigere duos, vel plures, & de pluribus speciebus maioratuum.*
15 *Feudum indiuiduum cum ordine primogenitura, dari potest etiam in bonis, aliàs liberis, & allodialibus, receptis in feudum.*
16 *De difficultate, qua cadere posset in causa.*

DISC. CXIV.



1 CVM Philippus Spinola ex maiorum successione possessor vnius quindeni antiqui Imperialis feudi diuidui Arquati, acquisiti ab alijs agnatis de Spinolis condominis, alijs tresdecim quindenis, ac etiam quibusdam bonis allodialibus intrà eiusdem feudi fines existentibus, obtinuisset ab Imperatore domino directo, illud erigi in feudum indiuiduum regale, & dignitatis, cum titulo liberi Marchionatus Imperialis, & cum iuribus regalibus, cudendi monetas, creandi Doctores, & Notarios, aliaque similia gerendi, quæ huiusmodi Imperialibus feudatarijs dignitatis competere solent, statuto in successione ordine primogenituræ, qui feudis indiuiduis dignitatis ad instar Regnorum est connaturalis, cum consueta primogeniti successoris pro tempore obligatione suppeditandi secundogenitis alimenta, seù vitam militiam; ità tamen, vt eidem facultas competeret peruertendi in primo successionis gradu, ordinem primogenituræ, adeòvt excluso primogenito, gratificari posset secundo, vel vltró genitũ; Ipse veró duos haberet filios, Iulium scilicèt primogenitum, & Gherardum secundogenitum, inter se pro fratrum consuetudine parùm concordes, in testamento condito de anno 1664. Gherardum secundogenitum hæredem vniuersalem instituit, dictique feudi successorem elegit; Eius verò morte imminente, sub die 14. Maij 1669. sequuta inter dictos fratres quadam concordia, mediante opera, & interpositione pro more Ciuitatis Ianuensis, cuiusdam qualificati Notarij, istoque dictam concordiam insinuante patri, hic eadem die per acta eiusdem Notarij, aliud condidit testamentum, in quo expresśé reuocato primo in omnibus eius partibus, & præsertim in primogenitura feudi ordinata fauore Gherardi, ambos filios æqualitèr hæredes vniuersales instituit in dicto feudo sub reseruatione beneplaciti Imperialis, duas fauore vtriusque, eorumque descendentium, ordinando primogenituras.

Sequuta veró morte testatoris, Gherardus acceptando secundum testamentum, eius vigore, coram Prætore Ciuitatis Ianuæ, communis patriæ, declaratus fuit hæres pro dimidia; Iulius autem paritèr cum beneficio legis, & inuentarij eiusdem secundi testamenti vigore, paternam hæreditatem pro sua virili adiuit, cum protestatione tamen de non confundendis iuribus, & actionibus ex persona propria sibi competentibus, quibus præiudicium non inferri declarauit; Imperator autem super dicta duplici primogenitura, beneplacitum denegauit; Atque hinc super dicti feudi successione, introducta causa in Cæsareo Aulico Consilio, tanquam Iudice competenti, prodijt sententia, deferens totum feudum Gherardo secundogenito, vndè in gradu reuisionis, per Iulium ad eius iura ruendum requisitus.

Pro dictæ sententiæ infirmatione, totiusque feudi delatione Iulio primogenito, ad formam inuestituræ Imperialis, vtroque testamento neglecto, veriùs de iure respondendum esse censui; Vbi etenim Philippus communis Pater ab intestato decessisset, tunc absolutum, atque extrà omne controuersiam esse dicebã,
2 quod tàm de iure, quàm clariùs ex lege inuestituræ feudum, vtpoté iam effectum indiuiduum, & dignitatis cum ordine primogenituræ, deferendum totum debitum esset Iulio primogenito, quodque Gherardus secundogenitus aliud prætendere non posset, nisi alimenta, seù vitam militiam, ex deductis suprà *disc. 8. & 9. & sæpiùs*. Atquè hinc sequi aduertebam causæ, vel controuersiæ nodum restringi ad punctum validitatis, vel efficaciæ

ficaciæ prædictorum testamentorum, & an primum, vel secundũ, vel potiùs neutrum attendi deberet, quodque ista posterior pars esset probabilior, vt neutrum attendendum esset.

Non videbatur etenim attendendum 3 primum, vtpotè iam reuocatum per posteriùs in suo genere validum, & perfectum, *ad vulgat. tex. in §. posteriore instit. quib. mod. testam. infirment. cum concordan. per Harprecht. ibid. num. 1. & seqq. relatis*, atque habetur *sub tit. de testam. disc. 33. & sæpiùs*.

Idque verùm, etiamsi posterius effectum non sortiatur, quia nempè hæres in eo scriptus prædecedat, vel nolit, aut non possit esse hæres; Ac propterea rectè datur casus, quod ille, qui duo, vel plura confecerit testamenta, decedat intestatus, quia nempè priora sublata sunt per posterius, istud verò sine effectu remaneat, vt literalitèr disponitur *in d. §. posteriore vbi omnes*.

Idque in praxi aliquando contigit, nõ solùm ob casus in allegato textu recensitos, sed etiam ex defectu formæ probantis, quia nempè testatore coram Notario, & testibus, in numero opportuno, 4 testante in forma testamenti nuncupatiui, nuncupatione implicita per relationem ad schedulam clausam, tertio, vel Notario cõsignatam, iuxtà formam traditam per *Bart. in l. si ita scripsero ff. de condit. & demonstrat.* de qua plené, & ex professo agitur *in d. tit. de testam. disc. 1.* quoniam per hoc posterius testamentum reuocatum remanet primum, & tamen posterius remanere potest sine effectu, ob defectum non bene probatæ identitatis schedulæ, ad quam relatio habita sit, ideóque duplici testamento non obstante, testator decedat intestatus, vt per *Alex. cons. 37. n. 1. & 3. lib. 1. Mart. de success. legal. par. 4. quæst. 4. art. 5. num. 52. & seqq.* & firmatum fuit *per Rot. in Rauennaten. testamenti super primo 5. Iunij 1671. coram Vicecomite*, atque agitur in sua sede *sub tit. de testam. in Supplemento*.

Clariús verò, ac extrà omnem dubitandi rationem, quoniam in posteriori testamento nominatim, & expressè reuocatur dispositio, quæ in priori facta erat super primogenitura, & successione in hoc feudo, vndè propterea cadere non poterat illa dubitandi ratio, quæ, ista 5 expressione non facta, resultare posse ponderabam ex dispositione *tex. in l. quærebatur 20. & l. militis 37. §. 1. ff. de militar. testam.* vt militi (qualis est feudatarius) concedatur id, quod pagano denegatur, decedendi, scilicèt, cum duplici testamento, in quorum vno de castrensibus, & in altero de paganicis disponere voluerit, dum expressè patebat, quod in posteriore de vtroque patrimonio disponere voluit, atque in vtroque primum reuocare, irritumque reddere.

Sublato autem primo testamento, absolutum esse dicebam, quod Gherardus secundogenitus prætendere non posset totum feudum, in eo sibi relictum; Ac propterea, quod sententia remaneret sine dubio iniusta, solùmque restringi videbatur quæstio ad posterius testamentum, in quo eidem Gherardo, suæque posteritati relinquitur feudum pro medietate, an scilicèt saltém istam obtinere deberet.

Et in hoc, iuxtá iam notorios, ac absolutos terminos feudales, de quibus *d. disc. 8. & 9. ac sæpiùs*, negatiuè respon- 6 dendum esse dixi, quoniam feuda dignitatis etiam, vbi per legem inuestituræ nõ exprimatur, sunt indiuidua *ex constitutione Friderici Imperatoris in l. Imperialem §. præterea Ducatus de prohibit. feudi alienat. per Frideric.* & est communis sensus penè omnium feudistarum, quos plenè de more cumulat *Rosenthal. de feud. c. 9. conclus. 55. in prima glos. litt. A. Menoch. cons. 401. num. 18. & seqq. Bellon. iun. cons. 55. num. 35.* ex auctoritate *Oldrad. cons. 237. & Abb. cons. 3. lib. 2. cum concordantibus suprà d. disc. 8. & 9. & in alijs*.

Multó verò magis, dum accedebat etiam expressa lex inuestituræ, per quam demandatur hæc indiuiduitas, cum ordine primogenituræ, quam etiam ipsemet primus inuestitus alterare non posset, dum ei solùm concessa fuit facultas gratificandi inter filios, ordinem iuris, vel naturæ solùm peruertendo; Ita etenim dispositioni legis, addita dispositione hominis, casus remanet extra omne principium dubitandi.

Nequé de iure dubitandum esse dicebam, quod feudi diuisio importat speciē 7 prohibitæ alienationis, vt expressè disponitur in eadem *l. Imperialem*, atque cæteris

cæteris relatis firmant *Resenth. d. concl.* 55. *Bellon. iun. d. conf.* 55. *num.* 22. *& 30. cum seqq. & num.* 36. *cum seqq. Menoch. conf.* 161. *& sequ.* & in fortioribus terminis illius impropriæ diuisionis, quæ resultat á sola reseruatione vsusfructus, vel alterius oneris, & seruitutis, laté occasione refutationis pactionatæ deducitur suprá *disc.* 76. *& in alijs*.

Neque alicuius ponderis videbatur, quod Philippo in inuestitura, attributa esset facultas gratificandi, vel præeligendi, quoniam illa rectè considerabilis esset, quando idem Philippus tali facultate benè vsus esset, sed cum illa potiùs in posteriori testamento abusus fuerit,
8 camque malè fecerit contrá legem ipsius inuestituræ, hinc proindè habenda venit pro infecta, atque bona debentur ei, cui inuestitura defert iuxtà *conf. Bald.* 473. *lib.* 2. *num.* 2 *Caldas. de nomin. emphyt. lib.* 2. *tit.* 62. *quæst.* 10. *num.* 31. *& seqq. Molin. de primogen. lib.* 2. *c.* 11. *Rota apud Buratt. decis.* 744 *& decis.* 244. *n.* 13. *par.* 12. *rec. cum alijs in tit. de fideicom. disc.* 32. *num.* 4. *& disc.* 57. *num.* 11. Ideóque intrat vulgatum axioma, quod potuit noluit, quod voluit adimplere, nequiuit.

Et quamuis in posteriori testamento Philippus pro dicta feudi diuisione mandauerit obtineri debere Cæsareum beneplacitum; Attamèn cùm Imperator illud non concesserit, exindè sequitur, quód dispositio inualida, & infecta sit, cum huiusmodi reseruatio proficua esse soleat ad præseruandum á temeritate, & á pœna caducitatis de iure imposita alienationi, quæ fiat irrequisito Domino, non autèm, vt actus validitatem inducat ex notorijs.

Minùsque ex eo, quód beneplacitum non concedatur, inferri potest, vt attendi debeat primum testamentum, quoniam cum istud ex suprá deductis iam
9 reuocatum, atque annihilatum fuerit, hinc nulla iuris dispositio, vel ratio suadet, vt primum testamentum annihilatũ reuiuiscere debeat, quoniam si cum sensu, vel discursu naturali procedendum esset, attendendo solùm verisimilem defuncti voluntatem, dici etiam posset, quod quando testator ordinat secundum testamentum, per quod primum reuocatur, id ea intentione agat, vt istius posterioris vigore, hæreditas adeatur, illudque suum sortiatur effectum, & per consequens, quando istud præsuppositum cesset, quia nempé scriptus hæres prædecedat, vel nolit, aut non possit esse hæres, seù aliás deficiat conditio, tunc deberet primum testamentum reuiuiscere; Et tamen contrarium expressè cautum est in iure *in d. §. posteriore, instit. quibus mod. testam. infirm.* ideóque ista consideratio, nullum habet iuris fundamentum.

Obstare veró non posse, dicebam, Iulio primogenito acceptationem secundi
10 testamenti, cuius vigore hæreditatem adiuit, quoniam id sequutum fuit cum beneficio legis, & inuentarij, per quod alio non expresso, conseruantur omnia iura adcuntis, omneque eius præiudiciũ euitatur, periudè ac si non esset hæres, cùm hodiè ex dicto beneficio hæres non sit verè, & propriè talis, sed potiùs habeatur tanquam hæreditatis legalis administrator ad notissimum *tex. in l. fin. C. de iur. deliber.* cum concordantibus apud *Mantic. decis.* 226. *Hodiern. controu.* 31. *num.* 18. *Gratian. discept.* 799. *num.* 42. *& seqq. Capic. Latr. consult.* 13. *num.* 2. *& 3. Rouit. decis.* 48. *num.* 11. *& seqq. Salgad. in labyr. par.* 3. *c.* 7. *num.* 20. *& seqq.* & pluriès *sub tit. de hered. & sub tit. de credit.* multó magis dum adest expressa protestatio suorum iurium præseruatiua.

Ac etiam quia, si non potest etiam expressus contractus alienationis reddere istam validam, adeóut ipsimet alienanti, ratione euidentis nullitatis, licitum sit venire aduersus factum proprium, illudque impugnare, vt apud feudistas est iam notorium, passimque receptum ex pluriés deductis in precedentibus, multó minùs obstare potest iste actus implicitus.

Provt è conuerso admittitur, quod eiusdem testamenti acceptatio facta per Gherardum ei non præiudicaret in iure, quod aliás sibi competeret super hoc feudo, sed punctum esse dicebam in eo, quod ipse nullum ius haberet, quod amittere potuerit, dum nullum sibi competit ex inuestitura, atque illud quod in quadam spe cõpetere potuisset ex priori testamento, nunquam ei quæsitum fuit, dum illud vtpotè per posterius reuocatum, nullum habuit effectum, ideóque habendum est, ac si nullo modo factum esset.

Inef-

Ineffectuatio autem posterioris testamenti, respectu feudi, operari non poterat reuiuiscentiam primi, iam reuocati, quoniam in iure vnicus datur huius reuiuiscentiæ, seù veriùs nunquam sequutæ reuocationis casus, quando scilicèt
11 posteriùs testamentum detegatur nullũ, ratione imperfectionis, adeóut habendum sit pro non extante in rerum natura, tanquam imperfectum, sed vbi illud est in suo genere validum, & perfectum, ex aliquo tamèn accidenti ob præmorientiam, vel incapacitatem, siue voluntatem hæredis, aut ob aliud accidens nõ sortiatur effectum, tunc non per hoc primum testamentum reuiuiscit, sed testator decedere dicitur intestatus, iuxtá *d. text. literalem in §. posteriore instit. quibus mod. testam. infirmentur*, cum alijs, de quibus in *d. Rauennaten. testamenti super primo, coram Vice Comite*.

Multó veró magis, ac extrá omne dubium, vbi ineffectuatio non sit in toto, neque substantia testamenti corrumpatur, sed illud suum sortiatur effectum in vniuersa hæreditate paganica, seù allodiali, quæ est maioris importantiæ, & per quam, persona defuncti in vniuerso iure actiuo, & passiuo magis repræsentatur; Ineffectuatio autem sit in aliqua dispositione particulari, quæ pro non scripta habenda sit, vt passim habemus de legatis, alijsque dispositionibus, quæ in testamento fiant de rebus alienis, aut de rebus sacris, sanctis, & religiosis, de quibus disponi non possit, vel de legatis, quæ fiant personis incapacibus, vel prohibitis, siuè de conditionibus turpibus, vel impossibilibus, aut aliás á iure damnaris, ex latè deductis *sub tit. de testament. disc.* 73. Quoniam his vitiatis, atque habitis pro non scriptis, non per hoc vitiatum remanet testamentum.

Potissimè veró, vbi agatur de feudatario, qui verus miles dicitur, eique congruunt ea, quæ in iure ciuili de an-
12 tiquis militibus disposita sunt, vt duplex patrimonium, ac duplicem hæredem insolidum habeat, atqué sicutí decedere potest cum duplici testamento, pro patrimoniorum diuersitate, iuxtá superiùs allegata iura *in l. 20. & in l. 37. ff. de militar. testam.* itá quoque decedere possit, pro parte testatus, & pro parte intestatus, atquè itá duplicem diuersum habere hæredem, non solùm ex eius clara, & expressa voluntate, siué ex illa voluntate implicita, quám lex in intestata successione præsumit, sed etiam contra eius iudicium, quia nempè in testamento instituendo hæredem extraneum in vtroq; patrimonio allodiali, & feudali, agnatus ad feudalem successionem à lege inuestituræ vocatus, impugnat Testatoris iudicium, eoque inuito fit eius hæres, & tamèn firmus remanet alter hæres allodialis, firmumque remanet testamentum in hæreditate paganica, seu allodiali, in altera veró feudali intrat successio intestata, iuxtà celebrem, & magistralem *decis. primam Franch. cum concordan. per plures Adden. ibid. & pluriès in praecedentibus disc. 20. cum seqq.*

Nullibi veró cautum est, vt ob inualidam dispositionem feudalium factam in posteriori testamento, reuiuiscat primùm iam reuocatum, & annihilatum; Potissimé, vt præmissum est, vbi reuocatio, & annihilatio nõ prouenit ex sola dispositione iuris per posteriorem ordinationem; Sed prouenit etiam ab expressa, & specifica eiusdem disponentis voluntate, vt in præsenti, dum vltrà genericam reuocationem præcedentium dispositionum in vltimo testamento contentã expresè, & præcisè deuenitur ad reuocationem specialis dispositionis, quæ in priore facta fuerat de feudo, & per consequens dicebam, quod iustitia Iulij primogeniti videtur manifesta, nullam de iure admittens probabilem dubitandi rationem.

Objiciebatur ex parte Gherardi de correspectiuitate, quod scilicèt Philippus pater, cum præsupposito dictæ con-
13 cordiæ inter filios, inductus esset ad reuocandum primum testamentum; Verùm id nullatenùs obstare dicebam, quoniam ex deductis in *in tit. de testam. disc.* 33. ad effectum, vt posteriùs testamentum dici valeat dolo, malisque artibus extortum, ac propterea non sit aptum præiudicare primo testamentario, copulatiué requiritur, quod præsuppositum fuerit falsum, cum dolosa machinatione, quodque illud fuerit causa præcisa, & immediata secundi testamenti, quorum neutrum in facto verificatur, quoniam concordia erat vera, & sic præsuppositum, quod tunc factum fuit, dici non potest falsum,

atque

atque Iulius nunquam testatorem alloquutus est, neque aliquem dolum, vel machinationem adhibuit, sed solùm dici posse considerabam, quod ipse Gherardus itá illusus fuisset, quod nil facit ad rem circá deceptionem testatoris, cum machinationibus, & falsis præsuppositis.

Supponebatur, itèm quod ex parte secundogeniti constitueretur fundamen-
14 tum in auctoritate, *Molin. de primogen. lib.2. cap.4. num.47. & seqq.* aliorumq; Hispanorum, de quibus *Castill. tom.6. cap.121. num.50. & seqq.* vt ex Regia auctoritate concessa pro erectione vnius maioratus fieri posset erectio duorum.

Verùm id prorsùs inané videbatur fundamentum, quoniám, vt aduertitur sub *tit. de fideicommiss. disc.7.& 13. & tit. de regal. disc.161.* & alibi pluriès, Hispaniarum Maioratus, de quibus allegati auctores, alijque Hispani loquuntur, sunt de triplici specie; Primó nempè vbi agatur de illis Ciuitatibus, Oppidis, & locis, quæ ad instár nostrorum feudorum Italiæ, vel Germaniæ conceduntur alicui, eiusque descendentibus, ex munificentia Regis, vel in remunerationem seruitiorum, cum ordine primogenituræ, seù maioratus; Secundò in illis maioratibus simplicibus, qui in bonis priuatis indifferentibus, ex priuata dispositione eriguntur absque priuilegio, vel auctoritate Regis eodem modo, quo in Italia ordinamus primogenituras, & maioratus, de quibus *sub tit. de fideic. disc.1. cum pluribus seqq.* Et tertió in illis maioratibus, qui dicuntur qualificati de vtraque specie participantes, quia scilicèt erigantur ab aliquo priuato in eius proprijs bonis indifferentibus, vel etiam in iurisdictionalibus, & qualificatis in Ciuitatibus, & Oppidis ab eo quæsitis, ex causa onerosa, sed desupèr obtineatur auctoritas Regis, ad effectum nobilitatis, & præeminentiarum, ac etiam magis stabiliendi habilitatem, adeoùt fit priuilegium facultatiuum concessum in gratiã illius, qui poterat eo non vti, atque poterat de illis bonis diuersimodè disponere.

De hac tertia specie mixta loquuntur præfati DD. admittentes potestatem ordinandi duos, vel plures maioratus, non autem prima ob diuersitatem rationis, dum in prima specie Princeps est ille, qui disponit, atque legem rei suæ adijcit; In altero autém disponit priuatus de rebus suis liberæ dispositionis, solùmque adijcit suæ dispositioni maiorem firmitatem, cum auctoritate Regia; Vndè propterea quidquid sit de veritate, & praxi præfati assumpti in tertia specie (cum error sit manifestus absque certa praxi locorum, & Tribunalium diuersarum Regionum determinatè loqui in sola fide aliquorum scribentium) cessat applicatio ad casum, quoniám feudis congruit prima species, non autèm tertia.

Siquidèm eo ipso, quod per Principem imprimitur feudo dignitas cum voluntate qualificandi ipsum feudũ, adeoùt fit dignitas realis, non autèm personalis, iuxtá distinctionem, de qua supra *disc.9. & 44.* & in alijs; Hinc resultat per necessariam consequentiam, ex dispositione iuris, qualitas indiuidua inalterabilis à feudatario.

Idqué verùm etiamsi id sequutum fit in Castris, & locis, quæ priùs essent allodialia, & liberæ dispositionis, ex re-
15 cepta feudistarum, & aliorum propositione frequentèt in præcedentibus insinuata, & præsertim *disc.4. 53. & 56.* & in alijs, quod scilicèt feudum, etiam in vera, & stricta eius forma, constitui potest in bonis proprijs, ac liberis, & allodialibus, quæ ob aliquem finem à Principe recipiantur, seù recognoscantur in feudum, atqué feudalis qualitas in eis imprimitur, dum ità occultatur actus donationis factæ per infeudatum infeudanti, á quo recognoscat in feudum.

Hactenùs scribendo ad causæ oportunitatem tanquám Aduocatus; Reflectendo autém ad veritatem, credebam, quod quatenùs pertincat ad ipsum corpus
16 feudi, præmissa essent de iure vera, quodquè de stricta iuris censura, ex dicta regula, *quod potui, nolui, &c.* factus esset casus intestatæ successionis, ad præscriptum inuestituræ feudalis, qua attenta, successio extrà controuersiam debita esset primogenito.

Difficultatem veró cadere posse considerabam in eiusdem feudi pretio, seù valore, saltèm pro illis tresdecim quindenis, quæ præfatus Philippus quæsierat, ac etiam pro bonis allodialibus ab eodem

eodem quoque acquisitis, quoniam licèt quoad ipsum Dominum, aliosque agnatos diuersarum linearum istud esset feudum antiquum; Attamèn quoad Philippum videbatur feudum nouum, vtpotè ab ipso ex causa onerosa acquisitum, & per consequens, quod in eius hæreditate adesset pretium, tanquam allodiale, ad cuius participationem primogenitus feudi successor teneretur ergà secundogenitum, æquè hæredem in allodialibus, iuxtà superiùs deducta *disc.* 12. *&* 19. *&* 21. & in alijs.

Verùm id erat extrà casum, vel punctum controuersiæ, in quo solùm agebatur de successione in ipso corpore feudi, ac propterea id cadere potiùs videbatur in alia controuersia, quæ pendebat coram Magistratibus, & Iudicibus propriè patriæ super hæreditate allodiali, & sic extrà punctum quæstionis.

DE FEVDIS

DISC. CXV.

Signina.

Pro Duce Ludouico Sfortia, cum DD. Francisco, & fratribus de Sfortijs.

Casus pendet in Rota.

De feudi diuiduitate, vel indiuiduitate, etiam diuiduum effici potuerit indiuiduū ex concordia, vel alia conuentione in præiudicium successorum.

Et de aliquibus ad materiam immissionis, vel possessionis adipiscendæ in vim inuestituræ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis causæ.*
3 *Quarè Signatura gustet demeritis causarum.*
4 *Vigore inuestituræ feudalis competit immissio ex remedio* l. fin. C. de edict. Diui Adr.
5 *De legitimo contradictore, qui faciat cessare iudicium possessorium.*
6 *Non datur immissio, vbi adsit transactio, vel res iudicata.*
7 *De transactione, an obliget successores feudi, ex persona propria.*
8 *De feudis diuiduis, & indiuiduis.*
9 *Quando transactio non importet nouum ius, sed comprehensionem, & corroborationem status aliqui.*
10 *De distinctione inter obseruantiam præscriptiuam, & interpretatiuam.*
11 *An vocatione successorum sanguinis in numero plurali, faciat pernecessè feudum diuiduum.*
12 *Quod expediat magis feudum esse indiuiduum.*
13 *De capacitate Clericorum in feudis Status Ecclesiastici.*
14 *De differentia inter præsidium præscriptionis, & illud præsumptionis.*
15 *Feudum dignitatis regularitèr est indiuiduum.*
16 *De qualitate antiquorum titulatorum.*
17 *Quod id sit considerabile ad effectum indiuiduitatis feudi.*
18 *De consuetudine Lombardiæ, aliorumq. locorum super diuiduitate feudorum, etiam dignitatis.*
19 *Quod attestationibus Doctorum non sit deferendum, vbi præsertim non sint versati de regione, & de ratione errorum.*
20 *De abusu Collectorum, & pragmaticorum.*
21 *Participantibus de fructibus, & emolumentis feudi indiuidui, quæ actio competat.*

DISC. CXV.



SIGNINAM Ciuitatem, quam ex concessione Pauli Tertij in feudum, ab eo tempore possederant Sforciades Comites S. Floræ, pro debitis Ducis Marij primogeniti, ad præscriptum Bullæ Ba-
1 ronum, vendidit Congregatio Baronum, sed ad aliquod breue tempus ob dictæ venditionis nullitatem; Dux Ludouicus Marij filius, ac etiam tres eiusdem Marij fratres iudicium reintegrationis intentarunt aduersus Emptorem; Emanata sententia, & effectum quoque sortita, in persona Ducis Ludouici tantùm, qui iure primogenituræ possidebat dictum

Comi-

Comitatum S. Floræ, aliaque huius familiæ Castra, & feuda, de quorum aliquibus in Ducatu Placentino habetur mentio suprà *disc.43. & 104.*

Post decursum autèm annorum circitèr triginta, pluribus exortis controuersijs inter præfatum Ducem Ludouicum ex vna, & Cardinalem Fridericum patruum, ac filios D. Pauli alterius patrui prædefuncti, adeoùt hydræ speciem redolerent, quod vno reciso capite, septem alia prodirent, inter alias fuit ista immissionis contra Ducem possessorem, pro eorum portionibus intentatæ à præfatis collitigantibus ad hanc Ciuitatem, in vim præfatæ inuestituræ Pauli tertij, coram A.C. ex commissione Papæ, procedente cum voto aliorum duorum Prælatorum, siuè adiunctorum, Emanataq; sententia fauore Actorum, per Signaturam gratiæ, commissa fuit appellatio, etiam ad effectum suspensiuum, in Rota, vbi pendet.

In disputationibus desupèr habitis, tám coram A.C. & adiunctis, quàm etiã in Signatura Gratiæ, super modo rescri-
2 bendi, ad effectum etiam suspensiuum, quem actores in vim Ægidianæ non intrare contendebant; Duo erant puncti, siuè inspectiones; Primò nempè ordinis; super competentia, vel incompetentia præfati iudicij possessorij; Et secundò super meritis, ad ostendendam
3 iniustitiam, cuius ratione admitti debet appellatio, etiam in iudicijs summarijs, & exequutiuis, vt frequentèr alibi insinuatur, & præsertim *sub tit. de iudicijs disc.37. & 44. & in relat. Curiæ disc.30. & 31.*

Quatenùs itaque pertinet ad primum punctum ordinis, non negabam scribens
4 pro Duce Ludouico, Reo conuento conclusionem ex parte Actorum deductam, ac pluriès insinuatam, præsertim *hoc tit. disc.42. & sub tit. de Emphyt. disc.25.* vt vigore inuestituræ feudalis competat remedium *Textus in l. final. C. de edict. D. Adr. tollend.* siuè ad instar, ex auctoritatibus ibi allegatis.

Dicebã tamén, quod cũ eisdem terminis fideicommissarijs, vel beneficialibus, quos adeò frequentes in praxi habemus in proposito huius interdicti possessorij,
5 præfatus Dux dicendus erat legitimus contradictor, vtpotè veniens ex eadem inuestitura, & sic ex eodem fonte, eodemque titulo, super cuius interpretatione erat quæstio, an scilicèt eadem inuestitura intelligenda esset de feudo diuiduo ad formam iuris Longobardorum, vel de indiuiduo deferendo, cum ordine primogenituræ ad formam iuris Franchorum; Et per consequens, quod intrarent termini legitimi cõtradictoris, ob cuius interuentum cessat hoc iudiciũ possessorium priuilegiatum, & procedendum est in iudicio ordinario petitorij, ex ijs, quæ in materia beneficiali habentur *tit. de benefic. disc.73. & sub tit. de iudic. d. disc.44.* & alibi pluriès, cum sit conclusio certa, quotiès omnes veniunt ex eodem fonte, eodemque titulo, absq; illa disparitate tituli melioris, vel deterioris, quæ considerari solet in beneficialibus, ratione subrogarionis gratiosæ, & in terminis inuestituræ emphyteoticæ aduertitur *in Fanen. seù Senogallien. bonorum super immissione 14. Martij 1646. coram Meltio impress. post Laisell. decis.36.*

Clariùs verò in hac facti specie, ex duplici circumstantia, quarum vtraque tendebat in idem, eundemque operabatur effectum; Primò nempè ob transactionem initam de anno 1632. inter præfatum Ducem Marium primogenitum, & patrem Ducis Ludouici, & prædictos Cardinalem Fridericum, ac Paulum Actorum patrem, super obseruantia, & continuatione primogenituræ in huius Domus feudis, ac bonis in eadem transactione deductis; Et secundò ob dictam sententiam concedentem reintegrationem soli Ludouico primogenito, quamuis omnes alij idem iudicium instituissent, eis acquiescentibus, cum diuturno spatio annorum circitèr triginta.

Vndè propterea intrat, de iure vera, & frequentèr in praxi recepta conclusio, de qua apud *Caualer. decis.550. num.4. decis.89. num.9. par.6. recent. Fauentina*
6 *Primogenituræ 23. Iunij 1666. coram Beuilacqua, impressa post Torres de Pact. futura success. decis.34.* & frequentèr, ac etiám aduertitur *d. disc.44. de iudic.* quod scilicèt interdicta possessoria, istud præsertìm immissionis, non intrant, quando adsit obstaculum alicuius rei iudicatæ, vel transactionis, quæ sonat in idem, eandemque vim habet, dùm priùs oportet illam de medio tollere, cum re iudicata

cata, vel cum tribus conformibus declarantibus, quod non afficiat.

Et multò magis, vbi in promptu constet, vel sufficiens detur fumus efficaciæ transactionis, vt tanquam bona fide inita, obliget etiam successores, quamuis
7 venientes independentèr, & ex persona propria, ex ijs, quæ in his terminis feudalibus, habentur supra *disc.49*. Atque in indiuiduo hujus transactionis, post istas disputationes inter easdem Partes, occasione alterius controuersiæ, super Oppido Proceni, in qua Dux erat Actor, isti verò Actores erant rei excipientes, de hac eadem inuestitura, firmatum fuit *per Rotam in Romana, seù Toanen. Castri Proceni 10.Iunij 1672.& 13.Martij 1673 coram Calataiù*; Ideóque etiam in sensu veritatis, qualem quoq; agnouit Signatura, dicebam, quod intrarent termini legitimi contradictoris,& per consequēs, quod incongruum esset hoc iudicium possessorium priuilegiatum.

Quo verò ad alium punctum, super meritis negotij principalis; Vltrà inspectionem nudi facti, an inuestitura esset authentica, & in forma probanti, nec nè: Præsupposita etiam eius veritate, cum quæstio reduceretur ad naturam, seù qualitatem istius feudi, an esset diuiduū, vel indiuiduum; Dicebam, quod, licèt feuda, iuxtà eorum antiquam, & originariam naturam essent diuidua ad for-
8 mam iuris Longobardorum, ac proptereà nulla ratione habita de prærogatiua primogenituræ, omnes descendentes capaces à primo inuestitò, coæquali iure veniant, ex ijs, quæ pluriès in præcedentibus insinuantur,& præsertim *disc.8. & 13.* vbi allegantur *Minad. Galeot. Marcian.* & alij; qui istos terminos examinant; Nihilominùs, vt ibidem aduertitur, non implicat, vt ex antiqua consuetudine vniuersali regionis, vel ex particulari illius feudi, vel illius domus, in omnibus feudis in ea existentibus, aùt ex antiquis cōuentionibus à subsequuta obseruantia diuturna corroboratis, diuersam fortiantur naturam indiuiduam, ad formam iuris Franchorum, deferenda cum ordine primogenituræ.

Et hic erat casus, quoniam per seculum, & vltrà, istud feudum insignitum titulo Ducatus, fuerat penès primogenitum, qui fecit pro tempore figuram capitis domus, isque solum Dux appellatus est, non autèm alij fratres secundogeniti, eorumq; descendentes; Ideóque vltima transactio anni 1632. quam etiam afficere Actores, ex persona pro-
9 pria, vtpotè bona fide inita firmatum est in allegatis decisionibus *coram Calataiù*, re verà non est concordia noua, quæ nouum, atque ab antiquo diuersum statum inducerct, ac firmaret, sed potiùs fuit confirmario, seù agnitio statu antiqui.

Quinimmò dicebam, quod ista antiqua consuetudo, munita etiam pluribus
10 conuentionibus, neque dicenda esset præscriptiua, siuè clarè inductiua noui iuris, ac destructiua eius, quod aliàs certitudinalitèr de iure competeret, quo casu intrant difficultates, quæ cadere solent in hac materia præscriptionis, quæ nimiùm rarò, ac penè vnquam ad praxim est reducibilis, in ijs, quæ nouis successoribus iure feudi antiqui, ac fideicommissi competunt ex propria persona, ex ijs, quæ habentur *sub titul. de iudic. disc.21. num.7. & seqq.* Et super quo assumpto magnam vim constituebant scribentes pro Actoribus, quoniam potiùs dici potest consuetudo, vel obseruantia interpræratiua, voluntatis dubiæ Principis infeudantis, an scilicèt, iuxtá vnam, vel alteram naturam hoc feudum concedere voluerit, dum id non exprimitur, & per consequens voluntas, quæ ad vnum, vel alterum casum est referibilis, itá ambigua remanet, & capax interpretationis, vndè propterea intrant termini obseruantiæ interpretatiuæ, potiùs quam præscriptiuæ.

Et quamuis Scribentes pro Actoribus, in eo insisterent, quod voluntas di-
11 cenda potiùs esset clara, dum inuestitura cantat de descendentibus masculis in genere, & in numero plurali, de sui natura apto comprehendere omnes, idq; apud Iudices primæ instantiæ, plausum habuerit; Attamèn id pro meo sensu continebat potiùs leuitatem, nimiumq; debile fundamentum videbatur, quoniam vocabulum, *omnes*, apponitur ad denotandam habitualem capacitatem,& comprehensionem omnium de illo sanguine, vel genere, compatibilitèr tamèn cum restrictione ad maiorem natū, seù primogenitum, circà actum, seù eo modo, quo in Iurepatronatus, vel præsen-

præsentandi, alijsque similibus passim habemus; Et in his terminis feudalibus, comprobat actualis praxis inuestituræ feudorum in Regnis vtriusque Siciliæ, quod cantat, *pro se, & hæredibus, ex corpore descendentibus*, ideóque omnes habitualitèr vocati sunt; Et tamen actualitér, successio inter eos defertur iure singulari, & cum ordine primogenituræ.

Itém pro verisimili voluntate Papæ infeudantis, quod scilicèt hoc feudum concedere voluerit in natura indiuidua
12 ad formam iuris Francorum; Vltrà rationem generalem, ex qua pené vbique irrepsit hic vsus primogeniorum, & maioratuum, pro maiori scilicèt splendore, & conseruatione decoris familiæ, cum bonorum vnione in vna persona, ex deductis suprá *disc.9.&* 10. & in alijs; Considerabam quoque consuetudinem particularem Domus eiusdem Pontificis, quod scilicèt cum in ea, etiam ante superuētam Pontificiam dignitatem, adessent feuda, Farnesij, & Lateræ, & alia, seruabatur hic ordo, vndè propterea defuncto primogenito, sine prole, cum idem Pontifex in statu Cardinalitio effectus esset primogenitus, controuersiam habuit cum eius fratre tertiogenito prætendente incapacitatem ratione clericatus, vt patet ex *conf.* 117. *Iason. lib.*4.
13 quod est celebre in materia capacitatis Clericorum succedendi in feudis Status Ecclesiastici, ex deductis supra *disc.*47. *&* 54.*& in alijs*; Et per consequens, cum ex causa coniunctionis sanguinis, istud beneficium huic domui conferre voluerit, nimium probabile esse dicebam, quod regulare voluerit concessionem in hac forma magis rationabili, & quæ in eius domo setuabatur.

Ponderabam quoq; circa diuturnam obseruantiam, ea quæ habentur *sub tit.*
14 *de alienat. & contract. prohib. disc.*3. ac etiam *tit. de Dote disc.*143. *& d. disc.* 21. *de iudic.* & alibi, super diuersa operatione, quæ resultat à lapsu temporis, quod scilicèt, aliud est formalis præscriptio, quæ in iure odibilis reputatur, tanquam species pœnæ, ob delictum negligentiæ, per quod res tollitur Domino, atque defertur non Domino, qui alium non habet titulum, nisi illum temporis, ac diuturnæ possessionis; Aliud verò est considerare eandem obseruantiam, in ratione fauorabilis præsumptionis validitatis tituli, cuius vigore possessio sequuta est, itá præsumendo illam solemnitatem, cuius defectus titulum inualidaret, cùm tunc assistat fauor, non autém odium; Ideóque locis citatis aduertitur malum consilium, ac imprudentiam esse, recurrere ad præsidium præscriptionis, dùm subest istud pinguius, & tutiùs remedium præsumptionis solemnitatis reualidatoriæ tituli, quando de isto constet, vel facultatis allegandi ipsum titulum meliorem, quando tempus sit tale, quod hanc prabeat facultatem.

Magnum quoque fomentum huius indiuiduitatis præbere obseruabam titu-
15 lum, seù dignitatem ab antiquo huic feudo adiectam, ex ijs, quæ de indiuiduitate feudi dignitatis, habentur suprà *disc.*8. & in eius adnotationibus.

Siquidém ista Ciuitas cum eius Comitatu, & annexis ab antiquo tempore possessa fuit per celebrem familiam Comitum, seù de Comitibus, quæ ab isto Comitatu denominationem accepit atqué tot Summorum Pontificum adeò fecunda Mater fuit, atquè ab eis transitum fecit in istos Sfortiades descendentes, ex filia fœmina, quæ per Paulum III. habilitata fuit ad succedendum cum onere eius filijs, & descendentibus masculis, iniuncto assumendi quoque cognomen, & insignia huius familiæ de Comitibus, cum mixtura familiæ propriæ, adeoùt dicta inuestitura Pauli Tertij, non fuerit omninó noua de feudo vacante, per ipsum concesso, sed solùm immutatiua generis personarum, iuxtá casum, de quo supra *in Ianuen. Feudorum disc.*113. Cumquè in illis temporibus huiusmodi dignitates Comitum, Marchionum, &
16 Ducum magnam facerent figuram Procerum, & Magnatum, ex ijs, quæ insinuantur *tit. de praeminent. disc.*26. *& tit. de pension. disc.*48. *& alibi*, ac etiam docent tot historiæ; Hinc proindè omninò probabile est, quod isti præsertìm Comites Signini, qui magnam faciebant figuram, essent vnici, ipseque Comitatus esset indiuiduus.

Eiusdem indiuiduitatis non leue resultat etiam argumentum, ex eo quod, cùm Sixtus V. ad deprimendam fortè potentiam aliquorum Baronum, & Magnatum, minuendamque adhærenriam, & clien-

17 & clientelam, cœpisset erigere nouas dignitates, atque inter primos quatuor Ducatus ab eo erectos, fuerit iste, vtiquè supponendum est, quod esset vnicus Dominus considerabilis potentiæ,& existimationis, quod vtique supponit indiuiduitatem, ducto etiam argumento à natura aliorum consimilium Ducum, & Magnatum.

Aduersus hoc argumentum, deductũ à dignitate, replicabant Scribentes pro
18 Actoribus, quod licèt feuda dignitatis habitualitér sint indiuidua; Attamén, quoad exercitium, & fruitionem, de consuetudine sunt diuidua, ex relatis supra *eod. disc.*8. ità cumulando auctoritates ibidem recensitas; & alias ex eisdẽ deductas; Atquè me replicante, quod ista esset consuetudo particularis Lombardiæ, de qua ibi allegati loquuntur, ideòque non trahenda de loco ad locum, vel de Regionè ad Regionem, ex natura consuetudinis exorbitantis, vt non admittat extensionem, sed attendi debeat in casu præciso, vt pluriès in omni ferè materia insinuatur, & præsertìm sub *tit. de benefic. disc.*30. Deducebant auctoritates *Rosenthal.*& aliorum Germanorum, generalitèr asserentium de ista consuetudine Italiæ in vniuersum.

Verùm, etiam in sensu veritatis, dicebam, quod istud esset æquiuocum manifestum, quoniàm, iuxtà notoriam praxim dignitatum, præsertìm primariarum, Principum, & Ducum, in hoc Statu Ecclesiastico, & in Regnis vtriusq; Siciliæ, absorbentibus absque dubio maiorem partem Italiæ, feuda sunt indiuidua; Vt etiam sunt in ipsamet Lombardia, quotiès agitur de istis maioribus dignitatibus Principum,& Ducum,adeòut illa consuetudo, de qua *d. disc.*8. Vel percutiat feuda rustica, & impropria, quæ pro moribus Regionis, quandam Conteæ, seù Comitatus verè impropriã, & abusiuam habeant potiùs nuncupationem, quàm dignitatem; Vel procedat in illis minoribus dignitatibus, Marchionum, & Comitum, quæ adijciuntur illis feudis minoribus, Castrorum, vel locorum habitatorum, quæ reuerà sunt potiùs subfeuda, dùm ipsi Principes infeudantes sunt feudatarij.

Prædictæ veró attestationi Germano-
19 rum in hoc nullatenùs est deferendum; Tùm ex recepta propositione frequentèr insinuata, quod Doctorum attestationibus non defertur in ijs, quæ facti sunt, præsertim vbi non agatur de ijs, qui sint in Regione versati; Tùm etiam quia, consuetum est Scribentium vitiũ, excusabile, quando loquuntur de remotis Regionibus,in quibus ipsi versati non sint, accipiendi partem pro toto, vt etiã facimus nos Citramontani, loquentes de feudis Germaniæ, ex testimonio alicuius Germani Scriptoris, qui loquatur iuxtà leges, vel stylos proprij principatus, vel propriæ Regionis; non aduertentes, quod Germania est nimis vasta Prouincia,diuisa in sexaginta circitér principatus; quorum singuli diuersas habent leges, & stylos, etiam in hac indiuidua materia feudali; Vndè propterea semper magis conuincitur, pluriés inculca-
20 tus detestabilis error pragmaticorum, vel Collectorum; consarcinandi doctrinas, & auctoritates, non distinguendo, loca, & tempora, aliasque circumstantias.

Et vlteriùs dicebam, quod admissa etiam ista consuetudine, illa suffragari posset, quando haberet fomentum obseruantiæ, ad tollendum obstaculum incompatibilitatis, quæ resultat à dignitate, non autèm vbi obseruantia resistat.

Eademq; consuetudine admissa adhùc incongruum esset intentatum remedium
21 immissionis, ad ipsum corpus feudi, cuiusque substantiam,cùm solùm id aptum esset præbere actionem personalem contra feudatarium ad faciendum participationem fructuum, & emolumentorum, per illam speciem in feudis nouis, vel participationis fructuum sub nomine vitæ militiæ in feudis antiquis, quæ debetur secundogenitis, atque adaptari videtur illa distinctio, quam habemus inter socium, & inter participem vtilium, de qua *tit. de locat. disc.*26. *&* 27. *& alibi.*

Aliæ deducebantur ex parte Ducis exceptiones, quæ in facto potiùs quàm in iure consistebant, & extrà hanc materiam feudalem.

DE FEVDIS

DISC. CXVI.

Neapolitana, seù Theatina refutationis.

Inter Marchionem Vasti, & Marchionissam Piscariæ Nurum.

Discursus in ratione motiuandi ad parandam concordiam.

De validitate, vel inualiditate refutationis factæ in proximè succeßurum, ratione reseruationum, vel non sequutæ registrationis.

Et an filiusfamilias feudatarius liberetur à patria potestate, & habeat facultatem testandi, vel aliàs disponendi, & de quibus.

SVMMARIVM.

1. *Facti series.*
2. *De defectibus, ob quos refutatio sit inualida.*
3. *Refutatio debet esse pura, non autèm passionata, quod declaratur.*
4. *Accollatio debitorum, & onerum, non est pactum prohibitum.*
5. *Contractus nominatus non resoluitur ob non implementum.*
6. *Quid in donatione.*
7. *Pactum adiectum vni ex pluribus feudis refutatis, an vitiet totam refutationem, vel solùm illam feudi, cui adiectum est pactum.*
8. *De registratione, quæ necessaria est in refutationibus.*
9. *Præmoriente refutatario, an feudum redeat ad refutantem.*
10. *Feudum an liberet à patria potestate, & tribuat contrahendi, & testandi facultatem, & quid vbi adsit dignitas, vel titulus.*
11. *Per quas dignitates, vel officia soluatur ius patriæ potestatis.*
12. *De filiofamilias Clerico, an habeat facultatem testandi.*
13. *Existenti sub patria potestate non datur tutor.*
14. *De casibus compatibilis fictionis testamentis in feudis.*
15. *Quod feudatarius filiusfamilias tesetur, & feudum habeat speciem peculij Castrensis, sed in quo feudo id procedat.*
16. *De duplici patrimonio feudatarij.*
17. *In obuentis à Principe, filiusfamilias habet disponendi facultatem.*
18. *An adsit differentia inter feudum quæsitum ab ipso filio, vel ei refutatum à patre.*
19. *Quod Creditores defuncti sine assensu, non præferantur in feudo Creditoribus hæredis cum assensu, & de ratione.*
20. *In feudis non est procedendum cum regulis iuris ciuilis, & de ratione.*
21. *An dignitas, vel titulus Ducis, Marchionis, vel Comitis eximat à patria potestate.*
22. *De consueto errore Collectorum, & Pragmaticorum.*
23. *De diuersis speciebus titulatorum, & feudatariorum dignitatis ad hunc effectum.*
24. *De dignitate patritiatus.*
25. *De conclusione, sinè applicatione in casu controuersia.*
26. *De testamento minùs solemni ad formam legum Cataloniæ.*

DISC. CXVI.



1 REFVTATIS quamplurimis feudis per Marchionem Vasti, Marchioni Piscariæ filio primogenito, contracto per istum matrimonio cum Portocarrera, filia Marchionis, cum ad breue tēpus decesserit in Ciuitate Barcinonæ, condito testamento, in quo instituto hęrede posthumo nascituro, ex ventre pręgnante vxoris, istam Tutricem, & pro tempore Curatricem deputauit, eamque vniuersalem vsufructuariam reliquit, pluribus quoque legatis, & declarationibus ad eius fauorem factis; Hinc nato filio masculo, orta est super feudorum refutatorum, aliorumque bonorum possessione, & administratione, inter Socerum, & Nurum controuersia, cuius beneuola compositio assumpta fuit in Vrbe per Cardinales, Carafam, & Portocarrerum, vtriusque Partis respectiuè coniunctos; Istisque meum votum concorditér

-diter petentibus, discursum edidi in ratione motiuandi super ijs, super quibus, tàm in facto, quàm in iure (visis Partium prætensionibus, melior informatio desiderabatur, ad effectum parandi honestam concordiam.

Præcipuus autèm punctus consistebat super inualiditate refutationis, qua corruente, omnes aliæ quæstiones, circa tutelæ administrationem, ac etiam circa legata, aliaque in testamento contenta corruebant, ex defectu subiecti, dum alia in defuncti hæreditate remanebant bona; Quatenùs veró refutatio subsisteret, adeòut feuda spectarent ad testatorem, & ex eius successione ad pupillum posthumum, tunc resolutio pendebat à validitate, vel inualiditate testamenti.

Quatenus itaque pertinet ad dictum punctum validæ, vel inualidæ refutationis, ex parte refutantis prætendebatur actus inualidus ex triplici defectu;
2 Primò nempè ob non sequutam registrationem in quinternionibus Regiæ Cameræ infrà quindecim dies ad præscriptum *regia pragmatica* 20. *de feudis*, quæ continet decretum irritans; secundò ob aliquas reseruationes, adeòut refutatio non esset pura, sed pactionata; Et tertiò, ob non sequutam releuationem indemnitatis refutantis à quibusdam debitis, & oneribus per refutatarium accollatis.

De duobus vltimis defectibus, mihi videbatur nullam haberi debere rationem; Siquidèm circa reseruationes, vel pacta, licèt refutatio in proximè successurum esse debeat pura, non autem pa-
3 ctionata, quodque aliàs ex magis recepta sententia propter indiuiduum voluntatis pacta, quamuis accidentalia, vitient totum actum, ex ijs, quæ habentur suprà *disc.* 13. *& 76. & in decisione Siciliæ edita super eodem disc.* 13. Attamèn id procedit quando pacta sint talia, quod percutiant corpus, vel substantiam feudi, eiusque diuisionem, vel seruitutem importent, vt contingit in reseruatione vsusfructus, vel simili, secùs autem ista circumstantia cessante, quia nempè refutatarius ad aliquid se obliget ergà refutantem, vel aliú eius intuitu in sola actione personali; Aut quod fit reseruatio fructuum, seù commoditatis, tanquam facti, non autem tanquam iuris, adeòut non afficiatur ipsius feudi corpus, vel substantia, ex de-

ductis locis citatis, & per *Marin. in addit. ad Reuerter. decis.* 550.

Istæ autem reseruationes, & pacta præfatum prohibitum effectum diuisionis, vel seruitutis feudi, producere non videbantur, cùm solùm adesset accollatio onerum, & debitorum domus, quæ videbatur connaturalis actui præmaturæ, seú præuentiuæ successionis, quæ secum tra-
4 hit in necessariam consequentiam onus soluendi debita, & supportandi onera eo modo, quo successor tenetur ad onera prædecessoris, nullaque nec legalis, nec connaturalis ratio suppetit, vt refutatarius debeat habere feuda, in quibus penè totus illorum Baronum assis consistit, refutator autem debitis, & oneribus subiectus remaneat; Ac etiam quia huiusmodi accollatio continebat solùm obligationem personalem, quæ propterea non vitiat actum, vt per *add. ad Reuerter. d. decis.* 550.

Minúsque vitiatio, vel resolutio prætendi poterat, ex eo, quod refutatarius ad præscriptum suæ obligationis non extinxisset debita, minùsque indemnem re-
5 leuasset refutantem; Tùm quia breuitas temporis, ac absentia, & ætas refutatarij, nec non qualitas onerum, & debitorum, aliæque facti circumstantiæ, & præsertim, quod feudorum administratio eodem modo cōtinuauerat penès antiquos ministros, cessare faciebant omnem refutatarij culpam; Tùm etiam quia casus molestiarum non euenerat, minusque refutans aliquod damnum passus est; Et tamen in contractibus nominatis veriùs est, magisque receptum, quod non implementum non causat resolutionem actus, sed solùm actionem ad interesse, quotiés ille non contineret causam finalem, & præcisam, sine qua non adeòut aliàs tolleret consensum ab actu, ex deductis apud *Gregor. & add. decis.* 130. *Peutinger. decis.* 494. *& habetur disc.* 18. *de locat. & sæpiùs*.

Et quamuis ista refutatio concepta es-
6 set per viam donationis, de cuius peculiari natura, non implementum causat resolutionem *ad tex. in l.* 1. *&* 2. *C. de donat. quæ sub modo*, cum concordantibus, de quibus in sua materia *sub tit. de donat. disc.* 9. Attamén id procedere dicebam in illo implemento, quod in dies, & tempora præstandum sit ergá ipsum donato-

rem, cum quo aliás ingratitudo committi diceretur, siuè quod illius defectus percuteret causam finalem, quæ verisimilitèr tolleret consensum; Putà quando agatur de suppeditatione alimentorum, vel alicuius præstationis ad eundem effectum, adeóut intret vna ex dictis rationibus, ingratitudinis, vel deficientis voluntatis, ex deductis *d. disc. 9. de donationibus*, quorum neutrum ad rem erat adaptabile.

Aliæ reseruationes in huiusmodi refutatione contentæ, non videbantur esse tales, quod actum vitiarent, dum erant
7 de frumentis, & nominibus debitorum, alijsque iuribus, & negotijs, merè personalibus, quæ non percutiunt corpus, vel substantiam feudorum, atque reseruatio quorumdam herbaggiorum, & vinearum existentium in duobus ex pluribus feudis refutatis, erat quoque eiusdem naturæ, dum huiusmodi bona supponebantur allodialia, quæ ibi dicuntur burgensatica; Et nihilominùs, vbi etiam essent feudalia, aduertebam, in ratione motiuandi, quod ea vitiasset refutationem illorum feudorum, non autem aliorum, dum quodlibet feudum de per se constituit suam vniuersitatem, neque vnum habet cum altero aliquam connexionē, vel dependentiam, adeóut tot reputentur diuersi feudatarij, & Barones, quot sunt feuda, ad instar beneficiati possidentis plura beneficia, non vnita, neque cōnexa, iuxtà ponderationes, de quibus suprà *hoc tit. disc. 22. & tit. de iurisdict. disc. 90. & sub tit. de præemin. disc. 7. & 29. & in alijs pluries*.

Restringebatur itaque punctus ad præfatum defectū registrationis infra quindecim dies, iuxtà dispositionem *d. regia pragmatica 20. de feudis*; Sed paritèr iste
8 defectus non videbatur subsistens, cùm ille procedat, quatenùs agatur de refutatione destituta regio assensu, quo accedente, quælibet, etiam prohibita alienatio, reualidatur; Ideòque decisio pendebat ab implemento solitæ clausulæ, vel conditionis, contentæ in eodem assensu regio super eadem registratione infrà biennium sub decreto annullatiuo, sed quotiès in hoc termino implementum sequatur, nil refert, quod non sit sequutum infrà dictum terminum pragmaticæ, iuxtà *decis. 663. Franch. cum concordan. relatis per modern. de Luca in addit.* quidquid in contrarium motiuetur per *Merlin. lib. 2. controuers. 59.* quoniam assensus qui præfigit terminum longiorem, ita dispensat termino breuiori, cum pragmatica loquatur cum præsupposito refutationis factæ sine assensu, regularitèr nō requisito in hoc actu, vtpotè redolentis prçuentiuam successionem potiùs, quam alienationem; Atquè hinc sequebatur, quód causa consisteret potiùs in facto, quàm in iure, an scilicèt istud implemétum in termino sequutum esset, nec né, prout ferè omnes forenses quæstiones hodiè hanc naturam habere videntur.

Aduertebam quoque motiuari posse ex parte Marchionis, de quæstione, de qua suprà *disc. 13.* & latiùs in decisione
9 Siciliæ, super eo edita, an scilicèt præmoriente refutatario, feuda reuertantur ad refutantem, tanquam, ex cessante causa, vel potiùs intret in eis ius successorium; Verùm dicebam, quod in hoc motiuo tutum fundamentum constitui non posset, cum difficultas cadat, quando feudum aliàs deferretur alteri, cui resisteret æquitas, seù verisimilis vtriusque voluntas, iuxtà ponderationes, de quibus *sub tit. de renunciat. disc. 5. & 6.* secùs autem, dum ex refutatario fuit superstes filius masculus, vndé propterea versari videbamur in casu magis claro, quàm illo, de quo *d. disc. 13.* vbi agitur de superexistentia filiæ fœminæ in exclusionē masculorum, ideòque aliqua æquitatis resistentia dignosci videbatur.

Præsupposita veró validitate refutationis, adeóut remaneret subiectum habile, in quo testamentum verificari posset; Quatenùs pertinet ad alium punctū super eiusdem testamenti validitate; Cùm de ista controuersia vbi ad iudicium deducenda esset, agi deberet in illius Neapolitani Regni tribunalibus; Hinc proindè in discursu desupèr edito, dicebam, procedendum fore cum ibi receptis opinionibus, hisque attentis, probabiliùs esse videbatur, quod sola qualitas feu-
10 datarij, & Baronis, non tolleret patriam potestatem, neque habilitaret filium familias ad testandum, iuxtà *decis. 4. de Franch.* quam alij sequuntur, & præsertim *Constant. in l. 1. & 2. C. de fil. official. lib. 12. num. 50. vbi reijcit Afflict. decis. 183. Larat. theatr. feud. par. 9. dilucidat. 1. n. 8. & 9.*

& 9. E conuerso autem insinuabam, inadaptabilis esset limitatio, de qua occasione actum inter viuos, habetur apud *Nauarr. decis. 244. quæ est vltima, De Marin. resol. 233. lib. 2. num. 16. & ad Reuerter. decis.* 354. & refert *Modern. de Luca in add. ad Franc. d. decis. 4.* vt scilicèt id cesset in feudatario titulato, quasi quod dignitas regalis Principis, Ducis, Marchionis, vel Comitis eximat à patria potestate, dum iste testator Marchio Piscariæ, aliasque habebat consimiles dignitates, ita hæc in forma discursiua insinuando, ad ostendendum, quod casus esset dubius, ideòque dignus esset honesta concordia, ad quam parandam, iste labor adhibebatur.

Post editum veró hunc discursum, magis ad vtrumque punctum ex integro reflectendo, atque seclusis præfatis localibus auctoritatibus; Quatenùs pertinet ad primũ, de quo agitur *in d. decis. 4. Franch.* an scilicet simplex feudatarius in genere, qualis qualis ille sit á patria potestate eximatur, testandique facultatem acquirat; Dicendum videtur, quod rectè procedat conclusio in præfata decisione firmata, quoad facultatem testandi simplicitèr de bonis paganicis, alijsque iuribus indifferẽtibus, quoniam verius est, quod feudum, vbi etiam veram militiam importet, hunc effectum non operetur, dum *in §. filius familias instit. quibus mod. ius patr. pot. solu.* literalitèr disponitur, quod militia, quinimó dignitas Consularis patriam potestatem non soluit, isto priuilegio dignitati patritiatus solùm attributa.

Et quamuis ius magis nouum *in l. fin. C. de Decurion. lib. 10. & in §. 1. & §. generali Auth. de Sanctissimis Episcopis*, hoc priuilegium patritiatus dignitati attri-
11 butum, extendat ad alia vndecim munera, seù officia, vel dignitates enumeratas per *modernum Bossium de patr. potest. cap. 2. num. 25. & 26.* qui alios de more cumulat, & inter quas Episcopalis recensetur; Nihilominùs in eis non includitur ista militia, qualis qualis illa sit, quamuis primi ordinis, nimiùmque qualificata.

Atque habemus in Clericis, qui non solùm in minoribus, sed etiam in sacris
12 dicuntur milites Christi, atque militaribus priuilegijs potiuntur, & tamen soluti non sunt à patria potestate, ex deductis *sub tit. de testam. disc. 34.* Et licèt ibidem firmetur tanquam probabilior opinio, quæ illis defert facultatem testandi etiam de aduentitijs; Attamèn id prouenit ex quibusdam peculiaribus rationibus ibi recensitis, quæ non adaptãtur militibus sæcularibus, præterquam in bonis Castrensibus; Ideòque stant bené simul, quod quis sit filius familias regularitèr intestabilis, & tamen quod per quandam speciem limitationis, sit habilitatus ad testandum de aliquo genere bonorum, siué in certis casibus.

Ista videntur stringere ad probandam inhabilitatem filij familias feudatarij ad testandum de alijs bonis indifferentibus, quæ cadant sub peculio aduentitio, vel profectitio improprio, siue ad exercendũ alia iura, quæ filijs familias interdicta sunt, ob impedimentum patriæ potestatis, vt præsertim ad rem, in præsenti casu est facultas deputandi filio impuberi tu-
13 torem, quoniam si patria potestas generalitér durat, exindè resultat, quod nepos nasci dicitur sub potestate aui, non autem patris, & per consequens intrat certum iuris principium, quod existenti in potestate patris, vel aui, non datur tutor, ac producereà duplex consideratur defectus, Vnus scilicèt ex parte deputantis; & alter ex parte illius cui fit deputatio.

Difficultas verò adhuc subest respectu feudi, atque in ijs, quæ ipsam feudalem hæreditatem concernunt, quia nempé compatibilitèr cum feudo recto, & pro-
14 prio, sit verificabilis testandi, vel aliás disponendi facultas; Vel scilicèt etiam in feudo antiquo pacti, & prouidentiæ, deputandi balium successori pupillo, aliaque disponendi pro recta feudi administratione, donec ætas pupillaris duret; Vel grauandi successorem intrà limites valoris feudi, iuxtá illam facultatem, quæ etiam in feudis antiquis in forma pacti, & prouidentiæ, conceditur feudatarijs Regni Neapolitani, ob admixtam qualitatem hæreditariã; siuè ob pluriès enunciatam facultatem, quæ conceditur primo acquirenti, titulo oneroso grauandi etiam in valore cum similibus casibus, in quibus hæc facultas testandi, seù aliàs disponendi sit exercibilis.

In his etenim, vel similibus, probabiliùs adhærendum videtur, potiùs sensibus

bus *Afflicti decis.* 183. quàm *Franch. d. decis.* 4. Cum præsuppoſito tamen, quód 15 agatur de illis feudis, veris, & proprijs, quæ concedantur à domino directo, habente iura Principatus, & regalia maiora, illud præſertim indicendi publicum bellum, & formandi exercitum, adeòut verificetur in feudatarijs, quod ſint milites primi ordinis, Ducem habentes ipſum Dominum, & Principem, iuxtà ponderationes, de quibus ſuprà *in annot. ad diſc. 1. & 2. 53. & 54. & alibi pluriès*, dum in illis infeudantibus, qui hoc ius exercitus, & publicæ militiæ, hodiè non habent, non verificatur vera qualitas militaris, neque verum, & proprium feudum, vt locis citatis aduertitur.

Poſita etenim iſta vera militia magis qualificata, & primi ordinis, nulla ſubeſſe videtur ratio, cur feudo magis, quã alijs bonis indifferentibus occaſione militiæ quæſitis, congruere non debeat terminus peculij caſtrenſis, dum ipſum feudum importat veram militiam, etiam maiorem, magiſque qualificatam per argumentum à maioritate rationis.

Idque clarè comprobatum videtur ex communi, & recepto ſenſu feudiſtarum, de quo ſuprà *diſc. 21. cum ſeqq. & alibi* 16 *pluriès*, vt ſcilicèt feudatarius duplex habeat patrimonium, ſeù duplicem diuerſum hæredem vniuerſalem, vnum ſcilicèt paganicum, & alterum militarem, etiam diuerſæ naturæ, quia vnus ſit teſtamentarius, & alter legitimus, ſiuè ab inteſtato, quod iuris principijs repugnat, neque alia ratione ſubſtinetur, niſi ob priuilegium militare, quodque feudum ſit patrimonium militare, vel caſtrenſe, cõtradiſtinctum à patrimonio paganico, ergò manifeſtum eſſe videtur, quod in eo fortiùs intrent termini peculij caſtrenſis.

In idem quoque rectè confert diſpoſitio *tex. in l. cum multa C. de bon. quæ liber.* cum concordatibus, de quibus *tit. de ſeruitut. diſc.* 60. quód ſcilicèt ea, quæ im-17 mediatè obueniunt à ſupremo Principe, non ſubiacent nexibus patriæ poteſtatis; Et hic eſt caſus in feudis veris, & proprijs, quorum dominus ſit Princeps ſupremus, habens ius belli publici, vt ſuprà, dum feudum verum obtineri dicitur in capite à Rege, vel à Principe; Alia veró feuda, quæ obtinentur à Baronibus, alijſque ſubditis, dicuntur ſubfeuda, ſeù feuda plana, & de tabula, aut aliàs impropria, allodij potiùs ſpeciem habentia, iuxtà diſtinctiones de quibus ſupra *diſc.* 7.

Et quamuis apud *Franch. d. deciſ.* 4. *num.* 8. & 9. id admittatur quando agatur 18 de illo feudo, quod ipſi filio per Principem ratione militiæ, & in remunerationem ſeruitij militaris conceſſum ſit, ſecùs autem vbi de feudo antiquo, vel nouo, quod per Patrem illi refutatum fuerit, quaſi quod iſtud habeat ſpeciem peculij profectitij; Attamèn (pace viri doctiſſimi, & apud me ſummæ venerationis) iſtud videtur æquiuocum clarum tanto viro incongruum (vndè proptereà in omnibus experimur imperfectiones humanæ imbecillitatis) quoniam feudum verum, & proprium eſt beneficium, quod directè, & immediatè obtineri dicitur à Principe tanquam ſpecies officij, vel magiſtratus abſque alterius dependentia, quamuis non ex meritis proprijs conceſſionarij, ſed ex illis eius patris, vel alterius conceſſio ſequatur; Quinimò etiam ex cauſa verè oneroſa, cum pecunia patris, vel alterius, dum id operari poterit, vt feudatarius ſit debitor pretij, in quo grauari poſſit, illudque, vbi proueniat à patre, ſpeciem habeat peculij profectitij, ſed non per hoc ipſum corpus feudi dici poſſit profectitium, quoniam iſtud ſemper dicitur obtineri immediatè, & in capite à Principe; Eo modo quo prouiſus per Papam de aliquo beneficio, ex reſignatione ad eius fauorem, per alterũ facta, vel aliàs intuitu meritorum alterius, ipſe dicitur beneficiatus, qui directè, & immediatè ius metitur à Papa.

Et conferunt, quæ pluriés habentur *tit. ſeq. de regalibus*, ad materiam officiorum, & locorum montium, quod ille in cuius faciem eſt deſcriptum officium, ſeù aliud ius regale, dicitur verus officialis, vel creditor Principis, quamuis cum alterius pecunia officium, vel ius quæſitum ſit; Magiſque ad rem conferunt ea, quæ habentur ſuprà *diſc.* 24. ſuper concluſione, quod in feudis non datur ſimulatio, neque locum habet regula *plus valere, quod agitur, &c.* Ergó prorſùs improprium eſt dicere, quod feudum dici valeat profectitium, quodque eatenùs habeat naturam peculij caſtrenſis, quate-

quatenùs cõcedatur ratione propriæ militiæ, dum isto casu non requiritur qualitas feudalis, quoniam quidquid ista occasione acquiritur de bonis indifferentibus, istam habet speciem, pro qua, neque opus est, vt bona obueniant á Principe supremo, dum sufficit, vt illa ex ista occasione, quouis modo quærantur; Et per consequens priuilegium, quod conceditur bonis á Principe obuenientibus, est quid diuersum ab altero bonorum castrensium, adeòvt si concessio ex alia causa, quàm illa belli, vel militiæ fiat, idem priuilegium intret, ergó multò magis intrare debet in feudo, quod vtranque speciem habet, immediatè scilicèt concessionis factæ á Principe, & causæ militaris, si non de præterito saltém de futuro, dum feudatarius efficitur miles, cum fidelitatis iuramento militiæ, saltèm apud personam ipsius Principis adstrictus.

Neque iuridica videtur differentia considerata in *d. decis. Franch.* inter feudatarium nouitèr creatum; & illum qui iure successorio per mortem, vel per re-
19 futationem à patre, vel alio maiore, obtineat, quoniam, vt aduertitur *sub tit. de credito disc.* 13. 27. & 151. occasione agendi de articulo, an in feudis intret separatio bonorum, & an creditores hæredis eum assensu vincant creditores defuncti sine assensu, nouus feudi successor, illud obtinere dicitur, directè, & immediatè á Rege, vel ab alio Principe domino directo, per occultam extinctionem iuris feudatarij morientis, vel refutantis, nouæque formationis iuris in successore, seù feudatario, eodem modo, quo in prædicta sede regalium habetur de officijs, & locis montium, quæ ex alterius resignatione obtineantur, & ad instar prouisionis beneficij Ecclesiastici ex causa resignationis, vt suprà, dum renouatio explicita, vel implicita, quæ conceditur nouo successori, habet speciem nouæ inuestituræ.

Ad rem quoque nimium conferre vi-
20 detur ponderatio desumpta ex historia iuris ciuilis, de qua in his terminis feudalibus suprà *disc.* 2. & 36. & *in alijs*, & *tit. seq. de regal. disc.* 2. & *tit. de seruit. disc.* 1. & *alibi*, quod scilicèt quando prodijt vsus feudorum, atque prodierunt leges, vel consuetudines feudales, vel ignotum, vel non receptum erat ius ciuile Romanorum; Et per consequens, improprium est, regulare materiam feudalem cum præfati iuris ciuilis terminis, ac dispositione, præterquam in subsidiũ iuris proprij, quinimó etiam iuris canonici, quod potiùs est attendendum; Neque incongruunt ponderationes, de quibus *d. disc.* 34. *de testam.* occasione facultatis testandi in filio familias Clerico.

Ideòque concludendum videtur, quod feudum simplex quia dignitatem annexam non habeat, sit autem verum, & proprium immediatè scilicèt á Rege, vel à supremo Principe, non liberat personam à patria potestate, quoad alia bona, & iura indifferentia independenter à feudo, sed in ijs, quæ concernunt feudum, vel personam feudatarij, habendus veniat tanquam pater familias.

Hactenùs de feudatarijs simplicibus, non titulatis, iuxtà primam inspectionẽ, vt suprá distinctam; Quatenùs veró per-
21 tinet ad aliam speciem feudatariorum regalium, & dignitatis; cum iuri communi Romanorum ignotus esset feudorum, & feudatariorum vsus; Hinc proindé non bené super propositione, seù limitatione de qua suprá *num.* 10. *Mastrill. de magistrat. lib.* 4. *c.* 13. *num.* 218. qui adduci solet per alios modernos *eod. num.* 10. allegatos, tanquam antesignanos, ad id allegat *tex. in §. filius familias instit. quib. mod. ius patr. pot. soluit.* dum neque in dicto textu institutionum, neque in alijs ampliotibus, de quibus suprà, agitur de huiusmodi feudatarijs titulatis, tunc ignotis, sed de alijs officijs, & dignitatibus; Neque *Ias.* per eundem *Mastrill.* allegatus, ad hanc speciem descendere videtur, cum solùm *num.* 18. agat de dignitate Episcopali, de qua ius ciuile expressè disponit, ac propterea liquet, quod traditio *Nouar.* & *Marin.* sunt in
22 fide parentum pro consueto collectorio, seù pragmatico more, ex mala fundata origine, destituta ratione, & authoritate, vt in multis experimur, quod scilicèt vno aliquid asserente, alij sequuntur, atque vno alterum transcribente fit magnus cumulus testium de auditu ab vno, qui non dicit verum, vel est malè informatus, nullamque sui dicti, rationem assignat, vel falsam, istaque est quotidiana miseria huius facultatis, cum quadam ine-

ineptia, qua nulla maior.

Examinando autem articulum per rationes, & principia, vt decet, quando casus legis non habetur, magnum, nimiumque solemne videtur æquiuocum, firmare hanc propositionem, ita generalitèr, & in abstracto, quod scilicèt feudatarij regales, & dignitatis eximuntur á patria
23 potestate, idque ita firmatum applicare nostrorum temporum Baronibus, & Domicellis, habentibus titulum, Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum; siquidèm, vt aduertitur pluriés *in hoc tit.* ac etiam *tit. de praeminent. disc.* 26. *&* 35. *& tit. de pension. disc.* 48. variæ hodiè sunt species titulatorum inter se nimiùm diuersæ, ideòque prorsùs erroneum est cũ hac generalitate procedere.

Veri etenim feudatarij regales, ac dignitatis sunt illi Principes, Duces, Marchiones, & Comites, qui exceptis alto dominio, & maiori superioritate, alijsque in inuestitura reseruatis, obtinent feudum pleno imperio, & cum regalibus, adeòvt feudum redoleat supremum principatum, vt sunt (ex: gr:) Duces Mediolani, Parmæ, & Placentiæ Mutinæ, & Rhegij, Mantuæ, Senarum, & similes; Et in istis rectè procedit assumptum, quoniam sunt Principes soluti legibus ciuilibus, a quibus ius patriæ potestatis deriuat, eisque derogare possunt, cum eatenùs vim legis habent, quatenùs eis placeat, vt in suo principatu seruentur, & per consequens illarum subiectionem non patiuntur.

Prout etiam ad effectum de quo agitur, sunt illi feudatarij imperiales minoris sphęræ, quorum plures habemus, præsertim in Lombardia, alijsque partibus superioribus Italiæ propè montes, cum eadem dignitate, seù titulo, Principum, Ducum, & Marchionum, quoniam licèt reputentur inferioris ordinis de facto, ratione minoris potentiæ, & exigui territorij, vndè proptereà non habent de facto exercitium iuris regalis, indicendi bellum publicum, atque formandi exercitum, neque veniunt sub nomine illorum Principum, qui quandam speciem, vel figuram Regni habere videntur, iuxtà ponderationes, de quibus *sub tit. de iure patron. disc.* 2. Attamèn in reliquis habent alia regalia, nempè fiscum, & cõfiscationes, bona vacantia, cusionem monetarum, creationem Doctorum, & Notariorum, ius priuatiuum, vel prohibendi, ac alterum ius habendi arces munitas, nec non facultatem condendi leges, cum proprijs subditis, eisque derogandi, vel dispensandi, & per consequens eadem intrare videtur ratio.

Solùmque ratio dubitandi cadere videtur in casu, de quo agitur *sub tit. de alienat. & contract. prohibit. disc.* 37. quòd scilicèt habentes huiusmodi feuda minoris potentiæ, sed cum regalibus, & cum vera dignitate, vt suprà, viuant in alieno principatu, in quo, Baronum, & Domicellorum subditorum figuram faciant, iuxtá alium casum, de quo *sub tit. de iurisdict. disc.* 90. cum similibus, an scilicèt, quatenùs hic titulatus adhùc haberet patrem, dicendus sit, nec ne, subiectus patriæ potestati, ex deductis in specie *d. disc.* 37. *de alienat. & contract. prohibit.* vbi videndum.

Alter é conuerso est casus oppositus, quod scilicèt agatur de titularis, sinè feudo nobili habitato, cum iurisdictione, & imperio in vassallos, sed ex solo priuilegio alicuius Principis, iuxtà casum, de quo *sub tit. de pension. disc.* 48. Et tunc, cum ista dicatur dignitas omninó impropria, & abusiua, in sola nuncupatione, pro aliquibus effectibus honorificis, planum, atque certum videtur, vt hæc species dignitatis præfatum effectum non producat, cum nulla suppetat ratio, quæ id suadeat.

Tertius casus est illorum Marchionũ, & Comitum, quorum adeó frequentem vsum habent, Lombardia, aliæque superiores Italiæ partes versùs montes, quod scilicèt iuxtà consuetudinem enunciatam suprá *disc.* 8. & alibi pluriés agatur de exiguis feudis diuiduis ad formam iuris Longobardorum, quibus annexa sit dignitas, Comitis, vel Marchionis in hac forma diuidua, adeòut omnes nuncupentur Comites, vel Marchiones, quotquot sint agnati, & descendentes á primo stipite, quamuis aliquam modicam habeãt participationem fructuum, & emolumentorum, ac etiam iurisdictionis, iuxtà illã magnam diuisionem dari solitam, quæ (ex: gr:) recensentur *in Ianuen. Feudi Arquati disc.* 114. *cum similibus*; Quinimò quod etiam sine hac participatione, quæ sit penès patrem, eo adhuc viuente, eandem

dem

dem nuncupationem, seú titulum assumant filij, adeóut detur casus, quod maior sit numerus Marchionum, vel Comitum, quam ille vassallorum; Et tunc, licèt ista dignitas dici non possit omninó ficta, & idealis ex solo priuilegio super feudo alieno, vel ideali, quod nuncupatur *dell'Auena*, adhuc tamen videtur dignitas impropria, & abusiua, cum de facto isti facere potiùs videantur figuram priuatorum nobilium, & per consequens, vt ista exemptione non potiantur.

Quarta demùm est species, adaptabilis ad casum præsentis controuersiæ, quod scilicèt agatur de Principibus, Ducibus, Marchionibus, & Comitibus, qui in forma indiuidua iuris Franchorum, atque ad similitudinem feudatariorum regalium, & veræ dignitatis, possideant Ciuitates, Oppida, & Castra habitata, cum vassallis, ac mero, & mixto imperio, sed sint subditi, cum omnimoda subordinatione Principi infeudanti, in qualitate Baroniæ sine regalibus, quæ sint penès ipsum Principem, aliquibus exceptis, quæ ex eiusdem Principis priuilegio explicito, vel implicitè deducto ab antiqua possessione, quodam iure singulari, & per viam limitationis regulæ obtineantur, vt propriè sunt titulati regnorum vtriusque Siciliæ, ac etiam Barones, & Domicelli Vrbis, & Status Ecclesiastici immediati, obtinentes eosdem titulos; Et tunc de stricta iuris censura, istis non congruunt ea, quæ de Principibus, Ducibus, Marchionibus, & Comitibus dispositá sunt, cum istæ dicantur dignitates potiùs impropriæ, & abusiuæ ex deductis præsertim in suprà allegatis *discursibus 26. & 35. de praemin.*

Verùm quia (vt locis citatis aduertitur) per quandam imaginem antiquarum dignitatum, quæ in eisdem Ciuitatibus, & Oppidis, vel Regionibus aderant, huiusmodi titulati, pluribus gaudent præeminentijs, & prærogatiuis, & præsertim (loquendo iuxta mores prædictorum Regnorum) constituunt corpus nobile Regni, seù Principatus, vnà cum Principe, qui est caput, ideóque tanquam membra sedent ad eius latus, atque cum eo interueniunt in publicis parlamentis, in quibus de grauioribus Regni, vel Principatus negotijs agatur, itá (vt dictum est) vnum & idem corpus efformantes, tanquàm per speciem Senatus; Hinc proindè probabiliùs videtur, quod eis adaptetur, & congruat terminus illius patritiæ dignitatis, de qua loquitur *textus in d. §. filius familias instit. quib. mod. ius patr. potest. soluit.* Quoniam, vt commu-

24 nitèr aduertunt ibidem Doctores, ista dignitas patritiatus non est illa, quam (non sine aliqua irrisionis occasione) sibi assumunt etiam paruarum Ciuitatum, & Oppidorum nobiles nimiùm priuatæ fortunæ, & illius simplicis nobilitatis, quæ illos distinguat á plebeis, iuxtá distinctiones, de quibus *d. disc. 35. de praemin.* deriuato isto vocabulo à descendentibus illorum centum Patrum, quos Romulus elegit, sed verè, & propriè denotat maiorem dignitatem Senatoriam eorum, qui Principi assistunt, atque aliquam cum eo habent participationem, in Reipublicæ, seú Principatus regimine; Et ex qua ratione in his terminis Doctores concorditèr inferunt ad dignitatem Cardinalitiam, vt operetur eundem effectum, quem operatur Episcopatus circà exemptionem à patria potestate.

Applicando itaque ad rem, quando ista refutatio præsupponenda esset valida, tunc videbatur, quod iste feudatarius

25 decoratus penè omnibus dignitatibus, Principis, Ducis, Marchionis, & Comitis, cum pluribus feudis qualificatis, in numero copioso, habendus esset pro patre familias; Potissimè, & clariùs dum aliquæ species istarum dignitatum, vt sunt Marchionatus Vasti, & Piscariæ, erant magis qualificatæ, ob aliam maiorem dignitatem primatus Hispaniarū, ob quam ad instar Cardinalium cum Papa, sedetur ad latera ipsius Regis; Et quo magis istæ dignitates viuente patre per filium obtentæ sunt ex eiusdem patris refutatione, eo magis, quædam implicita emancipatio inesse videtur ad instar eorum, quæ habentur *tit. de credito disc. 86.* de patre consensum præstante, vt filius Decurionatum, seù aliud munus publicum assumat.

Motiuabatur etiam de nullitate testamenti, conditi cum Notario, & tribus testibus; Verùm id nil releuare videbatur;

26 tùm ob validitatem iuxtá illas leges ex deductis *tit. de testam. disc. 11.* tùm etiam quia in omnem euentum idem posthumus esset successor intestatus, ideoque tota

tota causa restringebatur ad inualiditatem refutationis.

DE FEVDIS

DISC. CXVII.

Romana concursus creditorum.

Pro Creditoribus cum assensu, cum Creditoribus sine assensu.

Casus pendet in Congregatione Baronum.

An prohibitio alienandi, vel obligandi Castra, aliaque bona iurisdictionalia, quæ resultat ex Constitutionibus Apostolicis, capiat tenutas, & prædia, quæ per Baronem, vel Domicellum ex titulis particularibus quæsita sint, & possideantur intrà fines eiusdem Castri, seù loci iurisdictionalis.

SVMMARIVM.

1 *De creditoribus cum assensu, præferendis anterioribus sine assensu in locis iurisdictionalibus, & prohibitis.*

2 *An id procedat in feudis, & locis priuatis, existentibus intrà Castrum.*

3 *In idem de Constitutionibus de non infeudando.*

4 *De incorporationibus nouarum acquisitionum, vel additionum.*

5 *De maiori pretio bonorum iurisdictionalium.*

6 *De eodem puncto, de quo num. 2. & quomodo in eius decisione sit procedendum.*

7 *De eodem, & de distinctione plurium casuum, & bonorum.*

8 *Distinctiones continent præsumptionem iuris contrariam perfectè eludibilem.*

9 *De applicatione distinctionum ad casum controuersia.*

10 *Quando voluntas incorporandi attendatur, nec nè.*

11 *De eiusdem voluntatis incorporandi argumentis.*

12 *De compatibili concursu plurium personarum, vel titulorum incompatibilium.*

13 *De concessionibus priuatis, quæ per Barones fieri possunt circa contrauentionem Constitutionum.*

DISC. CXVII.



1 ECISO per Congregationem Baronum puncto, disputato in concursu creditorum Principis Ludouisij, super pretio Status Zagarolæ, vt scilicèt creditores posteriores cum assensu, præferri debeant creditoribus anterioribus sine assensu, ex ea ratione, de qua etiam suprà *disc.* 78. *& alibi*, quod scilicet in bonis non existentibus in libero commercio, atque obligari prohibitis sine licentia, vel assensu Principis, vel alterius, creditores qui assensu careant, comparatiue ad eos, qui illum habeant, habendi sint tanquam Chirographarij concurrentes cum hypothecarijs, ex deductis in isto casu præcisò *sub tit. de credito disc.* 13. *&* 151.

Ex parte creditorum anteriorum in tempore sine assensu, excitatum fuit motiuum, vt scilicèt dictum assumptum rectè procedat in ipsis Castris, & bonis iurisdictionalibus, in vniuersum, eorumque pretio pro rata, non autem in rata illius pretij, quod proueniat ratione tenutarum, villarum, palatiorum, vinearum, aliorumque prædiorum tam rusticorum, quàm vrbanorum, quæ ab eodem Barone, seù Domicello debitore, ad instar cuiuslibet priuati ciuis, vel incolæ intrà fines eiusdem status possiderentur iure priuato, vtpotè quæsita ex priuatis ti-
2 tulis emptionis, vel aliorum contractuũ, siuè ex industria constructis ex recepta propositione, de qua suprà *disc.* 2. *&* 3. 47. & 56. *& in alijs pluriès*, quod scilicèt ex reduplicatione plurium personarum formalium, quę datur in eadem persona materiali pro diuersitate respectuũ, ista bona considerentur, tanquam priuata, & indifferentia, contradistincta ab ipso corpore castri, seù loci iurisdictionalis.

Atque ad id probandum, scribentes pro huiusmodi creditoribus sine assensu, omnia penè ad literam desumebant ex

ijs,

ijs, quæ habentur á me superiùs deducta *disc. 61. & 62.* illa exornando cum aliquo maiori, & superfluo verborum, & allegationum apparatu.

Ponderando etiam communem praxim ponderatam quoque *d. disc. 61.* ad interpretationem aliarum Constitutionum
3 Apostolicarum de non infeudandis, quod scilicèt Barones, & Domicelli, prohibiti alienare Castra, & bona iurisdictionalia, in toto, vel in parte per quotas, passim alienant titulo venditionis, vel dationis in solutum, siuè ex altero emphyteusis, vel perpetuæ locationis, ac etiam donationis, concedunt petias terræ, & vineas, aliaque prædia, & bona, dum aliàs esset eis penitùs interdicere commercium.

E conuerso autem aliqui scribentes pro hac parte, insistebant in eo, quod plerique Doctores, agendo de incorporatione Ciuitatum, & Prouinciarum de
4 nouo conquisitarum alicni Regno, vel Coronæ, exemplificare solent in aquis dulcibus, prouenientibus ex priuatis fontibus, vel riuulis, quod intrantes in mare, efficiuntur maritimæ, vel salitæ, ipsiusque maris naturam, & qualitatem assumunt, iuxtà disputationes habitas in casu, de quo suprá *disc. 2.* Atque occasione comprehensionis sub legibus, agitur etiam suprá *disc. 83.* & alia occasione viarum, intrantium in plateam, agitur *sub tit. de regal. disc. 135.* Adhibendo quoque consuetum nostrorum dictum, quod iurisdictio sit quid vniuersale, tanquam nebula suprá paludem, ideóque eo ipso quod Baro, vel Domicellus, bona priuata acquirit, illa cadant sub dicta nebula, & efficiuntur iurisdictionalia.

Item in præmissornm comprobationem, in congresibus desupér habitis, arguebam ego ab obseruantia circa pre-
5 tium, seù valorem, quoniam si Baro, vel Domicellus emit tenutas, aliaque prædia priuata ad rationem (ex:gr:) quatuor pro centenario, penés ipsum euadunt bona iurisdictionalia, vndè propterea in æstimatione ipsius Castri, seù loci iurisdictionalis, itá æstimantur ad rationem duorum circitèr, ob pluriès insinuatam prærogatiuam bonorum iurisdictionaliū huius principatus, præsertim *disc. 19. & 24.* quod scilicèt bona iurisdictionalia æstimantur in medietate pluri, quàm priuata indifferentia..

Quamuis autem ego scribens pro hac parte creditorum posteriorum, habentiū assensum, more Aduocati ad causæ opportunitatem, prædictis inhærerem, aliaque pro consueto Aduocatorum acumine deducerem; In congressibus tamen desupèr habitis pro directione causæ, in quibus, pro commendabili Curiæ stylo, veritas cum omni ingenuitate inquiritur, & aperitur; Dicebam idem, quod habetur suprá *disc. 2. & 3. 47. & 56. & in*
6 *alijs*, super hoc puncto, an & quando bona existentia intra fines feudi sint feudalia, cum proportionabilitèr eadem inrret ratio, quod scilicèt reverá ista non sit quæstio iuris, sed potiùs facti, ex istius particularibus circumstantijs decidenda, quodque propterea intret consuetus nimiumque frequens, & cōnaturalis pragmaticorum error procedendi cum generalitatibus, siue in sola litera doctrinarū, & auctoritatum, non reflectendo ad debitas distinctiones, ideòque confugiendum esset ad illam, quæ pro meo sensu esset sacra anchora, pro methodica causarum decisione, congruave doctrinarū, & conclusionum applicatione, distinctionis scilicèt diuersorum casuum, vel diuersarum specierum huiusmodi Castrorum, & locorum iurisdictionalium.

Vbi etenim agitur de prima magis communi, & frequenti specie illorum castrorum, seù locorum, in quibus Baro, vel Domicellus habeat solùm illud dominium publicum, seù territoriale in toto territorio, quod consideratur tanquam iure terrendi, absque tamen priuato, & vtilitatio dominio ipsius territorij materialis, quod pleno iure sit priuatorum, & tunc respectu bonorum, &
7 iurium, quæ ab eodem Barone, vel Domicello ibi possideantur, intrat distinctio, de qua *d. disc. 2. & 3. & 47.* in alijs insinuatis, inter illa bona, & iura, quæ annexam habeant iurisdictionem, siue de sui natura sint iuris publici, & baronalis, ratione alicuius regaliæ, vel ratione iurisdictionis; Et alia, quæ sint iuris merè priuati, atque proueniunt ab humana industria; vt scilicèr in prima specie consideretur tanquám Baro, illaque bona, vel iura dicantur feudalia, vel iurisdictionalia, tanquam membra illius corporis, vel tanquam partes totius, rectèque cadant

cadant sub huiusmodi prohibitionibus, dum illorum alienatio importat ipsius corporis scissuram, & dismembrationẽ; Alia veró bona indifferentia, & iuris priuati, etiam penès ipsum dominum, vel Baronem, suam retineant naturam, dum in eis desideratur, tanquam priuatus, ex dicta reduplicatione personarum, quotiès versemur in dubio; secùs autem vbi expressè, vel etiam præsumptiuè constet de voluntate ipsius feudatarij, vel Baronis illa incorporandi feudo, vel castro, cum in hoc totum faciat voluntas, vel destinatio patris familias, ex auctoritatibus ibi insinuatis.

Aut veró agitur de illa specie feudi, vel castri, quæ importet dominium totius territorij materialis etiam ad fructũ, & vtilitatem, adeóvt priuatum dominium aliorum, sit solùm subalternum per speciem perpetuæ coloniæ, & emphytheusis, iuxtá casum, de quo *d.disc.* 47. *&* 72. & in alijs ibi insinuatis; Et tunc, aut agitur de acquisitionibus bonorum, quæ ab eodem Barone, vel Domicello, malè distracta sint, ac indebité dismembrata, istoque casu, vt aduertitur *d.disc.*2. nouæ acquisitiones referendæ potiùs videntur recuperationi, vel reintegrationi, & per consequens vt ad priorem causam redeant; Et conferunt, quæ habentur *disc.*35. *de legitim. & detraction.* circa illa melioramenta, quæ fiant pro refectione deteriorationum, de quo eriã *disc.*24. *de credito*; Aut hæc necessitas non vrget, & tunc videtur, quod ista præsumptio non intret, quodque ob eundem compatibilem concursum diuersarum personarum incompatibilium pro diuersitate respectuum, probabiliùs sit, vt iure priuato huiusmodi acquisitiones facere voluerit pro libertate disponendi, & ne bona liberæ dispositionis huic prohibitioni, vel seruituti supponat.

Verùm ista quoque est simplex iuris præsumptio, quæ cedere debet contra-
8 riæ probationi expressæ, vel præsumptæ diuersæ voluntatis incorporandi bona cum ipso castro, vel feudo, eaque faciendi eiusdem naturæ ex deductis apud *Rouit. cons.*101. *lib.* 2. cum alijs, de quibus locis citatis; Quotiès tamen ista incorporandi, vel confundendi voluntas fiat re integra, & priusquam creditoribus, vel alijs interessatis ius quæratur in huiusmodi bonis, & per consequens (vt præmissum est) quæstio re verà dicenda potiùs est facti, quàm iuris ex singulorũ casuum particularibus circumstantijs decidenda.

Applicando autem ad rem; Cùm supponeretur, quód ista castra essent iuxtá secundam speciem, quæ in hoc principa-
9 tu frequens videtur, quod scilicèt Baro, vel Dominus haberet dominium totius territorij materialis; Aduertebam distinguendum esse inter priuatas acquisitiones, vel cõstructiones factas per Columnenses, antiquos huius status Duces, & dominos, qui Ludouisio debitori, & vltimo possessori, seù illius auctori illum vendiderunt, & acquisitiones factas ab eodem nouo emptore, & debitore, vel eius auctore.

Primo etenim casu (etiam cum sensu veritatis) omninó certum dicebam, quod omnia effecta essent bona iurisdictionalia, constituentia vnum, & idem corpus eiusdem naturæ, tanquam illum mansum, de quo agitur suprà *disc.*56. ex clara voluntate, & destinatione prioris domini venditoris, qui professus est vendere istum statum tanquam vnum corpus integrale, & iurisdictionale pro eodẽ vniformi pretio bonorum iurisdictionaliũ, & cum illa licentia, quæ in huiusmodi bonis est necessaria, atque ex parte emptoris, eadem fuit voluntas emendi totum statum tanquam vnum corpus integrale eiusdem naturæ, & tanquam vnum mausum, iuxtá ponderationes, de quibus *d.disc.*56.

Quaré difficultas restringi solùm videbatur ad præsumptionẽ voluntatis istius noui emptoris, in acquisitionibus per eũ factis, quarum respectu, præsumptio, vt suprà, esse videbatur pro non confusione, seù non incorporatione, vt ita disponendi libertas salua remaneret.

Et quamuis huius voluntatis incorporandi argumentum desumi videretur ex eadem circumstantia, de qua suprá,
10 quod scilicèt acquirentium vltimus successor, qui venditionem fecit, & in cuius venditionis pretio erat concursus, idẽ adamussim egerit, vendendo totum statum, tanquam vnum corpus eiusdem naturæ, cum eadem licentia, & pro eodem vniformi pretio alterato iurisdictionaliũ; Attamèn dici posse videbatur, quod iste actus

actus posterior non esset aptus tollere hypothecam, & ius quæsitum creditoribus in huiusmodi bonis non cadentibus sub prohibitione, dum de tali voluntate constare debet, antequam hypothecæ cõtrahantur, solùmque iste posterior actus, deductus ab obseruantia, rectè deserui non potest pro interpretatione, vel adminiculo eorùm, quæ accederent à parte anteà; Ideòque concludebam, quod istorum respectu, alia desideranda essent adminicula voluntatis à parte antea; quodque propterea decisio penderet à circumstantijs facti.

Non leue tamen huius voluntatis adminiculũ desumi videbatur ex eo, quod cum venditoris pater, de cuius debitis agebatur, iuxtà tempora huiusmodi ac-
11 quisitionibus proxima, pro emptionibus duorum Statuum Plumbini, & Venusij, hæc debita contraxisset, quorum pars notabilis consistebat in censibus, in quibus necessarius est fundus fructifer, curauerat eos omnes imponere super villis Vrbis, & Tusculi incongruis, vtpotè infructiferis, & incapacibus, abstinuit tamen semper impositiones facere super huiusmodi tenutis, & prædijs, agnoscendo prohibitionem Constitutionum, vtpotè in bonis iurisdictionalibus; Ac etiã, quòd acquisitiones factę non fuerunt ab ipso debitore, sed à Cardinali fratre, & primo acquisitore, qui hunc Statum, tanquam vnum corpus, sub fideicommisso successiuo reliquit.

Non videbatur autem subsistere dicta consideratio, quæ fiebat ex hac parte de riuulis, & fluuijs intrantibus in mare, vel in lacum, quoniam eadem bona, etiam
12 de tempore, quo erant penès priuatos, à quibus acquisita fuerunt, dici poterant iurisdictionalia passiuè, idest ratione subiectionis iurisdictioni Baronis, ac proptereà nulla naturæ immutatio, vel noua subiectio sequuta est, ipseque Baro acquirens, ita gerit duas personas distinctas, quarum vna est Baronis, cum qua continuat eandem iurisdictionem, quam prius habebat, nihilque de nouo acquirit; Altera veró est persona priuata pro ipsorum bonorum priuato dominio ad fructum, & vtilitatem sub dominio iurisdictionali, & territoriali sui ipsius, tanquam personæ diuersæ; Ideòque semper firmum remanet, vt totum pendeat à voluntate, regulanda ex circumstantijs facti.

Minùs è conuerso considerabilis videbatur obseruantia, quód scilicèt Barones, & Domicelli, absque licentia Apostolica, & citrá contrauentionem Apo-
13 stolicarum Constitutionum faciunt contractus de aliquibus petijs terræ, alijsq; prædijs, existentibus in territorio Castri, quoniam istæ dicuntur alienationes, vel concessiones cuiusdam dominij vtilis, vel subalterni absque præiudicio integritatis corporis, & sine formali scissura, vel dismembratione iurisdictionis, & iuris dominicalis, iuxtà ponderationes, de quibus *d. disc. 61.* sed id non influit ad casum, in quo agatur de concursu ad ipsum corpus vniuersale eiusdem naturæ penès ipsum Baronem, & Domicellum, vt in præsenti.

DE FEVDIS,

DISC. CXVIII.

Romana Palatij.

Pro Duce Ludouico Sfortia cum Cardinali Friderico patruo.

Casus, disputatus in Congregatione Baronum, vbi pendet.

An bulla Baronum comprehendat legata, quæ per Cardinales, aliasque personas Ecclesiasticas facta sint ad fauorem Cardinalium, & Prælatorum familiæ pro tempore; adeóvt bona huiusmodi legatis obnoxia, & possessa per Barones cadant sub bulla.

Et incidentèr an ille, qui rem suam allodialem, & liberam ab alio recipit in feudum æstimatum pro certo pretio, dicatur primus acquirens, vt propterea successores ad eius debita teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An bulla Baronum comprehendat legata.*
3 *An comprehendat bona Ecclesiastica.*

4 *Quod comprehendat etiam dispositiones Pontificum, & Cardinalium.*
5 *Complectitur etiam bona possessa per Cardinales.*
6 *De eodem de quo num.2.*
7 *De differentia inter statuta localia, & leges Principis supremi in suo Principatu.*
8 *De eodem de quo num.3.*
9 *Quando dicatur legatum factum personis Ecclesiasticis.*
10 *De materia primi acquirentis ex causa onerosa, vt successoribus praeiudicare valeat, quando talis dicatur.*

DISC. CXVIII.



1 LVRIBVS exortis controuersijs enunciatis etiã suprà *disc.115.* inter Sfortiades S. Floræ, Cumtam Dux Ludouicus, quàm Cardinalis Fridericus Patruus pro aliquibus creditis cõtra Ducem Marium patrem, & fratrem, respectiuè competentibus, mandata executiua obtinuissent, contrà eius hæreditatem, iacentem in forma consueta, eaq; præsentassent in Congregatione Baronũ, vno alterum respectiuè molestante in bonis, quæ possidebant; Cardinali petente vendi Castrum, seù Oppidũ Onani possessum per Ducem; Iste è conuersò petebat vendi palatium, quod prius erat Cardinalis Valentini nepotis Calixti III. à quo postmodum assumpto ad Pontificatum sub nomine Alexandri Sexti, dono datum fuit alteri Cardinali Sfortiæ, qui illud in eius domo sub fideicommisso reliquit, sub lege tamen, quod existentibus in hac familia Cardinalibus, pro eorum habitatione deseruire deberet; Vndè propterea orta est quæstio, an istud palatium, quod non dubitabatur fuisse possessum per Ducem Marium debitorem, qui erat Baro, caderet sub dispotione bullæ in præiudicium tam Cardinalis viuentis, quàm aliorum pro tempore; Atque disputatione desupèr habita, ex prudentialibus motiuis dilata fuit resolutio, quæ pendet.

In hac igitur disputatione plura deducebantur per defensores Cardinalis; Primò nempè quod istud esset legatum fauore Cardinalium, & per consequens non caderet sub bulla, loquente de fidei-
2 commissis, procedendo cum generalitatibus, quas habemus in statutis, & legibus exorbitantibus, vt earum extensio de casu ad casum danda non sit, sed attendi debeant in casu præciso, ex ijs, quæ habentur præsertim *sub tit. de successión.* vbi est sedes statutorum *disc.15. & in alijs.*

Et secundò ponderabant ea, quæ habentur suprà *disc.93.* super puncto, quod
3 hæc bulla non capiat bona de dominio Ecclesiarum, quasi quod sit casus mixtus sub ea non comprehensus.

His tamen non obstantibus (etiam eò sensu veritatis) contrarium responderi debere, dicebam, quoniam bulla *in §.10.*
4 loquitur etiam de dispositionibus factis per Summos Pontifices, multò magis per Cardinales, talemque dicebam esse praxim inconcussam in plerisque fideicommissis, & præsertim in illo, quod ordinatum fuit per Cardinalem Cæsium, de quo suprà *disc.89.* & alterum, ordinatum per Prælatum, de quo *disc.85.* Et quod magis est in altero, de quo *decis.228.par.10. recent.* enunciato etiam suprà *disc.96.* ordinato per Summum Pontificem Leonem Decimum, in bonis, ei relictis per Cardinalem, & per consequens Ecclesiastica qualitas testatoris cessare non facit dispositionem bullæ.

Minùsque eam cessare facit Cardinalitia, vel alia Ecclesiastica qualitas pos-
5 sessoris bonorum, dum in eadem bulla §. 2. literalitèr fit mentio etiam de Cardinalibus, & per consequens, vbi lex est literalis, cessant quæstiones, & argumenta ad sæpiùs enunciatam vulgarem regulam *tex. in l. ille, aut ille ff. de legat.3.*

Quatenùs verò pertinet ad obiecta; Nullius momenti videbatur, primum, quod scilicèt non ageretur de fideicom-
6 misso, sed de legato, de quo bulla non loquitur, quoniam quia iuxtà expressam dispositionem *tex. in l. 1. C. commun. de legat.* legata, & fideicommissa in omnibus exequata sunt, eaque pro sinonymis habentur, vbi de secundis, & obliquis dispositionibus agatur, eadem constituta differentia inter vniuersalia, & particularia; Et per consequens eo ipso quod bulla loquitur de fideicommissis absque dubio de hoc legato, habente tractum perpetuum, & successiuum quoque loquuta est, cum aliud in effectu non sonet,

sonet, nisi fideicommissum particulare.

Clariùs veró, ac ad euidentiam, quoniam dum bulla loquitur de casibus fortioribus, nempè de inuestituris, concessionibus, donationibus, & pactis, dubitandum non videtur, quin comprehendere non voluerit casum minùs dubitabilem legatorum, ob rationis identitatem; Ac etiam, omni penitùs dubitandi ratione cessante, ob aliud magis amplum verbum cuiuscumque dispositionis, tám inter viuos, quàm per vltimam voluntatem, dum sub genere vltimarum voluntatum, dubitandum non est venire legata.

Aduertebam quoque, æquiuocum videri adhibere strictos, & rigorosos terminos statutorum, quoniam, vt aduertitur pluriès *d. tit. de successión.* ac etiam *sub tit. de legitim. disc.*10. *& alibi*, erro-
7 neum est, legibus latis per Principem supremum in eius Principatu, applicare terminos statutorum, & legum municipalium, quibus congruat stricta, & rigorosa intelligentia, quoniam id procedit in statutis conditis per Ciuitates subditas, non habentes facultatem derogandi iuri communi, leges etenim emanatæ à proprio Principe in suo principatu, dicuntur communes, non autem municipales, suntque maioris roboris, & efficaciæ, quàm sit ipsum ius commune.

Quo veró ad alterum obiectum, quod ageretur de dispositione Ecclesiastica;
8 Dicebam extraneos esse terminos quæstionis disputatæ *d. disc.*93. quoniam ibi agitur de præseruando præiudicium Ecclesiæ dominæ directæ à debitis contractis per eius feudatarium, vel emphyteutam; vndé ipsa venit omninó independentèr à primo acquirente, qui quãdam speciem fideicommissi in eius descendentia ordinauit, adeóvt in hæreditate fideicommittentis, à quo omnes successores, & vocati ius metiuntur, adesse solùm dicatur dominium vtile, vel subalternum, quod cadat sub bulla, ex ibi ponderatis; Id autem nil commune habet cum præsenti casu, in quo Cardinales, & Prælati, ad huius palatij habitationem veniunt iure fideicommissariæ vocationis, ex munificentia, & liberalitate eorum maioris ordinatoris fideicommissi, cum hac distributione participationis.

Et vlteriùs, veré, & propriè istud dici nõ poterat legatum factum personis Ecclesiasticis; vndè propterea bona dici
9 possent potiùs Ecclesiastica, quàm laicalia, ad effectum exemptionis ab Ægidiana, alijsque legibus laicalibus, qualia sunt consimilia legata pro Cardinalibus, & Prælatis Domus pro tempore, facta per Cardinalem Esteusem, & per Cardinalem Carafam, iuxtá casum, de quo *sub tit. de fideicomm. disc.* 52. quod scilicèt alij de illo participare non possunt, sed interim stat sub administratione, quoniã istud palatium comprehensum est sub fideicommisso vniuersali complexiuo Castrorum, aliorumque bonorum, ad fauorem natu maioris pro tempore, cũ onere tamen præstandi habitationem Cardinalibus pro tempore, ideóque dominium residet penès fideicommissarium, Cardinalis autem pro tempore habet quandam speciem seruitutis habitationis, seù veriùs facultatis habitandi, iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. de seruit. disc.*66. vndè propterea in omnem euentum, quando etiam hæc dispositio non caderet sub bulla, dicebam, quod ad eius præscriptum vendi debebat proprietas, quæ pertinet ad fideicommissum cum onere istius seruitutis iuxtà casum de quo *d. tit. de seruit. disc.*65.

E' conuerso, vt Cardinalis possessor palatij, repelleret has molestias Ducis actoris, qui pro eius creditis petebat executionem super palatio, vt suprà; Excipiebat de inani circuitu ob possessioné Comitatus Sanctæ Floræ, vt poté quæsi-
10 ti ex causa onerosa per dictum Ducem Marium debitorem, vndè propterea inferebatur ad conclusionem pluriès in præcedentibus insinuatam, quod scilicèt primogenitus, successor feudi noui quæsiti titulo oneroso, si non in ipso corpore feudi, saltèm in eius pretio teneatur ad debita, & onera primi acquirentis; Quinimó etiam ad communicationem pretij, cum fratribus secundogenitis, ex deductis supra *disc.*12. & in alijs pluriés.

Præsupponebatur autem Dux Marius, primus acquirens, titulo oneroso, eo quia ipso ex successione maiorum possidente istum Comitatum in liberum allodium, etiam cum alto dominio, & independentia, illum, de consensu aliorum fratrum vendidit Magno Duci Etruriæ pro pre-

tio quadringentorũ quinquaginta milliũ circitèr aureorũ;deindèque ab eodem M. Duce,Domino effecto, eiusdem Comitatus inuestituram feudalem recepit in forma pacti,& prouidentiæ,ac iuris Francorum cum ordine primogenituræ pro se, & vniuersa descendentia Alexandri patris, soluto pretio scutorum ducentorum quinquaginta millium circitèr.

Verùm in sensu etiam veritatis, agnitæ quoque non solùm à Congregatione Baronum,sed etiam àRota,& ab vtraque Signatura Gratiæ,& Iustitiæ,atque àTribunali A.C.in quibus omnibus hoc motiuum deductum fuit, sed semper reiectum; Dicebam quod id nullum penitùs haberet, nec facti, nec iuris fundamentum, quoniam primus acquirens titulo oneroso,ad præfatos effectus,propriè dicitur ille, qui pecuniam propriam liberam,& allodialem iam existentem in eius patrimonio allodiali, erogat in acquisitionem feudi, cuius pretium ita in patrimonio, seù hæreditate allodiali remanere,dicitur iuxta casus,de quibus supra, *disc.12.19.23.& in alijs.*

Hoc autem in ista facti specie nullatenùs verificatur,dum præfatus inuestitus, dissipator potiùs,quàm acquisitor dicendus venit, quoniam antiquam rem pretiosiorem, quæ ex fideicommissis, & primogenituris maiorum erat debita successoribus iure proprio, absque eo quod ipse disponere posset deteriorauit, eiusque partem distraxit. Atque inspecta rei veritate, ipse nihil soluit, neque nouam fecit acquisitionem, sed rem suam liberam, & allodialem tradidit alteri, à quo immediatè recepit in feudum, iuxta casum enunciatum in facti serie, quæ supra *disc.54.* & alterum *de quo disc.63. & 56. & in alijs;* Cum ea differentia de qua in dictis casibus, quod deditio fuit ex causa protestationis, tradendo alteri dominium directum, & superioritatem, pro se autem retinendo dominium vtile, vel subalternum;In præsenti autem deditio fuit mediante pretio, & sic in effectu iste actus aliud non continet nisi venditionem dominij directi,& alti pro pretio scutorum 250.mill. circitèr, retento pro se dominio vtili,immutata eius natura, seù qualitate,quod de libero allodio effectum fuit feudale;expressio autem pretij fuit gratia distinguendi quid importaret valor dominij directi,eo modo quo firmato integro valore alicuius rei, contradistinguitur valor proprietatis à valore vsusfructus,siue dominij vtilis,ex titulo emphytheotico seù liuellario, &c. Et hic propriè erat casus.

DE FEVDIS

AD BVLLAM BARONVM

DISC. CXIX.

Romana Census.

Pro Sororibus de Amadeis cum Marchione Tarquinio S. Crucio.

Casus disputatus in Congregatione Baronum, & resolutus, vt infra.

De eadem materia de qua supra *disc.84.* an scilicet Bulla Baronum locum habeat pro debitis contractis post venditum Castrum, si venditio facta sit cum reseruatione dominij,pendente solutione pretij, ac etiam cum retentione tituli, seu Dignitatis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *Quod Bulla Baronum non habeat locum in debitis contractis post venditam Baroniam.*
3 *Contrarium.*
4 *Quod auctoritatibus indiuidualibus sit deferendum.*
5 *Quare non sit deferendum Rotæ decisioni in hoc puncto, & de auctoritate decisionum Rotæ.*
6 *Quomodo procedat, & iudicet Congregatio Baronum.*
7 *An Bulla habeat locum in locis tunc infeudatis,& postea deuolutis.*
8 *De circumstantijs particularibus, ob quas Bulla intret, etiam post venditum Castrum.*
9 *Venditor cum reseruatione dominij pendente solutione pretij, an retineat dominium.*

10 Sen-

10 *Sensus Auctoris super resolutione.*
11 *Quid operetur solus titulus sine Castro.*
12 *An sola habitualis retentio dominij sine alio sufficiat.*
13 *De conclusione de qua, num. 9.*

DISC. CXIX.



RANCISCVS de Sancta Cruce possessor Castri Practicæ, intra districtum Vrbis, cum Dignitate seu titulo Marchionatus, de anno 1625. illud vendidit
1 pretio scutorum sexaginta millium Philippo Comestabili Columnæ, cum expressa reseruatione, ac retentione præfati tituli pro se ipso & vno ex eius filijs, habita fide de pretio soluendo in certis terminis conuentis cum reseruatione dominij, in ampla forma extensa, vt nunquam censeatur ab ipso abdicatum, donec integra pretij solutio, aliaque implementa sequuta fuerint; Istoque termino pendente, emit ab authoribus Sororum de Amadeis domum ad diuum Capitolinum, re vera habita fide de pretio, quamuis ex iuris fictione, illud conuersum fuisset in diuersum contractum census, pro cuius fructibus in summa valde notabili decursis, ac etiam pro cautela sortis principalis, expedito mandato executiuo à Tribunali A.C. contra bona hæreditaria, eoque præsentato in Congregatione Baronum, ad effectum, vt ad præscriptum Constitutionis 41. Clem. VIII. quæ vulgo Bulla Baronum nuncupatur, exequutioni demandaretur, tam super eadem domo, quam super pretio dicti Castri, alijsque bonis possessis per Marchionem Tarquinium filium, profitentem illa possidere iure proprio ex fideicommisso maiorum, atque negante Baronalem qualitatem in Francisco patre, pluribus disputationibus desuper habitis, prodierunt resolutiones actricibus fauorabiles, præsertim super exequutione prædictæ domus, ex cuius causa creditrum originem trahebat.

In huiusmodi autem disputationibus, nulla cadebat quæstio super requisitis Bullæ, tam scilicet circa Baronalem qualitatem Francisci, præambula hora dictæ venditionis, quam circa qualitatem bonorum super quibus petebatur exequu-
2 tio, quód, scilicet, fuissent ab eodem Barone possessa; Sed quæstio restringebatur ad punctum Baroniæ de tempore contracti debiti, quando ex parte rei conuenti illa cessata dicebatur ob venditionem Castri iurisdictionalis, adeó vt illa retentio baronalis qualitatis, vel prærogatiuæ, quæ remanet tanquam vestigium prioris dignitatis, non sufficiat, cum ad effectum huius Bullæ requiratur baronia actualis cum iurisdictione ex firmatis, *per Rotam in Romana fideicommissi 8. Iunij 1654. coram Verospio*, edita in casu de quo agitur supra *disc. 84.* vbi resolutio laudatur, quamuis Ego scriberem pro parte succumbente, ideóque scribentes pro reo conuento, proprium iudicium mihi obijciebant.

Scribens pro actricibus; Quamuis more Aduocati deducerem eadem fundamenta; quæ pariter tanquam Aduocatus deducebam pro creditoribus in dicta
3 alia causa, & de quibus *dicto disc. 84.* illis addebbam indiuidualem auctoritatem, quæ in hac materia dici potest singularis *Cobellij ad Bullam Boni Regiminis cap. 16. num. 67. & seq.* exagerando consuetam pragmaticorum insipiduram, super doctrinis indiuidualibus, non habentibus contradictorem, vt in iudicando attendi debeant, tanquam casus legis ex
4 deductis, *decis. 122. in fine par. 5. recentior. decis. 721. num. 5. par. 2. cum alijs per add. ad decis. 20. par. 3. recent. num. 42.*

Quatenus veró pertinet ad auctoritatem *Rotæ in dicta decisione, edita coram Verospio*, dicebam quòd licèt magna, omni-
5 que veneratione digna sit auctoritas resolutionum huius Tribunalis; Nihilominus non sunt auctoritates necessariæ, etiam respectu iudicum inferiorum, adeó vt non verificetur, id, quód dicunt *Afflic. & alij*, de decisionibus illius S. Consilij respectu Iudicum inferiorum, eo quia emanant nomine Regio, cum ista ratio non militet in Tribunali Rotæ, dum est solùm Iudex alicuius maioris sphæræ, adeó vt quandoque, licèt non multùm frequenter, praxis doceat, quod Locumtenentes Auditoris Cameræ, alijque Iudices inferiores Curiæ non deferant auctoritatibus alicuius decisionis punctualis, quando eius fundamenta non captiuent eorum intellectum, vt de me ipso in figura arbitri patet, *sub tit. de fideicom. disc. 75.*

Multó

. Multò verò magis dum agebatur de Tribunali Superiore, quòd more Principis potiùs, quàm Iudicis procedere videtur, non obligatus ordine iudiciali ex deductis supra *in Vrbeuetana Census disc.95*
6
Atque non egrediendo terminos speciales istius Bullæ, aduertebam quòd, licèt *Rota* cum duabus decisionibus *coram Beuilaqua, & Cerro in Vrbinaten.prædij impress. decis.50. & 51. post Paisell. quare secunda est etiam impressa decis.133. par.13. recent.* firmauerit quòd ista Bulla non comprehendat Barones Status Vrbini, qui de tempore eius editionis, erat separatus cum proprio Duce, quamuis postea per deuolutionem, antiquæ eius vnitati restitutus fuerit, attamen ista Congregatio hanc opinionē sequuta non est, vtpotè male fundatam, vt aduertitur *supra disc.83.*
7

Deducebam quoque casum, de quo *supra disc.85.* quòd licèt per duas decisiones eiusdem Tribunalis firmatum fuisset non adesse Baroniam; attamen postea ab eis recessum fuit; Et per consequens non videbatur constituendum adeò magnum fundamentum in vnica decisione, cui creditores nō acquieuerunt, quia cognoscerent acquiescere debere, sed potiùs quia me consulente magis expediens iudicarunt, conuolare ad aliud totius fundamentum renunciationis, quo mediante reportarunt intentum, ideòque nullus fuit dictæ decisionis effectus.

Præterea, illa etiam admissa in casu suo; Adhuc tamen negabam applicationem ad præsentem, ob diuersas circumstantias dupliciter. Primò nempè quoniam in eo casu debitores post dimissam baroniam, quæ, titulo decoratā non erat,
8 contrahendo debita, se barones professi non sunt, sed contraxerunt tanquam priuati nobiles Romani, quod potissimè in dicta decisione consideratur; E conuerso autem in præsenti casu, non solùm debitorem se enunciauit Marchio, sed fortiùs, quia in effectu talis erat non in sola nuncupatione abusiua per simplicem retentionem antiquæ dignitatis, tanquam eius reliquias, sed per expressam reseruationem, cum approbatione Papæ, non solùm pro se ipso, sed etiam pro eius filio, adeò vt dici posset Baro titularis ex legitimo titulo Principis, & qui talem figuram de facto faceret, vndè propterea recttè intraret illa creditorum excusatio, vt est bona fides, quæ à me ponderatur, *dicto disc.84.in fine.*

Et secundò ob expressam reseruationem dominij, pendente solutione pretij, vndè propterea in Iurium sensu, venditor, in eo medio tempore huius contracti debiti, in quo pretium non erat solutum, gereret potiùs personam locatoris, & emptor illam conductoris, ita sub vna conuentione occultando istum contractum,
9 qui est prior, exprimendo verò alterum emptionis, & venditionis posteriorem, & conditionalem sortiturum effectum, seu perfectiorem post adimpletam conditionem, ex ijs quæ deducta habentur *per Surd. decis.157. num.3. & 305. num.39. Cyriac.controuer.164.numer.8. Leotar. de Vsur.quæst.36. numer.22.& seq. decis.284. num.7.par.13. recent.* & per consequens, quòd ex tunc diei possit verus, & actualis Baro, quódque dicta decisio extranea esset à casu quæstionis.

Hactenùs discurrendo more Aduocati ad causæ opportunitatem; Reflectendo autem ad veritatem, probabilis videbatur resolutio respectu domus, quoniam
10 illa nunquam fuit in bonis fideicommittentis, vndè propterea, attenta naturali veritate, non vrgebat illa exorbitantia, quæ super huius Bullæ dispositione considerari solet, ex pluries supra insinuatis; Quinimò potiùs æquitas, & naturalis veritas assistebant actricibus, venientibus ex altero fideicommisso, quòd ex inaduertentia, vel ineptia possessoris, ita priuatus remanebat, re, & pretio, quod re vera nunquam solutum fuit, sed ob transfusionem in alium contractum, habebatur pro soluto, & quadam vigorosa legis fictione, ad quam euitandam, ratione dictæ maioris æquitatis, non improbabiliter supremum Tribunal, quod (vt supra) in forma potiùs extraiudiciali, quam iudiciali, ac more Principis, magis quam Iudicis, procedere videtur, ita arbitrij habenas relaxare debuerit, habendo debitorem pro Barone ad hunc effectum, potiùs restituendo Domino quod suum erat quàm, vt dissolueret debita vnius ex bonis alterius. ...

Vrgente etiam ratione inanis circuitus, dum de stricto iure, actrices ipsam domum fideicommissariam vindicare probabilitèr poterant, vtpoté male distractam

ſtractam à grauato gerente partes adminiſtratoris legalis, qui vendere non poteſt habita fide de pretio,& abſque iſtius opportunis cautelis, adeò vt ſpectato effectu, fideicommiſsum remaneret ſine re, & ſine pretio.

Reſpectu verò aliorum bonorum, quæ re verà ſpectabant ad hæreditatem fideicommiſsariam, & ſuper quibus de rigore, vel de æquitate iuris, actio aliqua actricibus non competebat, niſi ex beneficio huius Bullæ Baronum, ſtantibus dictis circumſtantijs retentionis, & continuationis tituli cum auctoritate Papæ, ac etiam alicuius retentionis habitualis dominij ipſius Caſtri ob dictam reſeruationem pendente ſolutione pretij: Quando in creditore concurreret bona fides ſeu iuſta credulitas, ponderata eodem *diſc.84.num.fin.* forte admittendam eſse, crederem eandem ibi ponderatam æquitatem; Verùm hoc motiuum ceſsabat, ex facto dum ex ipſo inſtrumento patebat, quòd creditor certam habebat ſcientiam venditionis Caſtri, quódque debitor non eſset ampliùs Baro actualis; Hinc proindè ſentiebam difficultatem, Partibus pro ſtylo ingenuè ab initio inſinuatam, dum ita deficiebat præcipua circumſtantia baronalis iuriſdictionis actualis, iuxta ea quæ habentur, *d.diſc.84.*

Retentio autem Dignitatis, etiam ex auctoritate Principis inducit quidem honorificas præeminentias ad quoſdam ef-
11 fectus, ſed non facit verum Baronem, vel feudatarium, ad illos effectus, qui ex retentione feudi, vel Caſtri iuriſdictionalis reſultare dicuntur, iuxta ea quæ de huiuſmodi titulatis ex ſolo priuilegio,& ſola nuncupatione habentur, *ſub tit. de cenſ.diſc.48.& tit.de praemin.in ſupplemento diſc. 45.*

Prout quædam habitualis retentio dominij impropria cum potentia, quæ reduceretur ad actum, quatenùs emptor non ſolueret, non videtur ad id ſufficiens,
12 ex ijs quę habentur ſupra *diſc.90.*& conferunt, quæ habentur ſupra *in Annot. ad diſc.17.* ſuper puncto, quòd retentio penſionis compatibiliter cum militia, & ſtatu ſæculari, reſeruatæ, ex cauſa reſignationis alicuius beneficij, cum reſeruatione regreſsus ad idem beneficium non facit clericum beneficiatum, quamuis adſit poſſibilitas, intentando regreſsum, quòd poſsit eſse talis, per quandam ſpeciem poſtliminij, ſeu reaſsumptionem prioris ſtatus; Potiſſimè quia ſufficit, quod ſit caſus dubius, vel omiſsus, vt in excluſionem huius nouę legis exorbitantis reſponderi debeat.

Et quoad aſsumptum de quo ſupra, quod venditor, qui pendente ſolutione pretij ſibi reſeruauit dominium, interim
13 ſit verus dominus, & locator, emptor autem potiùs conductoris perſonam gerat, illud fallaciam continebat, cum veriùs magiſque receptum ſit in praxi, quód emptor eſt verus dominus, quamuis eius dominium ſit ſubiectum reſolutioni eo modo, quo eſt verus dominus emptor cum pacto de retrouendendo, vel alias ſubiectus retractui ex pluriès deductis in hac materia, *retractac. ſub tit. de ſeruit.& dicto tit.de Empt.& vendit.diſc.2.*&in his terminis ſpecialibus ad effectum Bullæ Baronum habetur *ſupra diſc.91.*

DE FEVDIS

DISC. CXX.

Nullius ſiue,&c. Vnionis feudorum.

Inter N. & N.

Diſcurſus pro veritate ſeù directione.

An valeat conuentio inter fratres, vel alios, ſuccedentes in pluribus feudis diuiduis ad formam iuris Longobardorum de non diuidendo, ſed permanendo in communione ad vitam ſub adminiſtratione natu maioris.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quando valeat conuentio de permanendo in communione, & non diuidendo.*

3 *Man-*

3 *Mandatum administratorium, non obstante pacto, est reuocabile.*
4 *de Modo, tenendo in consilijs, vel in decisionibus casuum particularium.*
5 *Transactio super articulo dubio dirimit omnem quaestionem.*
6 *Pro transactione sufficit timor litis.*
7 *Transactio cum auctoritate superioris magis afficit.*
8 *De rescissione transactionis, ratione laesionis.*
9 *Quod iuramentum tollat omne obstaculum iuris Ciuilis.*
10 *Quando iuramentum non validet pactum de non diuidendo.*
11 *De eodem, & quale pactum perpetuae communionis rescindatur.*
12 *De inualida conuentione super mandato irreuocabili.*
13 *Quod communio quoad administrationem sub vno, non importet talem communionem.*
14 *Expedit vt administratio sit penès vnum potiùs, quam penès plures.*
15 *Clericatus operatur incapacitatem feudi.*
16 *De refutatione in proximè successurum.*
17 *De prohibitione conuentionum super feudis sine assensu.*
18 *De distinctione confirmationis in forma communi, vel specifica.*
19 *Diuisiones in feudis diuiduis, fieri possunt etiam inaequales inter successores.*
20 *Quare non debeant adhiberi in his feudis doctrina Regnicolarum.*
21 *De vnione feudorum, & an importet alienationem.*

DISC. CXX.



1 OBVENTIS, ob mortem, patris in tres fratres, pluribus feudis antiquis, pacti, & prouidentiae diuiduis, ad formam iuris Longobardorum, pluribusque bonis allodialibus paternae haereditatis, inita fuit inter eos conuentio, vt, feudorum natura non immutata, & absque praeiudicio, vel alteratione inuestitutarum, pro eorum iure solo personali, in communione ad vitam perseuerare deberent, neque ad diuisionem prouocare, praeterquam in casu legitimae successionis, superstitum in portione deficientis, facta inter eos quadam redditaum repartitione, cum protestatione; vt exindè ipsorum bonorum in substantia, diuisio facta, non conferetur, iurisdictionem, ac administrationem feudorum, cum mandato irreuocabili committendo, cum ordine primogeniturae, illi maiori natu, qui praesens esset; Cum autem ad aliquod tempus tertio genitus, extraiudicialitèr, aduersùs dictam fructuum repartitionem, tanquam compertam inaequalem, reclamasset; Hinc se interponente quodam Principis supremo Magistratu, vel Ministro, ex istius declaratione; Et consilio facto, ad fauorem dicti tertio geniti quodam augmento, deuentum est ad concordiam, per quam dicta prior conuentio confirmata fuit, cum amplissimis clausulis, & verbis, cuicumque exceptioni, vel praetensioni renunciando, dictaque concordia per illum Supremum Senatũ, qui Principis vice has partes gerere solet, approbata, & confirmata fuit, longamuè annorum decem, & vltra pacificam habuit obseruantiam; Adhuc tamen eodem tertio genito, aegrè ferente, quod tot feudorum commodè diuisibilium, iurisdictione, & administratione omninò denudatus viueret, consilium idem in partibus ab aliquibus Iuris consultis petijt, super modo recedendi à praefata conuentione, atque super consilijs desuper datis, efformato quodam restrictu, seu discursu, meum desuper expetitum fuit votum, tam pro validitate, quàm pro directione.

In praefato autem restrictu, seù discursu, restringebatur punctus ad materiam,
2 *textus in l. in hoc iudicium, §. si conuenerit, ff. commun. diuidun.* vbi disponitur, quod pactum de non diuidendo, sed permanendo in communione, temporale quidem valet, perpetuum verò non.

Super huius verò textus intelligentia, vel praxi DD. duas efformant quaestiones; Vnam scilicet, an conuentio ad vitam paciscentium, absque omnimoda perpetuitate in successoribus temporalis, vel perpetua, dicenda sit; Et alteram, an iuramentum cessare faciat huius legis dispositionem; etiam in casu prohibito perpetuitatis iuxta terminos textus *in cap. cum contin-*

contingat de iure iuran. & cap. per vestras de donat. inter vir. & vxor. Atque super vtraque quæstione pro generali scribentium consuetudine,nil penè pacificum relinquendi, variæ habentur opiniones; Alijs affirmantibus; Alijs veró negantibus,& alijs distinguentibus, ex ijs,quæ antiquioribus relatis,habentur hinc indé plenè deducta, *per Guttier. de iuram. c.58. num.16.& 17. Seraphin. eodem tractat. privil.58. à num.6. Thesaur.& add. decis.142. Michalor. de fratrib. par.2. cap.37. Fontanell. de pact. claus.4 glos.9. par.2. num.106. & seqq. Arias de Mesa lib.3. var. cap.28. num.17 Vrceol. consult.72. numer.21. Rot. apud Otthob. decis.96. numer.15. & decis.4. par.14. recent.* Ideóque supponendo,quod magis communis opinio esset,vt conuentio ad vitam,perpetua potiùs quàm temporalis dicenda esset,quodque posita inualiditate,ratione perpetuitatis,iuramentum non sanaret defectum,credebant impugnationi locum fore.

Item breuiter, & quasi obiter absque
3 rationum discursu, vel auctoritatum cumulo,insinuabant etiam conclusionem, quod mandatum maiori natu,per dictam conuentionem,datum ad administrandū, de sui natura sit quandocumque reuocabile, ideòque non deberet esse perpetuum.

Ex facto potiùs tamen quám ex iure, pro mea consuetudine respondidi, quod vtrumque fundamentum periculosum, minùsque tutum videretur,quodque propterea magnam desuper sentiebam difficultatem, adeóvt quoad ipsum paciscentem,videretur opus quodammodo desperatum;ita experiendo consuetum modernorum vitium, perpetuó damnabile, ac
4 declamādum, ad hoc,vt per posteritatem hac lue non infectam, ad id aduertatur, in responsis,vel consilijs,seù decisionibus, assumendi, scilicet, quæstiones in abstracto, totamque vim constituendi in perquirendo auctoritates,præsertim modernorum de illa materia agentium,earumque magnum cumulum,seù pompam faciendi, absque debita reflexione ad facti circumstantias particulares, ex quibus pendet inspectio,an auctoritates congruè applicentur, nec nè.

Ex præmissis etenim scriptoribus, ac alijs de materia agentibus patet, vtrùmque articulum esse dubium,super intelligentia dicti textus *in §. si conuenerit.* Prout etiā dubius est secundus punctus superualiditate promissæ irreuocabilitatis mandati, vt patet ex ijs,quæ habentur in specie deducta,*sub tit. de tutor. & administrat. disc.20.*

Ista itaque dubietate posita, aduertebam, quod vbi etiam, reintegra, in vtroque puncto, substineri posset opinio, super inualiditate actuum, quodque illi non essent obligatorij, sed reuocabiles; Adhuc tamen, dum istud dubium iam promotum fuit, atque desuper excitata extraiudicialis controuersia, eaque sopita per transactionem, ita præclusa remanebat omnis via, perindè ac si super huiusmodi dubio prodijsset res iudicata, cuius speciem transactio habere dicitur ex notorijs; Quamuis etenim transactio, ad sui validitatem exigat litem, sine qua non datur, non tamen præcisa actualitas necessaria est, sed sufficit eius potentia,
6 iustusque timor,vt ad illi occurrendum, validè transigi valeat, ex insinuatis in materia,*disc.50. de alienat. & contract. prohibit.* & alibi frequentèr,cum sint principia plana.

Fortiùs veró ob duas facti circumstantias,omnem dirimentes quæstionem;Primó nempè, quod transactio præuio con-
7 trouersiæ examine, ac discussione,coram Principe supremo, vel primo Ministro, cum eius opera, consilio, & auctoritate inita fuit; Et secundó quia approbata etiam ab ipso Principe per organum eius supremi Senatus,ob quas circumstantias, iunctas cum probabili dubietate articulorum,transactio apta esset afficere etiam tertios,vel successores,venientes iure suo independentèr à transigentibus,ex deductis supra hoc *eodem tit. disc.49. Et in eius supplemento, ac etiam tit. de fideic. disc.173. & sapius alibi*; Multó igitur magis in præiudicium ipsorummet transigentium, qui regularitér prohibitionem habent impugnandi factum proprium; Quoties magna,& plusquám enormis læsio regu-
8 landa non ex solo valore bonorum, vel iurium,sed ex æstimatione dubij litis euēctus, ex deductis *dicto disc.50. de alienat. & contract. & disc.27. de empt. & vendit. & alibi*, rescindendi facultatem non tribueret.

Et per consequens, inanis remanebat labor,desupèr à consulentibus adhibitus

ad

ad materiam textus *in dicta l.in hoc iudicium,§.si conuenerit*, quoniam ille proficuus esse potuisset, quatenùs rè integra de impugnatione ageretur, secùs autem, vbi per transactionem iam sopita est; Ac propterea consultores moneri debent,vt priùs ad factum benè reflectant, deindè veró ad ius,quoniam lex est applicanda facto, non autem factum legi.

Cæterùm quatenùs etiam pertinet ad præfatos punctos,tam scilicet super inualiditate conuentionis de permanendo in communione,quatenùs admittenda esset opinio,quod conuentio ad vitam perpetua potiùs, quàm temporalis dicenda esset (super quo maturum iudicium non efformaui, vtpotè extra causæ necessitatem); quàm etiam super mandati administratorij irreuocabilis,iuxta firmata in auctoritatibus, & decisionibus relatis, *d. disc.20.de tutor.& administr.*

Quatenùs pertinet ad aliam quæstionem iuramenti, an huiusmodi defectum sanet,seù legis prohibitionem tollat, negligendo semper exosum,ac genio aduersum stylum pragmaticum,more rationa-
9 toris insistendi in numero auctoritatum, ac inspiciendi quænam opinio esset magis communis;Dicebam quod (quidquid plerique scriptores, vel collectores,cum consueta leguleica inepti,desuper inuoluant) prorsùs fabulosum est asserere, vt sola dispositio legis ciuilis ita distinguentis,*in dicto §.si conuenerit*, iuratæ conuentionis inualiditatem operari debeat,cum hodiè extra quæstionem sit etiam in foro laicali, siuè,vt nostri dicunt,in terris Imperij, iuramentum cessare faciat cuiuscumque legis positiuæ prohibitionem, quoties non sit contra bonos mores naturales,vel contra bonum publicum principalitèr,non autem secundarió.

Eatenùs igitur recipienda est opinio
10 adimentium vim iuramenti, quatenùs verificetur ratio vitij naturalis,cuius respectu,dici valeat, quod sit contra bonos mores naturales,quia nempè communio inter eos,inter quos antiqua pax,& vnio ampliùs non regnat,parere valeat, vt solet,rixas,& contentiones aliaque scandala,& inconuenientia, istaque est vera ratio, cui innituntur DD.sequentes opinionem, vt iuramentum non sanet hunc defectum; Vt (exempli gratia) contingit in communione domus,& mensæ,quàm nostri dicunt communionem vitæ,dummodò tamen facti circumstantiæ doceant,vt exindè dicta inconuenientia resultet, quibus aliàs oportunè occurri non valeat, Ac etiam magis oportunè exemplificari potest in illis pascuorum, & territoriorum communionibus,quæ inter Ciuitates,vel Oppida fiant, cum similibus, quibus eadem ratio adaptetur.

Istoque casu locus est dissolutioni communionis, non quidem ex infectione pa-
11 cti,& conuentionis,iuxta dictæ legis Ciuilis dispositionem;seù distinctionem,sed ex iudicis officio, fundato in alio Iuris principio, quod scilicet,quando aliqua conuentio,quamuis iurata,& ab initio licita,valida, & iusta, siuè obligatoria,tractu temporis, vel ex alijs contingentijs, ad magnam reducitur iniustitiam, siuè non cogitata,vel non præuisa scandala, & inconuenientia producit,aut producere potest, tunc debet rescindi, vel ad iustitiam, & æquitatem reduci, *ad text. in cap.suggestum de Decimis Natt. consil. 548. num.36.Martin.Andr. decis.48.numer. 13. & 14.& decis.70.numer.3.& 4.* cum alijs *lib.14.tit.de Decimis disc.3.num.14.*

Aliàs etenim,si ita simplicitèr verùm esset hoc assumptum,vt pactum perpetuæ communionis ad vitam ità bonis moribus naturalibus oppositum esset, vt neque iuramento firmaretur, sequeretur, quod per ius positiuum Ecclesiasticum induci non potuisset necessaria communio perpetua vitæ in Monasterio virorũ, seù mulierum per contractum,quem solemnis professio continere dicitur, quod vtique vanum est asserere.

Et,quoad alterum punctum inualidæ conuentionis,super irreuocabilitate mandati,eatenùs reuocatio, non obstante pa-
12 cto,præsertim iurato, admittenda venit, quatenùs intret eadem ratio, ob quam interponatur Iudicis officium,nè scilicet cogatur quis in officio summæ confidentiæ,ac beneuolentiæ habere diffidentem, ac maleuolum,ex ijs,quæ habentur,*dicto disc.20.de tutor. & administr.* non autem ex infectione actus.

Prædictæ veró rationes, quæ super vno,vel altero motiuo cadunt,nullatenùs ad rem adaptantur, quoniam cum communio in feudis non inducat necessitatem
13 vitæ,minúsq; illam fructuum,vel emolumentorum,dùm eorum repartitio iam facta

cta fuit, mediante assignatione, vt supra; Hinc sequi dicebam, quod ista communio remanet meré habitualis, & intellectualis, iuxta illam indiuiduitatem feudorum dignitatis Lombardiæ, quæ insinuatur supra *in Mutinen. disc. 8. & alibi*, quod scilicet ad instar iurispatronatus, feudum dicitur indiuiduum habitualitér, seú intellectualitér, spectato verò effectu perceptionis fructuum, & emolumentorum recipit diuisionem, sic á pari.

Et quamuis in ordine ad administrationem, etiam in actu siuè in exercitio, communio perseueret, atque duret mandatum administratorium datum illi, qui inter præsentes sit maior natu; Attamen id non percutit substantiam ipsorum feudorum, minúsque diminutionem iuris vnius, eiusque translationem in alterum, aut necessitatem permanendi in communione, cum persona parum grata, vel habendi in mandatarium seú administratorem suorum bonorum maleuolum, & diffidentem, cum iste administrationis ordo
14 respiciat potiús gratiam vassallorum, & iustitiæ meliús administrandæ per vnum, quám per plures, iuxta insinuata supra *disc. 9. &* 10. occasione agendi de erectione feudi diuidui in primogenituram; vel ad naturam feudi indiuidui ad formam iuris Franchorum, ac etiam *discur.* 38. *&* 110. occasione agendi de prælatione aduersùs extraneum emptorem; Et conferunt ea, quę habentur *sub tit. de fideicom. disc. 1. & seqq. & præsertim disc. 6.* in materia maioratus administratorij; Ac etiam habetur *sub tit. de benefic. seù altero de Canonic. & Capitul. ac altero de iure patron.* & idem quod *in dicto disc. 1. & seqq.* insinuatur in materia iuris patronatus familiaris, vel alterius generis, aut Vniuersitatis, quod licét sit penès omnes de familia, vel genere, laudabile tamen est, vt exercitium, vel administratio sit penès vnum, puta Seniorem, vel per turnum, seú alternatiuam, distributam in annos vel menses, aut hebdomadas, eo modo, quo in plerisque Capitulis, & præsertim in illis Basilicarum patriarchalium Vrbis laudabilitér introductum est in collatione beneficiorum, cum similibus, quoniam administrationi iustitiæ, & vassallis præiudicialis est, plurium que inconuenientium productiua pluralitas dominorum & administrantium, adeóut Iudicis officium etiam contra inuitos, vel domini auctoritatem interponi posse, pro huiusmodi repartitione plerique sentiant ex relatis per *Rosental. de feud. cap. 9 conclus.* 56.

Atque in aliquibus iuribus, vel præeminentijs, quę habitualitèr pluribus communia sint, congruit veró exercitium esse penès vnum tantùm, vt istud pertineat ad illum, qui inter plures sit Senior, vel dignior, habemus receptum in retentione clauium arcis, vel in custodia scripturarum, siuè in receptione alicuius præeminentiæ ex insinuatis *tit. de hæredit. & alibi pluriès*.

Dictumque inconueniens administrationis iustitiæ Subditorum penès plures, docet dispositio Sacri Concilij Tridentini, super administratione iurisdictionis Sede vacante, vel super administratione, seù exercitio illius curæ animarum, quæ habitualitèr incumbat Capitulo, vel Collegio, ex insinuatis *sub tit. de Canonicis & Capit. & sub altero de paroch. & in annotat. ad Concil. Trident.* cum similibus.

Quare concludebam, quod opus pro meo iudicio videretur, vel desperatum, vel valdé durum, ac difficile; Sed quoniam consilium non solúm pro veritate super dictis punctis petebatur, sed etiam pro directione, seù suppeditatione alicuius remedij; Idcircó insinuaui, quod vbi tertio genitus filios haberet, magisque expediens reputaret, quod iurisdictio & administratio feudorum, spectantium ad suam portionem, esset potiùs penes filios, quám penes vnum ex fratribus, tunc
15 vnum de duobus remedijs adhibere posset; Vel scilicèt quatenùs esset solutus, atque feuda haberent veram, & propriam naturam feudorum, ab aliqua particulari consuetudine non alteratam, vt eorum incapaces sint clerici, iuxta superius deducta, *disc. 15. & seqq. &* 54. se constitueret in statu Clericali, per quem, tanquàm per speciem mortis ciuilis, successio in eius portione aperiretur filijs, qui tam de facto, quàm de iure non essent obligati stare dictæ conuentioni, vtpotè merè personali, quinimó in ipsorum paciscentium vita resolubili, quatenùs res in eodem statu non permanerent, vt suprà; Vel quod, quatenùs suppeteret iusta, & probabilis occasio, puta matrimonij per aliquem ex filijs contrahendi, vel alia simi-

16 lis, facerct refutationem,iuxta eam for-
mam,de qua habetur *suprà disc.76.*adeò-
ut habeat speciem præuentiuæ successio-
nis; Insinuando requisitum iustæ,ac pro-
babilis occasionis, ne aliàs dici posset
facta in fraudem iuxta ea,quæ in propo-
sito fraudulentæ refutationis habentur,
suprà *dicto discursu* 76. ac etiam inciden-
tèr occasione fraudulentæ subinfeuda-
tionis *disc.*1.vbi concordantes.
Post datum responsum,reflectebam,an
super huiusmodi conuentionibus, vtpotè
sine Domini assensu initis, cadere posset
illa infectio, quæ resultat ex prohibitio-
17 ne textus *in cap. Imperialem de prohibit.
feud.alienat.per Frideric.*quasi quod ista
necessaria communio importaret spe-
ciem vnionis, vel seruitutis, ideòque ve-
niret sub genere alienationis prohibitæ;
Attamen aduerti, quod nullum desuper
constitui posset fundamentum, quoniam
quidquid sit,an in eo principatu, feuda
retineant rectam,ac propriam eorum na-
turam, vt in omnibus subiaceant legibus
feudalibus, & præsertim dictæ prohibi-
tioni contentæ *in cap.Imperialem*; Adhuc
tamen, quatenùs Domini assensus fuisset
necessarius, ille adesse videbatur in præ-
dicta approbatione secundæ conuentio-
nis factæ per illum supremum Senatum,
qui Principi vice huiusmodi actus in eo
principatu explicat; Potissimè dum non
fuit approbatio ad simplicem supplica-
tionem, nulla præuia causæ cognitione;
dum præcessit cognitio, ac iudicium su-
premi Magistratus, vel Ministri eiusdem
Principis;Ad instar eorum quæ alibi plu-
riès insinuantur in materia confirmatio-
nis Apostolicæ,vel alterius Principis in
18 forma communi,vel specifica,pro maio-
ribus effectibus, & operationibus magis
vnius,quàm alterius,quod scilicèt,quam-
uis ad effectum, vt dicatur in forma spe-
cifica,requiratur insertio tenoris,sine qua
dicitur in forma communi,Adhuc tamen
si (Exemplificando in confirmatione
Apostolica) ea sequatur, præuia cogni-
tione, & examine, per aliquam Sacram
Congregationem ordinariam, seù extra-
ordinariam,& particularitèr deputatam,
tunc dicitur in forma specifica,cum simi-
libus.
Verùm deficiente etiam ista circum-
stantia, adhuc non videbantur adaptabi-
les isti termini, quoniam in feudis diui-
duis, inter agnatos comprehensos in in-
uestitura, præsertim verò proximos, &
19 actuales successores, diuisiones, vel di-
stributiones,& quæcumque aliæ conuen-
tiones fieri possunt sine assensu, etiam
inæquales, quinimò quod feudum ad
vnum tantùm pertineat, & in eius por-
tione cadat ex plenè relatis *per Rosental.
dicto cap.9. conclus.*53. vbi ad satietatem
concordantes, ex quibus etiam patet,
quod facultas diuidendi,ponitur in quæ-
stione,quasi quod magis connaturalis, &
congrua sit communio; Ac propterea,
desuper nullatenùs deduci,vel pondera-
ri possunt scriptores feudalesRegnorum
vtriusque Siciliæ; Tum quia, vt pluries
20 aduertitur *suprà disc.*49. *& in alijs*, ob
longè strictiorem prohibitionem, resul-
tantem ab illorum Regnorum lege par-
ticulari eiusdem Friderici in constitutio-
ne,incipiẽte *ConstitutionemDiuæ memoriæ*,
non potest ab illis feudis inferri ad alia;
Tum etiam quia in illis feudis cessat oc-
casio huiusmodi quæstionum in radice
ob eorum diuersam naturam, dum sunt
indiuidua ad formam iuris Franchorum,
vndè propterea, ea verificari posset in
illis nimium raris, parumque qualifica-
tis feudis in Aprutio, & in Cilento,
quæ adhuc eandem antiquam retinent
naturam diuiduam ad formam iurisLon-
gobardorum.
Ac etiam quia ista conuentio est me-
rè personalis cum expressa protestatione
non alterandi naturam feudorum, & in-
uestiturarum, sed solùm pro iure perso-
nali, ideòque intrant ea,quæ in materia
alienationis commoditatis, vel alteriùs
iuris personalis habentur *suprà disc.*61.
& 110.*& in alijs pluries*;Tunc etenim ra-
tio dubitandi cadere posset, quando fie-
21 ret illa formalis vnio feudorum, de quà
eiusque effectibus præ cæteris agit *Ro-
uit.super pragmatic.in tit.de titulorum abu-
su pag.*1. *num.*78.*& seqq. & num.*89. *&
seqq.*adeòut vnio percuteret substantiam
ipsorum feudorum,vndè de pluribus ef-
ficeretur vnum,suppressa natura,vel qua-
litate aliorum, quæ ita fierent prædia,
vel accessiones illius feudi, cui vnio
subiectiua fieret, cum tunc actus impor-
taret formalem alienationem ex ijs, quæ
in materia vnionis beneficiorum haben-
tur *sub tit.de benefic.*ac etiam in materia
vnionis Ecclesiarum habentur *sub tit. de
paroch.*

parech. & parochijs, & in disc. 1. de alienat. & contract. prohibit.

DE FEVDIS

DISC. CXXI.

Neapolitana adohæ, seù taxæ.

Pro Creditoribus patrimonij Principis Mineruini cum Regio Fisco.

Consilium pro veritate, seù directione.

An deuoluto feudo, affecto debitis cum Regio assensu contractis per feudatarium, pro quorum satisfactione ipsum feudum vendendum sit, continuari debeat in eadem taxa antiqua adhoæ, seu donatiui, vel potiùs fieri possit taxa noua, iuxta præsentem statum ipsis creditoribus præiudicialis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod non expediret quæstionem assumere.*
3 *De adhoa vel donatiuo, quod soluitur per Barones super feudis.*
4 *De conclusione, quod debita contracta cum assensu durent etiam post deuolutum feudum.*
5 *De casu quæstionis, vt in præiudicium creditorum fieri non possit noua taxa.*
6 *De potestate, seù voluntate Principis præiudicandi tertio, eiusque ius tollendi.*
7 *Damnatur scribendi modus super illis rebus, quæ debent præsupponi.*
8 *Quando congruat scribendo assumere rerum principia, & originem.*
9 *Quid importet onus adhoæ, vel donatiui.*
10 *De conclusione de qua, num. 4. & an procedat in Curia Romana.*
11 *Quod inutilis ad rem sit dicta quæstio.*
12 *Ad quem effectum antiquitùs disputaretur ista quæstio super tempore taxæ faciendæ.*
13 *De moderna decisione Regia, vt fieri debeat taxa noua.*
14 *De intelligentia huius decisionis, eo quod non percutiat casum præiudicij creditorum.*
15 *Reputatur vera opinio, de qua, num. 4. & de ratione.*
16 *Sed ius creditorum non impedit deuolutionem, neque tollit onera contractibus feudi.*
17 *Et quid operetur assensus, & de eius effectibus.*
18 *De eodem de quo, num. 16.*
19. & 20. *De alijs considerationibus in idem.*
21 *De potestate Principis supplantandi successorem.*
22 *De axiomatibus generalibus in idem.*

DISC. CXXI.



1 FORMATO eo concursu creditorum in S. Consilio Neapolitano su per patrimonio Principis Mineruini, de quo habetur actum *sub tit. de credit. disc. 27.* Cum inter alios eiusdem patrimonij effectus, essent tria feuda Ciuitatum, Mineruini, & Lauelli, & Oppidi Spinæ aureæ, vulgò Spinazzola; Præfatus verò Princeps debitor, legitimo feudi successore, tám actuali, quám sperato careret, vndé propterea verificaretur illa deuolutionis imminentia, de qua suprá hoc eodem *tit. disc. 1.* Hinc proindé, imminente ad instantiam creditorum cum assensu eorumdem feudorum, subhastatione, vt ex pretio satisfieri eis posset; Se opposuit Regius Fiscus, perendo deberi priùs fieri nouam taxam seruitij, vel oneris feudalis, quod sub adhoæ, vel donatiui nomine, ibi explicatur, eandem taxam regulando, iuxta fructuum statum, seù valorem præsentem, longé maiorem, vndé propterea ex huiusmodi oneris notabile augmento, magna nimiùmque notabilis resultaret diminutio pretij in creditorum præiudicium, dum ita debitoris patrimonium, quod etiam sine hac deductione non erat pro omnibus idoneum,

 longé

longè minùs euaderet; Ideòque creditores opus assumpserunt, vt continuari deberet in eadem taxa antiqua; Cumque creditorum Aduocati, Iurium allegationes desuper ediderint, atq; super eis ille idem maior creditor enunciatus, *dicto disc.27.de credito*, qui præsens erat in Curia, vtpotè Secretarius Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium, mecū pro veritate, ac directione consilium petijsset.

Respondi, quod intellectu non acquiescente fundamentis deductis in eisdem allegationibus, sentiebam difficultatem, ideòque consului, quod pro meo iudicio
2 magis expediret, vt eo quo fieri posset meliori modo, aliqua cum fisco concordia sequeretur; Tum ob difficultatem, quàm, vt infrà in puncto iuris habebam, vndè propterea potiùs malus causæ euêtus pro meo iudicio timendus, quàm bonus sperandus videbatur; Tùm etiam quia, cum ipse requirens esset de primis anterioribus, quibus, facta etiam hac deductione, satisfieri poterat, adeòut diminutio, quę exindè resultaret, posteriorum interesse percuteret, ipsique requirenti expediret celeritas venditionis; idcircò imprudens dicebam consiliū videri pro ipso, alijsque anterioribus creditoribus istud assumere opus, quod longam causę protractationem operaretur; Si etenim generaliter in magnis Ciuitatibus, & Tribunalibus magis verò in illis, in quibus prolixitas temporis est litium fatum inenitabile, & malum connaturale, etiam vbi inter priuatos agantur, multò magis cum fisco, vbique potens, ac durus aduersarius; Potissimè in atticulo nouo, & exēplari, in quo decisio facit statum in futurum, dum in fabulam transijsse videtur dictum Plinij ad Traianum, quod sub bono Principe, fisci causa semper mala est.

In prædictis itaque allegationibus; Primò insinuabatur quidditas, ac origo, seù introductio huius oneris realis, quod per
3 feudatarios Regi soluitur, atque subrogatum est loco feudalis seruitij personalis sub barbaro adhęc vocabulo, antiquitùs explicari solitum, hodiè verò sub illo donatiui, ex ijs, quæ cum nimium longo apparatu, ferè omnibus antiquioribus relatis, deducuntur per scribentes in allegationibus collectis, *per Donat. Anton. de Marin. allegat.116. tom.3. & per Rosam consultat.* 11. vbi etiam *consultat.* 14. & *seqq.* agit de hoc eodem onere, eiusque exemptione, vel præstatione.

Secundò latiùs, ac penè per totas allegationes; elaboratè quidem, ac benè, immorabantur in probatione conclusionis
4 de qua suprà *disc.1. num.7. & 8. disc.78. & alibi pluries*, quod scilicèt per hypothecas contractas super feudo cum Regio assensu, acquiritur creditoribus ius reale, quod inficit ipsius feudi substantiam, adeòut sequuto casu deuolutionis, non intret regula textus *in l. lex vectigali, ff. de pign.* super earum resolutione; sed feudum ita affectum, transit ad Dominum, qui volens illud pro se retinere, tenetur soluere debita, ita cùm assensu contracta, vsque ad valorem feudi, vel vbi id agere nolit, tenetur pati venditionem, vt ex pretio, creditoribus satisfiat, confutando etiam opinionem quàm substinere conantur, *Carleual. de Iudic. tom.2. quæst.23. & Montan. de regal. off. à num. 16. ad 19. fol. 255.* quàm expressè quoque improbat *De Marin. in addit. ad Reuerter. decis.515.*

Et tertiò, isto firmato assumpto, fauore creditorum, atque procedendo cum sen-
5 sibus eiusdem *de Marin. in dict. addit. ad Reuerter.* leuitèr tamen inferebant ad cōsequentiam, vt fieri non posset noua taxa, per quàm tolleretur, vel minueretur ius creditorum, qui sub eiusdem assensus fide contraxerunt, ita procedendo cum generali regula latè exornata *in dicta allegat.116.* quod scilicèt Princeps non
6 censetur velle tertio præiudicare, eiusque ius tollere, & de qua regula plenè agitur sub *tit. de regal. disc.148.*

Iste autem scribendi modus, de quo presertim *in dicta allegat.116.* consuetam, tùm ac frequentem mihi parauit nau-
7 seam, ideòque me cogit, superfluę etiam, ac fastidiosæ repetitionis notam non curando, illum perpetuò inculcare, & detestari, dum ita prodigorum dignoscitur vitium, abundando nempè in superfluis, & deficiendo in necessarijs.

Superfluam siquidèm, ac inutilē chartarum repletionem, ad eruditionis scribentis affectatam pompam potiùs, quàm ad causæ oportunitatem redolebat primus longus apparatus, super origine, ac introductione, & immutatione respectiuè huius oneris, dum illud in regione, ob

adeò

adeò magnam feudorum frequentiam (dum penè totum illud Regnum, ex eius malo fato infeudatum est) notorij speciē habet potissimè verò apud Iudices, qui sunt Iuris consulti ad illum maiorē Magistratum per aduocationis, vel inferiorum Magistratuum gradus euecti, quibus hæc principia absque dubio innotescunt, ideòque præsupponenda sunt.

Manifestus si quidem error, irrisione dignus, esset ille scribentium in Rota, in aliqua causa beneficiali, seù pensionis Ecclesiæ, aut fideicommissi, si cum longo apparatu, agerent de origine, & introductione beneficiorum Ecclesiasticorum, eorūque reseruationibus, vel affectionibus Apostolicis, siuè de introductione, & Ethimologia pensionum Ecclesiasticarum, vel fideicommissorum, & similium, quæ præsupponenda sunt, eisque præsuppositis, immorandum est super puncto, de quo sit quæstio.

Tunc etenim huiusmodi principia assumere congruit, sed quo magis præsuppositiuè, ac breuitèr fieri potest, quando scilicèt ex ipsa origine, vel introductio-
8 ne, vel eius ratione inferri valeat ad id, quod conferat ad causæ oportunitatem; Puta (ex: gr:) iuxtà ea, quæ habentur suprà *hoc eodem tit. disc. 74. & 89.* super origine, & introductione fideicommissorum, & quando Augustus ea reddidit obligatoria, ad effectum congruę interpretationis Bullæ Baronum, siué excusationis illius exorbitantiæ, de qua vulgus eam redarguit.

Vel in materia pensionum Ecclesiasticarum, indagando earum originem & quidditatem; Et an respiciant spiritualitatem, nec ne pro diuersis effectibus exindè resultantibus in sua materia peractis *sub tit. de pension.* Atque ità paritèr in origine seù introductione aliquarum reseruationum, vel affectionum, earumque natura, vel qualitate pro effectibus exinde resultantibus, puta an earum pluralitas cessare faciat indulta Cardinalium, iuxtà quæstiones de quibus *sub tit. de benefic. disc. 1. cum pluribus seqq.* Vel ad effectum inspiciendi, an cessent per mortem Papæ cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Secus autem in præsenti, quoniam siué vno, siuè altero tempore, huius oneris introductio sequuta sit, atque siué sub adhoæ, vel sub donatiui explicetur vocabulo, id non alterat rei substantiam, neque
9 diuersificat effectum, dum semper est onus reale, & vniforme, ad rationem tot pro centenario, iuxtà fructus feudi in taxa vniformi, facta de tempore inuestituræ, & quæ taxa non alteratur durante inuestitura, siuè fructus crescant, siué decrescant, tanquám per speciem canonis, seù liuelli, iuxtà ea, quæ in hac materia augmenti, vel diminutionis canonis ob diminutionem, vel excrescentiam fructuum rei, habentur *sub tit. de emphyt. disc. 54.* Sed quando feudi deuolutio sequuta sit, vel immineat, ideóque eius noua inuestitura alteri concedenda veniat, tunc intrat quæstio, an per necessè sub antiquo canone, vel responsione, concessio facienda sit; Vel potiùs haberi debeat ratio fructuum de tempore, quo noua concessio fiat, ad quem effectum nil refert inspicere de origine, vel introductione, seù mutatione modi soluendi idem onus.

Inutilis quoque videbatur, ac superflua ad hunc effectum altera quæstio super resolutione hypothecarum contra-
10 ctarum cum regio assensu per feudi deuolutionem; Siquidèm, quando tenenda esset opinio *Carlenal. & Montan.* super resolutione hypothecarum; adeòut feudum liberum, atque ab omni nexu solutum reuerteretur ad Dominum, assensu non obstante; Eo modo, quo Curiæ praxis docet in officijs vacabilibus venalibus, quod scilicèt super eis ad fauorem Creditorum conceditur consimilis assensus, explicari solitus sub nomine, seù termino reseruationis decreti, pro creditorum potioritate, aduersùs anteriores, qui illo careant, ac etiam pro iure reali, seù quasi ad effectum, vt procedi valeat ad venditionem officij, ex deductis *sub tit. de regal. disc. 7.* Sed tamen sequuta officij vacatione per mortem naturalem, vel ciuilem officialis, illud reuertitur liberum ad Cameram, præfati decreti reseruatione neglecta, adeòut creditores huic se exponant periculo, hypothecis continuantibus solúm super alijs bonis liberis officialis, quoniam sub hac lege assensus conceditur.

Idemque moderna praxis introduxit in illis Apostolicis licentijs, quæ conceduntur super hypotheca, vel alienatione bonorum iurisdictionalium, siué feudalia, siuè

siué allodialia sint, propter obstaculum,
seù prohibitionem Constiturionum Apo-
stolicarum ex deductis suprà *disc. 66. &
seqq.* ac etiam *sub tit. de credit. disc. 13.
& 151. & in alijs pluriès*; propter amplas
clausulas præseruatiuas adijci solitas, de
quibns præsertim habetur *sub tit. de rega-
lib. disc. 161.* & insinuatur supradicto *disc. 1
num. 7. & 8. & in alijs.*

Verùm isto casu resolutionis hypothe-
carum ex dicta regula textus *in l. lex ve-*
11 *ctigali*, fatua, prorsùsque extranea rema-
ner, quoad creditores ista quæstio, an
vnum vel alterum tempus in istius one-
ris taxa attendendum sit, dum siuè vnum
siué alterum tempus attendatur, nihil
eorum intersit; Ideóque vbi ista assuma-
tur quæstio, vnius vel alterius temporis
pro iure seù interesse creditorum, vtique
præsupponenda est eiusdem iuris, atque
hypothecarum duratio, sinè qua manife-
stam fatuitatem ista quæstio redoleret, &
per consequens inutilis, & extranea re-
manet dicta altera quæstio, dum potiùs
præsupponenda est, tanquàm certa opinio
creditoribus fauorabilis, & fisco contra-
ria, stante quod, sine hoc præsupposito al-
tera quæstio nullatenùs intrat.

Et quamuis apud antiqniores, qui re-
troacto sæculo istam quæstionem dispu-
12 tarunt, relatos *per Marin. in addit. ad de-
cis. Reuerter. 115. & in dicta allegat. 116.
& 117. inter collect. per eundem Marin.* in-
ter quos præsertim de illa pleniùs ma-
gisque ex professo agit *Moles. in eius ad-
notationibus, vel decisionibus tit. de iure ad-
hoa, §. 4. quæst. 3. fol. 69.* procedatur cum
præsupposito liberæ reuersionis feudi ad
Curiam Regiam, absque iure, vel interes-
se creditorum; Attamèn id respicit di-
uersum effectum, potestatis scilicét Re-
gis, concedendi de nouo feudum sub ta-
xa antiqua, ob quám iura seù redditus
Regiæ Curiæ minuantur, vel Combaro-
nibus præiudicetur, ad effectum, vt pro
maiori pretio pręsẽtis feudi venditio fiat,
ita percipiendo in capitali pro vna vice
fructum futurum, atque supplantando
successores in Regno, vel Combarones;
Istaq; est ratio dubitandi, quę tunc habe-
batur, vt patet ex deductis *per Moles, vbi
suprà*; Et per cõsequẽs dicta antiqua quę-
stio extranea remanet ab ista moderna,
quæ inter Regem eiusque fiscum conten-
dentem de maiori vtilitate, siué de illa
Combaronũ, ne indebité in contributio-
ne grauentur, præiudicium autem est
creditorum, habentium hypothecas super
feudo deuoluto, vel deuoluendo, isteque
est casus, vel punctus præcisus quæstio-
nis super quo tantùm strictè, & Cathego-
ricè scribendum erat; præmissa verò om-
nia, inutiles, ac superfluas continent eua-
gationes, idque non inutilitèr, ac superfluè
insinuatum est, vt ita edoceamur quomo-
do scribendum sit.

Quatenùs itaque pertinet ad istum ca-
sum, vel punctum præcisum, quod scili-
cét nõ agatur de noua inuestitura feudi,
liberè deuoluti, iuxtà quæstionem dispu-
tatam apud *Moles, vbi suprà*, sed de noua
concessione feudi grauati vsque ad inte-
grum valorem, & vltrà, quod vrgentibus
creditoribus vendatur.

Obseruabam quod poni deberent ad
partes omnia, quæ vt supra per anti-
quiores in decurso sæculo in dicta quæ-
stione deducta fuerunt, ac etiam per mo-
derniores; Tum quia respiciunt dictam
diuersam quæstionem; Tum etiam, quia
13 hodié illa est iam decisa per Regias de-
cretationes, vel prouisiones, per quas de-
terminatum est, vt fieri debeat taxa no-
ua, attento tempore præsenti, vt restatur
*idem de Marin. in obser. vel add. ad dictam
decis. 515. Reuerter.*

Quare disputationis punctus præcisè
restringebatur ad *eiusdem de Marin.* di-
stinctionem, seù obseruarionem, vt scili-
cét dicta Regia decisio intelligenda es-
14 set in præfato alio casu, de quo apud an-
tiquiores disputatum fuit, quando nem-
pè ipse Rex feudum ad se liberé deuolu-
rum, alteri concedere velit; Non autem
in isto casu, in quo taxæ immutatio cre-
ditoribus assensum habentibus præiudi-
caret, eorumque ius tolleret; Istum ete-
nim casũ asserit idem Auctor Tribunalis
Cameræ, sensum esse sub dicta Regia de-
cretatione non comprehendi.

Contrarium veró mihi probabilins vi-
debatur; Admictendo siquidèm, quod ve-
rior; magisque communis, & recepta esset
dicta opinio creditoribus fauorabilis,
quoties aliud non suaderent clausulæ
15 præseruatiuæ, quæ ob earum amplitudi-
nem, istum quoque effectum operarentur,
quod scilicét, per deuolutionem feudi,
non resoluerentur illæ hypothecæ, quæ
cum regio assensu essent contractæ; Id-
que

que ex ea probabilitate commercij, aliàs Baronibus sublati, vel impediti, quę à simili consideratur, *sub tit. de emphyteus. disc. 8. & alibi pluriès*, quodque clausula *Iuribus Curiæ semper saluis*, in huiusmodi assensibus apponi solita, percutiat alios effectus, aliorumque præiudiciorum præseruationem, non autem istum effectum resolutionis iurium creditorum.

Adhuc tamen iste assensus, non impedit feudi deuolutionem ob quám eius substantia corrumpitur, dum redit ad suā
16 primæuam causam, vel vniuersitatem Principatus, ad instar riuuli aquæ deriuati ex fonte, seú lacu, vt cessata prima concessione, illa aqua confundatur cum lacu, vel fonte, adeóut si noua concessio consimilis riuuli fiat, erit semper riuulus nouus, dum penès dominum dari non potest qualitas feudalis, cum res sua nemini seruire valeat, neque possit esse quis eodem respectu, & in eadem re Rex, & Baro, seú dominus, & feudatarius, vt aduertitur suprà *disc. 34. & 91. & sæpiùs*.

Prout idem assensus non tollit obligationem, seù ius illius seruitij feudalis, quod est feudo connaturale, siuè illud sit personale, siuè reale, cum ad hunc effectum, ac alios, qui sunt feudi connaturales rectè operatiua sit dicta clausula, sed solùm assensus operatur alios notabi-
17 les effectus, recensitos suprà *disc. 78. & sub tit. de credit. disc. 12. & 13. & 151*. Potioritatis nempè aduersùs feudatarij creditores anteriores, qui eodem assensu careant; Et actionis item realis, vel rei persequutoriæ ad ipsum corpus feudi; Atque ille effectus, qui omnium reputatur maior, est iste, vt scilicèt feudum, deuolutum quoque ad dominum, sic affectum transeat, vt suprà.

Ad rem itaque facete obseruabam, ea quæ pro declaratione, *decis. 1712. Coccin. repetit. decis. 86. par. 5. recent.* habentur *di-*
18 *cto disc. 8. de emphyteus.* & suprà *disc. 52.* quod scilicèt, quamuis bona emphyteotica Abbatiæ Farfeñ, habentia in verbis formulam pacti, & prouidentiæ, ex Statuto, vel consuetudine, aut ex quodam assensu generali, ad instar illius assensus super feudis istius Regni, fauore dotis, de quo suprà *disc. 26.* redacta videntur ad instar allodialium, vt sint hypothecabilia, atque etiam post finitas generationes, seu quantamque deuolutionem, eadem retineant hypothecas; Adhuc tamen id intelligendum veniat compatibilitèr, cum eo Domini iure, quod competit de natura emphyteusis, ratione recognitionis dominij, & sic saluo illo laudemio, vel alia recognitione, quæ Domino debeatur ratione renouationis, vel nouæ Inuestituræ, ad rationem tot pro centenario valoris, inspecto tempore pręsenti, quamuis id tendat in diminutionem pretij, & consequentèr in pręiudicium creditorū, quibus bona affecta essent, etiam pro integro valore.

Idemque in consimilibus casibus pluriès recensitis *eodem tit. de emphyt.* quod scilicèt, ratione magnę quantitatis bonorum huius naturæ in ea regione, & proptereà, vel ex priuilegijs, vel ex concordijs, aut ex consuetudine, dato casu deuolutionis; Dominus directus non possit bona pro se retinere, sed teneatur renouare, eidem generi, siuè alijs concedere, quodque adhuc bona remaneant affecta debitis per feudatarium, vel emphyteutam contractis; Vt contingit in plerisque partibus Lombardiæ ratione Bonifacianæ; In Ciuitate Rauennę ratione Concordię; In aliquibus diœcesibus Status Vrbini, & in Ciuitatibus Perusij, & Ciuitatis Castelli, ex indultis Apostolicis; Et in Ciuitate Vrbini ex concordia, cum similibus, quod scilicèt, dum potiús istud priuilegium expresse non prohibet canonis, & laudemij augmentum, vtrùmque de iure est regulandum, iuxtá valorem de tempore præsenti, vt præsertim *sub dicto tit. de emphyt. disc. 5.* absque eo quod creditores, quibus legitimé bona affecta sint, de hoc conqueri valeant, quoniam ius ipsorum, quod à Domino alterari non possit, rectè procedit quoad alios actus voluntarios extrinsecos, ac etiam quoad actum intrinsecum resolutionis hypothecarum, aliorumque vinculorum, quæ resultāt á deuolutione; istæque propriè est effectus, quem respectu Domini producit assensus, iuxtà vnam opinionem à contradictionibus, neque immunem, vt suprà.

Aliàs etenim, quando iuxtà dispositionem iuris feudalis, subsit necessitas, quod quilibet nouus feudi successor accipiat renouationem, intra annum, & diem, atque pro ea soluat aliquàm notabilem
19 summam pro laudemio, cuius loco in hoc

hoc Regno successit releuium ex deductis *supra disc.* 59. vndè propterea resultet, quod istud onus minuat valorem feudi, quod tanto minùs vendatur, possent creditores cum assensu prætendere, quod nihil solui debeat, ob eorum præiudicium, quod vtique vanum esset asserere.

Prout si Rex ob bella, aliasque indigentias, aliquám collectam Baronibus indicere vellet, siuè istud seruitium reale augere; possent creditores feudatariorum cum assensu prætendere, quod id fieri non valeat, dum ita feuda recipiunt diminutionem in pretio, quod paritèr fabulæ speciem redoleret, cum similibus.

Præterea præfatæ Regiæ prouisiones,
20 vel decretationes, quæ post tot longas consultationes, discussiones, & apparatus, pro illius principatus stylo, emanarunt, quodammodò inutiles, & fatuæ remanerent, si iuxtà dictam distinctionem datam per *Marin. in dicta decis.* 515. *Reuerter.* intelligendæ venirent pro solis concessionibus feudorum, quæ liberè ad Regem reuersa sint, cum tunc nullus videatur huiusmodi decisionis effectus, dum quoad ipsum Regem, eiusque Curiam, quando nouæ concessiones sunt ex causa onerosa per viam venditionis, iuxtà frequentiorem praxim idem sit, quod vnum, vel alterum attendatur tempus, dum totum respicit idem interesse Regis, qui obtinebit illud minùs pretium in sorte, & quando velit fieri nouam taxam, attento tempore præsenti, dum ita vendet eo minùs, & è conuerso si venderet, iuxtà taxã antiquam, pretium esset maius; Idque magis expediret.

Considerationes autem, quę apud Moles, vbi supra, aliosque decursi sæculi antiquiores scribentes, habentur suprà defectu potestatis, ita præiudicandi princi-
21 patui, & successoribus in eo, quorum aliquàm supplantationem id redoleret, hodiè recenseri merentur inter fabulas, vel pias meditationes, dum etiam in principatibus electiuis, quando concurrit qualitas Principis supremi, & absoluti, ista ratio supplantationis successoris non habetur in consideratione, nisi quando agatur de magnis dismembrationibus, quæ importent scissuram, vel deturpationem coronæ, seù Principatus ex ijs, quæ insinuantur *sub tit. de dote disc.* 146. Ac etiam *sub tit. de pensionib. disc.* 1. Et generalitèr de potestate Principis sub *tit. de regal. disc.* 148. *& alibi pluries*, ac etiam supra *hoc eodem tit. disc.* 61. & in alijs ad materiam Bullæ Pij Quinti de non infeudando.

Si etenim in hoc insensibili, & remoto præiudicio, quod principatui, & successoribus in eo causatur, vendendo præsente pecunia, proprietatem, vel ius gabellarum, vel officiorum, aliorumque iurium Regalium principatus, defectus potestatis adesset, sequeretur, quod non potuissent, nec possent erigi Loca Montium, seù alia consimilia iura, super gabellis, alijsque redditibus principatus, seù Reipublicæ; Et tamen contrarium vbique praxis docet ex deductis *sub tit. de regalibus*, ad hanc materiam Locorum Montium, Et aduertitur supra *dicto disc.* 61.

Ac demùm quando, Leguleici vulgi more, cum generalibus regulis, vel propositionibus procedendum esset, intrare
22 quoque dicebam axiomata vulgaria, quod, scilicèt, lex generalitèr loquens, generalitèr intelligi debet, quodque vna, & eadem determinatio plura respiciens determinabilia, debet ea pariformitèr determinare, dum dictæ Regiæ prouisiones, generalitèr, ac indefinitè loquuntur, ac disponunt, vt fieri debeat noua taxa regulanda ex valore, seù fructu de tempore præsenti; Potissimè verò, & clariùs quoniam, vt patet *ex eisdem allegat.* 116. *&* 117. *inter collect. per Marin. in eius tertio tom.* ista quæstio, moderno tempore hunc solùm finem habebat, vel hunc effectum respiciebat, præiudicij, scilicèt, creditorum, dum ferè omnes illi Barones, non obstantibus tot tyrannicis concussionibus, & oppressionibus vassallorum, adhuc, ita Deo permittente, sub creditorum pręssura viuunt, atque huiusmodi subiacent concursibus.



DE

DE FEVDIS

DISC. CXXII.

Nullius fructuum.

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An sub restitutione fructuum feudi per illius possessorem facienda, veniant pœnæ, & mulctæ, vel confiscationes, aliaque emolumenta, obuenta ab exercitio iurisdictionis; Et quatenùs possessor bona ex confiscationibus, & pœnis obuenta distraxerit, an teneatur de proprio reficere æstimationem; Vel potiùs feudi domino, seù legitimo possessori tribuenda sit actio ad ipsorum bonorum vendicationem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De ratione ob quam feudatarius obtineat confiscationes, & pænas.*
3 *Quod error sit respondere in abstracto cum generalitatibus.*
4 *De fructibus, qui veniant in condemnatione, ex natura alienis, etiam sine mala fide.*
5 *Quando tertius teneatur de eo, quod ampliùs non possidet.*
6 *De fructibus litis.*
7 *De eodem de quo num. 2.*
8 *Pæna, & confiscationes sunt in fructu.*
9 *De ratione, ob quam Episcopus, vel beneficiatus obtineat fructus, & emolumenta.*
10 *De eodem, & quando intrusus teneatur etiam pro non perceptis.*
11 *Qua deductio fiat etiam per possessorem malæ fidei.*



DISC. CXXII.



1 CONDEMNATVS, possessor feudi ad illud dimittendum, vnà cum restitutione fructuum, ex eo quod causa possidendi, minùs iusta detecta esset; Hinc idem, suppressis loco, & nomine, consilium pro veritate petijt, an sub nomine fructuum, qui sint restituendi, veniant confiscationes, & pœnæ, & mulctæ, ac etiam quædam collectæ, seù tributa propria per vassallos exacta; Et quatenùs ex præmissa causa, confiscationis aliqua obuenissent bona stabilia per ipsum possessorem donata, seù aliás distracta, teneretur de proprio ad tantumdem, siue ad æstimationem; vel potiús excusari posset, eo quia rem non haberet.

Dubitandi ratio per aliquos in partibus excitata, ob quam credebat possessor, ab huiusmodi confiscationum, & pœnarum, ac tributorum, seù gabellarum
2 restitutione excusari; in eo consistebat, quod ista sint emolumenta, quæ feudatarijs inferioribus permittuntur, ob exercitium iurisdictionis, tanquam stipendium laboris, & per consequens, quod cum istum laborem ipse possessor tulerit, ipsius, non autem alterius, ad quem feudum spectare, causæ exitus dedit, esse deberent.

Respondi, decisionem pendere à circumstantijs facti, meliùs distinguendis,
3 quoniam in practicis fori quæstionibus, incongrua sunt quęsita generica, & in abstracto, & de consequenti, incongrua, parumque opportuna sunt responsa eiusdē qualitatis, cùm semper, ex adeó frequentèr insinuatis, erroneum sit cum generalitatibus procedere; Ad instar petentis consilium a medico absente, super generalibus alicuius morbi syntomatibus, vel periodis, vt ipse iuxtá generalia aphorismata Hypocratis, vel Galeni dogmata responderet, non specificando infirmitatem, complexionem, temperamentum, vires, aliasque circumstantias, à quibus pendeat, an vnum, vel alterum congruat medicamentum, siuè vna, vel altera adhibenda sit medicandi norma; quoniam itá consilium medici, vel fallax est, vel inane.

Vbi

Vbi etenim condemnatio ad dimissionem feudi vnà cum fructibus, non proueniat á vera, & positiua mala fide pos-
4 sessoris, sed à natura iudicij,vel actionis, & ex sola dispositione, vel subtilitate iuris, adeóut interim, & ante litem dici valeat possessor bonæ fidei, vel mediæ, adeòut desit mala fides positiua, vt ex: gr: contingit in iudicio petitionis hæreditatis, in quo veniunt etiam fructus ab initio, qui hæreditatem augent ex deductis *sub tit. de hærede disc. 9. & alibi*; Et tunc non ex peculiari iure, vel natura feudorum, quorum leges in hoc aliquid particularitèr statuere non videntur, minùsque ex peculiari qualitate huiusmodi fructuum pœnalium, vel iurisdictionalium, sed iuxtà terminos generales, de quibus in dicto casu possessoris hæreditatis *allegato disc. 9. de hæred. & disc. 1. de regal.* & generalitèr *disc. 39. de iudic.* possessor tenebitur ad restitutionem extantium in specie, vel in æquipollenti; In eo scilicèt, in quo effectus fuerit locupletior, adeóut intret ratio, vel æquitas prohibitiua locupletationis de alieno,excusetur autem à merè consumptis, & non extantibus, ex ijs, quæ in his terminis feudalibus super materia fructuum plenè colligit *Rosenthal. de feud. cap. 10. concl. 42.*

Atque quoad ipsum possessorem, sub nomine consumptorum, & non extantiũ, venire quoque dicuntur illa bona stabilia, vel etiam mobilia, non consumpta, sed extantia, quæ tamen non sint penès ipsum possessorem, quia nempè ab eo donata, vel aliàs distracta sint absque eo quod locupletatio, seù versum duret, cũ
5 pro eis ad nihil teneatur, dum sufficit, quod non desierit dolo possidere, quamuis etiam imprudentèr distraxerit, per speciem dissipationis, opinando tamen dissipare bona propria, ex ijs, quæ habemus in hærede putatiuo bonæ fidei dissipante, vel distrahente bona hæreditaria,etiam in sorte principali, vt non teneatur ad aliquam refectionem; Quinimò, quod magis est, etiamsi esset verus hæres in parte, neque teneatur bona cõsumpta, vel dissipata imputare in propriam portionem, vt *d. disc. 1. de regal. d. disc. 9. & 27. de hærede, & alibi.* Quidquid sit de iure, vel actione,competente vero hæredi, vel domino eadem bona condicendi à possessore, quatenùs de iure,ista condictio, seù vendicatio intret, iuxtà ea, quæ in emptoribus mercium, vel aliarum rerum à non domino habentur *d. tit. de regal. disc. 129. cum similibus*.

E' conuerso autem, vbi condemnatio ad huiusmodi fructuũ restitutionem,proueniret à mala fide, vera, & de facto, vt præsertim pro frequentiori praxi illa cõ-
6 demnatio est, quæ sequatur á die motæ litis, ob malam fidem, quæ per litis introductionem in possessore induci dicitur, iuxtà vnam opinionem magis rigorosam, quam sequi videtur Curia, siue à tempore, quo per probationes, & per scripturas, possessor instrui potuit, & cognoscere,se non esse dominum, iuxtà alteram pro meo sensu probabiliorem opinionem, ex deductis *d. disc. 39. de iudic. & tit. de fideic. disc. 184. & seqq. & alibi*; siuè quod etiam sine lite,ex facti circumstantijs, reverá de mala fide constaret, vt in spoliatore, vel occupatore, aut similibus contingit, adeóvt non intret excusatio á consumptis,qui in odium possessoris malæ fidei, habendi sunt pro extantibus, prout etiam bona extantia, sed distracta in tertium, habenda sunt pro extantibus, & possessis, iuxtà deducta *d. disc. 129. de regal. & alibi*, & tunc indefinitè intrat restitutio in æquiualenti de proprio.

Neque isto casu suffragari dicebam præfatam considerationem, quod huius-
7 modi pœnalia emolumenta pertinerent ratione exercitij iurisdictionis, & administrationis feudi, tanquam pretium laboris desupèr adhibiti, quoniam ista ratio congruit legitimo possessori, ad effectum licitè percipiendi ista emolumenta, quæ regularitèr de eorum natura, sunt de regalibus, ideóque non congruunt huiusmodi feudatarijs inferioribus in figura, vel specie Baronum, seù Domicellorum, sed solùm feudatarijs maioribus veræ dignitatis, & feudorum regalium cum iure principatus, ex ijs, quæ frequentèr insinuantur *in præcedentibus hoc eod. tit.* ac etiam *sub altero de regal. & per Rosenthal. cap. 5. concl. 49. & & seqq. & concl. 63. & seqq.* & sic pro causa, seù titulo honesto percipiendi id, quod aliás feudatarius, quamuis legitimus percipere, ac obtinere non posset,

non

non autem, vt intrusus, ac illegitimus possessor valeat hęc emolumenta sibi ap-
8 propriare, quoniam confiscationes, & pœnæ sunt absque dubio fructus, vel effectus feudi, ex deductis *sub tit. de Regal. disc.* 160. *& seq.* & frequentèr.

Ad instar eorum, quæ habemus in beneficijs, & dignitatibus Ecclesiasticis, quoniam tam fructus, quam distributiones, aliosque prouentus Episcopi, & be-
9 neficiati, aliarumque dignitatum, & Ecclesiarum, possessores, & Prælati percipiunt principalitèr ex ratione administrationis, & cultus Ecclesiæ, & exercitij curæ iurisdictionalis, vel sacramentalis, sed non per hoc intrusus, vel aliàs iniustus, & illicitus detentor debebit hos fructus facere suos, ex eo quod ipse interim curam exercuerit, vel Ecclesiæ administrationem habuerit, quoniam est quidem præmium, vel stipendium laboris, & seruitij, sed in eo, qui per dominũ, vel superiorem, cum legitimo titulo, ad laborandum, ac seruiendum sit deputatus, non autem in eo, qui illicitè in hoc se intruserit; Vt etiam exemplificari potest in omnibus alijs Officialibus, & Magistratibus, qui propinas, aliaque emolumenta obtinent.

Adèoque verum est, vt intrusus non faciat suos istos fructus, quod etiam in ipsismet distributionibus quotidianis, a-
10 lijsque emolumentis, quæ ab ipso intruso, & illegitimo detemptore, vel impedimentum præstante non percipiantur, sed ab alio, adhuc teneatur legitimo domino, vel possessori reficere, iuxtà *decis.* 173. *Royas*, & sæpiùs aduertitur in sua materia beneficiali.

Illam verò deductionem in hoc proposito faciendam esse dicebam, quam
11 ipsemet legitimus feudi dominus, cui sententia mandat fructus restitui debere, pati debuisset, si ipse fuisset possessor iuxtà illam expensarum, vel melioramentorum necessariorum refectionem, de qua agitur *sub tit. de legitima, & detractionibus disc.* 35. & in specie aduertitur apud *Rosenthal. d. cap.* 10. *conclus.* 42. *num.* 66.

DE FEVDIS
DISC. CXXIII.
Clusina Territorij.

Pro Comitissa Theresia de Carpineo cum Camera Apostolica. 1

Præparatio pro disputatione non sequuta, vt infrà.

De eodem puncto, de quo supra *disc.* 56. an scilicèt accipiens in feudum aliquod Castrum, vel locum cum vniuerso territorio, efficiat feudalia illa bona, quæ ipsemet iure allodij, in eodem loco possidebat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De materia nouationis primæ concessionis per secundam.*
3 *Feuda sunt regulanda cum iure feudali, non autem communi ciuili.*
4 *Quales sint veri, ac proprij termini feudales super nouatione primæ concessionis per secundam.*
5 *Vt id procedat quando vna concessio sit incompatibilis cum altera.*
6 *Donatio in dubio non est præsumenda, vbi alius titulus compatibilis dari potest.*
7 *Non implicat vt feudatarius possideat tanquam priuatus bona, & prædia intra fines feudi.*
8 *Imò totum territorium, omnesque redditus, possunt esse vnius, & dominium Castri, vel loci, alterius.*
9 *Quod casus de quo disc.* 56. *sit diuersus.*
10 *Datur exemplum practicum super ijs, de quibus num.* 7. *&* 8.
11 *De ratione inuerisimilis donationis, vel transfusionis.*
12 *Quid importent verba generalia inuestitura.*
13 *De duplici significatione territorij, & de pluribus speciebus dominij eiusdem rei.*
14 *De confessione in informationibus Aduocatorum, & Procuratorum, an præiudicet.*

15 De

15 *De Constitutione reuocatoria Pij Quarti.*
16 *An concesso sit iure pignoris, vel dominij.*

DISC. CXXIII.



1 CONCESSIT Iulius III. Iacobæ de Monte eius germanæ sorori, matri Ascanij, & Fuluij Cardinalis de Cornea, nobilium Perusinorum, per speciem venditionis cum iure redimendi, vel anthycbresis, pro hæredibus, & successoribus quibuscunque pro scutis duodecim millium auri, totum territorium Clusinum, cum tenutis, filuis, lacubus, & alijs in eo existentibus; Quia veró incolæ Oppidi, vel Castri in eodem territorio existentis, quod *Castilionum lacus* nuncupatur, ob illorum temporum conditionem, diuersas patiebantur molestias, & incursiones, á quibus tueri se non poterant, cum apti non essent reficere Castrum, seù munitionem, aliasque desupèr necessarias expensas facere; hinc ad eorumdem incolarum preces, idem Iulius, Oppidum, seù Castrum prædictū concessit in Vicariatum, seù perpetuum gubernium prædicto Ascanio, eiusque filijs cum iurisdictione, ac mero, & mixto imperio, & plerisque iuribus regalibus, sub annua recognitione vnius libræ ceræ, & cum obligatione reficiendi, atque muniendi dictum locum, ac etiám dedit gubernium, seu Vicariatum, tunc Castri, nunc Ciuitatis plebis, de quo nihil ad rem; Deindèque idem Ascanius prole destitutus, intuitu multorum meritorum pro Sede Apostolica, & Catholica Religione contrà hæreticos in statu Ecclesiastico Auenionensi, ac etiam stante solutione scutorum 15. mil. auri obtinuit facultatem sibi arrogandi in filium Diomedem de Pinea, nepotem ex sorore, cum iure succedendi etiam in feudis, omnibusque alijs iuribus, ac etiam præfatum locum erigi in feudum nobile, cū titulo, seù dignitate Marchionatus, pro se, dictoque Diomede, atque istius filijs, & nepotibus masculis, sub annua recognitione scutorum bis mille; Cum autē mortuis Ascanio, & Diomede, ex isto fuissent superstites, Fuluius, & Diomedes iunior; isteque in Religione Prædicatorum professionem emisisset, exindè assumptus ad Episcopatum Squillacensem, deindèque translatus ad Vrbeuetanum, iuxtà seriem de qua suprà *disc.47.* atque sequuta esset mors tam dicti Fuluij, quàm etiam Fuluij posthumi eius filij in infantili ætate, idcircò Camera ob factum casum deuolutionis feudi, præfati loci, eiusque territorij possessionem adepta est; Et quamuis Diomedes in Religione Ioseph, tanquam comprehensus in inuestitura, super eius successione litem excitasset, ea tamen per concordiā sopita fuit, vt *eod. disc.* 47.

Post aliquod veró notabile interuallum Theresia dicti Fuluij senioris vxor, atque alterius Fuluij infantis mater, quę ad secundas nuptias cū Comite de Carpinea transitum fecerat, tanquam præfati eius filij intestata hæres, prætensionem excitauit contra Cameram, super restitutione territorij conrenti in prima cōcessione iure allodij, pro hæredibus, & successoribus quibuscunque, vel restitutione dicti pretij scut. 12. mil. vnà cum fructibus; Vndè desupèr deputata fuit particularis Congregatio Prælatorum, ad effectum examinandi in forma extraiudiciali, & referendi Papæ, eiusdem prætensionis subsistentiam, pro deliberatione, an causa esset concordanda, vel potiùs ad suos Iudices, prout de iure remittenda, ideoque pro istius Congregationis informatione, aliqua habita fuit disputationis præparatio, absque tamen vlteriori progressu, dum, iuxtà meum timorem in congressibus iam præuisum, & insinnatum, ex notitia historię inter Paulum Quartum, & Regem Carholicum, occasione Regni Neapolitani, compertum est, quod præfatus Ascanius á dicto Pontifice Paulo ex causa perduellionis condemnatus in contumaciam ad pœnā capitalem, & publicationem dicti feudi, omniumque eius bonorum, initio Pontificatus dicti Pij successoris, plenariam restitutionem obtinuit sub diuersis legibus, & oneribus, ac præsertim, vt contingente feudi deuolutione, prætendi nō posset restitutio dictorum scutorum 12. mill. vndè propterea ex solo facto, quæstio finem habuit, inanesq; remanserunt labores iuris super quæstione consimili aliás disputata suprà *disc.56.* an scilicèt dicta vltima inuestitura feudalis comprehen-

prehenderet quoque primam concessionem allodialem, quæ propterea eandem feudalem naturam assumpsisset.

Quatenùs itaque pertinet ad istã quæstionem; Cùm scribentes pro Cameras
2 procederent cum terminis generalibus iuris communis in materia nouationis, quod scilicèt per vltimam concessionem feudalem Pij IV. innouatæ fuissent omnes aliæ concessiones præcedentes Iulij Tertij, procedendo cum generali theorica *Bartoli in l. stipulantem §. sacram ff. de verb. obligat.* super transfusione debiti de vna causa in alteram, vel vnius contractus in alterum, desupèr cumulando ea, quæ ad hanc materiam habentur collecta per *Amat. resolut. 50. Capic. latr. consult. 12. & alios frequentèr.*

Atque pro speciali imò indiuidua autoritate deducerent ea, quæ habentur à me deducta suprà *disc. 4. n. 21.* super occultatione donationis bonorum propriorum, quæ ab alio accipiantur in feudum, siué extinctionis primæ concessionis ob secundam, quæ tanquam vnica, de toto reputanda esset, ex ibi deductis.

Dicebam in hoc rerum statu, ad causæ defensionem ex parte actricis euocatus, tàm in congressibus pro causæ directione habitis, quàm etiam in informatione desupèr edita, quod loquendo, vt decet more feudistæ, & cum suis terminis feudalibus, extranea videbantur omnia, quæ hinc indè iam deducta fuerant in materia nouationis, iuxtà terminos
3 iuris communis ciuilis, quoniam cum istis feuda regulanda non sunt, dum habent proprias leges, ac terminos feudales, cum quibus est procedendum, solumque in effectu pro suppletione, vel interpretatione licitum est recurrere ad vtrumque ius commune, magis verò ad canonicum, quàm ad ciuile, vt pluriès in præcedentibus aduertitur, potissimé quia præfati termini nouationis, potiùs cadere videntur in credito, alijsque iuribus, & actionibus incorporalibus, quàm in dominio specierum.

Veros itaque ac proprios huius causæ terminos esse dicebam illos, de quibus *d. disc. 4. num. 21.* magis veró ad rem
4 *d. disc. 56.* an scilicèt accipiens in feudum ab alio Castrum, vel locum, in cuius territorio, ipse bona iure allodij possideret, censeatur etiam, ista bona in feudum accepisse per eandem occultationem actuum, præfatis locis latiùs insinuatam.

In hoc autem, etiam cum aliquo sensu veritatis, quamuis omninó maturum iudicium desupèr efformare non potuerim, ob cessatam occasionem vlterioris
5 disputationis, ex cuius trutina talis efformatio resultat; Dicebam probabiliùs videri, quod vltima feudalis inuestitura importaret quidèm extinctionem secundæ concessionis in gubernium, seù vicariatum, vt suprà, quodque ista transfusa esset in alteram maiorem, & ampliorem iuxtá casum de quo *d. disc. 4.* ex eadem ratione, quæ in dicto alio casu vigebat, omnimodæ scilicèt incompatibilitatis, dum agebatur de eadem re indiuidua, quæ duplicem diuersam naturam, eodem tempore habere non potest, ideòque per generationem secundæ pernecessé resultat corruptio primæ; Secùs autem vbi cessat incompatibilitatis ratio, vel obstaculum, adeòut ambæ concessiones possint simul stare, tanquam inter se compatibiles; Atque ad id conferre, opportunosque esse dictos terminos iuris ciuilis in materia nouationis, *ad tex. in l. fin. C. de nouat.* de quibus pluriès *sub tit. de cred.* præsertim *disc. 67. & alibi*, quod scilicèt hodiè per dicti textus expressam dispositionem, nouatio non inducitur, nisi expressé dicatur, vel nisi cessante expressione, ita cogat præcisa necessitas incompatibilitatis.

In idem quoque considerando alte-
6 ram iuris communis veram, ac receptam conclusionem, de qua suprà *eod. disc. 56.* ac etiam in sua sede *sub tit. de donat.* & alibi pluriès, quod scilicèt donatio, in dubio non est præsumenda, omnisque possibilis, & compatibilis intellectus, pro eius exclusione capiendus venit; Ac propterea, data vtriusque concessionis compatibilitate, de plano dicebam intrare exclusionem huius prætensæ nouationis, vel transfusionis vnius concessionis in alteram, & per consequens, quod remanente territorio, contento in prima concessione in sua natura allodiali, & transitoria ad quoscumque hæredes etiam extraneos, nullum ei inferret præiudicium terminatio inuestituræ feudalis, vtpotè rei omninó diuersæ, ex ijs, quæ alijs relatis *ex consil. 121. Oldradi*, haben-

tur plenè deducta apud *Surd. conf.* 135. *cum alijs*, de quibus *d.disc.*56.

Compatibilitas autèm videbatur clara, quamuis prima concessio non conti-
7 neret aliqua prædia particularia, iuxtà casum, de quo propriè agunt in Curia celebres decisiones *Rota in Asten. Feudi coram Bubalo, sæpiùs in alijs canonizata apud Duran. decis.* 28. *Buratt. decis.* 426. *decis.*72. *post Cenc. de cens. decis.* 69. *par.*8. *rec.* atque aduertitur suprà *d. disc.* 56. ac etiam in alio citato *disc.*47. vbi in indiuiduo de ista inuestitura, ac etiam *disc.*61. & 62.

Sed etiam vbi illud esset de vniuerso territorio, quoniã ex deductis *d. disc.*61.
8 & 62. & in Rotæ decisionibus editis in casu, de quo eodem *disc.*62. alicuius castri, vel loci fructus, prouentus, & vtilitates, sunt quid diuersum ab ipso Castro, vel loco, eiusque dominio publico, & baronali in vniuersum, ideòque non implicat, vt quis sit dominus Castri, vel loci, iure feudi in dominio publico, & baronali, seù domicellario, & tamen sit ex diuerso iure, titulo priuato, & allodiali dominus territorij ad solum fructũ, & vtilitatem, tanquam priuatus, ac diuersus homo, iuxtà ponderationes, de quibus præsertim *d.disc.*61.

Vndè propptereà in casu de quo *d. disc.*56. quamuis ego, scribendo more Aduocati, substinerem contrarium; Attamèn, vt ex eo patet, agnosco difficultatem, ac refero, quod tribunal Cameræ
9 inclinabat in contrarium; Et nihilominùs ille casus est longè diuersus, quoniam erant Castra diruta sine vassallis, & sinè habitationibus, idcòque nomen, seù vocabulum Castrorum, eo tempore aliud non significabat, nisi ipsum territorium priuatum vtilitarium; In præsenti autem prima concessio non continet Castrum, & vassallos, sed solùm territorium discretum à Castro, & vassallis, eorumque iurisdictione, & imperio, dum hæc omnia remanserunt in dominio Sedis Apostolicæ, deindèque concessa fuerunt sub diuerso titulo, primo gubernij, seù Vicariatus, & deindè feudi, & sic non verificantur ponderationes dicto casui adaptabiles.

Ad quod practicè comprobandum, dabam exemplum in Tusculana Ciuitate de immediato dominio Sedis Apostolicæ, quod scilicèt eadem Sedes, vel Camera est domina notabilis partis illius
10 territorij ad fructum, ac priuatam vtilitatem ex cultura, vel pascuis, aut canonibus, & responsionibus illorum prædiorum, quæ particularibus concessa sint, dictosque fructus concedere solet in appaltum, iurisdictionem verò, & dominicalem potestatem exercet mediante persona Præfecti Palatij Apostolici, qui est fixus Gubernator huius loci, ac etiam Areis, seù Castri Candulphi, vtpotè destinatorum Papæ delitijs, vt agendo de hoc Præfecto aduertitur *disc. 8. in Relat. Cur.* Si ergò Papa, vel eius Camera, tenutas, syluas, & alia bona, quæ in hoc territorio possidet, ex priuato contractu venditionis, vel dationis in solutum, aut emphyteusis, seù liuelli, concederet alicui ex illis Magnatibus, vel nobilibus qui possident villas, & bona in eodem territorio, vel alteri, non per hoc iste efficeretur Dominus loci, neque territorij iurisdictionalis, quod adhuc in ipsismet bonis ita concessis remaneret sub eodem antiquo immediato dominio ipsius Papæ, & sub regimine, ac iurisdictione dicti Præfecti; Quarè si postmodum, eidem emptori, vel concessionario dictorum bonorum priuato, seù allodiali iure, idem Papa, vel successor, iure feudi, vel Vicariatus, ipsam Ciuitatem cum toto territorio, & Vassallis, ac iurisdictione, & mero, ac mixto imperio concederet per certum tempus, vel ad certas generationes, non per hoc inferendum esset, quod sub feudali concessione venirent dicta bona iure priuati, ac liberi allodij quæsita, ex insinuata ratione, de qua latiùs *d.disc.*61. quod scilicèt ita ille, cui vtraque concessio facta est consideratur duplex, ac diuersus homo, adeòvt non prohibeatur feudatarius esse ipsius feudi creditor ex insinuatis etiam suprà *disc.*23. & frequentèr.

Potissimè verò, quia si dicta nouatio vel transfusio danda esset, illa caderet in secunda concessione in Vicariatum, vel gubernium restrictum ad solam perso-
11 nam ipsius Ascanij, eiusque filiorum primi gradus, quibus carebat, eorumque incertus erat, ideòque intrat inuerisimilitudo ponderata in hoc indiuiduo casu *d.disc.*47. quod scilicèt ita priuare se voluerit libero, ac perpetuò transmissibili domi-

dominio istorum bonorum, vel eorum pretio, quod attenta illorum temporum conditione, erat valdé notabile ex deductis suprà *d. disc.4. & alibi*.

Et quamuis scribentes pro Camera nimium insisterent in formalitate verborum inuestituræ, quod scilicèt diceretur eam fieri, cum siluis, tenutis, terris pa-
12 scuis, lacubus, fluminibus, ac fontibus, totoque territorio; Nihilominùs istud (etiam cum sensu veritatis) dicebam esse leuissimum, atque contemptibile fundamentum, quoniam, vt aduertitur suprà *disc.2.* & infrà *in Romana Castri Orciani disc.133.* ac etiam superiùs *disc.32. & alibi*, huiusmodi descriptiones fieri solent ex quodam communi formulario commentato per *Capic. in inuestitura feudali*, ad denotandam vniuersitatem cōcessionis, sed sub implicita conditione, si quæ sunt, & prout sunt, vel comperiunt, nisi positiué deducantur ad speciem cum verbo signantèr, vel alio æquipollentèr, aut quod ex pretio, vel pretij quantitate constaret, quod aliqua ex membris, vel iuribus expressis, veré considerata, sint tanquam exstantia, & competentia, vt præsertim occasione euictionis aduertitur *supra d. disc.32.*

Et in specie super verbo territorij, aduertebam idem, quod in locis citatis,
13 & alibi aduertitur, & præsertim *sub. tit. de seruit. disc.35. & 36.* quod scilicèt illud duplex est; Vnum scilicèt publicum, & iurisdictionale, seù Dominicale, ità dictum, à iure terrendi; El alterum priuatum, & vtilitarium pro iure fructuum, & emolumentorum; Istudq; etiam habere potest duplicem Dominū insolidum pro diuersitate respectuum, quod scilicèt vnus potest esse Dominus fructuum naturalium, alter verò industrialium; Quinimò in eodem dominio publico, & baronali, seù iurisdictionali dari quoque possunt duo Domini in solidum, pro eadem diuersitate respectuum, quia nempè vnus sit Dominus habitualis, alter veró Dominus exercitij, & fructuum, iuxtá deducta *d. disc.61. & 62.* Eodem modo datur dominium eiusdem rei directum, vel vtile, siuè altum, & subordinatum; Quinimò ipsum met vtile, vel subordinatum, quod consideratur in feudatario, vel emphyteuta, recipit easdem species subalternas inter feudatarium, & subinfeudatum, iuxtá casus, de quibus supra *disc.7. & 54. cum seqq. & alibi pluriès*; Ac propterea, aliud est illud eiusdem loci territorium priuatum & vtilitarium, de quo loquitur prima concessio; Et aliud publicum, & iurisdictionale, seù baronale, de quo loquitur secunda, & tertia.

Quia verò occasione deuolutionis cuiusdam postæ inter istos de Cornea, & illos de Sfortia circa annum 1610. acta fuit lis in Rota, intitulata Chisina Postæ, in qua habentur aliquæ Rotæ decisiones in voluminibus impressæ, nempé *dec.390.*
14 *par.1. rec. decis.555. & decis.664. par.2. recent.* ac etiam habetur *consil.54. Spad. lib.1.*

Hinc scribentes pro Camera diligentèr perquirendo informationes, vel positiones disputationum, tunc habitarum, magnum fundamentum constituebant in eo, quod in aliquibus informationibus Aduocatorum, & Procuratoris istorum de Cornea ad probandum, quod ipsi essent possessores, & Domini ex causa onerosa, & correspectiua, vltrà merita Ascanij deducerent vtramque summam Cameræ solutam; Primam scilicèt scutorum 12. mil. sub Iulio, & alteram 15. mil. sub Pio, ideòq; inferebant ad transfusionem primæ concessionis in secundam, sed paritèr istud erat nimium fragile fundamentum, non solùm quia huiusmodi assertiones Aduocatorum, & Procuratorum in informationibus sunt actus extraiudiciales, absque mandato principalis, ad ità asserendum, ideóque iuxtà quotidianam receptam praxim, iuridicé in nulla consideratione habentur in ratione confessionis præiudicialis, bené tamèn sunt considerabiles pro aliquo adminiculo, siuè pro illuminandam mentem Iudicis ad indagandam aliundè veritatem, ad instár eorum, quæ habemus in terminis tamèn fortioribus confessionis factæ in articulis, ex deductis *disc.31. de indic.*

Tùm clariùs, quoniam Aduocati, & Procuratores asseruerunt quantùm hoc dominium simul vnitum constabat, & quæ summæ solutę essent ad denotandū, quod non essent concessiones lucratiuę,
15 & sine debita recompensa ad effectum excludendi obstaculum constitutionis reuocatoriæ eiusdem Pij IV. de qua in propo-

proposito particularitèr agitur supra *d. disc.4.* Sed compatibilitèr, & discretè singula singulis congruè referendo, iuxtà istarum concessionum diuersas species, vel naturas.

Obijciebatur quoque idem, quod habetur *d.disc.62.* quod scilicèt prima con-
16 cessio contineat potiùs pignus pro mutuo, & consequentèr prædicta summa scutorum 12. mil. extenuata fuisset cum fructibus perceptis de iure in sortem imputandis; Verùm, & istud erat nimium fragile fundamentum, tàm ex contextu verborum concessionis, iuxtà easdem ponderationes, de quibus *dicto disc.62.* quam etiam ex declaratione eiusdem Iulij, quod vbi intrà nouennium dicta summa non restitueretur, bona censerentur concessa perpetuó transmissibilia ad hæredes, & successores vsquequò talis restitutio fieret, ideóque Papa, in quo non datur iuris ignorantia, claré agnouit, & declarauit, quod istud non esset creditum extenuabile cum fructibus; Esset etením aliàs dare in Papa turpitudinem, quod vsuras facere, seù canonizare voluerit; Vndé propterea concludendo, quando non adesset dictũ obiectum facti super declaratione facta in dicto Motu proprio reintegrationis, probabiliùs pro hac Parte respondendũ veniret; Vel quod saltèm causa esset honesta, concordia digna, ideóque inspiciendum remanet, an dicta Iacoba, quæ primam acquisitionem fecit, ordinauerit in eius bonis fideicommissum, vt propterea descendentibus, ex facto dicti Ascanij præiudicare non potuerit.



DE FEVDIS

DISC. CXXIV.

Caiaceñ, seù Florentina vitæ militiæ.

Pro Iacobo Corsio, Cameræ Apostolicæ Clerico cum Marchione fratre.

Discursus pro veritate.

An primogenitus possessor feudi antiqui indiuidui iuris Franchorum, teneatur præstare vitam militiam fratri secundogenito Clerico, vel diuiti, & aliundè prouiso.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod Clerico debeatur vita militia.*
3 *Contrarium qui teneant.*
4 *Clerici sunt incapaces feudorum, & de ratione.*
5 *Vita militia debetur secundogenitis in compensationem exclusionis à successione feudi.*
6 *De ordine successionis feudorum.*
7 *Quod vita militia debeatur loco alimentorum.*
8 *Quando sit procedendum cum stylo ratiocinatiuo, & quando cum doctrinali.*
9 *De applicatione ad casum super intelligentia Constitutionis Regni* Comitibus.
10 *De obseruantia præscriptiua, & interpretatiua.*
11 *De exclusione Clericorum, de qua numer.4.*
12 *De origine Regni Neapolitani eiusque feudis.*
13 *Clerici possunt militare pro Sede Apostolica, ideòque sunt capaces feudorum Ecclesiasticorum.*
14 *De paragio fœminarum.*
15 *Quare vita militia secundogenitis decernatur.*
16 *Quare expediat Regi, & Baronibus, vt ipsorum Baronum secundogeniti sint Clerici, & benè prouisi.*
17 *Quod sufficiat, punctum esse dubium.*

18 *An*

18 *An vita militia debeatur secundogenito diniti,& aliundè prouiso.*
19 *Ad quos effectus intret consideratio, vt vita militia habeat naturam alimentorum.*
20 *Dos,& alimenta aquiparantur ad effectus* Auth.res,quæ.
21 *Quod vita militia, & dos de paragio debeantur iure actionis.*
22 *De alia ratione, ob quam vita militia debeatur etiam prouisis.*
23 *De differentia inter filios priuatorum, & magnatum ad hunc effectum.*
24 *Concluditur.*

DISC. CXXIV.



DEFVNCTO illo Marchione Corsio Florentino, de quo agitur suprà *hoc eodem titulo disc.*24. superstitibus duobus filijs masculis; Cũ primogenitus obtinuerit antiquum feudum Ciuitatis Caiaceñ,
1 cum annexis in Regno Neapolitano;Secundogenitus verò esset Prælatus, Cameræ Apostolicæ Clericus, nimium diues,benèque prouisus,tam de portione paternæ hæreditatis allodialis, quám de quadam dispositione patrui, etiam Prælati;Hinc primogenitus prętensionem excitauit non teneri præstare secundogenito vitam militiam pro dicto feudo,ratione Clericatus, eum excludentis á vita militia; Cum Clerico debeantur solùm alimenta ad limites iuris communis in præsenti non debita, ex eo quod tanquã diues, ac aliundè prouisus, eis non indigeret;Exhibendo pro dictæ prætensionis comprobatione quoddam Responsum, Italico idiomate æditum per quendam anonymum Aduocatum Neapolitanum, in quo dicebatur,quod licèt fortè omnes Neapolitani Aduocati,qui desuper consulerentur, contrarium responderent, ex eo,quod opinio Clerico fauorabilis,magis communi Doctorum calculo sit munita, ac etiam in illis Tribunalibus recepta sit, ex ijs, quæ antiquioribus relatis habentur, apud *Franch. decis.*20. *vbi adden. Aponte de potest. Proreg. tit. de assens.*
2 *reg.*§.4.*de Marin. in addit.ad Reuerter.decis.*401. *& resolut.*43.*lib.*2. atque fatetur *Bammacar.in cap.si Clericus de feud.defunct in decima quæst.num.*162.*& seq.* Attamen

Suppl.Theatri Lib.16.de Feud.

dicebat,quod in puncto iuris veriùs esset contrarium, iuxta opinionem, quám laté
3 tuetur, ac veriorem multis medijs esse probare conatur, *Bammacar. vbi suprà*, qui admittendo, quod in Regno, altera opinio sit recepta,& indubitata, aduertit quod alibi contrarium dicendum veniat, atque in eam quoque inclinare videtur, *Montan.in l.Imperialem*, §.*Prætereà Ducatus,num.*139.

Plura veró argumenta ad id probandum deducuntur *per Bammacar.* quorum illud videtur potissimum, quod ista vita militia, traditur secundogenitis, vt cum
4 primogenito feudatario militare possint pro seruitio Regis, Et per consequens, quod debeatur solùm illis, qui sint habiles ad militandum in militia sæculari, quales non sunt Clerici,qui tanquàm milites Christi, prohibentur esse milites sæculi,ex deductis in his terminis feudalibus super illorum incapacitate succedendi in feudis, suprà hoc *eodem tit.disc.*16.*& seqq.& disc.*54.Et generalitèr circa incompatibilitatem militiæ sæcularis cũ Clericatu *sub tit.de pension.disc.*46.*& seqq & alibi.*

Cum etenim ista vita militia perConstitutionem Regni, quæ incipit, *Comiti-*
5 *bus,&c.* decreta videatur secundogenitis in præmium,seù compensationem exclusionis à successione feudi,quoniam iuxtà antiquam feudorum naturam,de qua suprà *disc.*8. etiam in hoc Regno, feuda quamuis titulata, & dignitatis, erant diuidua ad formam iuris Longobardorum, adeòut omnes filij feudatarij defuncti pariformitèr in eis succederent;Cumque
6 postmodum, siuè iuxtá vnam opinionem perConstitutionem Friderici secundi incipień, *Constitutionem Diuæ memoriæ, &c.* per quám prohibetur etiam diuisio feudi, quamuis modica, seù veriús ob consuetudinem etiam ante dicti Friderici tempora, vt clarè probat eadem constitutio*Comitibus,&c.*per quandam rationabilem consuetudinem, ea redacta essent ad naturam indiuiduam,illamque formã, quæ dicitur iuris Franchorum, vt soli primogenito,atque cum ordine primogenituræ deferantur; Idcireó in præmium exclusionis secundogenitorum ab hac successione, eis delata est ista vita militia loco propriæ portionis subrogata;Et per consequens, quod ex regula seù natura

 sub-

subrogatorum, illa debita esset solùm capacibus successionis feudij, non autem incapacibus, quales sunt Clerici, cum alijs ponderationibus, & argumentis deductis *per Bammacar. vbi suprà*.

Hoc autem posito, vt non debeatur vita militia, sed solùm debeantur alimenta, iuxtà dispositionem iuris communis; hinc de plano resultare dicebant, vt huic secundogenito diuiti, ea non debeantur,
7 nimium se diffundendo in quæstione per antiquiores feudistas Regni valdè disputata, an, scilicèt, ista vita militia habeat naturam legitimæ, eiusque loco succedat, vel potiùs naturam alimentorum, pro quibus decreta sit, ac dicebant, quod quamuis apud maiores, ista fuerit quæstio inuoluta, attamen apud moderniores, & in Tribunalibus hodié passim magisque recepta est posterior opinio, vt naturam alimentorum habeat, eorumque loco succedat, dum debetur ad vitam tantùm, non autem in proprietate, quę transmittatur, ratione alimentorum, non autẽ legitimæ, quæ est quota bonorum in proprietate liberè transmissibilis ad hæredes, quamuis extraneos, ex relatis *per Carpan. de vita militia quæst. 16.* & alios de quibus suprà, *& infrà*; Et per consequens, quod intraret Regula in alimentis debitis iure sanguinis receptissima, vt non nisi in subsidium debeantur, non autem diuitibus, & aliundè prouisis, plures desuper cumulando cum consueto superfluitatis vitio, auctoritates non necessarias tanquàm in principio indubitato.

Desuper itaque ex parte sec undogeniti consultus, Respondi in eodem materno, seù Italico idiomate, istum modum, seù stylum scribendi discursiuum, & ratiocinatiuum, perquirendo rerum principia, per dictum Consulentem adhibitum,
8 esse quidem meo genio gratum, nimiumque commendabilem, ac desiderabilem, vtporé meliorem, è conuerso autẽ damnabilem, & contemptibilem alterum merè pragmaticum, qui hodiè maiorẽ vulgi sequelam habet; Verùm aduertebam, id intelligendum esse, cum terminis habilibus, vt scilicèt, cum cæca fide absque alio discursu non procedatur in sola litera, cum aliquorum Doctorum traditionibus, quæ ex falso principio proueniant, siué ex mala intelligentia eius, qui fuerit originalis Auctor alicuius theoricæ, alijs transcriptorio more, vnius errorem insequentibus, ad instar testium de auditu ab vno, qui vel non dixerit, vel mendax, aut minùs informatus conuincatur, adeòut traditio repugnet legibus, vel earum certis principijs, & rationibus; siué quod doctrina sit in suo casu vera, malé autem, iuxtà consuetum pragmaticorum errorem, alteri diuerso casui applicata, & ad quem effectum benè distinguendi casus pro congrua legum, & auctoritatum applicatione partis discursiuæ, seù ratiocinatiuæ, non solùm commendabilis, & opportuna, sed omninó necessaria videtur, vt latiùs aduertitur, *disc. 35. de iudic. & alibi*.

Id autem nõ poterat adaptari ad hunc punctũ, vtporè pendentẽ ab interpretatione legis particularis, seù localis, nempè dictæ Constitutionis incipieñ, *Comitibus, &c.* quæ in verbis de omnibus filijs loquitur, nulla facta distinctione, an sint Clerici, vel Laici, siuè, an diuites, vel inopes; Vndè propterea attentis regulis, vel
9 propositionibus generalibus, illa potiùs fauore clericorum, & diuitum regulam statuit, ex axiomate, quod lex generalitèr loquens, generalitèr intelligi debet.

Super huius itaque legis interpretatione, vel intelligentia, aliqui ex antiquioribus, huiusmodi restrictionem ob cessãtem ipsius legis rationem excogitarunt, tanquàm per speciem limitationis, quæ odiosa potiùs, atque in dubio excludenda, quàm fauorabilis est, iuxtà alterum vulgatum axioma, frequentèr in hac materia insinuatum, super quo multa colligit, *Barbos. axiomat. 98.* ac propterea, cum apud vtriusque Regni antiquos, medios, & modernos, & quod magis in Tribunalibus, per adeó longa temporum interualla, ita pluriés iudicatum fuerit, exindèque longissima, & inconcussa prodierit obseruantia; Hinc proindè sequitur, quod non versemur in eo damnabili quidem casu, in quo contra principia iuris, vel contra humanum discursum, more cæcorum, qui ad manus attrahuntur, & vadũt quo alter eos ducit, in hanc sententiam deueniendum sit ex sola vi traditionis, quia sic dicat Matthæus, & Martinus; sed quia legem dubiam, ita idem Legislator per organum suorum Tribunalium, ac Sapientum fuerit interpretatus, atque ità inducto iudicandi stylo, qui in ambiguis,

& ex-

& expressè non decisis articulis vim legis habere dicitur ad instar consuetudinis, vel non vsus, seù vsus contrarij, habilis ad derogandum etiam legibus claris, & expressis ex relatis, *dicto disc. 35. de iudic.* vbi de hac materia deferendi legibus, & auctoritatibus in iudicando, ac etiam *disc. 21 eod. tit.* vbi de materia præscriptionis.

Multò igitur magis ista obseruantia, sinè dubio attendi debet, dum non agitur de illa formali præscriptiua, quæ apta est derogare legi claræ, & expressæ, sed de altera interpretatiua legis dubiæ;
10 quæ oppositam naturam habet, dum præscriptionis requisita non exigit, atque fauorabilis, potiùs quàm odiosa censenda est, iuxtà distinctionem frequentér in omni materia insinuatam præsertim veró & magis ex proposito, *dicto disc. 21. de iudic.* inter obseruantiam præscriptiuam, & interpretatiuam; Quinimó in præsenti, vt suprà, non agitur de interpretatione legis dubiæ, sed potiùs de exclusione illius dubietatis, quàm in lege clara, & generali, aliqui Interpretes inducere voluerunt, ideóque sinè dubio huic obseruantiæ longé maior fauor assistit.

Prætereà, vbi etiam seclusa rerum iudicatarum, & magis communi Interpretũ auctoritate, articulus tanquàm nouus, & indecisus ex integro disputandus esset; Adhuc tamen, etiam cum sensu veritatis, aduertebam probabiliorem censendam esse eandem opinionem, quàm nostri maiores, magis communitér amplexi sunt, atque Tribunalia receperunt, cum prædicta subsequuta praxi, & diuturna obseruantia; Siquidem perquirendo rerum principia; Quatenùs pertinet ad qua-
11 litatem Clericatus, de per se, contradistinctè ab altera diuitiarum, & prouisionis, aliundè sequaces alteriùs opinionis procedendo, cum legibus, vel consuetudinibus feudalibus generalibus constituunt, certùm præsuppositum incapacitatis Clericorum ex iuribus relatis suprà, *disc. 16. & seqq. & disc. 54.* Istoque præsupposito retento, tanquàm certò, ex illo arguunt, atque ad aliàs inferunt consequentias; Verùm in hoc consistit fallacia, quoniam licèt verùm sit, quod in hoc Regno Clerici, sint hodiè incapaces successionis feudorum, quinimó cuiuslibet exercitij iurisdictionis Laicalis absque Regia concessione, vel dispensatione ex pluriès insinuatis in præcedentibus hoc eodem titulo, & præsertim *dicto disc. 16. & seqq.* Attamen id potiùs prouenit ex legibus, vel stylis particularibus ipsius Regni, quàm ex vi legum, seù Constitutionum generalium feudalium; Tum quia illæ procedunt propriè quando agatur de feudis, habentibus onus seruitij personalis, non autem, vbi seruitium sit reale, quod à Clerico, æquè ac à Laico commodè præstari potest, ex relatis, *dicto disc. 54.* dum seruitium feudale præstatur singulis annis, in ea pecuniaria solutione, quæ ibi *adhoa* dicitur, & de qua agitur in hoc *tit. in supplemento disc. 121.* vndè propterea in eodem Regno, ac in altero Siciliæ, vltrà contra easdem leges, vel consuetudines feudales, fœminę fuerunt quoque habilitatæ, cum aliqua irrationabili, & fortè iniqua exorbitantia, de qua suprà *disc. 13.*

Tum etiam quia si rerum principia, quoque perquirere volumus, illæ regiones, vel prouinciæ, ex quibus hodiè Neapolitanum Regnum constituitur, ac etiã
12 Insula Siciliæ post dissolutionem antiqui Imperij Romani in Italia per Longobardos, Græcos, & Saracenos, respectiuè occupatę, longo temporis decursu, sub diuersis dominationibus supremis ex auctoritate Sedis Apostolicæ possessę fuerunt per Normandos, Romanorum Pontificum, aduersùs Gręcos, Schysmaticos, ac etiam in intestinis Schysmaticis acerrimi defensores, & fautores, vsque quo in sæculo duodecimo, priùs ex concessione Anacleti Antipapæ, postmodùm veró ex altera concessione, vel approbatione Innocentij Secundi, erectæ fuerunt in Regnum, concessum in feudum Rogerio Primo, vel Secundo, & de quo tempore vsus illorum feudorum, de quo agunt præfatæ leges feudales, non inualuerat, saltém in his partibus, in quibus licèt adessent aliquæ inferiores, & subordinatæ dominationes Ciuitatum, & oppidorum, ac locorum habitatorum; Attamén erãt iura illius allodij subordinati, quod etiam hodiè est in praxi in Baronibus, & domicellis status Ecclesiastici, & in alijs Italiæ partibus, vt in præcedentibus pluriès aduertitur; Ideóque verus vsus feudorum, iuxtà dictas leges feudales prodijt post dictam erectionem in Regnum, quia

quia nempè Reges cæperunt sibi constituere milites qualificatos primi ordinis siuè cum huiusmodi concessionibus remunerare ceperunt milites emeritos, & sic postquàm Regnum redactum fuerat adesse feudi Ecclesiæ, cuius sunt capaces Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, ob Ecclesiasticam qualitatem Domini directi, ex pluriés relatis in præcedentibus; Et per consequens æquiuocum est supponere incapacitatem natiuam Clericorum, ex antiqua, & intrinseca natura feudorum de tempore, quo prodijt dicta Constitutio *Comitibus &c.* quoniàm licét hodie absoluta, & certa sit eorum incapacitas, vt supra, attamèn id potiùs prouenit ex stylis, & consuetudinibus postmodùm introductis ob illas contingentias, quæ apud mediocritér versatos in historijs notæ sunt, dum aliàs subfeuda habeant eandem naturam feudi principalis.

Et quamuis in eadem Constitutione *Comitibus*, ac etiam in alijs Constitutionibus Regum successorum, seù Germanorum, qui Normandis successerunt, (& à quibus potiùs quàm à primis pro-
13 babiliùs est hunc feudorum, vel subfeudorum vsum irrepsisse) supponatur in feudatarijs qualitas militaris, cùm seruitium feudale tunc esset personale, adhùc non commutatum in reale; Non per hoc tamen resultat inhabilitatio Clericorum, quoniàm isti prohibentur militare pro Papa, & Sede Apostolica, ex insinuatis in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de pension. disc.46. & seqq.* dum militando pro Rege aduersùs Schysmaticos, & Græcos, siuè aduersús Saracenos infideles, aut aduersùs alios, qui Regnum, vel aliquas eius partes occupare vellent, itá dicerentur militare pro Papa, & Sede Apostolica, Domina directa, sub Rege tanquàm eiusdem Sedis feudatario maiori, & milite, seù militum Duce, & Capitaneo generali; Et per consequens malè constituitur dictum præsuppositum antiquæ, & natiuæ incapacitatis Clericorum, ex qua inferatur ad regulam subrogatorum.

Potissimè quia prædicta Constitutio *Comitibus &c.* in hac parte vitæ militiæ secundogenitis debitæ, & in altera paragij præstandi sororibus, vt eius contextus probat, dicenda non est lex omninó noua, quæ tunc statuat, vel concedat de nouo, sed potiùs loquitur præsuppositiuè, tanquàm de re priùs introducta.

Vlteriùs attentis eisdem legibus feudalibus, fortiùs veró attenta qualitate naturali, sine dubio magis incapaces feudorum, magisque inhabiles erant fœminæ, quàm Clerici, vndè propterea
14 si prædicta subrogatorum regula, vel ratio intrare deberet, fœminis debita non esset dos de paragio, & tunc contrarium est absolutum, vt supra *disc.26. & 108. & tit. de Dote disc.146.*

Aduertebam item eundem discursum præfati consulentis continere manifestam contradictionem, dum occasione agendi de alio puncto, vt secundogenito, tanquàm diuiti, & aliundè prouiso vita militia non deberetur, probatur (& bené) veriùs esse, quod vita militia non habeat naturam successionis, vel
15 portionis hæreditariæ, minusque naturam legitimæ, dum nullatenùs tangit proprietatem, sed solúm habeat naturam alimentorum; Ergò malé intrat regula subrogatorum, cùm potiús veriùs sit, quod ius antiquæ successionis omniū filiorum ad formam iuris Longobardorum fuerit habitum in consideratione de tempore, quo immutata feudorum natura, illa erecta fuerunt ad formam indiuiduam iuris Franchorum, vt scilicét in quandam recompensam itá fauore secundogenitorum in genere statutum sit, eo modo, quo per quamplura statuta Italiæ fœminarum exclusiua, super earū dotatione dispositū habemus, siué iuxtà illam compensationem, quam ius nouissimum ciuile dedit patri in vsufructu, quando ille sustulit maiora iura, quæ habebat cum similibus.

Ponderando etiam eandem qualitatem Regni, quod esset feudum Ecclesiæ ad alium effectum, quod scilicét ità mediatè illi Barones, qui reverà potiùs sunt subfeudatarij, essent milites, & Vassalli Papæ, ac Sedis Apostolicæ, ob cuius residentiam in adiacenti Romana
16 Ciuitate, eidem Regi, eiusdemque Baronibus expedit, vt secundogeniti in statu Clericali, & Prælatitio apud ipsum Dominum directum assistant, tanquàm pacificé in aula militantes pro eodem Rege, vt eius iura tueantur, eiusque serui-

seruitio assistant, & adhęreant, idquè frequentèr sequitur cum longé maiori profectu, & seruitio Regis, quàm si essent laici militantes in Castris, dum istud seruitium in Curia Papæ, est continuum, ac omni tempore, tàm pacifico, quàm belligero; Alterum veró est nimium rarum; & accidentale, dum commutato seruitio personali in reale cum solutione adhoæ, superest solùm hodie obligatio seruitij personalis in magnis, & nimium vrgentibus necessitatibus, quando ipse ipse Rex, vel eius Vicarius personalitèr sit in Castris.

Ex his itaquè forté melioribus, & solidioribus, quàm ex alijs meré leguleicis, ac debilioribus ponderationibus delatis ab eodem *Bammacer. vbi supra*,
17 & alijs, ac etiam à moribus aliorum Regnorum, & principatuum, super eadem vita militia explicari solita sub nomine appanagij, etiam Clericis præstari solita, negari non posse aduertebam, quin opinio Clericis fauorabilis, abstrahendo á rebus iudicatis, & ab obseruantia, esset nimium probabilis, vel saltém dubia, vt propterea á tot rebus iudicatis, atque á tàm diuturna pacifica obseruantia, nullatenùs recedendum esset.

Quo veró ad alium punctum, quod secundogenitus esset etiam diues, & aliundé prouisus; Aduertebam, quod vbi retentis terminis alimentorum, quæ officio Iudicis debita sint subsidiariè fi-
18 lijs, & descendentibus, qui aliundè prouisi non sint, tunc nulla dignosceretur differentia inter Clericos, & Laicos, sed cum omnibus pariformitér procedendum esset; Idemque in paraggio debito fœminis, iuxtà terminos *Auth. res quæ C. commun. de legat.* de quibus *sub tit. de dote disc.* 145. & in alijs pluriès; Et tamen, tám in vita militia, quàm in paragio, contrarium de plano est receptum ex ijs, quæ habentur supra *disc.* 26. & 108. ac etiam *d. tit. de Dote disc.* 146. vbi etiam de hac materia paragij, seù dotis ex feudis.

Neque ex eo quod magis receptum sit, quod vita militia habeat potiùs naturam alimentorum, quàm legitimæ, vel portionis, resultat consequentia, quod regulari debeat, iuxtà terminos, & naturam alimentorum, ex dispositione iuris, & miserationis gratia debitorum officio Iudicis, cum id solùm percutiat diuersos effectus; Vnum scilicèt, vt non tangatur proprietas feudi, quod itá diuisionem patiatur; Alterùm, vt non
19 transmittatur ad hæredes, præterquam in decursis annualitatibus, absque eo, quod pro eis, feudum patiatur in proprietate diuisionem, vel onus reale, cum itá remaneat potiùs debitum personale ipsius feudatarij; Et tertium, vt non dentur illi fructus, qui debentur ex legitima, vel portione hæreditaria, quidquid sit quoad illud interesse, quod pro quocumque debito indifferenti possit à mora regulari, vel irregulari; in eo Regno practicatur absque necessitate illius specialis iustificationis aliorum requisitorum, quæ desideratur in Curia cum similibus effectibus.

Ac etiam quia si id verùm esset, neque per pauperem masculum prætendi posset vita militia, vel per pauperem fœminam prætendi posset dos de paragio,
20 quando feudum acquisitū fuisset à transuersali, iuxtá terminos *d. Auth. res quæ*, æquè procedentes in dote, ac in alimentis, vt aduertitur *eodem disc.* 145. *de Dote*, ac etiam supra *ad materiam Bullæ Baronū disc.* 79. & 89. Et tamen indifferentér in vtroque, praxis docet contrarium.


Siquidèm cum dicta Constitutio *Comitibus*, tàm vitam militiam, quàm paragium decernat, exindè sequitur, vt deberi dicantur potiùs iure actionis, vel
21 condictione ex lege, quàm miserationis gratia, & officio Iudicis; Et per consequens non dicuntur subsidiaria, iuxtà distinctionem, de qua per *Tiraquell. de primog. quæst.* 75. *num.* 3. & *seqq.* & alios relatos *per Boss. de Alim. cap.* 8. §. 13. *n.* 529. *cum seqq. & per Marin. resol.* 45. *lib.* 2. & *supra disc.* 108. & *alibi*.

Ea quoque nimium congrua accedente ratione adaptabili tàm filijs feudatariorum in dicto Regno, quàm etiam omnibus secundogenitis Principum, Ducū,
22 Marchionum, & aliorum Magnatum, vel Domicellorum, habentium dominiū publicum in figura Principis, vel Baronis Ciuitatum, Oppidorum, & Villarum, quamuis iure allodij veri, & proprij, siué illius improprij, vt in Italia frequentiùs practicatur in Statu Ecclesiastico, quod scilicèt nimium asperum, ac

ac dorum videtur, vt illi, qui nati, & educati sunt filij Principum, aut Magnatum, vel Baronum, reduci debeant ad petenda sola alimenta subsidiaria ad limites necessitatis, iuxtà speciem illorum, quæ debentur miserationis gratia, ideóque cum patiantur infortunium exclusionis à successione Principatus, vel Baroniæ, obtinere debeant istam modicam recompensam, vt cum aliquo splẽdore, se sustentare valeant; Ac etiam fortiùs, pro publico bono, vt ità scilicèt, vel per viam Prælaturæ in Curia Romana, vel per aliam viam militiæ, siuè aulæ apud magnos Principes, aut etiam per viam Hierosolymitanæ Religionis possint, quando benè prouisi sint, faciliùs viam sibi sternere ad assequẽdos honores, & Dignitates, vt quotidiana praxis docet; Ideóque plura vrgent, quę in hoc genere secundogenitorum excludant dictum modum, cum quo proceditur in alimentis subsidiarijs.

Atque hinc sequitur, vt magna differentia sit inter secundogenitos possessores antiquæ primogenituræ priuatæ, qui-
23 bus nulla lex, vel consuetudo deferat hanc vitam militiam, vel appanaggium, vndè proptereà solùm, quando sint descendentibus, eis competat dictum subsidiarium beneficium *Auth. res quæ*, & istum casum in quo lex, vel consuetudo generalitèr, ac indefinitè aliquam deferat honestam prouisionem.

Atque ex his etiam pro veritate concludebam, quod in pũcto iuris nulli pro-
24 babili fundamento ista primogeniti prętentio innixa esset, quodq; meliùs consilium prò eodem primogenito, esset recurrere ad fratris secundogeniti, vtpotè bené prouisi beneuolentiam, vt supponebatur promptam, ac de facili practicabilem in remissione in toto, vel in parte.



DE FEVDIS

DISC. CXXV.

Mutineñ seù, &c. feudorum.

Responsum, suppressis nominibus.

An facultas per Dominum directum concessa feudatario alienandi, vel disponendi, etiam in extraneos, vel agnatos, qui acquirere nollent, aliquod ius necessariæ successionis dictis agnatis tribuat, siuè ad quem effectum, eorum mentio facta censeatur; Et aliqua de prælatione, seù iure prothomiseos.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De materia retractus prælatiui, seù iuris prothomiseos.*
3 *Verba, quæ præsupponunt, non disponunt.*
4 *Facultas alienandi, quando est pro maiori expressione eius, quod inest, non alterat.*
5 *Ad quid huiusmodi expressio fieri soleat.*
6 *De eadem prælatione ex æquitate.*

DISC. CXXV.



VM quidam nobiles fratres, possidentes aliqua feuda Imperialia diuidua ad formam iuris Lõgobardorum, cum fa-
1 cultate ab Imperatore obtenta, liberè alienandi, vel disponendi, iuxtà non infrequentem vsum feudorum, existentium in illis Italiæ extremitatibus, quæ sunt versus montes; Ipsi veró prudentèr decreuerint, pro eorum conseruatione in posteritate, sibi ipsis, eorumque descendentibus manus ligare, erigendo desupèr primogenituram, iuxtà similes casus, de quibus supra *disc.* 9. *&* 10. *&* 44. *&* 45. & in alijs, super eadem erectione obtinuerunt assensum Imperialem, in quo præscribitur, vt vltimus de lineis in ista conuentionali primo-

primogenitura comprænhensus, liberam
habeat facultatem alienandi, seù aliàs
disponendi, etiam in extraneos, agna-
tis acquirere nolentibus; Cùm autem
vltimus linearum dictorum feudorum
possessor, prolem adhùc non habens, cre-
deret posse in eo dari casum; Hinc sup-
pressis nominibus, solùmque transmissa
particula inuestituræ, super eius inter-
prætatione requisitus fui, an scilicèt, &
quale ius per dicta verba agnatorum
mentionem facientia, eis quæsitum esset
vel competeret, quod dictam liberam
alienandi, vel disponendi facultatem
impediret.

Respondi quod, aut vltimus intende-
bat per vltimam voluntatem, vel etiam
inter viuos gratuitam facere dispositio-
nem; Et tunc ex huiusmodi verbis nul-
la resultaret restrictio, nullumque ius
2 agnatis competeret, quoniam vbi etiam
dicta verba apta essent inducere fauore
agnatorum prælationem in concursu ex-
traneorum per quandam speciem præ-
lationis, vel iuris prothomiseos rigoro-
si, vel æquitatiui, de quo supra *disc.36.
& seqq. &* 110. Attamèn illud intelligi-
tur, iuxtà genericam naturam retractuū
sanguinis, vel vicinitatis, aut consortij,
& similium, puta Inquilinatus, vel Cen-
sus in casu alienationis ex causa onerosa,
& correspectiua indifferenti, adeòut im-
portet, an alienatio in vnum, vel in al-
terum fiat; Secùs autèm vbi ex causa
lucratiua ratione affectionis naturalis;
vel coniunctionis sanguinis; Quinimò
etiam ex causa onerosa, & correspectiua,
quæ particularem habeat rationē, adeóut
ille, cui retractus competat præstare nō
possit id, quod præstet ille, cui aliena-
tio fiat, ex pluriès deductis in sua sede
retractum *sub tit. de seruit.* & præsertim
*disc.*73. 76. *&* 88. vbi de transactione,
vel de permutatione.

Vbi veró indifferentem alienationem
onerosam, & correspectiuam facere vel-
let, adeònt nil interesset, an in vnum, vel
in alterū fiat; Et tūnc quatenùs per anti-
quam inuestituram isti agnati aliquod
ius non haberent propriæ vocationis, di-
cebam, quod de stricta iuris censura, ne-
que possent hanc prælationem prætende-
re, cum illa generalitér extrá casus in
iure expressos non competat, ex deductis
suprà *d.disc.*36. illudq; ius prothomiseos,
quod est peculiare feudorum, procedat
solùm in feudis antiquis pacti, & proui-
dentiæ fauore illorum agnatorum, qui-
bus necessaria successio debita est iuxtà
rationes, & ponderationes, de quibus
d. disc.36. & seqq.

Neque verba huius vltimi assensus a-
liquod ius necessariæ prælationis, multo
veró minus necessariæ successionis im-
3 portare posse respondi, cùm stare vide-
rentur potiùs præsuppositiuè, quàm dis-
positiuè, ideòque intrat propositio, sæ-
piùs deducta, quod verba præsuppositi-
ua non inducunt dispositionem. Potis-
simè veró circa ius necessariæ successio-
nis, per quod ista libera facultas impe-
diretur; Tùm quia id contineret mani-
festam contradictionem; Tum etiam, quia
improbabile, ac fatuùm est, supponere
casum, quod agnati obtinere valentes
feuda iure successionis, illa nollent ac-
quirere.

Ponderando etiam, quod facultas li-
berè disponendi vltimó concessa, non
proueniebat ex isto assensu, tanquam no-
ua gratia, & concessione tertio præiu-
diciali, adeóut intraret eius stricta, & ri-
4 gorosa interpretatio, sed solùm obtento
principalitèr hoc assensu pro approba-
tione primogenituræ ad effectum tollen-
di difficultates, de quibus suprà *d.disc.*9.
& 10. ista fuit expressio eius, quod de
iure inerat, stante præfata antiqua facul-
tate per huiusmodi nouam erectionem
restricta, quæ per cessationem obstaculi,
vel restrictionis ad suam primæuam cau-
sam, vel naturam rediret, iuxtà ea, quæ
habemus in bonis indifferentibus liberę
dispositionis, in quibus erigatur primo-
genitura, vel fideicommissum ad fauo-
rem certi generis, quoniam ea defecta
bona remanent libera in sua natura, tan-
quàm per cessationem impedimenti; Ac
etiam habemus in materia Iurispatrona-
tus, quod est de sui regulari natura hæ-
reditarium, si efficiatur familiare, cum
restrictione ad certam familiam, vel cer-
tam lineam, quoniám ea defecta, redit ad
primæuam naturam, cum similibus.

Prudentèr autèm curatum fuit fieri
hanc expressionem eius, quod de iure
inesset ad tollendam quæstionem, de
5 qua supra *disc.*44. *&* 45. né per erectio-
nem huiusmodi Primogenituræ, restrictæ
ad certas lineas, prætendi posset noua-
tio

tio antiquæ naturæ feudorum, vt propterea deuolutioni locus fieret; Istamq; dixi mihi videri germanam interpretationem; Adhuc tamen dixi, quod prædicta verba viderentur esse alicuius cō-
6 siderationis, vel operationis fauore agnatorum, vt scilicet in casu indifferentis alienationis ita faciliùs intraret illa equitatiua prælatio, quæ consideratur suprà *disc.*87. & in alijs proximis; Nullatenùs veró, vt apta esset tribuere ius necessariæ successionis, destructiuum dictæ facultatis, ideóque continens repugnantiam manifestam, nullatenùs attendendā.

DE FEVDIS

DISC. CXXVI.

Romana Pecuniaria.

Pro Creditoribus Monaldensium cum Montistis, & Creditoribus Anchaianis.

Casus disputatus in Congregatione Baronum.

An creditores debitoris decocti, cuius patrimonium positum fuit sub concursu in Congregatione Baronum, volentes venire in concursu generali, sed separantes bona pecuniaria, ex quorum causa eorum creditum proueniat, possint prætendere cursum fructuum, vel suppletionem ex reliquo patrimonio vniuersali aduersus posteriores.

SVMMARIVM.

1 *Quare ista causa collocetur in hoc titulo.*
2 *Facti series.*
3 *An ob decoctionem cesset cursus fructuum, vel interesse.*
4 *An fructus debiti per emptorem pro pretio excedant fructus ipsius rei.*
5 *Quod non sit deferendum auctoritati Consulentium, & quare.*
6 *Declaratur conclusio, de qua num.3.*
7 *De creditore consentiente alienationi, vel oblationi bonorum debitoris, vel cedente locum creditori posteriori.*
8 *Quomodo iste consensus præstari dicatur, & sufficiat.*
9 *Quod etiam actus tacitus ad id sufficiat.*
10 *Tutor, vel Administrator, qui poterat sibi satisfacere, non petit vsuras, vel interusuria.*
11 *Impediens tenetur impedito ad quanti interesse, atque actus in eius præiudicium, habetur pro facto.*
12 *De applicatione ad casum, & quod creditores essent in culpa.*
13 *Administratio patrimonij decocti penès quem esse dicatur.*
14 *De consideratione particulari in concursibus, qui sint in Congregatione Baronum.*
15 *Bulla Baronum non tollit in totum fideicommissa, & quomodo prouideat.*
16 *Et de alia circumstantia particulari ob Chirographum Papæ.*
17 *De eadem conclusione, de qua nu.3. & 6. eiusque ratione.*
18 *Absurdum quod aliàs sequeretur.*

DISC. CXXVI.



QVAMVIS materiæ huius discursus potiùs congruat sedes crediti, & debiti, vbi de creditorum concursu, eorumque anterioritate, ac potioritate
1 agitur; Opportunè tamèn casus collocatur in hac sede, vtpotè non feudorum tantúm, sed etiam Bullæ, & Congregationis Baronum, cuius officium pleraq; in eo contenta percutiunt, eodem modo, quo in plerisque præcedentibus quoque agitur, & præsertim in ijs, quæ hunc præcisum concursum respiciunt.

Præsupposita itaquè facti serie generali, respiciente istud patrimonium Mo-
2 naldensium superiùs examinata *disc.*77. *& seqq.* ac etiam altera magis ad rem speciali, de qua *sub tit. de empt. & vend. disc.*33. Cùm super puncto in hoc posteriori discursu disputato, Congregatio Baronum sententiam protulisset, quod tenuta ibidem enunciata per Montistas, & alios creditores, accepta non fuisset in solutum, vel in vim pacti commissorij, sed solùm verè crediti; Hinc ijdem Montistæ, alijque creditores illorum de Anchaianis, quos Monaldenses pro tenutæ pretio in se accollauerant, attento quod

quod eiusdem tenutæ fructus interim ab eis percepti, spatio annorum vigintiquinque circitér erant longè principaliores; quam importarent fructus eorum crediti, ac etiam quod ipsius tenutæ valor in proportione longè diminutus fuerat, aliàs Monaldensium creditores ex diuersa causa, ipsis túm posteriores, pulsarunt in eadem Congregatione ad refectionem acceptæ pecuniæ cum obligatione solita de restituendo prioribus, & potioribus.

Ex parte reorum conuentorum de duobus, per alios eorum defensores obijciebatur; Primó nempé, quod post decoctionem debitoris, & appositionem
3 eius bonorum sub concursu, cessasset cursus fructuum, iuxtà auctoritates relatas *sub tit. de Credito disc.*143. ac etiam supra *hoc tit. disc.*81. Et secundò, quod cum ageretur de fructibus debitis per emptorem, pro pretio rei emptæ non soluto, isti ad terminos *tex. in l. curabit, C. de action. empt.* excedere non poterant
4 metam fructuum eiusdem rei, ex deductis *sub tit. de vsur. disc.*17. *& seqq.*& alibi pluriès.

Quamuis autèm Ego scribens pro eisdem reis conuentis, more Aduocati, præmissa moriua quoque comprobare curarem; Attamèn, reflectendo ad veritatem, partibus, alijsque defensoribus ab initio liberé insinuatam, aduertebam neutrum subsistere, proút nulla, vel modica ratio eorum per Congregationē habita fuit; Non quidèm primùm ex eisdem rationibus, & fundamentis, de quibus *d. disc.*143. *de Cred.* quem scribentes in contrarium dicebant; Neque alterum, quoniam dicta conclusio procedit fauore ipsius venditoris, qui ex pretio accessiones petat in sola ratione vsurarum, seù interesse recompensatiui, iuxtà terminos *d. tex. in l. curabit*; Secus autèm vbi Emptor in se accollauit census, vel loca Montium, aut alia Emptoris debita de perse legitimè fructifera, ex alia causa quàm ex præmissa; Tunc etenim creditores accollati rectè petunt suos fructus, non tanquàm reecompensatiuos, adeóut intret dicta regulatio, vel restrictio, sed ex proprio iure, propriaq; causa licita; Venditor autèm ius habet petendi, vt eadem solutio sequatur ratione damnorum, & interesse, ex causa damni emergentis, potiùs quám lucri cessantis, dum rectè dicere potest, quod aliàs non vendidisset pecunia credita, sed curasset vendere bona sua, vt census aliaque debita fructifera extingueret, ex deductis *eodem tit. de vsur. disc.*14. *& in alijs*; Ideòque in his motiuis, quamuis more Aduocatorum plené exornatis, nō videbatur solidum fundamentum constitui posse; Exindéque in dies magis, ac magis monemur, quam fidendum sit Con-
5 sulentium auctoritati, & quám magnus error sit, imò ineptia manifesta, illis in iudicando, vel consulendo ad veritatem deferre.

Vnicum itaq; fundamentum pro meo iudicio solidum, nimiumque probabile videbatur illud, quod quidquid sit inter creditorem, & debitorem ad effectum cursus fructuum, vel interessuriorum, adeòut debitor contendat ab eis, aliàs
6 debitis eximi, quo casu, & ad quem effectum credebam rectè procedere ea, quæ habentur *d. disc.*143. *de Cred.* cùm tunc mutatio status proueniat potiùs ex ipsius debitoris culpa, quæ sibi prodesse non debet, atque creditori nocere, Attamén, vt quoad alios creditores, & tertios interessatos, illi creditores, qui conuincantur culposi, non possint huiusmodi fructus, ac suppletionem prætendere; Non quidém ex intrinseca, & totali cessatione cursus fructuum, vel crediti, sed ex actione, vel exceptione doli, & culpæ, seù refectionis damnorum, & interesse; Ideóque stant bené simul, quod fauore creditorum currant fructus, atque ipsi sint eorum creditores in præiudiciū debitoris, & tamén quod non habeant concursum, vel anterioritatem in præiudicium aliorum creditorum, vel emptoris, ad terminos *Text. in l. fin. C. de remiss. pignor.* de quibus *sub tit. de Credito disc.*29.34.*&* 35.*& sub tit. de dote disc.*85. in creditore consentiente venditioni, vel
7 hypothecationi aliquorum bonorum debitoris, siuè cedente illum locum alteri creditori posteriori; Siquidèm eius creditum integrum, ac intactum remanet respectu debitoris, ac aliorum bonorum, super quibus consensum non præstiterit, sed respectu illorum bonorum, quorum alienationi, vel hypothecationi consentijt, quoad ius, vel interesse tertij, siué respectu illorum creditorum, quibus locum

locum cessit, aut aliorum, quibus de necessario antecedenti, vel consequenti id prodest, ad hoc,vt ista cessio effectum sortiatur, iuxtá ea, quæ cum consueto, & quidèm elaborato, sed superfluo merèque legulcico stylo, plenè desupér cumulat *Salgad. in labyr par.3. cap.13. §. vnic.ex num.*100. eius actiones non sunt exercibiles, & proficuæ.

Iste verò consensus certam non habet formam, neque per necessè debet esse explicitus, cum etiam per actus implici-
8 tos á parte anteà, vel posteá, vel per ratihabitionem deduci, ac iustificari valeat, ex deductis *eod. tit. de cred. disc.*29. 34. *&.* 35. & alibi; Et est propositio generalis in omni materia, quotiès certa forma in iure præscripta non sit, etiam vbi consensum lex inducit, vel fingit in pœnam alicuius culpę,siuè ratione doli, aut malitiæ, iuxtá ea, quæ ad rem satis proximè habentur *eodem tit. de credit. disc.*29.vbi de creditore omnium anter ore, ac primó, qui descriptus in l sta per
9 debitorem,distrahentem bona fidcicommissaria, ex Chirographo Pontificio cōmunicante facultates istius Congregationis Baronum, tanquam per speciem concursus voluntarij, curauit studiosé deleri de lista, atquè pretium distribui alijs, quia sic eius magis intererat; Ideóque in eo casu dicebam, etiam cum sensu veritatis(proùt de facto itá iudicatum fuit) ipsum non posse molestare creditores, quamuis posteriores itá dimissos ex rationibus ibi deductis.

Ad idem quoquè etiam proximè conferre dicebam ea, quæ habentur *sub tit.*
10 *de Dote disc.*161. *num.*80. *Dunozett. sen. decis.*321. *num.*11. *&* 12. *& sequentibus*, cum sit conclusio vera, & in praxi recepta, de Tutore, vel alio Administratore, præsertim legali, & necessario, non petente ab eo, cuius bona administret, sui crediti fructus, vel vsuras, quamuis aliás debitas,& legitimas,quotiès sibi ipsi cum pecunia, vel alijs bonis infructiferis, vel etiam cum bonis stabilibus, vel æquipollentibus fructiferis, sed minorem fructum reddentibus, satisfacere potuit, & generalitèr de quocumque indebitè impediente, nè actus alteri proficuus sequatur, vt teneatur ad
11 quanti interest illū sequutū esse, adeòut in eius præiudicium habeatur pro sequuto *Buratt. decis.*416.*num.*4. *&* 5. *Cels. decis.*130. *num.*16. *& seqq. Rojas dec.*173.

Potissimè verò, & sepiùs, & clariùs, vbi agatur de pupillo, vel Minore, aut amente,aliauè persona naturali, siuè intellectuali, quæ non valeat per se ipsam eius negotia gerere, ac bona administrare, adeòut intrare non posset illa oppositio,quæ impeditis fieri solet,quod scilicèt debebat protestari,suasque adhibere diligentias,pro impedimenti remotione, cum in istis hæc obiectio non cadat ob cessantem eius rationem, vndè propterea casus remanet indubitatus.

Applicando itaquè ad rem; Sequuta debitoris decoctione, cum interdictione administrationis, quia nempé eius pa-
12 trimonium, instantibus creditoribus, positum sit sub concursu, fortiùs verò, vbi non solúm accedit illa mors ficta, vel ciuilis, quam inducit decoctio, sed etiam vera, & naturalis, vt in hac facti specie, adeóut, tám de facto, quám de iure, bona sint vacantia, & non habeant Dominum, & possessorem, qui bona administret; Et tunc per necessè dari oportét administrationem legalem coniunctim in ipso corpore, siuè vniuersitate creditorū, & in Iudice, coram quo formatus fuerit
13 concursus; Potissimè veró vbi non agitur de illo affectato, & voluntario concursu, qui adeó frequens est ex Hispaniarum stylo, qui aliquibus Italiæ partibus (parúm tamen laudabilitèr) communicato etiam fuit,& super quo *Salgad.* edidit illum *tract.de labyr.credit.* Sed agitur de concursu necessario; Et quod magis est iam de facto per ipsos creditores assumpto, collegialitér deputando administratores, qui vulgò in Curia Deputati creditorum dicuntur, quoniam licèt principalitèr, præsertim in istis patrimonijs Baronum,quæ fideicommissis,alijsq; vinculis affecta sunt, administratio residere dicatur penès ipsam Congregationem; Attamén ista est administratio iuris, siuè auctoritatiua, illa veró facti, & economica esse dicitur penés creditores, quorum principalitèr interest, eam bené fieri.

Istam itaquè administrationem vniuersalem totius patrimonij,ipso initio sequutæ decoctionis suscepit Vniuersitas Creditorum, cum consueta deputatione aliquorum ex eis, curando per Congrega-

gregationem apponi consueta edicta super venditione omnium Castrorum, & bonorum, inter quæ descripta fuit ista tenuta, quæ propterea comprahensa fuisset sub vniuersitate venditionis totius patrimonij, quæ facta fuit Marchioni Raymundo pro pretio ad rationem triū pro centenario, iuxtà quod ista tenuta, quæ post dictum tempus de præsenti vendita fuit pro scutis 18. mil. importasset scuta 44. mil. vndè propterea, non solùm integrè dimitti potuissent ipsi Montistæ, alijque creditores venditoris, in causam pretij, accollati per Emptorem vt supra, absque vlteriori cursu fructuū, sed etiam superfuisset aliqua pars ad fauorem aliorum creditorum indifferentiū patrimonij vniuersalis.

Id autem sequutum non fuit ex facto voluntario ipsorum Actorum, qui putantes, eis non expedire se inuoluere in concursu vniuersali, ac describi in graduatione seù Chartono aliorum, nè fortè anterioribus totum absorbentibus, ipsi exclusi remanerent, cautè quidem, ac prudentèr in hac parte se gerendo, sibi consulere voluerunt cū illa potioritate, quam eis præbebat beneficium separationis bonorum, ad instar creditorum defuncti aduersùs anteriores, & potiores creditores hæredis, cum similibus, ideòq; curarunt tenutam deleri ab edictis, illamque non comprehendi in generali venditione, sed ipsi constituentes corpus particulare, separatum à corpore magis vniuersali aliorum creditorum, susceperūt curam huius particularis patrimonij, tanquàm diuersi per speciem illius separationis patrimoniorum, de qua ad materiam textus *in l. si certarum, ff. de militar. testam.* habetur *eod. tit. de de credit. disc.* 11. & alibi.

Itaque administratio, non fuit solùm de iure, sed etiam de facto, quoniàm ipsi Tenutam locarunt, seù colendam tradiderunt, atquè fructus, singulis annis, perceperunt, & distribuerunt, quamuis in distributione auctoritatem Congregationis quandoque adhibuerint; Atque hoc posito, intrant de consequenti omnia præmissa super culposa, & mala administratione, quoniàm tunc debebant esse solliciti de venditione, eo modo, quo alij creditores solliciti fuerunt de venditione aliorum bonorum, & distributione pretij, prout de ista tenuta sequutum fuisset, nisi per ipsos creditores particulares, id fuisset impeditum; Ideòque dicebam intrare vulgare iuris dicterium, quod sibi pateat via, quam elegerunt.

Procedunt hæc in quibuscumque concursibus, quamuis fierent coram Ordinarijs, & inferioribus Iudicibus, & super bonis liberis, & indifferentibus priuati debitoris; Multò veró magis, & cum minori dubio, in hac specie con-
14 cursus, qui efformetur in Congregatione Baronum in vim Bullæ Clementinæ, super Castris, & bonis non liberis debitoris, sed subiectis fideicommisso, vel inuestituræ, aut alteri vinculo, adeòut creditores de stricta iuris censura, mortuo debitore, nullum ius in eis haberét, sed illud obtinent ex extraordinario beneficio dictæ Bullæ, ex deductis pluriès in præcedentibus, & præsertim occasione huius concursus *disc.* 78.

Bulla verò, vt pluriés aduertitur, non destruit omninó fideicommissa, sed curat eis quoque consulere, demandando,
15 vt exuberans, vel residuale pretium multiplicetur, ac etiam, vt alia bona libera Baronis debitoris subrogentur; Et per consequens in hac administratione non solúm adesse dicitur ius, & interesse ipsorum creditorum, venientium in concursu, sed etiam ius, & interesse vocatorum ad fideicommissum in perpetuum, qui tanquám nascituri, ac non existentes in rerum natura, vtique sublegati ex necessaria administratione esse dicuntur, atquè iure pupillorum, magis censendi sunt.

Accedit etiam in præsenti, ad maiorem præmissorum corroborationem, particularis circumstantia Pontificij Chirographi Vrbani Octaui, per quod iniungitur Congregationi, vt sequuta venditione, pretium deponatur in Banco Montis Pietatis, atque creditorum intimatione sequuta, cesset cursus fructuum,
16 ac debita habeantur pro solutis, & extinctis, vndè liquet id, quod aduertitur, etiam supra hoc *tit. d. disc.* 81. quod scilicèt natura huiusmodi concursuum est, vt tunc, & in eo statu res faciat punctū, atque non detur vlterior cursus fructuū, vel vsuramm, ne aliàs anteriores creditores itá malitiosè dormientes, aliosque obdor-

obdormitantes, paulatim totum patrimonium absorbeant, aliosque creditores supplantent, Istaque est vera, & germana ratio, cui innititur traditio relatorum *d. disc.* 143. *de Cred. & supra dicto*
17 *disc.* 81. super cessatione cursus fructuũ, vel interesſuriorum post decoctionem, vt proptercà id non proueniat ex stylo particulari Tribunalium, vt aliqui malè credunt, sed ex prædicta ratione, vel intentione iuris communis, quotiès tamén practicetur modo præmisso, pro indemnitate scilicèt aliorum creditorum, non autém pro vtilitate principalis debitoris, vndè propterca intellectus nunquam captiuari potuit super resolutione, de qua *eod. disc.* 81. Aliàs etenim esset conuincere ipsos Iudices, & Tri-
18 bunalia de culpa euidenti, absque eo, quod illi, qui viuunt sub hac necessaria, & publica fide, & administratione, quando ex huiusmodi culpa præiudicati remanent, habeant relcuationem, quo nil absurdiùs vtròque naturali, & scripto iure attento.

DE FEVDIS

DISC. CXXVII.

Ianueñ Feudorum.

Pro Marchionissa Brigita Spinola Gentili, cum Luca Spinola patruo.

Responsum in casu disputato in Senatu Ianueñ.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 11. concursus scilicèt fœminæ proximioris, & agnati remotioris, ratione impropriationis feudi, quod prætendatur hæreditarium, & transmissibile, etiam ad extraneos;

Et quid in iudicio possessorio, pendente quæstione petitorij in negocio principali, cui decerni debeat.

Et an secunda, vel alia posterior inuestitura continens aliquam alterationem, immutet naturam feudi, vel potiùs ad limites reintegrari debeat,

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Priùs iudicandum est in possessorio suspẽso petitorio.*

3 *Vt in possessorio fœmina proximior debeat obtinere contra agnatum retentorem.*

4 *Ad quid expediat in quæstione possessorij deducere petitorium, & quomodo.*

5 *De considerationibus in hoc proposito habendis.*

6 *Donatario ex clausula* Constituti, *& reseruatione vsusfructus competit manutentio.*

7 *De differentia in proposito legitimi contradictoris inter iudicium retinenda, & illud adipiscenda.*

8 *De statuto continuatiuo possessionis in hæredem, & de cautela, vt in hæredem transeat illicò possessio defuncti.*

9 *De eadem materia legitimi contradictoris, de qua num.* 7. *Et an sequestrum, vel auocatio possessionis obstet.*

10 *De impropriatione, & corrupta natura feudi.*

11 *Distinguuntur tempora, vel status istorum feudorum.*

12 *Successores non impugnant factum primi acquirentis ex causa onerosa.*

13 *Subfeudum regulatur à natura feudi, & quando secus.*

14 *Nemo impugnat illum titulum, ex quo ipse ius metitur.*

15 *Quod renouationes non alterent primam inuestituram, sed ad eius limites intelligi debeant, quod declaratur cum plurium casuum distinctione.*

19 *De Bulla Pij V. de non infeudando, quando intret, nec nè.*

17 *Restrictio, vel alteratio inuestituræ attenditur, quandoque iure impliciti fideicommissi, ordinati per ascendentem.*

18 *Appellatione hæredum, regularitèr veniunt solùm primi.*

19 *De obseruantia, & quando illi sit deferendum.*

20 *Natura feudi potest immutari, & alterari ex consuetudine.*

21 *De actibus obseruantiæ, dictam alterationem inducentibus.*

22 *Cessio feudi facta ad fauorem Capacium, cessat, vbi illæ personæ cessant, & non prodest alijs.*

23 *Non prohibetur venditor ab eodem emptore vendicare portionem Consortis.*

24 *Filij*

24 *Filij feudatarij alienantes, veniunt iure proprio.*

25 *An alienationes, inter ipsos comprehensos in inuestitura, deseruiant pro interpretatione naturæ alienabilis.*

26 *De vltimo statu attendendo.*

27 *Quod feudistæ adhibeant terminos beneficiales, & è contra.*

28 *Successor ex iure proprio non impugnat factum sui auctoris, cuius est hæres.*

29 *De regula* Text. in l. si quis conductionis, C. locati.

30 *Successor etiam pacti, & prouidentia tenetur ad debita, & onera primi acquirentis.*

31 *De consilijs, vt eis deferri non debeat, vel quomodo sit deferendum.*

DISC. CXXVII.



OSSIDENTIBVS illis de Tagliaferris, ex antiquis concessionibus Imperialibus, Marchionatũ Crauesanæ constitutum ex quamplurimis locis,
1 seù Villis, nempè, Diani, Portus Mauritij, Castellarij, Tabbiæ, Dulcedi, Pompeianæ, & Cunei, cum alijs locis, seù Villis in illa Valle existentibus; Vnus eorum Bonifacius nuncupatus, dictas Villas, Castellarij, Pompeianæ, & Cunei, iure subfeudi (cuius tamen inuestituræ formula non habebatur) concessit Bonifacio de Lingueglia; Postmodùm veró de anno 1228. Oddo, & Bonifacius iunior, dicti Marchionis Bonifacij senioris Nepotes ex filio, & possessores Marchionatus, pro tribus ex quatuor partibus, illum tanquam alienabilem, & liberæ dispositionis, pro eorum portionibus vẽdiderunt CõmunitatiCiuitatis Ianuæ, sine tamen præiudicio dictæ concessionis factæ Linguegliæ, qui propterea dictum Commune in Dominum recognouit, eique fidelitatem iurauit, nouamque accepit inuestituram; Eodemque modo dicta Ciuitas, de anno 1386. seù alio veriori tempore aliam quartam partem dicti Marchionatus acquisiuit à Salutio, tanquàm nepote ex filia, & hærede alterius de Tagliaferris dictæ quartæ partis possessoris.

De anno autèm 1472. fratres de Lingueglia, tanquám hæredes eorum patris, vendiderunt Anfreoni, Lucæ, & Thomę fratribus de Spinolis dicta Castra Castellarij, Pompeianæ, & Cunei, quæ asseruerunt liberæ dispositionis, ac alienabilia, & transmissibilia ad quoscumq; Reipublicæ, Dominæ directæ, accedente assensu, qui libentér datus fuit, assignata ratione, quod eidem expediret, vt ab exteris ad proprios Ciues, & Subditos feuda transitum facerent, dendèque Anfreon eius portionem vendidit Lucæ fratri.

Ex Thoma altero fratre fuit superstes Baptista, qui moriens hæredem instituit Nicolaum ab Auria, nepotem ex vnica filia fœmina prædefuncta, portionem autèm feudorum iure legati reliquit Iacobo Mariæ seniori, filio dicti Lucæ iam defuncti, sub onere soluendi pretium præfato Nicolao eius hæredi, vt post aliquam litem iam sequutum fuit; Cumq; ex dicto Luca fuissent superstites Iacobus Maria, & Nicolaus (dum alter filius effectus fuit Religiosus) atque feuda in diuisione integrè obuenissent in Iacobũ Mariam, hinc iste de anno 1548. nouam consuetam obtinuit inuestituram *pro se, eiusque hæredibus masculis, & in eorum defectum pro fœminis*; obtenta etiã facultate de eis gratificandi inter filios, ac etiã illa obligandi pro dotibus Aloysiæ vxoris.

Dicto autèm Iacobo Maria defuncto superstitibus septem filijs masculis Vnus eorum Lazarus nuncupatus, soluta dote librarum 38. mil. dictæ Aloysiæ matri, cessionem iurium ab ea reportauit, deindèque aliorum fratrum portiones quæsiuit, vndè feudorum vnicus Dominus effectus est; Cumque prole masculina destitutus, vnicam haberet filiam fœminã Cæciliam nuncupatam, nuptam Augustino, ex Luca fratre nepoti, à pluribus celebris nominis illius temporis Iurisconsultis consilia reportauit super libertate disponendi de his feudis, & præsertim à *Menochio*, vt patet ex eius *consilio* 812. Nulla veró facta dispositione, eo defuncto de anno 1610. dicta Cæcilia intestata hæres, feudorum possessione adepta, nouam inuestituram in forma consueta ab Augustino viro, eius nomine quæsitam obtinuit; Eaque de eodem anno 1610. defuncta sine prole, instituto hærede vniuersali, etiam in feudis dicto Augustino viro,

viro, huic ex hoc hæreditario titulo vxoris inuestituram à Republica petenti, se opposuerunt Ascanius, Lazari frater adhùc viuens, ac Io: Baptista, & Io: Augustinus eius filij, atque pro Augustino scribente *Galeotta*, vt patet ex eius *controuersia* 31, *lib*.1. de anno 1617. per Senatum, præuio voto duorum Assessorum, iuxtà stylum, ei concessa fuit inuestitura, cum clausula *saluo iure*, si & quatenùs competeret prędictorum agnatorum, qui se opposuerant, quorum vlteriori prosequutione neglecta, Augustinus donèc vixit, pacificus possessor fuit; Morti verò proximus de anno 1635. in eius libris adnotauit ista feuda, tanquam hæreditaria, & liberæ dispositionis, adnotatis etiam iuribus dotalibus dictæ Aloysiæ; Eoque defuncto, Lucas, Iacobus Maria, Marcus Antonius, & Ioannes Thomas eius filij, & hæredes testamentarij, ex titulo hæreditario patris, solitam nouam inuestituram obtinuerunt; Cumque Io: Thoma Religionem ingrediente, feuda remansissent penès tres alios fratres, ad quorum fauorem ille æqualitèr disposuerat, atque M. Antonius decedens de anno 1660. instituisset Iacobum Mariam huic, defectæ portionis nouam inuestituram de more, petenti, se opposuit Lucas alter frater, vndè deputatis iuxtà stylum duobus Iurisconsultis, qui sapientes ibi nuncupantur, ab istis prodijt votum Lucæ oppositori fauorabile, quod scilicèt prę-supponendo istud feudum verum, & rectum, iuxtà naturam feudi antiqui pacti, & prouidentiæ in successione regulandũ, non potuerit frater decedens, vni ex fratribus gratificari, alterum verò negligere, atque Iacobo Mariæ dicti voti reuisionem petente, illam Senatus concessit, cum decretatione deputationis aliorum duorum Sapientum concordandorum, decretâ vtrique interim possessione huius portionis, sub cautione à Luca præstanda restitutionis fructuum; Rebusq; in hoc statu existentibus, Iacobus Maria habens filiam Mariam Brigidam, huic dictorum feudorum ad se spectantium, donationem inter viuos, reseruato vsufructu fecit, atque paulò post obijt de anno 1673. condito testamento, in quo dictam donationem confirmando, eandẽ filiam instituit, vndè sequuta morte, Marcus Antonius vir, eius nomine feudorum possessionem adeptus est sub die 29. Decembris, subsequuta die sequenti eiusdem Mariæ Brigitæ ratificatione, atque petente postmodùm consueta inuestitura, idem Lucas patruus se opposuit prætendendo in exclusionem fœminæ integram successionem; Cumque huiusmodi lite pendente, vtraq; pars, actus possessorios de facto facere curaret, vndè rixarum, & inconuenientium timor subesset, hinc Senatus, coram quo causa pendebat, de mense Aprilis sequentis, possessionem ad se auocauit per modum prouisionis, cum clausula *sine præiuditio iurium Partium*; annullando omnia post mortem dicti Iacobi Mariæ hinc indè gesta, ad oportunam causæ resolutionẽ, vt penè semper ista facti serie necessarió præmittenda.

In hoc itaque rerum statu, ex parte dictæ Mariæ Brigitæ, eiusque viri consultus, duas in Responso desuper dato efformabam inspectiones, vnam nempè in possessorio, alteram verò in petitorio, seù bono iure; Quamvis etenim eius, qui anteriorem iam habeat possessionem, ac propterea petere possit manutentio-
2 nem, super qua suspenso petitorio, prius iudicandum est, ex relatis *disc*.44. *de iudic. & supra disc*.104. *& alibi*, imprudens consilium regularitèr sit assumere quæstionem petitorij, quæ potius euitari debet, insistendo super dicta propositione, *vt priùs terminari debeat possessorium*, præsertim verò istud omnium magis priuilegiatum retinendæ, in quo non quæritur de iustitia, vel iniustitia, sed attenditur nudum factum possessionis, ex deductis *eod. disc*.44. & alibi.

Quinimò vbi causa petitorij turbida, sit, quia nempè qualitas, vel natura, feudi sit incerta, & altioris indaginis, etiam idem expediat in altero minus priuilegiato possessorio adipiscendæ, in
3 quo obtinere debet fœmina proxim[illegible], vel etiam extraneus hæres vltim[illegible] foris, cui agnatus remotior non [illegible] timus contradictor, iuxtà auctoritates relatas supra *disc*.43. *&* 104. & generalitèr *d. disc*.44. *de iudic*. & alibi.

Attamèn eum crederem, quod certum esset bonum ius fœminæ, habentis possessionem anteriorem, idcircó oportunũ quoque censui illud etiam deducere, atque

atque in eo insistere extraiudicialitèr; Consulendo tamen, vt in actibus iudi-
4 cialibus semper insisteretur in suspensione petitorij, & in priuilegiata terminatione possessorij, ex rationibus insinuatis eodem *disc.*44. *de iudic.* ac etiam *disc.* 37. *eodem tit.* occasione agendi de materia appellationis, & *disc.*21. *in relat.Cur.* occasione agendi de Signatura Iustitiæ; quod scilicèt ita nimium facilitetur possessorij terminatio, dum libentiùs, ac faciliùs manutenibilis est possessio titulata, & quæ boni iuris fomentum habeat.

Hinc proindè laudabilis est Curiç stylus, distinguendi actus iudiciales ab extraiudicialibus, vt in prima specie insistatur in solo possessorio, & suspensione petitorij, ad quod exceptiones altioris indaginis referendæ sint; In altera verò specie, detur quo magis possibile sit fumus boni iuris, vel saltèm, vt turbidum reddatur illud collitigantis; Potissimè autèm in magnis Tribunalibus, quæ magis arbitrij fimbrias dilatare solent super isto possessorij, & petitorij ordine, vt aduertitur *d. disc.*44. & *disc.*35. *de iudic.* ac etiam *disc.*32. *in relat. Curiæ*, agendo de Tribunali Rotæ, cuius stylus est quandoque demandandi in hoc iudicio, vt videatur de bono iure, etiam ad effectum manutentionis.

Magis verò in ista causa, ob qualitatem Iudicis, coram quo illa agebatur, nempè supremi Senatus Reipublicæ, habentis Iura supremi, & absoluti Princi-
5 patus, cum facultate condendi, & destruendi leges, eorumque ordinem peruertendi, adeòut non subiaceat regulis legalibus, neque intrà earum cancellos eius arbitrium sit restrictum, quod per Aduocatos, aliosque causarum directores attentè considerandum venit; Isteque est vnus de consuetis, adeò frequentibus pragmaticorum erroribus, & ineptijs, procedendi scilicèt in omnibus casibus pariformitèr, cum illis regulis, & propositionibus generalibus, quas more persytacorum, per audirum, vel per adnotationem in repertorijs sciunt, non reflectendo ad Iudicum, & Tribunalium, atque ad causarum qualitatem, aliasque singulorum casuum particulares circumstantias, ex quibus reuera tàm iudicium, quàm consilium regulari debent.

Quatenùs itaque pertinet ad primam inspectionem possessorij; Dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod omninò planum esset, vt pro filia, & hærede feudatarij defuncti, vtramque fictam, & legalem, ac naturalem, & de facto possessionem anteriorem habente, respondendum esset, stante donatione, per quã
6 possessore adhuc viuente, in donatariam translata fuerat possessio, tàm ex clausula *Constituti*, quàm etiam ex reseruatione vsusfructus, ex quorum vno multò magis ex vtroque, receptum est competere hoc remedium retinendæ, quamuis per ipsummet donatarium, vel eius hæredem opponeretur de nullitate donationis, quotiès ista non sit omninò clara, & incontinenti probata, ex firmatis apud *Bich. decis.*403. & 417. *Dunozett. decis.*951. & *in sua fede de sub tit. de donat.* pluriès præsertim *disc.*14. & *eod. disc.*44. *de iudic.* Multò igitur magis, quando in donatario cumulatur quoque titulus hæredis donatoris, vel quod alier hæres, ex iudicio defuncti, Donatario adhæret, atque pro donationis obseruantia instat.

Isto namque casu non intrant ea, quæ *d. disc.*44. *de iudic.* ac *disc.*197. & *seqq. de fideic.* & *supra disc.*43. & 104. & *alibi*,
7 habentur super quæstione, an fideicommissarius, vel alter successor necessarius iure suo independentèr à defuncto vltimo possessore sit, nec nè, legitimus contradictor ad impediendum hæredi eiusdem possessoris remedium possessorium adipiscendæ, quod immissionis in Curia dicimus, ex beneficio *l. fin. C. de edict. Diu. Adr. tollend.* siuè ex interdicto, quorum bonorum, vel quorum legatorum, dum in eo remedio, quod ad pluries effectus est minùs priuilegiatum, quandoq; intrat exceptio circuitus, vel intrat regula *dolo facis &c.* ex deductis locis citatis; Secùs autèm in isto remedio retinendæ longè magis priuilegiato, in quo non intrant illæ inspectiones, quæ in dicto alio remedio cadunt, vt in specie aduertitur *in decis.*35. *par.*6. *recent. repetit. decis.*295. *apud Posth. de manut.* & quæ *idem Posth. d. tract. obser.*47. *num.*10. & aduertitur *d. disc.*44. *de iudic.*

8 Ac propterea pro euitandis quæstionibus, de quibus *d. disc.*197. & *seqq. de fideicommiss.* & *in alijs locis citatis*, vbi præsertim non vigeat statutum continuatiuũ posses-

possessionis defuncti in hæredem cũ decreto annullatiuo, vndè propptereà resultet, vt etiam in casu eiusdem statuti fine dicto decreto obstet interuersio huius ciuilissimæ possessionis, ex naturali præoccupatione de facto; vel quod deficiente statuto intret magis recepta iuris conclusio, tám in bonis indifferentibus, quã etiam in feudis, vt in hæredem non transferatur possessio ipso iure, sed necessaria sit eius apprehensio ex relatis in sua sede *sub tit. de hærede*, præsertim *disc.* 26.

Prodijt ingeniosa cauthela, quod moriens testatus, in testamento, vel in codicillis, vel etiam moriens intestatus in instrumento, vel in alia scriptura se constituat ex nunc pro tunc, & præambula hora mortis possidere nomine testati, vel intestati hæredis, siue legatarij, iuxtá firmata apud *Dunozett. decis.* 993. edita in casu de quo agitur *disc.* 134. *de fideicom.* Ideóque in hac facti specie, quatenùs ad possessorium pertinet, casus videbatur indubitatus pro hac parte.

Et nihilominùs etiam in fortioribus terminis, quod scilicèt hæres, vel donatarius vltimi possessoris confugeret ad dictum alterum minus priuilegiatum remedium adipiscendæ, ac propptereà in-
9 trraret dicta quæstio legitimi contradictoris, adhuc agnatus dicendus non esset legitimus contradictor, non solùm ob dubietatem naturæ, vel qualitatis feudi, quæ ad hunc effectum sufficit, præsertim stante vltimo statu, ex deductis suprà *d. disc.* 43. *&* 104. sed clariùs, quoniam ista quæstio intrat cum illo, cui superueniat titulus, vel possessio post mortem possessoris, secùs autem vbi obtinuerit titulum in eius vita, ex relatis per *Argel. de legitim. contradict. quæst.* 6. Quod tamèn dicebatur ad superabundantiam, dum extrà omne dubium competere dicebam dictum alterum pinguiùs, magisque priuilegiatum remedium retinendæ, cui obstare non posse aduertebam sequestrum, vel auocationem possessionis factam per Senatum, vt suprà, tùm ob expressam adiectionem clausulæ *sine præiudicio*, per quam omne præiudicium remanet præseruatum; tùm etiam quia talis est natura sequestri prouisionalis, vt non tollat possessionem, neque impediat huius interdicti competentiam, ex relatis *disc.* 98. *de benef. & disc.* 13. *de iudic. & alibi*.

Quo veró ad aliam inspectionem petitorij, seù boni iuris in negotio principali, decisio pendebat ab eadem quæstione, de qua suprá *disc.* 11. *& d. disc.* 43. *&* 104. *& alibi*, super natura scilicèt feu-
10 di, & an illud esset rectum, & propriũ regulandum iuxtà successionis ordinem, statutum iuxtá leges feudales, vel potiùs impropriatum, adeòut excepta illa feudalitate, quæ inesse dicitur pro domini directi fidelitate, & seruitio, ac recognitione, quæ per recensitas nouas inuestituras sequi solet. In reliquis præsertim quoad successionem allodialium, ac indifferentium bonorum iure reguletur, iuxtá firmata per *Rot. decis.* 94. *&* 237. *par.* 12. *recent.* quæ prodierunt in eodem casu, de quo *d. disc.* 11. & prius (quamuis ad diuersum effectum deuolutionis) latiùs apud *Coccin. decis.* 2283. *&* 2305. *repetit. apud Capic. Latr. consult.* 75. edita super ipsarum impugnatione, atque in earum reuocatorijs apud *Dunozett. decis.* 748. *&* 760. & apud *Otthob. dec.* 265. in quibus inuicem pugnantibus decisionibus, per quandam speciem formalis, ac elaboratæ tractationis habetur deductum totum id, quod in hac materia hinc indè, cum solita inuolutione habetur super natura, & qualitate feudorum.

Ad huiusmodi autem impropriationem, corruptamque naturam probandã, tria distinguebam tempora, vel status; Vnum nempè ab anno 1472. in quo per
11 Lucam seniorem, condentium stipitem facta fuit acquisitio, vsque ad annũ 1548. Alterum à dicto anno 1548, in quo Lazarus obtinuit inuestituram cum quadam diuersa forma pro se, & hæredibus masculis, & in istorum defectum pro fœminis, & in qua inuestitura supponebatur ex parte agnati, potissimum, imò totum constitui fundamentum, quasi quod per illam immutata fuerit natura feudi, atque impressa noua qualitas pacti, & prouidentiæ, vsque ad annũ 1610. Et tertius à dicto anno scilicèt 1610. vel 1617. in quibus Cæcilia filia Lazari, & respectiuè Augustinus, tanquam eiusdem Cæciliæ hętes huiusmodi feuda obtinuerunt, vt ità clariùs euitarentur obiecta, & tollerentur confusiones frequentiùs

oriri

oriri solitæ à disputationibus in abstracto absque casuum, vel temporum, aliarumque circumstantiarum distinctione.

Attento primo tempore, dicebam casum esse indubitatum pro feudi impropriatione, eiusque hæreditaria, & libera qualitate, non solùm quia illi de Lingueglia antiqui possessores professi fuerunt ea possidere, tanquam hæredes, ac esse liberæ dispositionis, sed etiam quia
12 ijdem primi acquirentes ex causa onerosa,& correspectiua,quorum factum per descendentes impugnari non potest, quamuis inuestitura haberet metam formam pacti, & prouidentiæ, ex pluriès suprà insinuatis, ita acquirere professi sunt.

Ac etiam clariùs,quia cum istius naturæ,expresso præsupposito eadē Respublica domina directa feudum maius vniuersi Marchionatus acquisiuit àTagliaferris iuxtá præmissam facti seriem, quam ad hunc effectum operæ pretium reputatum fuit distinctè recensere, vt generalitèr in alijs casibus contingit, cum reverá ex facti circumstantijs causarum decisiones frequentiùs pendeant.

Ex ista etenim circumstantia duo resultare aduertebam, primó nempè quod ista subfeuda iure feudi principalis re-
13 gulanda essent, eandemque sortirentur naturam,etiam,vbi admittatur,quod sint subfeuda vera, & propria, cadentia sub legibus feudalibus; Siquidem in hoc dari potest,ac solet differentia inter feudum, & subfeudum, vt istud sit magis impropriatum, & corruptum,adeòvt sortiatur naturam allodij, iuxtà deducta suprà *disc. 7. & in alys*; secùs autem è conuerso, vt feudum sit corruptum, & impropriatum, & subfeudum sit rectum, & improprium, nisi lex subinfeudationis alitèr expresse statuat.

Et secundó, quoniam idem Senatus causæ iudex, ac etiam dominus directus non posset contrarium decernere, dum
14 ob istam qualitatem feudi improprij, & corrupti, ac alienabilis, ipsa Respublica obtinuit istum Marchionatum,& de consequenti controuersorum subfeudorum directum dominium ex vero, & recepto principio, quod nemo admittendus est ad impugnandum illum titulum, ex quo ipse ius metitur, adeòvt isto tempore, vel statu attento casus videretur quæstionis incapax, attenta præsertim subsequuta obseruantia.

Cardo itaque difficultatis residere videbatur in secundo statu, vel tempore, ab anno scilicèt 1548. ob inuestituram sub diuersa forma obtentam á Lazaro, an per illam immutata esset feudi natura, vt propterea ex corrupto, & impropriato, merèque hæreditario, vt suprá, effectum esset feudum verum, & proprium pacti, & prouidentiæ, vt ex parte dicti remotioris agnati prætendebatur.

In hoc autem alij pro hac eadem parte scribentes totam vim faciebant in conclusione, de qua apud *Galeott. d.contr.31. num.34. suprà disc. 33. num.7. & in alijs*,
15 vt scilicèt nouæ inuestituræ, occasione renouationis concessæ, aliquam alterationem continentes, non alteretur naturā feudi, sed potiùs clausulæ, & verba alterationem redolentia, errori sint referenda, ex regula nouationis exclusiua ad terminos *tex. in l. fin. C. de nouat.*

Verùm de hoc assumpto, quando verba huius nouæ inuestituræ importarent illam alterationem, quæ ex eis desumebatur, aduertebam nimium dubitandum esse, capiendo istam propositionem ita generalitèr, & in abstracto, cum illa sit quid in suis casibus vera, sed fallacia consistere soleat in applicatione, vt penè generalitèr in omnibus contingit.

Ad hunc itaque effectum aduertebam, reflectendum esse ad distinctionem casuum, vel effectuum, quæ reverá pro cōclusionum, vel axiomatum intelligentia, & congrua applicatione semper est sacra anchora.

Primus etenim casus est, vbi de hac alteratione sit quæstio inter dominum directum, & feudatarium, vel eius hæredem, ad effectum restringendi antiquam feudi naturam, siue illius onera, & seruitutes ampliandi, aut aliàs inducendi præiudicia feudatarij, vel eius hæredum, aut aliorum in antiqua inuestitura vocatorum, ad ipsius domini directi comodum, & fauorem, iuxtá casus, de quibus suprà *disc.5. & 56. cum similibus*; Et iste casus in plures alios subdistinguendus venit, quorum primus est, quando noua inuestitura nullum habeat motiuum nouandi, vel alterandi, neque pendeat à voluntate domini illam concedere, vel denegare, sed sit quidem necessaria ex parte

parte feudatarij, vt eam petere, & obtinere debeat infrá tempus à iure communi feudali, vel à lege particulari loci, seù inuestituræ præfinitum, sed sit etiam necessaria ex parte domini, qui eam denegare non possit, nec debeat, iuxtà illam speciem renouationis, de qua suprà *disc.* 52. *&* 59. (& qualis propriè est illa de qua in præsenti) & tunc rectè intrat dicta propositio, vt præsumenda non sit innouatio, cum nulla subsit nouandi causa, vel occasio, ideóque clausulæ, seù verba alteratiua, errori potiùs referri debeant, dum ista species renouationis nullam redolet nouam concessionem, vel concessionis ampliationem, sed solùm fit pro recognitione domini, atque pro faciliori probatione dominij, iuxtà ea, quæ habentur etiam *sub tit. de emphyt. disc.* 4. *& in alijs pluriès*, in proposito illius renouationis, quæ in emphytheusi perpetua, vel ad certas generationes petenda est singulis quibusque temporibus, putà de 29. in 29. annos, vel de 60. in 60. cum similibus.

Alter etiam subdistinctus, vel subalternus casus est, vbi adsit quidem aliqua occasio nouandi, quæ pendeat á voluntate domini, qui possit denegare, sed respiciat accidentia, putà iuxtà casum, de quo suprà *disc.* 44. *&* 45. quod possessor feudi impropriati, & hæreditarij, seù aliàs magis largam naturam habentis, nouam obtineat inuestituram, occasione dignitatis, vel tituli, qui in eo erigatur, aut occasione concessionis maioris iurisdictionis, iuxtà casum, de quo *disc.* 54. *& seqq.* vel occasione erectionis primogenituræ, reducendo feudum diuiduum iuris Longobardorum ad naturam indiuiduã iuris Franchorum iuxtà casum, de quo suprà *disc.* 9. *&* 10. Vel obtinendo aliam prærogatiuam; Et tunc verius videtur, vt non constito de diuersa voluntate nouandi antiquam inuestituram, & immutandi substantiam, totamque naturam feudi, restrictio, quam noua inuestitura continuat, percutiat solùm illud nouum accidens alteratiuum, non autem substantiam feudi, & antiquæ inuestituræ, vt aduertitur pluriès suprà locis citatis; Rectèque intrat propositio, de qua ibidem, ac etiam *disc.* 12. *& in alijs*, vt noua qualitas alteratiua superaddita feudo, illud alteret in ea qualitate, vel parte alterata, in reliquis autem, antiqua substantia, vel natura firma remaneat.

Tertius casus, paritér subalternus est, quando noua inuestitura, ob incursum caducitatis, vel alium casum re verá habeat vim nouæ, & integræ concessionis, quam dominus volens negare, potuisset, quamuis renouationis, vel remissionis vocabulum adhibeatur, quoniam cum substantia veritatis, non autem formalitas verborum attendi debeat, idcircò si verba alteratiua sunt apta percutere ipsam naturam, ac substantiam feudi, istud dicendum erit alteratum, ac innouatum, iuxtà casus, de quo *d. disc.* 5. cum similibus, cùm in substantia sit noua concessio, quamuis ad aliquos effectus, non talis, sed potiùs antiqua censeri debeat, vel respectu successorum, vt infrá, vel respectu potestatis domini illam concedentis.

Vt ex: gr: in Statu Ecclesiastico Papa per sæpiùs enunciatam Bullam B. Pij V. de non infeudando, non potest nouas infeudationes facere, quarè si Sedis Apo-
16 stolicæ feudatarius caducitatem incurrat ob felloniam, vel ex alio capite, atque ré integra, idest priusquam declarata caducitate, sequatur, vera, & effectiua incameratio, & feudi incorporatio cum aliquo statu, remittatur caducitas cum inuestitura, continente aliquam restrictionem, vel alterationem ipsi Sedi Apostolicæ dominæ directę fauorabilem, adeòut inuestitura antiqua non amplietur, sed potiùs restringatur, vel minuatur, & tunc non obstabit quidém Bulla ob eius cessantem rationem, vt aduertitur *in Parmen. disc.* 128. neque per hoc dici poterit noua infeudatio, cùm sit potiùs continuatio antiquæ per viam remotionis obstaculi, habebit tamen naturam, seù qualitatem nouæ in ea parte alterata, quæ errori referenda non est.

Vbi verò non cum domino directo, sed cum successoribus quæstio sit, vt in præsenti, quia nempè domini nil intersit, an feudum vnam, vel alteram habeat naturam, sed prætendatur, vt per nouam inuestituram, feudum aliàs hæreditarium efficiatur pacti, & prouidentiæ, vel è conuersò, pacti, & prouidentiæ efficiatur hæreditarium, siuè cum esset antiquum efficiatur nouum, iuxtá casum de quo suprà

prá *disc.*111. Vel quod aliàs alterationem antiquæ naturæ recipiat; Et tunc distinguendum venit, an ille, qui talem nouam inuestituram alteratam obtinuit, habeat nec ne facultatem nouandi, atque successoribus præiudicandi, quoniam si non habeat, in consideratione, habenda non erit, iuxtà deducta *d. disc.*5. *& alibi*, sed si habeat, tunc vbi constet de voluntate, adeòut non obstet potestas, illa attendi debet iuxtà ea, quæ ad rem habentur pluriès *sub tit. de iurepatr. præsertim disc.* 60. super immuratione naturæ iurispatronatus de hæreditario in gentilitium, vel è conuersò, cum similibus.

Quaré applicando ad rem, quando dicta verba alteratiua huius inuestituræ, *pro se, & hæredibus masculis, & in defectum masculorum pro fœminis*, haberent
17 tractum successiuum, adeòvt apta essent comprehendere omnes descendentes in infinitum, neque obstarent ea, quæ infrà habentur tertio tempore, vel statu, ob hæreditariam qualitatem Ciciliæ, & Augustini, parentum agnati actoris; Et tunc motiuum esset solidum, quoniam cùm penès dictum Iacobum Mariam seniorē, feuda essent liberæ dispositionis, adeòut illa potuisset alienare in extraneos, seù aliàs de eis disponere, ita potuit hanc legem adijcere, tanquam per speciem fideicommissi ordinati cum eius posteritate, eodem modo, quo in iure patronatus loco citato habetur, ac generalitèr in bonis liberis, ac indifferentibus; Et sic agnati masculi exclusiué, vel prælatiué ad fœminas, & re verà tali casu venire non dicuntur iure inuestituræ pacti, & prouidentiæ, & ex beneficio domini, sed potiùs iure dicti impliciti fideicommissi, & ex beneficio eorum ascendentis.

Adhuc tamen his non obstantibus dicebam, quod dicta inuestitura anni 1548 per præfatum Iacobum Mariam obtenta, istum non operaretur effectum, sed feuda adhuc primæuam retinerent naturam, adeòvt alia non adesset alteratio,
18 nisi inter filios primi gradus eiusdem Iacobi Mariæ, vt masculi præferendi essent fœminis, illasque excluderent, quoniam cum non adessent verba præseferentia perpetuitatem, & tractum successiuum, neque adessent coniecturæ, quæ id suaderent, idcircò dicebam intrare regulam, de qua *sub tit. de credito disc.*36. *&* 38. *& sub tit. de hærede disc.*4. ac etiam *disc.*34. *de legatis, ac alibi*, vt appellatione hæredum, siuè de illis sanguinis, siuè de illis rei familiaris, quotiès restrictio non tendat ad fauorem domini, & præiudicium feudatarij, eiusque successorū, sed potiùs percutiat dictū alium effectum alteratiuum inducentem nouationem, in dubio non præsumendam, vel aliā exorbitantiam, siuè onus veniens solúm illi primi gradus, non autem vlterioris.

Et nihilominùs aduertebam sufficere, vt id esset dubium, dictaque verba capacia essent huius interpretationis, vt propterea omninó deferendum esset obseruantiæ, tanquam optimæ interpreti,
19 quamuis non esset temporis considerabilis, multo veró magis dum illa erat annorum centum, & vltrà, à dicto nempé anno 1548. siuè à tempore mortis eiusdem Iacobi Mariæ, de cuius voluntate agitur, nempè ab anno 1565. vsque ad annum 1660. in quo ista quæstio excitata fuit, adeòvt adesse quoque dicatur obseruantia præscriptiua iuxtá distinctionem, de qua *disc.*21. *de iudic. & alibi*.

Si etenim, etiam in casu, in quo ex tenore inuestituræ, certa sit forma pacti, & prouidentiæ, adhuc ex consuetudine illa corrumpitur, atque transit in qualitatem merè hæreditariam, & liberæ dispositionis, præsertim vbi non adsit præiudiciū domini, ex deductis suprá *disc.* 10. *& in alijs*, & frequentiùs *sub tit. de emphyteus.* presertim *disc.*8. & laté per *Galeott. d. con-*
20 *tr.*31. Multó magis vbi res ambigua sit, adeó vt obseruātia interpretatiua potiùs, quam præscriptiua dicenda sit.

Multa veró concurrebant, hanc obseruantiam comprobantia, præsertim aliquæ dispositiones, & oblationes factæ per eiusdem Iacobi Mariæ filios primi gradus verisimilitèr informatos, vndè re-
21 sultat obseruantia proxima, quæ melior iudicatur; Ac etiam iudicium plurium Iurisconsultorum primi nominis, & præsertim *Menoch. d. cons.* 812. *& Galeot. d. contr.* 31. Magis veró geminatum iudicium eiusdem Senatus, cum subsequuto effectu in prædictis annis 1610. & 1617. ad fauorem Cæciliæ, & Augustini, & acquiescientia agnatorum, qui vt suprá se opposuerunt, & aduersus quorum oppositionem scripsit *Galeott. d. contr.*31.

Et licét scribentes pro agnato actore dictam

dictam acquiescentiam, quinimò iudicatum ad fauorem fœminæ, ac respectiuè eius hæredis, referrent cessioni, quam ob obligationem euictionis, & non contrauenrionis, pro se, & hæredibus, Ascanius oppositor fecerat ad fauorem Lazari fratris, vt suprà, istudque motiuum magni facerent; Attamèn illud nimium debile, ac frigidum esse dicebam ex pluribus.

Primó nempè, quoniam vbi subsisteret prætensio, quod ista essent feuda recta, & propria, quorum incapaces essent hæ-
22 redes extranei, tunc dicta cessio intelligenda esset, facta pro hæredibus sanguinis capacibus ex verisimili voluntate cedentis, & cessionatij, adeò vt ea non obstanre, licitè ad iura cessa regressus haberi posset iuxtà theoricam *Bart. in l. qui Romæ §. duo fratres ff. de verb. oblig. n.24.* de qua *sub tit. de renunciat. disc. 5. & supra disc. 5. 7. & 23. & alibi pluriès*.

Secundò, quoniam cùm Ascanius haberet septimam portionem, sinè fortè aliam maiorem ab alicuius fratris morte impinguatam, ad quam cessio restringe-
23 barur, pro ista solùm, & quanti interest, illam non euinci, reneri debuisset; Id autem non potuisset impedire vindicationem aliarum porrionum, illam præsertim eiusdemmet Lazari cessionarij, iuxtà proximè firmata apud *Ninot. decis. 7. & 77.* de duobus fratribus vendentibus quędam loca montium, subiecta fideicōmisso, quod vno eorum defuncto, prohibitus non esset superstes, defuncti portionem vendicare iure fideicommissi ab emptore, eius obligatione non obstante, vt aduertitur *disc. 31. de regal. & alibi*.

Tertiò, quia vbi Ascanius habendus esset pro mortuo ciuilitèr, quia talem se
24 fecisset per renunciationem, non fuissent prohibiti Io: Augustinus, & Io: Baptista eius filij, qui fuerant principales oppositores, obtinere feudorum cessionem, dum eis obstare non poterat qualitas hęreditaria fratris adhuc viuentis; Er quartò quoniam admissa etiam omnium prædictorum verificatione à præfata cessione resultante, eorum successio aperta fuisser eidem Augustino, marito Cæciliæ, & patri Lucæ oppositoris, quem improbabile est, voluisse assumere, & substinere titulum hæredis extranei, cum subiectione oneribus hæreditarijs, tam Cæciliæ, quàm Lazari, si cum inuestitura successionem, iure proprio obtinere potuisset.

Et è conuerso, quamuis ex hac parte ad probandam dictam obseruantiam interpretatiuam, vel præscriptiuam, nimiū insisteretur in alienarionibus factis per
25 se, & alios fratres ad fauorem Lazari, iuxtà ponderationes *Menoch. d. consi. 112. & Galeot. d. controu. 31.* Attamèn ista quoque leuis, ac frigida erat consideratio, quoniam cum essent fratres æquè capaces, & de eodem genere vocato per inuestituram, id nil prohibebat; Nisi quatenùs hæc obseruantia deduceretur ex qualitate alienationis, facta per venditores, cum promissione euictionis, pro se, filijs, & descendenribus, quatenús isti patris alienantis hæreditariam qualitatem haberent, & ex parte emptoris acquirere profitentis pro se, hæredibus, & successoribus quibuscumque, & aliorū, quibus dederit cum clausula ad habendum, ita desumendo obseruantiam, quod apud eos feuda, eius naturæ hæreditariæ, & liberæ haberentur.

Ex his autem inferri dicebam, quòd vbi etiam Lucas agnatus oppositor non esset hæres Augustini, & Cæciliæ parentum, atque ab eis omninó independentèr veniret, adhuc pro fœmina proxi-
26 miore iudicari deberet, præsertim in possessorio, vt suprà, stante præsertim vltimo statu, qui ad instar eorum, quæ habemus in beneficialibus etiam in hac materia feudali, vel simili, attendendus videtur, vt in specie vltimi status aduertitur suprà *d. disc. 104.*

Et generaliter tàm in feudis, quàm etiam in officijs, alijsque regalibus, eodem iure regulari solitis, ac etiam in primogenijs, & maioratibus, præsertim
27 Hispaniæ qualificatis, hanc figuram feudorum ibi facientibus, *ex relatis disc. 1. & 7. cum seqq. de fideicom. & alibi*, tam feudistæ, quàm alij dictas materias tractantes, ac etiam beneficialistæ respectiuè, istos terminos promiscuè adhibent, quòd scilicèt Beneficialistæ adhibent feudales, & feudistæ, alijque similes adhibent beneficiales, vt præsertim aduertitur suprà *disc. 7. & 8.* ac etiam *disc. 69. de pension. & alibi frequentèr*.

Aggrediendo verò terrium, & vltimū statum suprà distinctum, ab anno scilicèt 1610.

1610. vel 17. respectiué, vsque ad 1660. in quo ista quæstio excitata fuit; Dicebã, quod hoc statu, vel tempore attento, res omni dubio carere videbatur ob hæreditariam qualitatem vtriusque parentis in Luca oppositore concurrentem, & obti-
28 nente quamplura eorum, ac Lazari bona libera, ideòque eorum factum impugnare non poterat, neque proprios auctores de mendacio redarguere, etiam in iuribus ex propria persona competentibus intrá limites virium hęreditariarum, intrá quas inuentarium non prodest, atque nihil refert illud adesse, vel non adesse ad vulgarem quotidianam regulam *text. in l. si quit à matre C. de rei vindicat.* de qua nimium frequentèr *sub tit. de fideicom.* & in omni alia ferè materia, etiam in ista pluriès.

Ac etiam, quod cum idem oppositor, defuncto Augustino patre per hanc viam hæreditariam ambulasset, siuè per hanc
29 viam ingressus esset, quia nempé hæreditario iure propriæ portionis possessionem obtinuisset, ac etiam inuestituram reportasset, ita non poterat proprij auctoris dominium, & pertinentiam negare, neque impugnare illum titulum, ex quo suum ius metiebatur, ad regulam *text. in l. si quis conduct. C. locat.* quam locum habere in omni materia, cui eadem congruat ratio, & præsertim in ista feudali, est magis receptum, ex collectis de more ad satietatem per solius improbi laboris collectorij professorem *Rubeum in addit. ad decis. 420. num. 50. & seqq. par. 4. recent. tom. 2.* & aduertitur pluriès suprà.

Et in omnem euentum, aduertebam, negari non posse huic parti repręsentanti iura Lazari, & Cæciliæ, quorum hæ-
30 reditaria qualitas habetur, retentionem pro summa librarum 38. mil. dotis Aloysiæ, & vxoris dicti Iacobi Mariæ senioris, qui supponebatur auctor, & impressor dictæ nouæ qualitatis, vel formæ, pacti, & prouidentiæ; Tum quia pro isto debito cum assensu Reipublicæ dominæ directæ hæc feuda in specie obligata fuerunt in ipsamet inuestitura anni 1548. ex qua agnatus totum eius ius desumebat; Tùm etiam quia erat debitum primi acquirentis, ad quod citrà dubium, vbi præsertim illud procedat, adeóut nõ cadat illa consideratio implicitæ donationis, ob quam debita posteriora impugnari possent, tenentur successores, quãuis expressè, & claré inuestitura esset in forma pacti, & prouidentiæ, ex frequentèr insinuatis suprá *hoc tit. & sub altero de emphyt. ac alibi.*

Magnum item fundamentum constituebatur ex parte dicti agnati, in deductis apud *Andreol. controuers. 212. & seq.*
31 cum quibus processerant Consultores in dicto voto tradito contra Iacobũ Mariam viuentem, occasione quæstionis super portione alterius fratris priùs defuncti, vt suprà, ac etiã supponebatur, quod in ista portione magnã facerent impressionem; sed aduertebam, quod vltrá genericam considerationem, de qua *disc. 35. de iudic. & alibi pluriès*, super modica, & fallaci, imò nulla, penitùsque contemnenda auctoritate illorũ præsertim modernorum Consulentium, qui more Aduocatorum ad pecuniam, ac requirentis opportunitatem scripserunt, eorumque scripta prout iacent publicæ luci, potiùs fortè pro inani gloria, quàm pro seruitio veritatis, & iustitiæ, dederunt, quo nil absurdiùs, nilque Reipublicæ, ipsique legali facultati magis perniciosum, ac præiudiciale; Adaptari obseruabam cõsiderationem, de qua apud *Franch. decis. 260. num. 5. & 6. & eod. disc. 35. de iudic.* quod scilicèt, quando allegantur consilia videre oportet decisiones, quæ in illis casibus prodierint, dum præfatus auctor Aduocati more scripsit pro agnato masculo super eodem puncto, de quo agitur suprà *disc. 11.* in quo fuit decisum contrarium.

Quinimò vbi etiam iuxtá scripta decisum esset, prout mihi pro eadem parte scribente decidi debere videbatur ex ibidem insinuatis; Adhuc tamen id nil referre dicebam ob longé diuersas illius casus, ac istius circumstantias, vt claré patet ex earum combinatione, ad quam principalitèr, ac omninò tàm per Iudicantes, quàm per Consulentes reflecti debet pro congrua applicatione, non solúm consiliorum huiusmodi naturæ, quæ reverà stultitiæ species est in iudicando, vel consulendo attendere, quotiés non sint recepta, & canonizata per Tribunalia, sed etiam vbi allegantur ipsorũ Tribunalium decisiones, vel responsa pro veritate, quandam decisionum speciem haben-

habentia, quæ ita, & non aliàs attendi debent, vt latiùs *eod.disc. 35.de indic.* isteque præsertim error, tot induxit confusiones, istamque facultatem contemptibilem reddidit.

DE FEVDIS

DISC. CXXVIII.

Parmeñ, Permutationis.

Pro Duce, & Episcopo Parmæ coniunctim.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & pendet.

De Bulla Pij V. de non infeudando, quando intret, nec ne, præsertim in statu mediato, & an in Castris confiscatis pro delictis priuatis; Et de æstimatione bonorum iurisdictionalium quomodo facienda sit pro regulanda vtilitate contractus; Et de aliquibus ad materiam, de qua suprà *disc.60.* Et an vassalli, vel subditi sint legitimi contradictores ad impediendam alienationem loci, ac mutationem Domini.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis controuersis.*
3 *In dominijs temporalibus Ecclesiarum inferiorum, penès quem resideat dominium altum.*
4 *An Bulla Piana de non infeudandis, capiat statum mediatum.*
5 *Quid de alijs Constitutionibus, & prouisionibus Apostolicis.*
6 *De eodem de quo num. 4. cum distinctione.*
7 *De subinfeudationibus, quæ non veniunt sub dicta Bulla.*
8 *De ratione differentiæ inter huiusmodi concessiones in statu mediato, vel immediato.*
9 *Quod subinfeudatio non importet scissuram, vel alienationem feudi.*
10 *De requisito subfeudi, vt fiat persona æqualis conditionis.*
11 *De ratione cui innixa est bulla, & quando ex cessante ratione non intret.*
12 *Distinguuntur diuersæ species dominiorum temporalium in Papa, & quænam species cadant sub Bulla.*
13 *De alto, & directo dominio penès feudatarium compatibiliter cum altero dominio Domini.*
14 *Nemo potest facere sibi æqualem, ideoque altum dominium non est concessibile, quod declaratur.*
15 *De ratione ob quam altum dominium in ijs Castris, & bonis iurisdictionalibus, quæ in Regno Neapolitano possidentur per Ecclesias inferiores sit penès Regem.*
16 *Quando dicatur adesse vtilitas Ecclesiæ in alienatione.*
17 *Quid vbi agatur de bonis iurisdictionalibus, & quomodo hæc æstimentur.*
18 *Attendi debet principalitèr vtilitas Ecclesiæ vniuersalis, qua accedente, non curatur vtilitas Ecclesiæ inferioris.*
19 *Recensentur vtilitates in casu.*
20 *An subditi se opponant alienationi loci, & sint legitimi contradictores, & de prælatione eis competente.*
21 *An Bulla intret in Castris obuentis in Cameram ex causa confiscationis.*
22 *An eadem Bulla impediat remissionem incursæ caducitatis.*

DISC. CXXVIII.



1 POSSIDENTE Cathedrali Ecclesia Parmensi ab antiquo ex Imperialibus concessionibus, registratis apud *Vghell.to.2. Italia Sacra*, quasdam Villas, & loca inhabitata, cum iurisdictione, & imperio, adeò vt quaodam Principis sæcularis, Episcopus figuram faceret; Currentis sæculi initio, fortè clarius, quàm antea, excitatæ fuerunt, siuè creuerunt controuersiæ iurisdictionales inter ipsum Episcopum, & Ducem, eorumque respectiuè Officiales, & ministros super alto dominio, & competentia regalium maiorum, præsertim in calamitosis temporibus belli, pestis, & famis, vel occasione aliarum extraordinariarũ contingentiarum, iuxtà casum, de quo suprà *disc. 60. & alios*, de quibus apud

Spad.

Spad. consf. 5. & 6. lib. 1. Faiard. allegat. 3. & seqq. & alios. Quare ad occurrendum inconuenientibus, quæ exindè resultare praxis docebat, de anno 1617. conclusa fuit inter Ducem, & Episcopum permutatio huiusmodi locorum cum aliquibus tenutis, & bonis priuatis duplicati fructus, atque desupèr sub Gregorio XV. præuia cōsultatione Congregationis particularis aliquorum Cardinalium, expeditum fuit beneplacitum directum vni ex vicinioribus Episcopis in solita forma si in euidentem, incertum tamen est ex quibus accidentibus conuentio effectum sortita non sit.

Hinc denuò sub Alexandro Septimo inter modernos Ducem, & Episcopum ad nouam deuentum est conuentionem consimilem circa redditum duplicatum bonorum Ecclesiæ assignandorum, cum ea differentia, quod inter dicta bona, quæ pro maiori parte erant allodialia, consistentia in prædijs priuatis, adesset etiam quoddam Oppidum, seù Castrum, aliàs iure subfeudi possessum per illos de Sancto Vitali, ad Cameram Ducalem deuolutum, quodque in eo Episcopus eandem haberet iurisdictionem sæcularem, quam præfati inferiores Domini habere consueuerunt, cum eodem titulo Comitatus, quem in præfatis locis ab antiquo obtinent; Atque desupèr, iuxtà stylum, deputata particulari Congregatione aliquorum Cardinalium super cōcessione petiti beneplaciti Apostolici; Cùm tempus iam expirantis Pontificatus Alexandri, & breuis Pontificatus Clementis Noni successoris, consumptū esset in informationibus facti, alijsque diligentijs, ac etiam in consuetis magnarum Curiarum moribus; Idcircò sub Clemente Decimo, per eandem Congregationem assumpta fuit formalis cognitio super huius conuentionis approbatione, vel reprobatione; Potissimè proptèr oppositionem vassallorum Episcopi, eorumque Communitatum ægré ferentium istam Domini mutationem.

Desupèr itaque assumpta disputatione, in primis sessionibus, maior difficultas habebatur super obstaculo Bullę Pianæ de non infeudando; Cognito autem,
2 ex infrá deducendis, quod bulla re verà non intraret, excitata fuit difficultas super alio puncto, qui primo aspectu videbatur planus, ob fructuum duplicationē circa Ecclesiæ vtilitatem, ac etiam aliqualitér super vassallorum oppositione vndè tres fuerunt puncti; Vnus nempè Bullæ Pianæ; Alter vtilitatis Ecclesiæ, & Tertius oppositionis vassallorum.

Quatenùs pertinet ad primum; Duplicitér motiuabatur per Camerales, & alios Oppositores, eosdemque Cardinales, super obstantia bullæ; primò nempè super translatione locorum Ecclesiæ in Ducem, dum ita Pontifex, & Sedes Apo-
3 stolica infeudare, vel aliàs concedere dicebatur altum dominium, & superioritatem, quæ in huiusmodi dominijs tēporalibus Ecclesiarum inferiorum penès dictam Ecclesiam vniuersalem, & Sedem Apostolicam esse dicuntur, iuxta deducta suprà *d. disc. 60.* Et secundó in translatione Oppidi, vel Castri, quod Dux assignabat Ecclesiæ; ob amplitudinem verborum dictæ bullæ, & aliarum, quæ pro eius confirmatione per successores Pontifices conditæ fuerunt, illam præsertim Innocentij Noni, vt omnis species concessionis quocumque explicetur vocabulo, sub ea venire dicatur, vt in præcedentibus pluriés in istius bullæ proposito aduertitur.

Cùmque per alios scribentes pro cōcessione beneplaciti, prius quàm ego euocatus essem, deducerentur á me pluriés insinuata in hoc iam edito libro de
4 feudis, præsertim occasione Bullæ Baronum, ac etiam istiusmet bullæ de non infeudando, & similium, vt complecteretur solùm Statum Ecclesiasticum immediatum, siue illum mediatum improprium, locorum scilicèt existentium sub Baronibus, & Domicellis omninò subordinatis, non autem statum veré mediatum sub feudatarijs regalibus, & veræ dignitatis, supremorum Principum figuram facientibus, hinc nimium insistebatur super istius assumpti reprobatione, cum bullarum verbis, & præsertim iam dictæ Innocentij Noni, quia nempè expressé loquantur de vniuerso statu, tam mediato, quàm immediato.

Assumptus itaque post aliquas disputationes ex parte Ducis, & Episcopi coniunctim, forté pro isto assumpto substinendo; Dicebam quidèm, etiam cum sensu veritatis, iam agnitæ per Congregationem, quod bulla de non infeudan-

dis, in isto casu non intraret, ex alijs motiuis, vt infrà, non autem ex isto, ita generalitèr, & abstractè sumpto, cùm veriùs videretur contrarium, vt bulla vniuersum statum Ecclesiæ, etiam istum mediatum, iuxtà modum tamen, de quo infrà, comprehenderet; fallacia veró esset (vt frequentèr in ista facultate contingit) in confusione casuum, vel effectuum, attendendo cum consueto, & connaturali vitio, propositiones generalitèr, & in abstracto, siué in littera, non reflectendo, ad distinctionem casuum, vel effectuum.

Pro comprehensione itaque dicebam, vim non facere verba, in quibus oppositores, vel motiuantes solúm insistebant, quoniam, vt frequens inconcussa praxis
5 docet, tam occasione bullæ Baronum, de qua præsertim super hoc puncto agitur suprà *disc. 74. & alibi*, quam occasione Ægidianæ, & quamplurium Constitutionum, vt putà sunt bullæ boni regiminis Communitatum, & illæ receptationis bannitorum, ac etiam impositionum onerum cum similibus edictis, & prouisionibus, vt in eis legantur eadem verba; Et tamen praxis docet, vt non comprehendant statum veré mediatum, vt sunt Regnum Neapolitanum, & isti Ducatus Parmæ, & Placentiæ, ac etiam priùs, ante deuolutionem erant Ducatus Ferrariæ & Vrbini.

Benè tamén dicebam compræhensionem resultare ab eiusdem bullæ ratione, vel fine, ad quē principalitèr prodierat,
6 ob imminentem scilicèt, seù verisimilitèr speratam (qualem euentus docuit) deuolutionem feudi Ferrariæ, de qua suprà *disc. 2. & in alijs*, ideóque circa ipsa feuda maiora in genere, tam in casu deuolutionis, eorumque incorporationis cum reliquo statu, quàm etiam inuestitura durante, quatenùs illa proroganda esset, contrà prohibitionem dictæ bullæ Clementis IX. aduertebam, quod de comprehensione dubitandum non esset.

Illam tamèn dicebam dignosci differentiam inter istam speciem status verè mediati, & alteram status immediati, quod in hac secunda specie, vbi aliquorum Castrorum, & locorum iurisdictionalium deuolutio, seù reuersio ad Cameram, & Sedem Apostolicam sequatur, siué sit ex causa veræ deuolutionis, ob lineam finitam, siué ex illa caducitatis, vel confiscationis, quinimò etiam venditionis post certum tempus, iuxtà bullā Clementis Octaui, quæ Baronum nuncupatur, non possunt alijs ampliùs concedi in feudum, vel guberuium, aut Vicariatum, quamuis subordinatum, cùm solùm cadere possit ratio dubitandi in concessione commoditatis, iuxtà motiuata suprà *disc. 61.* vt agendo etiam de locis obuentis ad Cameram ex causa cōfiscationis, ratione priuati delicti, reiecto *cons. 16. Spada lib. 1.* aduertitur infrà *hoc eod. disc. & alibi*.

Secùs autem in altera specie status mediati, consistentis in huiusmodi feudis maioribus, & regalibus, constituentibus Regnum, vel Principatum absolutum, vt in specie agendo de isto Ducatu Parmæ, habetur suprà *disc. 22. & in alijs*; Quo-
7 niam non prohibetur ipse Princeps feudatarius, cessante fraude, alijsque concurrentibus feudi requisitis, de quibus suprà *disc. 1. & alibi*, loca aliás concessa, & deuoluta, siuè alia nunquam concessa, nec infeudata, vel subinfeudata, quotiès non sint de expressè prohibitis, subinfeudare, seù aliàs concedere, in forma tamen subfeudi, omninó subordinati, & dependentis, firmis remanentibus alto dominio, & superioritate penès ipsum feudatarium maiorem cōcedentem, iuxtá notoriam, ac frequentem praxim Regni Neapolitani, ac etiam istorum Ducatum Parmæ, & Placentiæ, & illam prædictorum Ducatuum Ferrariæ, & Vrbini, vt præsertim aduertitur *d. disc. 1. num. 10. & seqq.* atque in hoc sensu dicebam intelligenda esse á me dicta super non comprahensione status mediati.

Habet ista distinctio euidentem differentiæ rationem, quoniam in prima spe-
8 cie status immediati, non cadit terminus subfeudi, vel excadentiæ, vtpoté cadens in concessionibus, quæ fiant per feudatarium, quoniam cum concessiones faciendæ sint per Papam, dicuntur immediatè, & in capite iuxtá huiusmodi terminorum distinctionem, de qua suprà *disc. 7. & alibi*; In altera veró specie, subfeuda, quæ per feudatarium conceduntur (quotiès eum dicta dependentia, & subordinatione sequantur) non sunt
9 veré feuda, neque importare dicuntur ipsius feudi diuisionem, vel scissurā, ideòque eius vnitati non præiudicatur; Eatenùs

tenùs enim in vtriusque Siciliæ Regnis subinfeudationes prohibitæ sunt ipsis feudatarijs, quatenùs ita disponat, vel ita interpretata, & recepta sit illorum lex particularis in Constitutione, quæ incipit, *Constitutionem Diua memoria*, vt aduertitur *eod. disc.* 1. vbi agendo de natura huiusmodi feudorum maiorum redolentium principatum, habetur ista cõnaturalis facultas, vt ea mediante, possit ille Princeps sibi cõstituere milites qualificatos primi ordinis.

Maior itaque dubitandi ratio consistebat in qualitate personæ, cui hæc subinfeudatio fiebat, quod scilicèt esset ma-
10 nus mortua, penès quam desperata esset deuolutio, vndè deficere dicitur magis essentiale requisitum subinfeudationis, vt fiat alteri æqualis conditionis, ità intelligendum, vt *eod. disc.* 1. habetur; Verùm aduertebam, quod id non percuteret controuersum particularem punctum bullæ Pianæ, sed potiùs materiam generalem subinfeudationis, iuxtà terminos iuris communis feudalis, vt scilicèt ita cessaret illa subinfeudandi facultas, quàm aliàs feudatarius habeat, vt propterea requiratur Domini assensus, qui ex hoc motiuo iustè negari potest, adeò vt dicenda veniat alienatio prohibita, ex deductis *eod. disc.* 1. sed in hac facti specie ob eius particulares circumstantias, locus erat concessioni assensus ob magnam feudi, ac ipsius Domini vtilitatem, dum à manu mortua obtinebatur longè maius, & dabatur minus, ideòque feudi conditio fiebat melior.

Quo verò ad casum conuersum locorum, quæ per Ecclesiam dabantur Duci, vel feudo, magis planum esse dicebam (etiam cum sensu veritatis) quod casus
11 non caderet sub bulla; Tùm ob cessantem eius rationem consistentem in dismembratione, vel diminutione principatus temporalis Ecclesiæ, dum ita potiùs augeri dicebatur ob notabilem dilatationem finium feudi, tollendo hæc bona à manu mortua, eaque transferendo in feudatarium, per cuius lineæ masculinæ finem, sperari potest deuolutio, & istud incrementum à natura; Tum etiam quia ista species dominij non cadit sub bulla.

Siquidèm in hoc proposito tres species dominij temporalis in Papa consideran-
12 dæ veniunt; Prima scilicèt magis generalis, & habitualis in, vniuerso orbe, omnibusque Regnis, principatibus, & dominijs, quam, tanquam Christi Vicarius habere dicitur, & cum qua, ex fidei præsertim motiuo, Reges, & Principes deponere potest, eorumque Regna, & Principatus alijs concedere, iuxtà exempla deducta *disc.* 2. *in relat. Cur.* vbi latè de hac potestate; Et certum est, hanc speciẽ sub dicta bulla non cadere.

Altera species alti dominij, & superioritatis habitualis, vel intellectualis, quam Papa, paritèr vti Papa, & Christi Vicarius, tanquam Episcopus Ecclesiæ vniuersalis istius, ac Sedis Apostolicæ nomine habere dicitur patitèr per vniuersum orbem in dominijs temporalibus, quæ obtinentur per Ecclesias inferiores, iuxtà casus, de quibus agunt deducti suprà *disc.* 60. Et paritèr ista species absque dubio non cadit sub bulla, dum ista expressè loquitur de dominio temporali, & sic de tertia specie, in qua Papa consideratur potiùs tanquam Rex, seù Princeps temporalis, vt aduertitur *d. disc.* 2. *in relat. Curia*, *& hoc eod. tit. ac alibi pluriès*. Ita comprobante quotidiana praxi super beneplacito Apostolico, quod concedi solet in alienationibus, alijsque conuentionibus, quæ supèr dominijs temporalibus fiant per Ecclesias inferiores vltrà montes, & præsertim in Germania, ac etiam quandoque in ipsamet Italia, vt docet praxis in casu de quo *d. disc.* 60. adeòvt bulla restricta sit ad tertiam speciem.

His itaque sic stantibus, dicebam intrare dilemma, quod aut istud dominiũ censendum est de secunda specie, & tunc non cadit sub bulla; Aut de tertia, & tali casu, nulla dicebatur fieri alienatio in eum, qui non haberet, quoniam cum inuestitura Pauli Tertij huiusmodi Du-
13 catuum Parmæ, & Placentiæ, contineret totum id, quod Sedes Apostolica in hac ratione ditionis temporalis possideret in ea regione, quæ nuncupatur Gallia Cisalpina, seù veriùs Transpadana, ita iam huic feudo, de quo agebatur, annexum erat hoc dominium, dum ex eadem ratione ad Cameram Ducalem sequuta est deuolutio illorum feudorum, quæ ante hanc inuestituram directè, ac immediatè per Sedem Apostolicam concessa fuerant,

rant, vt præsertim patet ex casu, de quo suprà *disc.74. cum similibus*.

Ac propterea aduertebam, quod ista conuentio aliud non importaret nisi reuersionem huiusmodi locorum ad suam maiorem vnitatem, & consolidationem dominij vtilis, vel subalterni, cum illo directo, vel alto, pariter subalterno, quòd comparatiuè, vt infrà, penès maiorem feudatarium esse dicitur.

Quamuis etenim aliquibus ex Cardinalibus ista consideratio videretur metaphysica, ex regula iuris, quod idem dominium directum, siuè altum esse non
14 potest penès duos in solidum, & ex altera propositione, de qua præsertim *disc. 146. de dote*, ac etiam *hoc eod. tit. disc.1. & alibi*, vt scilicèt hoc directum, & altum dominium, ac maior superioritas, quæ vulgó *Souranità* appellatur, concedi non possint, neque auuelli à corona, vel principatu, vndè propterea nemo potest sibi facere æqualem; Dicebam tamen, quod ista esset leuis difficultas, quoniam illud idem dominium directum, & altum, quod Sedes Apostolica retinet in feudo maiori, & sic in toto corpore, retinere quoque dicitur in hoc membro, seù parte; Feudatarius autem dignitatis, ac feudi regalis, comparatiuè ad subfeudatarios, & inferiores Barones, & Domicellos (de quorum genere ita Episcopus censendus esset) habere dicitur quoddam dominium, quod etiam altum, & directum dicitur, sed, vt dictum est, comparatione inferioris dominij vtilis impropriè, & abusiuè, adeòvt comparatione illius veri, ac proprij alti, & directi dominij, quod resìdet penès infeudantem, dicatur subalternum, vndè propterea, aliqui ad distinguendum istas species, illud maius, quod remanet penès Dominum, appellant altissimum; eodem modo, quo in Papa, iuxtà primam speciem, de qua supra; Et sic est quædam dominiorum gradualitas compatibilis pro respectuum diuersitate, ob quam nō implicat in eadem re concursus plurium dominiorum in solidum, vt præsertim habetur suprà *disc.62. & alibi pluriès*, atque iuxtà illam gradualitatem, quæ in eadem iurisdictione Ecclesiastica, vel spirituali dignoscitur inter Episcopum, Metropolitanum, Primatem, seù Patriarchā, Legatum Apostolicum de latere, & Papam; siue in temporalibus inter Imperatorem, vel Regem, omninó independentem, & eius generalem Vicarium, vel Præsidem, & successiuè, Gubernatores, & Magistratus, maiores, ac respectiuè minores, ac Barones, & Domicellos; Vnde propterea huiusmodi feudatarij maiores, supremorum Principum figuram gerentes, ac potestatem, & iura exercentes, dicuntur tanquam Vicarij generales, & supremi Magistratus, siue Legati habere altum dominium, & maiorem superioritatem in actu, seù exercitio, eius habitu remanente penès infeudantem.

Ex hoc autem probabilius manere videtur, vt in illis Castris, & locis, quæ in dominio temporali possidentur per Ec-
15 clesias inferiores in Regno Neapolitano iure allodij (cum in illis, quæ obtineantur iure subfeudi, nulla cadat ratio dubitandi) procedant potiùs ea, quæ habentur apud *Apont. decis. 2.* quàm ea, quæ habentur apud *Spad. d. cons.5. & 6. lib.1. & suprà d. disc. 60.* cum Rex sit feudatarius Papæ, & Sedis Apostolicæ, ideòque ad euidentiam conuincitur error, & connaturalis ineptia aliquorum modernorum, quod non reflectendo ad huiusmodi distinctiones, & circumstantias, confundunt casus, & auctoritates, applicando *d. decis. Apont.* & concordantes alijs casibus, quibus ea ratio non congruat.

Sublata itaque hac prima difficultate, atque firmato, quod reverà casus non caderet sub Bulla Piana; Assumpta fuit quæstio super secundo puncto vtilitatis iuxtà terminos generales *Extrauag. Ambitiosæ*.

In hoc autem ingenuè dicebam, potiùs more scribentis pro veritate, quàm more Aduocati, vel conductitij scriptoris ad opportunitatem conducentis, quod quando ageretur de bonis priuatis indifferentibus, vtilitas Ecclesiæ sit indubitata, ob fructuum duplicationem, cùm tamen sufficeret aliquis excessus, quinimó æqualitas, vel etiam minor summa compensata á certitudine *iuxtà decis. Mantica* 101. *cum alijs relatis disc. 1. de alienat. & contract. prohibit.* (vbi generalitèr de hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ) *num.45. & seqq.*

Et multó magis dum aliæ accedebant
16 circumstantiæ maioris vicinitatis, ac maio-

maioris commoditatis bonorum, quæ per Ecclesiam in excambium recipiebantur, & super quibus replendo inutiliter chartas, cum copiosis allegationibus nimium se diffundebant aliqui scribentes ex parte Ducis, procedendo cum modernis collectoribus, de ista materia alienationis bonorum Ecclesiæ agentibus.

Sed quoniam agebatur de bonis iurisdictionalibus, ita qualificatis, adeóut redolerent quandam speciem dominij
17 independentis in natura parui principatus; hinc proindè, quando ageretur de omnimoda alienatione, & translatione in alium Principem, vel dominum, adeò vt loca non remanerent in dominio, & ditione Ecclesiæ Romanæ, vel Sedis Apostolicæ, tunc in nulla consideratione habenda esset duplicatio fructus, atque bené procederent difficultates per ipsã Congregationem excitatæ, vt æstimari deberet ipsa sors principalis, quæ ita videtur esse inæstimabilis, ac non de facili recompensam admittit, vt aduertitur *disc.* 11. *de praeminent.* vndé propretereà praxis docet, quod quantumuis cum magnis sumptibus, & incommodis tueri expediat aliqua dominia, potiùs damnosa, vt (exem: grat:) praxis docet in Monarchia Regis Catholici circa dominium Flandriæ, nec non illud Orani, aliorumque locorum in Aphrica; atque in ipsamet Italia, in Portubus Hetruriæ, & alibi; Ac etiam in hoc principatu temporali Ecclesiæ sequitur in statu Auenionensi in Gallia, & in Italia in statu Castri, empto, inuestitura durante, vt aduertitur *disc.* 80. *de regalib. cum similibus*.

Conclusio etenim, de qua *d. disc.* 1. *de alienat. & contract. prohib. num.* 50. *& seq. & suprà hoc tit. disc.* 19. 24. *& in alijs*, & iurisdictionalia æstimentur in medietate pluris, quám bona priuata indifferentia, quotiès ratione onerum feudalium non mereantur potiùs, minùs æstimari, iuxtà ponderationes, de quibus *locis citatis*, procedit in bonis iurisdictionalibus inferioris ordinis, redolentibus simplicem baroniam, vel domicellariam qualitatem subordinatam, non autem, vbi de hac specie dominij plenè, & independentis.

Ac propterea, vt præmissum est, quando cum extraneo, & independenti Principe, vel cum subdito alterius principatus ageretur, tunc certum esset, quod non diceretur adesse vtilitas fructuum, duplicatione neglecta, cum revera non præponderet.

Adhuc tamen (his non obstantibus) in facti specie euidentem vtilitatem verificari dicebam, quoniam distinguendo Ecclesiam inferiorem à maiori Ecclesia vniuersali, quæ dicitur vera, & habitua-
18 lis domina omnium bonorum, quæ possideantur per Ecclesias inferiores, inter quas distributa esse dicuntur iure fruitionis, & vtilitatis potiùs bursalis, ac etiam præeminentialis, & subordinatæ; Idcircò principalitér spectanda est vtilitas maioris Ecclesiæ vniuersalis, qua concurrente, negligi solet illa Ecclesiæ inferioris, á qua etiam cum damno, & diminutione, & absque aliqua recompensa, castra, vel bona dismembrari solent, illaque incorporari Sedi, vel Cameræ Apostolicæ, vt per Gregor. XIII. factum esse de dominio Castrorum Vallis, & Monthionis ab Ecclesia Massana, habetur suprà *disc.* 54. *& seq.* & per eundem Pontificem factum fuit de molendinis, Ecclesiæ metropolitanæ Rauennatensis applicatis, extincta etiam aliàs assignata præstatione pro recompensa in casu, de quo *decis.* 51. *&* 52. *post Pacichel. de distant. cum similibus*; multò igitur magis, vbi vtrique ita consultum remaneat, inferiori scilicèt cum reddituu duplicato, & maiori cum plerisque vtilitatibus, exindè resultantibus.

Primó scilicèt, quod ita dilatabantur
19 fines feudi maioris, cuius deuolutionis possibilitas adest, quæ deficit continuantibus bonis in Ecclesia manu mortua.

Secundò quia efficiebantur feudalia illa bona priuata indifferentia, quæ assignabantur Ecclesiæ inferiori in ricompensam, & quæ aliàs in casu deuolutionis essent liberé transmissibilia.

Tertió, quia ità tollebatur occasio scandalorum, & inconuenientium ratione controuersiarum iurisdictionalium, & iurium regalium inter Ducem, & Episcopum, eorumque respectiuè officiales, & ministros.

Et quartó fortiùs, ac euidentiús, quod ita vtraque Ecclesia, maior, & minor notabilem reportabant vtilitatem, quoniam cum ista incorporatione feudo maiori

iori ponebantur magis in tuto omnimodum dominium, ac iura Sedis Apostolicæ, atque tollebatur occasio quæstionis, de qua apud *Spad. d. conf.5. & 6. Apont. d. decis.2. Faiard. d. allegat.34. & seqq. & d. disc.60.* ita occurrendo illis prætensionibus, quæ ex parte potestatis sæcularis promoueri possent super directo, & alto dominio.

Alia quoque resultante vtilitate melioris defensionis huiusmodi locorum, iuriumque iurisdictionis cum Principibus confinantibus, præsertim in temporibus calamitosis belli diuini, vel humani, seu penuriæ.

Demùm quoad tertium, & vltimum punctum oppositionis subditorum, an
20 scilicèt ista attendi deberet, nec ne; Cùm scribentes pro oppositoribus, deducerent ea, quæ insinuantur suprà *disc.38. & 110.* ac etiam *disc. 148. de regalib.* super vassallorum prælatione in venditione feudi; Attamèn aduertebam, id continere æquiuocum clarum, quoniam hæc prælatio non prouenit ab aliqua dispositione iuris, sed à quadam non scripta æquitate, fundata in duplici ratione; Primò nempè quoniam ita ius domini in nihilo fit deterius, imó melius, dum obtinet idem pretium, quod ab alio feudi, seù loci emptore obtenturus esset, atque adhuc remanet dominus, & superior, vt *eod. disc. 148. de regal.* habetur; Et secundò quoniam valdè subditorum interest non esse sub Barone, vel Domicello, sed sub immediato Regis, vel Principis dominio, & regimine, ob quamplura præiudicia resultantia ex baronali vassallaggio, & præsertim illud, de quo *sub tit. de praeminent. disc.32.*

Vtramque autem rationem in præsenti cessare dicebam, quoniam aliàs vtrique Ecclesiæ inferiori, & superiori adimerentur plures vtilitates, de quibus suprà, & quas vassalli oppositores supplere non poterant, ac etiam quia eorum conditio ita melior efficiebatur, faciendo transitum à domino inferiori ad superiorem, & Principem; Ideóque oppositionis ratio erat illa, ob quam subditi Ecclesiarum, habentium inferiores Prælatos, adeó tenaciter aduersus Episcopos solent se opponere, ac litem substinere, ex deductis *sub tit. de iurisd. disc.1. cum plur. seqq.* vt ita scilicèt maiorem habeant viuendi licentiam, atque per eorum criminibus non ita puniri possent á domino minoris potentiæ, ideóque indebita videbatur oppositio, meritó nō multum consideratione habita.

Stante veró iam recepta interpretatione, & vsu huius bullæ, vt de locis, & Castris iurisdictionalibus ad Sedem, vel Cameram Apostolicam deuolutis, fieri non possit alia concessio quocumque nomine, & vocabulo explicetur, etiamsi ad vitam, ob eiusdem Bullæ amplitudi-
21 dinem; Hine protsùs erroneum, maléque fundatum, aliquarum contingentiarum occasione, pro veritate á plerisque Cardinalibus consultus, dicere consueui, non subsistere *dictum consilium 16. Spada eod. lib. 1.* in quo firmat, vt ista Bulla Piana non comprehendat illa Castra, & loca, quæ ob priuata crimina indifferentia cadant sub publicatione bonorum, eodem modo, quo alia bona priuata, & allodialia, putà, vt in casu suo ob parricidium, quod non est crimèn feudale, vt latè probat *Capic. Latr. consult.131.* quale propriè est illud feloniæ, in cuius casu bullam intrare in locis deuolutis ob istud crimen dicit idem *Spad. conf. 23. num. fin. eod. lib.1.* assignando *d. conf.16.* quandam rationem differentiæ inter casum deuolutionis ex natura feudi, & casum confiscationis pœnalis, quod scilicèt ista secunda species dicatur esse in fructu.

Verùm id continet æquiuocum manifestum, non solùm quia Sedes Apostolica profitetur, & solet ponere sub ista bulla, etiam castra, & bona iurisdictionalia, quæ ob debita Baronum, & feudatariorū ad præscriptum bullæ Baronum, tanquā priuatus emit, quando post lapsum certum terminum sequatur formalis incameratio, vt etiā aduertitur infrà *disc.132.*

Tùm etiam, quia non videtur, quæ differentiæ ratio interet inter casum deuolutionis, vel caducitatis, & casum confiscationis, cùm idem adamussim sit effectus reuersionis illius rei ad suam vnitatem, & reintegrationis membri separati eius corpori; si etenim à lacu, vel fonte deriuent riuuli, qui priuatis concedantur, illi veró, vel eorum aliqui impedimentum recipiant, ne ad commodum priuatorum amplius currant, dicuntur confundi cum lacu, vel fonte, atque in eo re-

eo remanere iure prioris,& antiquæ causæ, vbi id sequatur ex natura concessionis, & ob illius expirationem,siuè ob aliquod insperatum, & extraordinarium accidens, cum semper idem sit effectus, eademque sit ratio confusionis partis cū toto, vel membri cum corpore; Vndè propterea apud feudistas, recepta habetur propositio pluriès in præcedentibus insinuata, quod in eodem Regno, vel Principatu, non potest quis esse Rex, & Baro, & sic penès dominum non datur feudum, vel dominium distinctum à maiori, quotiès reuersio fit omnimoda, ac perpetua,cùm solùm ista contradistinctio sit practicabilis in casu accidentalis acquisitionis temporalis, ac resoluibilis, quia nempè dominus directus, tanquam priuatus, emat à feudatario, vel ab emphyteuta, feudum, vel emphytheusim pacti, & prouidentiæ pro eius vita, vel iure, ex pluriès insinuatis, quod in praxi in hoc Principatu contigibile est, quia non obstante primogenitura, vel alio vinculo, intret confiscatio ad vitam delinquentis,absque tamen præiudicio successorum, contingente morte naturali, iuxtà bullam Sixti V. super receptatione bannitorum, cum similibus, quoniam tunc non dicitur sequi incorporatio, & restitutio membri, vel partis eius corpori, & vnitati, sed potiùs fingitur, quod tanquam tertius possideat fiscus pœnalis contradistinctus à fisco dominicali, illam rem,tanquam speciem commoditatis, sine tanquā procurator in rem propriam feudatarij delinquentis, & per consequens non prohibetur idem fiscus istud ius alteri cedere; atque post hæc scripta, occasione iuramenti præstandi in primo Consistorio per Innocentium XI. super obseruantia dictæ Bullæ Pianæ, compertj, quod omnis difficultas, hodiè in hoc cessat ob Constitutionem Alexand. VII. ita expresè disponentem, & cuius antea ex quibusdam causis non habebatur notitia, vndè propterea dictus Pontifex fuit primus, qui illam iurauit.

Et quamuis aliqui motiuarent, quod si ita esset, sequeretur, quod incurrente aliquo feudatario, vel Barone, caducitatem ob felloniam, vel aliud crimen, non posset remitti; attamèn dicebam, quod
22 istud argumentum non concludit, quando caducitas sit solùm iuris, & intellectualis sine effectu, & sine rituali perfecta, & omnimoda incorporatione; quoniam tunc actus non importat omninò nouam, & ex integro concessionem, vel prorogationem, quæ propriè continentur sub bulla, sed solùm remotionem obstaculi, ad hoc vt prior, & antiqua concessio duret, & continuet, siuè etiam post incamerationem iure postliminij, vbi præsertim sequatur pro exequtione capitulorum pacis, iuxtà ea, quæ habentur suprà *disc.* 27. ideoque casus est toto cœlo diuersus.

Adhuc tum causa pendet, quia commissæ fuerunt meliores informationes super valore, & super redditu, ad effectū se magis certificandi, an præsuppositas essent vera.

DE FEVDIS

DISC. CXXIX.

Vulturarieñ Iurisdictionis.

Pro Collegio Societatis Iesu Beneuenti, & Cardinali Chisio cum Principe Ariciæ.

Responsum ad causam extra Curiam.

De dominijs, & iurisdictionibus iure feudi, vel allodij,possessis per Ecclesias; & incidentèr de materia alienationis bonorum Ecclesiæ; Et an emptor inuita Ecclesia venditrice, impetrare possit beneplacitum Apostolicum; Et an pendente discussione super alienationis validitate, vel inualiditate, debeat idem emptor manuteneri in possessione rei alienatæ, si eam non ex titulo venditionis, sed ex diuerso locationis, & conductionis obtinuerit, cum alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *De vsu Regni Neapolitani circa iurisdictiones, & dominia temporalia in Ecclesijs super casu controuersia.*
2 *Facti series.*
3 *De successione in Regno Neapolitano ad fauo-*

fauorem patrui secundogeniti, & de præmio Bartholomæi de Capua.
4 *De abusu Tribunalium Regni Neapolitani in causarum protractationibus.*
5 *De ratione, ob quam facti series distinctè narrari debet.*
6 *De stylo Causidicorum dictorum Tribunalium non exhibendi responsa exterorum.*
7 *De incapacitate forensium, & Clericorum exercendi iurisdictionem in dicto Regno.*
8 *In feudis non admittitur simulatio, sed feudatarius dicitur ille, qui est descriptus in regijs libris, vel quinternionibus.*
9 *Ecclesia non potest pœnitere, neque reuocare contractum, post obtentum beneplacitum Apostolicum, quamuis adhuc non exequutum.*
10 *Pendente discussione validitatis, vel inualiditatis alienationis, interim manuteneri debet in possessione ille, in quem facta est alienatio.*
11 *Sensus Auctoris in directione causæ.*
12 *Declaratur conclusio, de qua num. 10.*
13 *Nemo potest refricare quæstionem dominij, & possessionis eius auctori.*
14 *Beneplacitum Apostolicum ex puncto, est necessarium, etiam in casibus, in quibus aliàs non sequeretur.*
15 *In materia alienationis bonorum Ecclesiæ, vtile per inutile vitiatur.*
16 *De necessitate assensus regij in alienatione feudi, & de pœnitentia.*
17 *Quid requiratur ad validitatem dicti assensus, vel beneplaciti Apostolici.*

DISC. CXXIX.



IGENTE in Regno Neapolitano frequenti, (nō tamen singulari) vsu,
1 quod pleræque Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrales, ac Monasteriales, & aliæ, ex concessionibus antiquorum Regum, siue illorum Principum, præsertim Normandorum, qui aderant, antequam illæ Regiones, & Prouinciæ in Regnum, initio duodecimi sæculi sub Innocentio Secundo, in schysmate Pierleonis erigerentur, ac etiam ex modernis onerosis, & emptitijs titulis, aliqua Oppida, & Castra cum iurisdictione temporali iure baroniæ possideant, sub tribus tamen diuersis speciebus; Vna scilicèt in allodium, cum plena, & omnimoda iurisdictione, tàm ciuili, quàm criminali, adeòut intret illa quæstio, de qua apud *Apont. decis. 2. & suprà hoc tit. disc. 60.* Altera paritèr iure allodij, vel etiam feudi in earumdem Ecclesiarum faciè, vel nomine, cum sola iurisdictione ciuili, & quandoque etiam mixta, penès Regem residente criminali, ac respectiuè mixta, & ciuili in vlterioribus instantijs; Et tertia iure feudi emptitij, ex titulo oneroso quæsiti ad solum commodum, siue vtilitatem, ipso feudo, cantante in persona alicuius sæcularis, nudum nomen habentis, eo modo, quo in Vrbe dicimus in officijs, & pensionibus in ijs, qui *Testadiferro* nuncupantur, vt de pluribus huiusmodi dominijs temporalibus Ecclesiarum in illo Regno, & alibi incidens mentio habetur *sub tit. de iurisdict. disc. 1. cum pluribus seqq. & alibi,* ac etiam *hoc tit. d. disc. 60. & in alijs.*

Quando Ecclesiæ dominium sit iuxtà secundam speciem, in sola scilicèt iurisdictione ciuili, vel etiam mixta primæ instantiæ criminali, vel respectiuè mixta, seu ciuili vlterioris instantiæ, residente penès Regem, solet iste frequentiùs, pro ea consuetudine infeudandi, non solùm Oppida, & Castra, sed etiam nobiles; & qualificatas Ciuitates, quæ illius Regni valdè infelicem, ac miseram reddit conditionem, istam quoque iurisdictionem infeudare, adeòut eiusdem loci duo sint diuersis respectibus Barones, ac Domini, Ecclesia scilicèt, vel eius Prælatus, qui verè, ac iuridicè est loci Baro, & iste feudatarius, qui iurisdictionis vtilis Dominus est, tanquam per speciem perpetui gubernij.

Cùm itaq; Monasterium regulare hodiè Cardinalibus, vel Prælatis in Commendam concedi solitum, iuxtà præmissā secundam speciem, possideret Baroniā, ac vtile dominium, cum iurisdictione ciuili, & aliqua mixta primæ instantiæ Op-
2 pidi S. Bartholomæi in Galdo, & annexorum, iurisdictionem criminalem, ac respectiuè mixtam, ac etiam ciuilem secundarum causarum Cardinalis Arigonius Archiepiscopus Beneuentanus, pro pretio ducatorum vnius, & viginti millium, in faciem cuiusdam sæcularis Baronis

ronis adiacentis Oppidi S. Georgij quæsiuit, illamque donauit Collegio Societatis IESV, eiusdem Beneuentanæ Ciuitatis, adiecta strictissima alienationis prohibitione, sub pœna caducitatis; Verùm ista prohibitione neglecta post sexaginta circitèr annorũ decursum, de anno 1669. Collegium prædictum, ex causa dissoluendi æs alienum, quo præmebatur illam, & pleraque bona allodialia à præfato Cardinale insimul quæsita, pro pretio ducatorum octo millium circitèr, vẽdidit Bartholomæo de Capua Principi Ariciæ Comiti Altauillæ, successoris illius Bartholomæi de Capua, qui fęlix in legum studijs, & causarum defensionibus, ob reportatam victoriam, pro Rege Roberto in adeò celebri quęstione co-
3 ram Papa agitata, inter patruum secundogenitum, & nepotem, ex primogenito prædefuncto, in talis patrocinij, ac victoriæ, in premium, prædictum Altauillæ Comitatum, qui à *Bartholo* magni Comitis denominationem reportauit, aliaque feuda, & loca obtinuit, sub expressa tamen reseruatione beneplaciti Apostolici, cum clausula, *& non aliàs alitèr, nec non alio modo*. infrà annum ab eodem Collegio impetrando sub pacto resolutiuo in casu non impetrationis, & legitimæ exequutionis intrà dictum terminum, & cum expressa ptotestatione, quod interim neque dominium, nec possessio, aut quodcumque ius ab ipso Collegio abdicatum, siuè in ipsum emptorẽ translatum censeretur; Alio quoque in eodem instrumento, inter easdem partes inito contractu locationis, & conductionis dictæ iurisdictionis, pro conuenta pensione dicto pretio proportionata ad triennium.

Agnoscens verò idem Collegium, ex superuenta notitia dictæ prohibitionis pęnalis, ac etiam longè maioris pretij, pro quo hæc acquisitio facta erat nõ expedire, vt huiusmodi contractus effectum sortiretur, hinc beneplaciti Apostolici impetrationem neglexit intrà præfinitũ terminum, quo expirato, eius nomine Procurator Generalis Societatis in Curia, contractum resolutum declarauit, deindèq; idem Collegium (cum imprudenti tamèn consilio) eandem iurisdictionem, cum beneplacito Apostolico ad nouennium incohandum post dicti triennij finem, locauit Cardinali Chisio Alexandri Septimi nepoti, præfatæ Abbatię Commendatario, & per consequens loci Baroni; Istoque vna cum ipso Collegio locatore sibi assistente, petente post triẽnij lapsum, ac expiratam priorem locationem, dictæ iurisdictionis, & bonorum possessionem, se opposuit præfatus conductor, ac respectiuè emptor, qui infrà triennium (elapso tamèn primo anno conuento) beneplacitum Apostolicum in consueta forma, si in eu dentem, Ordinario loci directũ impetrare curauerat, atq; causam in eo sacroConsilio committi curando, prætensionem excitauit super eius manutentione in possessione, ex altero emptoris titulo, donèc penderet discussio causæ, an stante impetratione beneplaciti Apostolici Ordinario præsentati, quamuis non exequuti, potuisset Ecclesia pœnitere nec nè; siuè an tale beneplacitum fuisset necessarium.

Atque desupèr per plures annos pendet, aliorumque multorum forsan spatio pendebit indecisa causa, pro illorum
4 Tribunalium hodierno verè damnabili, & commiserando abusu efficiendi perpetuas etiam illas causas, quæ verè nullam probabilem dubitandi rationem habeant, eisque dandi magnam disputationis dotem, qua verè sint indignæ, iuxtà præsentis controuersiæ casum, clariùs verò iuxtà alterum, de quo *sub tit. de de Regalibus disc. 2. & alibi*, & præsertim *hoc eodem tit. & sub tit. de credit. disc. 27. & 30. cum similibus*.

Non inutilitèr tamèn, nec superfluè, sed studiosè, ac oportunè (vt in plerisq; alijs) ista facti serie ità singillatìm, &
5 distinctè enarrata, cum ex illa prodeat articulorum iuris resolutio, siuè conclusionum, & auctoritatum oportuna applicatio, ad quod modernum leguleicũ vulgus pragmaticum, non benè aduertit.

Meritò autèm supra insinuatum fuit, ex malo, ac imprudenti consilio posteriorem locationem ad nouennium præfato Cardinali factam esse, adeòut serotina fuerit admonitio à me facta eidem Cardinali, in cuius gratiam scripsi, potiùs ad instructionem illorum causæ defensorum, dum pro eorum stylo, exterorum consilia, vel responsa, præsertim
6 verò huius Curiæ Aduocatorum, nunquam lucem vident, neq; Iudicibus exhibentur,

bentur, sed auctoritates, ac rationes, quæ in eis deducuntur, in proprijs allegationibus, vel informationibus, cum eo Moderno currenti verè damnabili, & contemptibili stylo, transcribunt, ita corrupto, ac abolito illo antiquo, verè nobili, nimiumque commendabili stylo, qui in allegationibus *Annæ senioris*, *& in consilijs Aponte, Staibani sen. ac Rouiti, & similium cernitur*, & in plerisque diuersorum antiquorum allegationibus *registratis in tertio volumine de Marinis*, in illis præsertim *Ioannis Angeli Pisanelli*.

Duos namque malos, & causæ præiudiciales effectus istud imprudens consilium produxit, pro dictæ iniustæ oppositionis fomento, ac diuturna protractione causæ; Primò nempè faciendo locationem ad longum tempus, & extero; Vndè propterea duplicitèr assensus Regius ne-
7 ssarius erat, potestatis Proregis etiam ratione forensitatis aliqua dubitatione cadente; Et secundò fortiùs ratione Clericatus conductoris, ob Clericorum inhabilitationem in dominio, & possessione, ac exercitio iurisdictionis sæcularis, ex insinuatis supra *eod. tit. disc.* 18.

Quatenùs itaque ad causam pertinet; Duo erant Oppositoris fundamenta; Primò nempè, quod in isto emptionis, & venditionis contractu nullatenùs obstaret dispositio *extrauag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* Ideòque nulla subesset beneplaciti Apostolici necessitas, minusque eius defectus, contractus validitatem, & perfectionem impediret, cum ista esset iurisdictio feudalis, cuius feudatarius erat præfatus sæcularis Baro Oppidi S. Georgij, qui descriptus est in Regiæ Curiæ quinternionibus; Nil obstante, quod eius nomen ibi simulatè
8 adiectum esset, commodo verè pertinente ad Ecclesiam, ex conclusione de qua supra *disc.* 7. & alibi, per Rotam Romanam quoque firmata apud *Bich. decis.* 96. quod in feudis non admittitur simulatio, neque locum habet titulus *plus valere quod agitur &c.* Sed verè ille dicitur feudatarius, in quo feudi substantia resideat, qui in præfatis Regijs quinternionibus est descriptus; Quod etiam in officijs, & locis Montium, alijsque iuribus regalibus ad feudorum instàr in plerisque regulari solitis, pluriès in sua sede aduertitur *sub tit. de regalib.*

Et secundò, quod pœnitendi facultas, quæ Ecclesiæ competit, cessat post obtentum, quamuis adhuc non exequutum beneplacitum Apostolicum, nimium su-
9 per hoc assumpto magnificando auctoritatem *Gratiani discept.* 514. *num.* 9. *& seqq.* super qua auctoritate circa istud assumptum, informationes scribentium pro oppositore, vnicè circumferebantur, cum nimium amplificando, quasi quod esset magna, & peregrina auctoritas.

Atque hinc inferebant ad conclusionem, de qua *apud Franch. decis.* 163. *numer.* 11. *vbi addentes, & Giurb. obseru.* 113.
10 *nu.* 18. vt scilicèt donèc discutiatur alienationis nullitas, atque causa cum re iudicata, vel cum tribus conformibus terminetur, non debeat possessor, in quem alienatio facta sit, eius possessione priuari, sed potiùs interím in ea manuteneri.

Desupèr itàque, ex parte præfati Cardinalis Consultus, agnitis prædictis difficultatibus, ex eius personæ qualitate resultantibus, fui in sensu, (incertum est tamèn, ex quo spiritu, vel ratione per causæ defensores in partibus non
11 amplexo,) vt concorditèr ab hac locatione recederetur, atque causa agitaretur in foro nomine Collegij venditoris, alteram suo tempore post causam finitam ineundo locationem, & conductionem, in faciem alicuius Regnicolæ securioris, vt ità dictæ difficultates cessarent pro Collegio venditore.

Hinc proindè solùm scribendo, dicebam etiam cum sensu veritatis, vt nimium clarè iniusta, nullique iuris fundamento, nec quidem colorato, innixa esset præfati prioris conductoris, ac respectiuè emptoris oppositio, ac prætensio, tàm in petitorio, quàm in possessorio.

Respectu siquidèm iudicij possessorij manutentionis, in quo magis insistebatur hinc indè; Dicebam quidem esse in
12 puncto iuris in suo casu præfatam conclusionem fauore possessoris, non spoliandi, sed interím pendente discussione nullitatis manutenendi in possessione, sed quod nimium euidens fallacia erat in applicatione ad casum, quoniam vbi etiam ex ipso emptionis, vel alterius alienationis titulo, emptor possideret, adhuc tamén dicta conclusio procedit, atque intelli-

telligenda est, quando agatur de nullitate turbida, & altioris indaginis, quodq; illa exequtioni iam demandata fuerit, cum translatione possessionis in emptorem; Secùs autèm vbi sit euidens, & clara, cum tunc manutentio potiùs ipsi Ecclesię alienanti debita sit, vt ità distinguendo plenè habetur apud *Merlin. decis.702.num.40.& seq.& Ottobon.dec.141. num.20. cum seqq.* & aduertitur *disc.1.de alienat. & contract. prohib. num.103. & alibi*.

Multò veró magis, ac extrà omne principium dubitandi, dum contractus nullam habuit exequutionem, nullaq; possessio in emptorem translata fuit, quinimó expressè conuentum est contrarium, vt interim nullum dominium, vel ius, nullaque possessio in emptorem transferretur; Et fortiùs, quia id non solùm explicatum est in verbis, sed factis, cum idem emptor eadem bona, & iura in contractum deducta, non obstante venditione, titulo conductionis obtinere, ac possidere professus fuerit, quod est de directo contrarium, cum non detur conductio rei propriæ, ac propterea non possit conductor finita conductione possessionis, vel dominij quæstionem proprio auctori refricare, ad nimium vulgarem textum *in l. si quis conductionis C.*
13 *locat.* super quo multa ad satietatem de more colligit *additionator ad decis.420. par.4.recent. tom.2.* & aduertitur pluriés *sub tit. de locato*, ac etiam *sub tit. de feud. & de emphyt. & alibi*, cum receptum sit, istam regulam procedere quoque in materia feudali, & emphyteotica, & in omni alio casu, vel actu, per quem vnus ab altero rem accipiat, ex collectis per *adden. vbi supra, Ottob. decis.105. num.5. & 121.num.15.*

Respondendo antém ad obiecta; Quatenùs petinet ad primum cessantis necessitatis beneplaciti Apostolici, eo quia ageretur de feudo, cuius substantia resideat in persona sęculari, vt supra, aduertebam plures cadere responsiones, quarum vna sufficeret, multò magis eis omnibus simul innitis; Primò nempè, quoniàm cum istud beneplacitum fuerit expressé in conuentionem deductum,
14 cum clausula *aliàs, & non alitèr, nec alio modo*, ità dicitur effectum fuisse necessarium, atque impediens perfectione actus, ex voluntate Partium, quamuis aliàs de iure nō requiratur, *Bich.dec.660. Caualer.decis.253. Gregor.& add.dec.192. Buratt.& Add.dec.374.& passim*.

Secundó, quia in eodem contractu continebantur quædam bona allodialia indifferentia, sine dubio de dominio ipsius Ecclesiæ, in quibus non intrat dicta specialis consideratio, quæ in feudo, &
15 per cōsequens, ob istam mixturam actus, corruit in totum, ex veriori, magisque recepto assumpto, de quo in sua sede *sub tit.de alienat.& contract. prohib. disc.1.* & alibi pluriès, quod scilicet in hac materia vtile, per inutile vitiatur, ideóque defectus in parte, vitiat totum.

Tertió, quia licèt quoad ipsum Dominum, feudum residere dicatur penès fiduciarium descriptum in eius libris, eodem modo, quo in officijs, & locis Montium habemus, attamèn inspecta veritate naturali, ista iurisdictio, cum annexis pertinet ad Ecclesiam, per quam alienari, & dismembrari dicitur, ideóq; rectè intrat dispositio *extrauag. Ambitiosæ*, cum concordantibus, da quibus *d.disc.1. cum pluribus seqq.de alienat.& contract. prohib.* vbi de hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ.

Et quartò demùm, extrà omnem controuersiam, quoniàm retentis etiam terminis feudalibus ad validitatem, & perfectionem contractus, necessarius erat
16 assensus Regius, magis precisè in eo Regno, ob magis strictam prohibitionem, resultantem à sæpiùs in præcedentibus enunciata Constitutione, quæ incipit *Constitutionem Diuæ memoriæ*, adeó amplé intellecta, & practicata, vt quocumque iuramento, vel alia promissione, non obstante, detur pœnitentia, etiam sine obligatione refectionis damnorum, & interesse, quæ aliàs in puncto iuris communis, iuxtà vnam sententiam intraret.

Atque hinc dicebam, nō obstare aliud obiectum de prohibita pœnitentia, post impetratum beneplacitum Apostolicum, & super quo imbecillitas videbatur, adeó magnificare tanquàm peregrinam, dictā auctoritatem *Gratiani*, qui in substantia in Curia viuens, nullam fecit figuram, nullamque in praxi habebat aptitudinē; Sed fuit solúm elaboratus Collector aliquarum positionum Rotæ, Cameræ, & Signaturæ, quamuis nimia commenda-

tione quidém dignus, ob bonum ordinē in ea collectione tentum; Ac etiam, quia ista est conclusio nimium plana, & vulgaris, de qua *eodem disc. 1. de alienat. & contract. prohib.* & alibi pluriès.

Et nihilominùs dicebam quoque omninò cessare eius applicationem, dum sub falso nomine eiusdem Ecclesiæ, re nō integra, & post expressè declaratum re-
17 solutum contractum, non solùm de iure, sed ex pacto resolutiuo, per alteram partem impetratum fuerat, ex ijs, quæ magis proximè ad rem firmantur *apud Bich. d. decis. 660.* atque tanquàm absolutum supponitur in omnibus auctoritatibus, & decisionibus, agentibus de ista materia alienationis bonorum Ecclesiæ, de quibus *d. disc. 1. de alienat. & contract. prohibit.*

DE FEVDIS

DISC. CXXX.

Nullius, &c. assignationis Feudi.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

De assignatione, vel datione insolutum feudi, quam Pater faciat filio pro satisfactione debiti, vel cum alio onere, an valeat, & qualis effectus exindè resultet.

SVMMARIVM.

1 *Pacti series.*
2 *Datio insolutum, habet vim solutionis debiti.*
3 *Debitor rectè soluit proprio creditori non decocto.*
4 *Si datio insolutum est nulla, habetur ac si facta non esset.*
5 *Quale remedium competat aduersùs dationem insolutum.*
6 *De statuto præferente venditorem in re sua quibuscunque creditoribus emptoris.*
7 *De impedimentis resultare solitis in alienatione, vel dispositione feudalium, vel iurisdictionalium.*
8 *Refutatarius an teneatur ad debita refutantis, & an refutatio praeuentiua æstimationem recipiat.*
9 *Prohibitio alienandi non tollit quin bona sint dominio prohibiti.*
10 *An debitor liberetur dādo creditori bona, ad quæ eiusdem creditoris creditores agere non valeant.*
11 *Qualis actio detur creditoribus feudatarij ad feudum pacti, & prouidentia.*
12 *Quando datio insolutum non liberet debitorem in præiudicium creditorum creditoris.*

DISC. CXXX.



IN transmissa notula absq; nominibus, & loco, probabilitèr autèm ex Pedemontana Regione, siué ex alia vltrà montes, supponebatur, quod cum Caius
1 Pater Titij filij in scutis 20. mil. auri, partim pro restitutione dotis matris, & vxoris, & partim pro pecunijs per filium in bello quæsitis, in solutum ei dederit feudum, quod supponebatur pro moribus Regionis esse sub dubio, an caderet sub hypothecis per feudatarium contractis; Cumque filius ex alijs causis aliquo ære alieno oppressus esset, vel eius bona confiscationi subiacerent, quærebatur, an dicta assignatio valida esset, & quem operaretur effectum; Et posito, quod non induceret liberationem Patris à dicto debito, posset ipse prætendere restitutionem feudi, siué eius pretium, cum potioritate aduersùs omnes creditores filij, stante statuto loci, quod venditor in re propria potioritatem habeat aduersùs omnes emptoris creditores, quāuis de speciali hypotheca, vel dominij reseruatione sibi non consuluerit.

Incertus autèm, ex cuius parte requisitus essem, pro Caio patre respondendum esse censui, quod scilicèt, aut valida esset assignatio, aut non; Primo casu, ea mediante, liberationem à debito reportauerat, nisi ex facti circumstantijs lesio resultaret ex parte filij, quatenùs ipse supponeret, vt ex parte creditorum, collusio, & fraus, quæ per creditores opponeretur, vt infrà; Etsi inualida, debebat habere feudum.

Posita etenim validitate, regula assi-
stit

ftit debitori, vt datio in solutum effectua-
ta, cum subsequuta traditione, vicem
2 habeat veræ solutionis, eiusque effectus
operetur, *ad not. in l. libera quadam C. de*
de sent. & l. si quis aliam, ff. de sol. cum con-
cord. apud. Surd. decis. 266. & disc. 64. de
dote disc. 32. & 67. de cred. & sapius, &
per cõsequens resultaret vulgare axioma,
super quo multa colliguntur per *Barbos.*
axiom. 210. num. 1. & Rota decis. 172. nu. 1.
par. 1. recent. quod solutione eius, quod
debetur, omnis tollitur obligatio, adeóut,
quotiès priorum iurium creditoris, qui
dationem in solutum recepit, reseruatio
facta non fit, neque aliqua accedat spe-
cialitas, quæ in casu euictionis inducat
reuiuiscentiã; magis receptum sit, vt eui-
ctis bonis in solutum datis, pro quanti-
tate, primum debitum, tanquàm iam ex-
tinctum non reuiuiscat, sed solùm com-
petat noua euictionis actio, ex deductis
apud *Surd. d. decis. 266. cum alijs disc. 81.*
& d. disc. 64. de dote, & alibi.

Neque filij creditoris hæredes, quibus
hoc nomen debitoris hypothecatum es-
set, aliud prætendere posse respondi, ex
3 recepta, nimiumque in foro practicata
propositione, deducta ex textu *in l. no-*
men C. qua res pign. oblig. non possunt, de
qua late decis. 100. post Merlin. de pign. re-
petit. decis. 357. par. 9. recent. add. ad
Baratt. decis. 793. & pluries sub tit. de cre-
dit. & alibi; Vt scilicèt secluso casu de-
coctionis iam detectæ, ac talis, quod de
iure produxerit interdictionem admini-
strationis ipsi debitori notæ, non prohi-
beatur iste, debita soluere proprio credi-
tori, & liberationem reportare, quam-
uis, eum sciat ære alieno pressum, ac de-
bitis implicitum, dummodò tamen de
veritate solutionis constet, non autém
per simplicem acceptilationem, vel con-
fessionem, aliundé non adminiculatam,
quoniam cum creditor non possit pro-
prio creditori condonare, vel remittere
debitum in præiudicium creditorum,
idcircó sola confessio de recepto proba-
bilibus adminiculis non munita, non suf-
ficit; cum speciem donationis redoleat,
ex deductis *disc. 159. de dote, ac sapiùs sub*
tit. de alien. & contract. probib. & alibi.

Hinc decisio pendebat à dicto puncto
validitatis, vel inualiditatis actus, quo-
niàm si erat inualidus, tunc ex certo prin-
4 cipio, quod nullius, nullæ sunt qualita-
tes, quodque id, quod nullum est, nul-
lum operari potest effectum; Idcircó re-
maneret quidém Caius debitor, vt priùs,
sed é conuerso haberet dominium feudi,
itá nunquàm ab eo abdicatum, adeóut
etiam fructus medij temporis ad ipsum
pertinerent, cadente quæstione, pro mo-
ribus Regionis decidenda super debiti
vsuris, iuxtá casum, de quo suprà *disc. 31.*
& ea, quæ generalitér super fructibus pi-
gnoris, compensandis cum vsuris debiti,
habentur apud *Fontanell. decis. 208. &*
seq. & aduertitur pluriés *sub tit. de vsur.*
& alibi.

E' conuerso autèm posita validitate,
vbi impugnatio sequeretur ex parte v-
nius ex principalibus contrahentibus,
dicebam cadere solùm posse terminos
5 læsionis, eo modo, quo in emptione, &
venditione, cuius speciem datio in solu-
lutum habet, ex pluriés insinuatis, & qua-
tenùs oppositio fiat ex parte creditorum
filij, intrare possent termini fraudis, &
collusionis, ob implicitam remissionem,
quia nempè data esset in solutum res,
quæ non æquiualeat, quotiès inæquiua-
lentia sit notabilis, adeóut exindé resul-
tet suspicio fraudis, & collusionis, quam-
uis ad terminos textus *in l. secuda, C. de*
rescindend. vendit. & in cap. 2. & 3. de
empt. & vendit. non verificaretur læsio
enormis, cum aliud sit agere, cum ipso
principali contrahente, impugnante fa-
ctum proprium; Aliud veró cum tertio,
cui fraus, per ipsos contrahentes fieri
potuerit.

Atque hinc sequi dicebam extraneos
esse dictos terminos concursus vendito-
ris, pro pretio rei venditæ, in ipsa re,
6 cum creditoribus emptoris, vndè recur-
rere oporteret ad statutum, stante dicto
dilemmate, quod, aut actus erat validus,
aut non; Si erat, de cõsequenti Pater libe-
rationem à debito reportauerat; Et si
non erat, quamuis remaneret debito af-
fectus, reassumere tamèn poterat feudum
iure prioris dominij, vtpoté nunquam
amissum, & per consequens nõ intrabant
termini concursus creditorum.

Quatenùs itaquè pertinet ad punctum
validitatis, vel inualiditatis ipsius actus
dationis in solutum, ex impedimento,
vel vitio rei non existentis in libero com-
mercio; Dicebam, reflectendum esse, an
hoc impedimentum resultaret á natura

feudi, & lege inuestituræ, quia nempè
esset feudum antiquum pacti, & proui-
dentiæ, quod ipsi filio, alijsque per in-
uestituram vocatis debitum esset ex per-
7 sona propria, adeòut ipse Pater non ha-
beret proprietatis dispositionem; Aut
verò esset hæreditarium, ac aliàs liberæ
dispositionis, sed impedimentum alie-
nandi, vel obligandi resultaret á lege
scripta, vel non scripta Regionis; eo
modo, quo ex: gr: hypothecari, & alie-
nari absque Regio assensu, non possint
feuda in Regnis vtriusque Siciliæ, quam-
uis essent noua, & titulo oneroso acqui-
sita, siuè antiquam hæreditariam quali-
tatem in quolibet possessore admixtam
habentia, vt in dicto Regno Siciliæ citrà
regulariter contingit, ac etiam sint feu-
da impropria, allodialium potiùs speciē
redolentia, Castrorum scilicèt, & bono-
rum iurisdictionalium Status Ecclesiasti-
ci, propter prohibitionem Constitutionū
Apostolicarum, ex pluriès deductis su-
prá *hoc tit. & disc.* 13. *&* 151. *de credit. &
alibi*.

Primo itaque casu prohibitionis, re-
sultantis à natura feudi, per legem inue-
stituræ disponendi de proprietate, adhuc
dixi cadere posse terminos dationis insò-
lutum, vel respectiuè accollationis one-
8 rum, vel debitorum Patris, pro pretio,
siuè æstimatione, cadente in præuentiua
restitutione facta filio, quamuis proximè
successuro, quoniam donèc Pater viuit,
siuè regulando valorem ab æstimatione
eius vitæ, tanquàm per speciem incertæ
aleæ, iuxtà deducta *disc.*30. *de regal. &
disc.*1. *de empt. & vendit. & disc.*54. *de
donat.* filius obtinere dicitur, ex bonis
Patris, eumque agnoscit in auctorem,
adeòut subiaceat eius debitis, quamuis
essent talia, vt corpus feudi non tangant,
cum adhuc intret actio personalis, ex
plenè deductis *per Salgad. in labyr. par.*2.
*cap.*15. *num.*27. *& seqq.* cum concordan-
tibus *disc.*195. *num.*8. *& seqq. de fidei-
commiss.*

Vbi verò resultaret prohibitio, ex le-
ge particulari, respiciente ipsum actum
9 alienationis, non autèm pertinentiam
proprietatis in alienante, in cuius asse
bona adesse dicantur; Et tunc ex dicto
dilemmate dicebam, quod aut actus im-
pugnabatur, & intrabat reuersio ad pri-
mæuum statum; Aut non impugnabatur,
& resultabat effectus dationis in solutum
vt supra, ac propterea quomodocumque
diceretur, extranei remanebant termini
concursus cum creditoribus filij, adeòut
recurrere opus esset ad beneficium
statuti, cum diuersi termini in casu quæ-
stionis intrarent, vt supra [illegible]

Motiuabatur in notula transmissa,
quod cum creditores eorum hypothe-
cas, super feudo exercere non possent,
neque ius haberent coactionis persona-
lis eorum debitoris, ob istius magnati-
tiam qualitatem, aliaque munera, idcir-
cò, ità supplantati remanerent; Verùm
10 id nullius momenti esse dicebam, quo-
niàm debitor, qui proprio creditori sol-
uat, non tenetur esse sollicitus, an ad id,
quod proprio creditori soluit, eius cre-
ditoribus consultum remaneat, nec nè,
cum sufficiat verè soluere, adeòut desit
fraudolenta remissio, vel condonatio;
Ideòque si soluat in pecunia, ad quam
creditores regressum habere non valeāt,
quia debitor illam abscondat, vel im-
pendat, siuè quod in mercibus, ad quas
in tertium distractas, non competat actio,
iuxtà deducta *disc.*35. *de Cred. & disc.*129.
de Regal. Aut det tot loca Montium, vel
officia, aliauè iura regalia, non per hoc
cessat solutionis effectus.

Potissimè verò, quia consultum adhùc
remanebat creditoribus, quamuis agere-
tur de feudo antiquo pacti, & prouiden-
tiæ, vel aliàs hypothecarum incapaci;
11 ad fructus scilicèt, vel commoditatem
proprij debitoris, iuxtà deducta supra
*disc.*61. 77. *&* 110. *& disc.*44. *de Emphyt.
& sub tit. de Pens.* ac alibi pluriès, & præ-
sertim *in Senen. disc.*154. *de Cred. in hoc
Supplemento*.

Aduertebam tamèn posse creditores,
contra debitorem prætendere suppletio-
nem, quatenùs ista datio in solutum, seù
præuentiua refutatio minùs valeret,
12 quàm debitum importaret, id æstiman-
do, vel iuxtà dictam computationem
Text. in l. hæreditatum, vel veriùs iuxtà
alteram, de qua *disc.*30. *de Regalib. &
disc.*54. *de Donat. & alibi*, quoniàm illud
minùs redolet speciem donationis, vel
gratuitæ remissionis, vt supra, potissimè
verò, cum agatur inter patrem, & filium,
vndè propterea ratione arctæ coniun-
ctionis sanguinis de facili præsumitur
collusio ad fraudandum, & supplantandū
credi-

creditores, & per consequens non intrat illa ratio, ob quam rationem libertatis commercij, adeò subtilitèr valor inquirendus non est, sed inter contrahentes aliqua permittitur circumuentio, quotiés non sit notabilis, vndè propterea ratione inuerisimilitudinis, eadem resultat suspicio, pro facti qualitate, & circumstantijs, ex quibus prudenti arbitrio, per Iudicem regulandis, decisio pendere videtur.

DE FEVDIS

DISC. CXXXI.

Nullius deuolutionis, vel confiscationis feudi.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

An, & quando feudum cadat sub confiscatione, & deuolutione, ob delictum feudatarij, & quando delictum dicatur feudale ad hunc effectum in praeiudicium successorum; Et de natura, seù qualitate feudi, an sit nouum, & alienabile ad hunc effectum, vel potiùs paternum, & antiquum, cum alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Feudum acquisitum per filium cum pecunia patris, dicitur paternum.*
3 *Qualia feuda cadant sub confiscatione, pro delicto non feudali, sed priuato feudatarij.*
4 *An, vbi feudum non venit in confiscatione, veniat eius commoditas durante vita feudatarij delinquentis.*
5 *De ratione, ob quam non veniat commoditas.*
6 *An, & quando primus acquirens titulo oneroso habeat feudi dispositionem, & praeiudicare possit successoribus.*
7 *De distinctione, an primus acquirens sit pater, vel extraneus.*
8 *Quanam sit ratio conclusionis in primo acquirente, vt successoribus praeiudicet.*
9 *De adminiculis arguentibus voluntatem perfectè, & irreuocabilitèr donandi.*
10 *De clausula, vt feudum censendum sit paternum.*
11 *An facultas alienandi ad exercitium non deducta, operetur, vt bona sint in libero patrimonio facultatarij.*
12 *Quod ea, quae transmittuntur ad haeredem, non transmittantur ad fiscum poenalem.*
13 *Crimen feudale praeiudicat successoribus independentibus.*
14 *De rationibus, quibus haec opinio innititur.*
15 *Praeponens tenetur de facto praepositi.*
16 *Quod meliora sint motiua facti, quàm iuris.*
17 *Quoad tertium, non sufficit probatio ficta contumacialis, sed debet esse vera, & concludens.*
18 *Negatur possibilitas probationis concludentis criminis feudalis in casu.*
19 *Quando dicatur verum crimen feudale, nec nè.*
20 *Vbi deficiunt auctoritates speciales obligatoria, procedendum est cum rationibus.*

DISC. CXXXI.



1 N eodem casu, de quo *disc. praeced. & disc.* 191. *de Regal.* continuantibus facti notulis in abstracto suppressis nominibus, stante facti serie, in emédatiori notula supposita, quod scilicèt Caius, vt etiam *disc. praeced.* aduertitur existens debitor Sempronij filij iam adulti, & vxorati in summa notabili scutorum viginti mille auri, pro duplici dote eius vxoris, & nurus, dicti Sempronij respectiuè Matris, & vxoris, & ex alijs causis, feudum pro consimili pretio emit à Titio, illudque filio in dictas causas assignauit, curando directé, ac immediaté à Principe Domino directo, de cuius licentia dicta emptio sequuta fuit, nouam inuestituram concedi Sempronio in eadem forma prioris inuestiturae Titij venditoris, nempé pro se, & filijs, ac descendentibus masculis, ordine primogeniturae, & in defectum mascu-

masculorum, pro filia primogenita, & & cum facultate semel tantùm alienandi in personam capacem, cum licentia tamén Domini, addita solùm de nouo clausula *in priori inuestitura non existente*, vt censendum esset feudum paternum.

Cumq; postmodùm inter ipsum Principem Dominum directum, & alterum Principem confinantem exortum esset bellum, in quo Sempronius militum Tribunus deputatus fuerit, ipseque neglexerit parere præcepto sibi iniuncto, per Ducem, vel Capitaneum generalem exercitus, occupandi, & custodiendi quendam situm, ad effectum impediendi fugam hostium obsessorum, ita sequutam cum aliquo armorum Domini præiudicio, imputatus de infidelitate, fugam arripiendo, in contumaciam condemnatus fuerit in pœnam banni capitalis, cum publicatione bonorum, tàm feudalium, quàm allodialium; Hinc ex parte filij primogeniti, aliorumque filiorum eiusdem, vltrà alia, de quibus *discurs. præced. & d.disc.190. de Regal.* consultus fui, an istud feudum sub deuolutione, vel confiscatione in eorum exclusionem caderet.

Duas itàq; respondendo, efformabam inspectiones; Vnam nempè super confiscatione generali, pro delicto personali indifferenti, & alteram super priuatione, vel deuolutione ex causa feloniæ, & delicti feudalis, cum isti termini omninó diuersi sint, diuersamque habeant rationem.

Quatenùs pertinet ad primum punctum confiscationis; Quando res se haberet, iuxtà præsupposita in notula, quæ primo loco, super isto quæsito transmissa fuit, quod scilicèt feudum acquisitum esset ex pecunia, & industria Caij, Patris Sempronij inuestiti; Tunc dicebam, quod res esset omninó plana, pro exclusione confiscationis, quoniàm licèt attenta verbali formula inuestituræ, Sempro-
2 nius filius esset primus acquirens; Attamén adhùc dicitur paternum, vtporè quæsitum ex pecunia, & prouidentia patris in persona filij, adeóut saltèm pretiū esse dicatur in allodiali hæreditate Patris, ex firmatis apud *Surd. consil.305. num.65. & cons.427. num.12. & 13. cum concord. per Rosent. controu. feudal. impress. post decis. Sicil. hoc eod. libro art.1. nu.80. & seqq.* & habetur etiam *supra disc.9. 12. 19. & 46.* & in alijs, occasione participationis pretij, ad quam primogenitus, ergá secundogenitos tenetur.

Verùm hoc facti præsuppositum non verificatur, dum spectata veritate, Sempronius potiùs dicendus erat primus acquirens, cùm eius pecunia data esset per patrem filio, in satisfactionem debiti; Hinc proindè isto præsupposito retento, duas efformabam inspectiones, vnam nempè posito, quod ageretur de confiscatione ordinaria, pro crimine priuato, & indifferenti, an sub ea veniat hoc feudum; Et alteram posito, quod dicta confiscatio non intraret, an intraret caducitas, vel deuolutio in præiudicium successorum, ab inuestitura vocatorum, ratione feloniæ, seù delicti feudalis.

Quoad primum punctum, aduertebā decisionem pendere à natura, seù qualitate feudi, iuxtá distinctiones magis
3 receptas, de quibus antiquioribus relatis, habetur latè apud *Caball. resol.182. Rosenthal. cap.10. conclus.12. & cap.11. conclus.4. Farinacc. cons.124. lib.2. Spada cons.57. lib.1. Vermighol. cons.9. num. fin. & communitèr*; Quod scilicèt, aut agitur de illo feudo, cuius delinquens habeat omninó liberam disponendi facultatem, adeóut successores nonnisi ex eius iure hæreditario illud obtineant, ipseque possit eis ad libitum præiudicare, & tunc intret confiscatio, quotiès, vt pro generali, vel frequentiori vsu feudorum nobilium, & iurisdictionalium, idem sit Dominus directus feudi, & sit Princeps, qui faciat confiscationem, vt in præsenti sequebatur, cum quæstio cadat in casu minus contigibili, quando scilicèt Dominus feudi esset diuersus à fisco, vt contingit in illis feudis, de quibus agitur supra *disc.10. & seqq. & alibi*.

Aut veró de feudo, cuius necessaria sit successio liberorum, aliorumque per inuestituram vocatorum, adeóut delinquens alienando, vel aliàs disponendo, eis præiudicare non valeat, & tunc secùs.

Idque adeó verùm, vt ex veriori, magisque recepta sententia, neque sub confiscatione veniat fructus, vel commoditas feudi, durante vita feudatarij delinquen-

linquentis, eo modo, quo sequitur, in
4 bonis fideicommissarijs, quotiès Testatoris voluntas alitèr non suadeat, quoniàm licèr aliqui DD. diligentèr collecti, per *Farinacc.cons.*119.*& per Spad.ibid.repetit. inter eius cons.lib.*1*cons.*30.id velint; Attamèn cõtraria opinio est magis cõmunis, magisq; probabilis, vt probat *Caball. d. resol.*182.*num.*20. atquè *idem Farinacc.d. consil.*119. *in fin.* loquendo pro veritate, id agnoscit, dum tàm ipse, qui erat Procurator fiscalis Vrbis, quàm *Spada*, qui erat Aduocatus fiscalis, scripserunt in eodem casu, ex debito officij; Vnde propterea merentur quantum consulentium auctoritati deferendum sit.

Non solùm autèm super hoc puncto, fundamentũ Ego constituebam in maiori calculo auctoritatum, sed magis, ac principalitèr in ratione, quod scilicèt com-
5 moditas præsupponit in eo, ex cuius persona obtineatur, continuationem dominij, & possessionis, dum Commodatarius reputatur eius Procurator in rem propriam, vt habetur supra *disc.*61. *&* 110. *& disc.*44. *de emphyteus. & sæpiùs*; Id autèm verificabile non est, in capitalitèr bannito, & proscripto, dum iste reputatur hostis publicus, qui honestè in Aula Domini mirari non valeat, neque in eius conspectu esse, eique inseruire; Ideòque sequuta ista morte ciuili, feudũ illicò transfertur in proximè successurum, cum feudum sit de illis rebus, quæ vacare non possunt, ac stare in suspenso, tùm quia Dominus esse non debet sine Vassallo, tùm etiam ratione administrationis, quæ illi est annexa, ex deductis *disc.*7. *de fideicom. & alibi*.

Ac etiam quia fructus, & emolumenta feudi, dicuntur premium laboris, in administrationibus, & seruitijs; Et per cõsequens esse debent eius, qui onera supportat, ac seruitium præstat, vel illi promptus esse debet.

Descendendo itaque ad prædictæ distinctionis applicationem; Primo aspectu obseruabam, dici posse, quod versaremur, in eius prima parte, dum ex præmissis delinquens erat primus acquirens, ex causa onerosa, & correspectiua, ideòque licèt inuestitura haberet formam
6 pacti, & prouidentiæ; Attamèn quoad primum acquirentem, habet naturam hæreditarij, & liberæ dispositionis quoad successores, quidquid sit quoad dominiũ, vt pluriès locis citatis, & alibi suprà aduertitur.

Hoc tamèn non obstante, contrarium in casu controuerso veriùs esse respondi, quoniàm cum Sempronius acquirens, ex consilio etiam, & præordinatione Caij Patris, vt supra ipso Principe, & Domino approbante primogenituram erexerit, ad fauorem descendentium, ità ad eorundem fauorem implicitam, perfectam, & irreuocabilem donationem fecisse censetur, iuxtà illàs erectiones primogenituræ in feudis, de quibus supra *disc.*9. *&* 10 & generalitèr de primogenituris in bonis indifferentibus *disc.*135. *cum pluribus seqq. de fideicommiss. & alibi*.

Ad id autèm probandũ, insinuabã distinctionem, quæ ex theorica *Bal. in Auth. si quas ruinas*, *C. de Sacrosan. Eccl. & in l.* 1.*C. per quas person. nob. acquir.* habetur alijs relatis apud *Gratian.discept.*405. *num.*2. *& seqq. Boscol. contr. feud. art.*2. *num.*65. *& seqq. Rot. decis.*213. *par.*12. *recent. & in alijs eius confirmatorijs*, quod scilicèt constituenda sit differentia, inter illum primum acquirentem in hac forma pacti, & prouidentiæ, qui sit pater, habens in potestate filios, pro quibus acquirit, & illũ, qui sit extraneus, vel nõ habeat filios in potestate, quasi quod ea, quæ habentur de potestate primi acqui-
7 rentis præiudicandi successoribus, procedant in patre habente in potestate liberos, pro quibus stipulatus est, non autèm vbi in extraneo, vel etiã in ipsomet Patre, qui non habeat liberos in potestate; Istaq; conclusione posita, inferebam ad validitatem, & perfectionem donationis, & per consequens ad denegationem potestatis præiudicãdi ratione cessantis obstaculi patriæ potestatis, quoniàm cum Pater haberet patrem, in istius potiùs, quàm ipsius potestate erant eius filij, iuxtà notos Institutionum terminos.

Istud motiuum ità simplicitèr, & de se perse consideratum, reflectendo ad veritatem, mihi non placebat, ex rationibus, & fundamentis, de quibus magis, ex proposito habetur actum *in Fauentina, seù Romana pro Collegio Nazareno, cum Tontis*, *sub tit. de emphyt. disc.*70. Quotiès præsertim, vt in præsenti, agatur de acquisitione feudi nobilis, & iurisdictionalis, à Principe supremo, habente potesta-

testatem derogandi, vel dispensandi illi prohibitioni donationis inter Patrem, & filium, quæ manat à iure ciuili, dum ità acquisitionem approbando, dictæ prohibitioni simplicitèr dispensare dicitur, eamque reualidare; Ac etiam quia, vbi acquisitio fit in forma pacti,& prouidentiæ, non solùm, pro filijs primi gradus, sed pro vlterioribus descendentibus in infinitum, longè post eius mortem nascituris, & quos absque dubio in potestate non habet, neque habere potest; Ità in istis, dictum obstaculum patriæ potestatis non intret; Ac vlteriùs stante vinculo successiuo primogenituræ, vel impliciti fideicommissi, quod in forma pacti, & prouidentiæ inesse dicitur, ità remanet donatio causatiua de iure valida; Ac propterea,quando conclusio super potestate primi acquirentis, titulo oneroso, fundata sit in hac ratione leguleica, vt credunt *Baldus*, *& sequaces*, tunc regula, seù conclusio de primo acquirente remaneret destructa, & nunquàm verificabilis, & tamèn passim est recepta, tàm apud feudistas, quàm apud alios de materia emphyteotica agentes.

Vera itaque huius conclusionis ratio, tàm in Patre, quàm in quocumque alio,
8 qui sit primus acquirens, ex causa onerosa,& ex eius prouidentia, potiùs quàm ex beneficio, & liberalitate concedentis videtur illa, quod non est præsumenda irreuocabilis donatio inter viuos,quodq; acquirens ità sibi ipsi vinculum adijcere voluerit, atque facultate disponendi de bonis suis se priuare, sed quod fecerit acquisitionem in forma pacti, & prouidentiæ,vt designaret ordinem necessariæ successionis in illo genere,pro quo stipulatus est, quatenùs ipse alitèr non disponeret, ità successoribus, non autèm sibi ipsi huius impliciti fideicommissi vinculum adijciendo.

Et sic,vt illa sola præsumptio, quæ resultat ab hac specie,vel forma acquisitionis, non sufficiat ad inducendam dictam implicitam donationem inter viuos irreuocabilem; Benè tamèn eadem forma attendenda veniat, tanquàm vnum eiusdem donationis adminiculum, cum alijs coniungendum, quando ea concurrant, adeòut dicatur quæstio potiùs voluntatis, quàm iuris, eodem modo, quo sub *tit. de Regal. disc.1. cum pluribus seqq.* habetur de emente, cum eius pecunia in faciem alterius officia,vel loca Montium, ac etiam *sub tit. de Donat. disc.1. & seqq.* in donatione, contemplatione matrimonii, quam Sponsus donatarius stipuletur, & acceptet pro se, & filijs, cum similibus.

In hac veró facti specie aduertebam, quod alia accedebant adminicula, comprobantia dictam prouisionem, aliàs de perse inefficacem à forma pacti, & pro-
9 uidentiæ resultantem, tùm attenta ipsa facti serie,vel massa, quod scilicèt acquirens, id egit, cum præordinatione eius Patris, qui in vita restitutionem fecerat dotium, ad quam nonnisi post mortem tenebatur, quasi quod fuerit studiosa præordinatio primogenituræ irretractabilis in posteritate.

Tùm clariùs ob dictam clausulam *studiosè*, & ex proposito in hac inuestitura adiectam, in præcedenti non existentem,
10 vt censendum esset feudum paternum, ità illam capiendo non in ratione operationis, quam ipsa faciat de perse, iuxtà illum sensum, ad quem de illa agitur supra *disc.12. num.14.* & latiùs, magisque ex professo in eodem casu *in dicta contr. Boscol. art.5.* Sed ad istum effectum arguendi voluntatem, & tanquàm vnum ex adminiculis, cum alijs coniungendū, considerando potissimè istam circumstātiam, quod non sit clausula ex formulario,adijci solita honorificentiæ gratia,vt ponderatur *d.disc.12.* Sed eam tanquàm insolitam,studiosè adijci curatum fuit.

Et nihilominùs, talem clausulam solam, & de perse capiendo, adhùc probabilis videtur distinctio, inuicèm pugnantium auctoritatum conciliatiua expensa, *per Boscol. d. art.5. num.14.& seqq.* vt scilicèt efficiat feudum paternum, & antiquum, non quidèm in præiudicium ipsius acquirentis, sed in præiudicium ipsius Domini concedentis, quod ad effectum præsentis quæstionis, efficacē facit operationem; Addito etiam adminiculo, ex reseruatione facultatis alienandi,tanquàm speciem dispensationis qualificatæ, quæ arguit regulam in contrarium; Ideòque quoad hanc primam partem, planum videbatur, vt confiscatio non intraret.

Supponebatur ex parte fisci, magnam vim constitui, in facultate semel alienandi, con-

di concessa in inuestitura, quasi quod ita feudum, tanquam alienabile per eundem delinquentem, haberet speciem hæreditarij, ac propterea veniret sub confiscatione.

Respondi verò, tunc difficultatem cadere, quando facultas esset libera, &
11 effrenata, iuxta quæstionem disputatam *disc. 58. de fideicomm.* secùs autem vbi est qualificata, vt scilicèt semel in personā capacem, & cum licentia domini, quod arguit intellectum esse de alienatione expressa, & per actum positiuum, per quem declaretur voluntas expressa vtēdi facultate, quæ ad exercitium deducatur, iuxtà deducta *disc. 166. de fideicom. & disc. 42. de cred.* in quibus allegantur *Salgad. & alij* super quæstione, an sola dispensatiua facultas ad exercitium non deducta suffragetur.

Et nihilominùs, vbi etiam facultas esset talis, vt operetur transmissionem ad testatum, vel intestatum hæredem per quandam declarationem animi, vtendi facultate per legem subintellectam, iux-
12 tà firmata in decisionibus editis in casu, de quo *d. disc. 58. de fideicomm.* vel quod euidentiùs creditoribus acquireretur, iuxtà ponderationes, de quibus *d. disc. 166. eod. tit. de fideicomm. & disc. 42. de credito.*

Adhuc tamen ea, quæ procedunt fauore hæredis, vel creditorum, non procedunt fauore fisci pœnalis, in quē non transmittuntur ea, quæ aliàs de sui natura sint transmissibilia, ex ijs, quæ habentur *sub tit de Regal. disc. 123. num. 6. & 7. & disc. 160. num. 14. & seqq. & sub tit. de legitim. disc. 13. num. 2. & seqq. & alibi*; ex illa congrua ibidem assignata differentiæ ratione, quod hæredibus, vel creditoribus, alijsque dilectis, ac electis successoribus assistunt æquitas, & verisimilis intentio ipsius facultatarij, fisco autem successori anomalo odibili, & nolito ambo resistunt.

Restringebatur itaque cardo difficultatis ad alteram inspectionem, an scilicèt intraret priuatio, vel deuolutio feudi in præiudicium successorum ex delicto feudali, atque in dicta notula transmissa, præsupponendo, quod ageretur de delicto feudali comprehenso *in tit. qua fuer. prim. caus. benef. asisitent. & tit. quib. mod. feud. amitt.* responsum petebatur super articulo iuris, an scilicèt ex isto crimine locus esset deuolutioni in præiudicium vocatorum per legem inuestituræ.

In hoc autem dixi malum consilium videri per hanc viam procedere, quoniā admisso, quod ageretur de crimine feudali sufficientèr probato, etiam in præiudicium successorum, vt infrà, adeóvt causa restringeretur ad articulum iuris, an scilicèt crimen, vel culpa possessoris præiudicet successoribus independentibus, in quorum præiudicium alienare, vel
13 aliàs disponere non potest, tunc nimiùm dubitandum esset de succumbentia, cum in praxi magis recepta penè in omnibus Principatibus, vel eorum maiori parte videatur opinio domino directo, qui etiā iura fisci habeat, fauorabilis, ex ijs, quæ habentur apud *Rosenthal. Caball. Farinac. Vermigliol. & alios, de quibus suprà*, & occasione caducitatis ob non solutum canonem, vel seruitium reale, habetur suprà *disc. 5.*

Idque non solùm, quia huic opinioni assistat magis communis sensus Doctorum, quinimò literalis dispositio *tex. in cap. fin. qua fuer. prima caus. benef. amitt.*
14 ac etiā quia in casu dubio, de facto sēper esse solet causa fisci domini supremi, cui iudices nimium de facili adulari solent, sed etiam quia probabilibus rationibus, ista opinio munita videtur; tùm scilicèt, quòd aliàs de facili Proceres, & Magnates, alijque feudatarij, & Barones licentiam sibi assumerent rebellandi, vel aliàs delinquendi contrà dominum, ita assecurati, quod eorum posteritas feudis, & Baronijs priuata non remaneat, & quæ ratio fuit potissima causa, vt in Hispanijs ederetur illa pragmatica, de qua agitur *disc. 161. de Regal.*

Tùm etiam quia responderant *Rosenthal. & alij, locis citatis*, fidelitas, & seruitium, ac reuerētia ergà dominū, dicuntur leges, conditiones, & pacta, sub quibus, dominus feudum concessit, aliàs non cōcessurus, vt propterea ex cessāte causa, vel defecta conditione, cesset concessio, non curato, an vnus, vel alter possessor deficiat, cum resolutio proueniat ex implicito pacto, vel consuetudine inita cū ipso primo acquirente, qui rei suæ hanc legem adiecit, vt etiam ponderatur *d. disc. 161. de Regal.*

Ac etiam ponderari potest ratio, ob quam

quam res iudicata, quæ citrà collusionem
lata sit cum possessore, vel emphyteutis
pacti, & prouidentiæ, aut maioratus, vel
fideicommissi, afficiat successores inde-
pendentèr suo iure venientes, idemque
in transactione bona fide inita ex dedu-
ctis suprà *hoc tit. disc. 49. disc. 52. de em-
phyt. & 173. & seqq. de fideicom. & alibi*,
quod scilicèt ita primus feudi, vel em-
phyteusis acquisitor, vel fideicommis-
si, & maioratus ordinator, illum pro tem-
pore possessorem administrationi, & in-
stitoriæ præfecit, ideóque de se conque-
15 ratur cur malè elegerit eodem modo,
quo de mandatario, vel institore, siue
famulo, alioque præposito præiudicante
domino, vel præponenti, habetur *disc. 9.
de locat. disc. 106. de credit. & alibi plu-
riès*, & aduertitur *d. disc. 161. de Regal.*

Hinc proindè dicebam, cauendum es-
se à tali præsupposito, quinimò principa-
litèr insistendum in eius negatione, du-
plicem habente inspectionem; Vnam,
nempè, quod crimen, de quo feudi pos-
sessor imputatus erat, admissa illius per-
fecta, & concludenti probatione, eo mo-
do, quo per fiscum prætendebatur, non
esset de illis feudalibus, ex quibus di-
ctus effectus resultat; Et secundò quod
vbi etiam esset tale, non tamen de illo
sufficientèr constaret.

Sed quoniam semper tutiùs, ac meliùs
consilium est, insistere in motiuis facti
potiùs, quàm in illis, quæ consistant in
16 articulo iuris penè semper dubijs, & pe-
riculosis, vt aduertitur *disc. 35. de iudic.
& disc. 46. in relatione Curiæ, & alibi*; Id-
circò aduertebam primùm insistendum
esse in secunda inspectione deficientis
probationis, vel excusationis imputati
criminis, ad quem effectum iam aliud
dederam responsum, de quo *d. disc. 191.
de regalib.* super admissione filiorum, alio-
rumque interessatorum ad defensionem
absentis, & contumacis.

Vt enim ibidem aduertitur, magna
differentia est inter illam criminis proba-
tionem, quæ præiudicet solùm ipsi in-
quisito contumaci, & illam, quæ præiu-
17 dicet tertio innocenti, independentèr
venienti iure suo; Priori etenim casu,
quotiès adsint inditia sufficientia ad tor-
turam, quorum vigore transmitti potest
inquisitio, vel monitorium, si monitus nõ
comparet, atque efficitur contumax,
tunc lex in odium contumaciæ presumit,
vt in deterius, ideòque in eo inducit, vel
fingit imputati criminis confessionem.

Secùs autem est in altero casu, in quo
agatur de præiudicio tertij innocentis, &
independentis, quoniam cũ huic vera, &
expressa confessio, vel alter actus alie-
nationis, siuè alterius præiudicij præiu-
dicare non possit, ita multò minùs præ-
iudicare potest ista confessio ficta, ideó-
que ad hunc effectum receptum est, fel-
loniæ, vel alterius criminis plenam, &
concludentem requiri probationem ve-
ram, non autem fictam, à contumacia re-
sultantem, vt apud *Peregrin. de iure fisc.
lib. 5. tit. 1. num. 110. Farinacc. quæst. 25.
num. 79. Caball. d. resolut. 182. nu. 25. &
communitèr*.

Istam verò probationem, retenta præ-
dicta facti serie, dicebam legalitèr, ac na-
turalitèr impossibilem videri ad conclu-
dendam felloniam, & positiuam infide-
18 litatem, cum agatur de simplici actu ne-
gatiuo consistente in omittendo, & abs-
que dubio æquiuoco referibili, vel ad
æmulationem inter Ducem, aut officialẽ
inter milites frequentem, & connatura-
lem, quia nempè opinari potuerit, Ducem
cum ipso gerere voluisse id, quod de
mandato Dauidis fecit Ioab cum Vria;
Vel ad timorem; siuè quod reputaret
mandatum parum rationabilem, & op-
portunum; Quamuis etenim huiusmodi,
vel similes causæ, ad quas hæc non pa-
ritio referri posset, non essent sufficien-
tes ad excusandum inobedientem à te-
meritate, & delicto, pro quo iuxtà leges
militiæ, arbitrium Iudicis extendi posset
etiam ad graues pœnas ordinis capitis,
& publicationis bonorum; Attamèn sem-
per erit delictum in officio, personale
non autem felloniæ, & infidelitatis, cum
ad hunc effectum constare deberet de
præordinata amicitia, & intelligentia cum
hostibus, quodque dolosè, & studiosè ne-
glectum fuerit tali mandato parere, cu-
ius circumstantiæ nullam probationem
haberi supponebatur, dum in transmissa
inquisitione, nulla de hoc mentio fiebat,
vt verisimilitèr sequutum fuisset.

Prætereà vbi etiam ista probatio ac-
cederet, adhuc tamen dicebam etiam in
sensu veritatis, istud dicendum esse qui-
dem crimen felloniæ, & infidelitatis per-
sonale, & accidentale, non autem feuda-
le,

19 le, vtpotè ratione officij personalis, & extrinseci à feudo, adeóvt iste officialis consideraretur tanquam miles ratione industriæ, & peritiæ personalis ad illud munus assumptus.

Tunc etenim crimen videtur feudale, quando feudatarius deficeret ab ea fidelitate, vel ab eo seruitio, quod versatur circa feudũ, illique incumbat, putà quia feudum tradat hostibus, vel quod dolosè, vt hostibus adhæreat, renuat seruire domino, accedenti ad bellum iuxtá feudatariorum obligationem; Vel quod seruiendo in figura militis feudatarij, infidelitatem committat, siué quod assistendo, tanquam feudatarius in Aula domini, illa committat crimina, quæ in supra allegatis titulis feudalibus recensentur, cũ tunc verificari dicantur rationes, de quibus innixa est dicta rigorosa, & exorbitans opinio, vt pro delicto vnius, tertius innocens puniatur, secús autem vbi pro crimine extrinseco, & accidentali, prædicta ratio præpositionis retorqueatur, dum præponens tenetur de facto præpositi, quando delinquat circa opus, cui præpositus est, secùs autem si extrà, cúm tunc non teneatur, vt *eod. disc. 9. de locat. & disc. 106. de credit. & alibi*.

Quarè si possessor feudi deficiat à solutione census, vel tributi, præiudicat successoribus, iuxtá deducta suprá *disc. 5.* quia est delictum circa feudum, eiusque occasióne; Ideóque dicitur crimen feudale, sed si ratione peritiæ, & industriæ personalis deputetur quæstor ærarij, vel alteri præponatur officio, in quo delinquat etiam dolosè, surripiendo pecuniã fiscalem, & infidelitèr se gerendo, adeó vt infidelis, & rebellis dici mereatur, grauibus pœnis ordinarijs dignus, non per hoc dicendum erit crimen feudale, dum non est circa feudum, eiusque occasione, sed potiùs extrinsecum, & accidentale, ratione muneris personalis, circà quod, dominus sibi imputet cur malè elegerit, neque primo acquirenti imputari potest, cur malè præposuerit, dum crimen non respicit illam administrationem tunc præpositi; Et quamuis cum diligentijs tunc adhibitis, casus non dederit inuenire auctoritates ad hanc distinctionem descendentes, istasq; facien-
20 tes reflexiones, Aduertebam tamen sufficere non adesse auctoritates in contrarium, vt etiam pro delictis commissis in officio extrinseco à feudo, intrent pænæ criminis feudalis ad effectum, vt id dicendum sit, ita suadente viua ratione, cum qua cessante legis auctoritate necessaria, potiús est procedendũ, vt *d. disc. 35. de iudic. & disc. 32. in relat. Curia, & in opusculo stYli, ac sæpiùs*.

DE FEVDIS

DISC. CXXXII.

Romana alienationis Tenutæ.

Discursus pro veritate, suppressis nominibus.

De eadem Bulla Piana de non infeudando, de qua pluriès suprá, quam speciem bonorum capiat.

SVMMARIVM.

1 *Quod iste casus sit notabilis, & de ratione, num. 17.*
2 *Facti series.*
3 *De quibus bonis loquatur Constitutio Piana.*
4 *Sub ea veniunt etiam Castra, & loca confiscata, vel aliàs quæsita.*
5 *Tenuta, & bona priuata non veniun t.*
6 *Castrum potest esse penès vnum, & iurisdictio penès alterum.*
7 *Castra, & loca iurisdictionalia, an censenda sint iure feudi, vel iure allodij.*
8 *Castra, & loca prædicta constituunt vniuersitatem.*
9 *Baro, vel feudatarius in proprio feudo, vel Castro possidere potest bona allodialia, tanquam priuatus.*
10 *De destinatione patris familias, quod operetur, vt vna res sit membrum alterius.*
11 *De diuersis dominijs, quę concurrunt in eadem persona cum exemplo practico.*
12 *De applicatione ad casum.*

13 *Qua-*

13 *Qualis dicatur Ager Romanus.*
14 *Iurisdictio non acquiritur sine concessione Principis, vel immemorabili.*
15 *In venditionibus Castrorum, & locorum Baronis, venire solent etiam bona priuata.*
16 *Canthela ad effectum euitandi obstaculum Bullæ.*
17 *De rationibus, ob quas iste casus est notabilis, vt num. 1.*
18 *Damnatur vsus Baronum, & infeudationum.*

DISC. CXXXII.



1 OTABILIS nimium est prædictus casus, vel eius series, ob aliquos effectus magna consideratione dignos, de quibus in fine.

Cùm itaque Dux Ioannes, eiusque fratres essent Domini Castri, vel Arcis Gandulphi, & Oppidi, vel Castri nuncupati Rocca priora, nec non cuiusdam
2 Tenutæ in agro Romano, negligerent autem dissoluere graue æs alienum paternum, ac etiam propriū, fidentes fideicommisso, vel inuestituræ, cuius ratione prætendebant non posse pro debitis patris, & fortè fratris maioris pati subhastationem dictorum bonorum, hinc ob istorum creditorum præsertim recursus, & conquæstiones, non deficienribus illis creditoribus aliorum Baronum de anno 1596. per Clementem VIII. penè circa primos annos Pontificatus, anno scilicèt quinto, ædita fuit sæpius enunciata Bulla Baronum, atque per Congregationem ab ea erectam de eodem anno, & ad menses post illius editionem processum fuit ad prædictorum Castrorum, & bonorum exequutionem, & subhastationem; sed quoniam eo initio, fortèque in primo casu praxis dictæ Bullæ, non de facili inueniebantur oblatores, atque doctissimus, & prudens legislator, id præuidendo in eadem bulla mandauerat, vt non reperto iusto oblatore, generalitèr Castra, & bona emerentur per Cameram; id circò Commissarius Cameræ obtulit pro Castro Gandulphi, cum quo tanquam annexum, seù membrum reputabatur istud prædium scut. 150. mil. & pro Rocca priora scut. 78. mil. deliberationi expressum consensum præstantibus ipsis possessoribus, quibus ex eiusdem Pontificis indulgentia concessa fuit facultas redimendi pro eodem pretio infrà illud triennium, quod in ea præficitur, ne bona cadant sub infrascripta bulla; Cùmque vel sub eodem Pontifice, vel sub alijs successoribus, dictus locus Castri Gandulphi destinatus fuerit ad delitiam Pontificum, quando ruràri velint, vt nostra ætate practicatum præsertim vidimus ab Vrbano VIII. & Alexandro VII. quorum ambo ad magnificentiorem structuram Pontificis habitationi proportionatam, illud palatium siue arcem reduxerunt, atque vltimus cū Ecclesia magnificæ structuræ, locum nimium nobilitauit, idcircò ad instar Tusculanæ Ciuitatis, & Pontificiorum hortorum existentium in palatijs pontificijs Vrbis, iste locus commissus fuit gubernio, & administrationi Præfecti Palatij Apostolici, de cuius iurisdictione in huiusmodi locis fit mentio *in Relat. Curiæ disc.* 8. Vndè propterea ob quandam traditionem, quod dicti antiqui Domicelli iurisdictionem in dicta Tenuta quoque vbi occasio præberet, exercerent, idem Præfectus, quamuis raró continuauit, eiusdemque Tenutæ fructus, & emolumenta sub eodem appaltu fructuum, & emolumentorum Castri, annecti consueuerunt.

Ista igitur facti serie sic stante, ab amico, apud me alicuius auctoritatis, incertum est, an ex parte administrantium Cameram, vel ex parte illorum, qui in animo haberent emptioni dictæ Tenutæ incumbere, meum pro veritate consilium petitum fuit, an huic alienationi obstaret nec ne *Consil. 35. Pij V. de non infeudan.* dubitandi rationem præbente dicta circumstantia, quod esset iurisdictionalis, atque ex præmissis diceretur pars, vel membrum dicti Castri Gandulphi.

Negatiuè visum est respondere pro non comprehensione scilicèt, quotiés non constaret, quod antiquitùs in loco adesset Castrum inhabitatum, cum vassallis, cum iurisdictione, & imperio in eis; adeòut eiusdem tenutæ fines constituerent territorium, seù manzum contradistinctum, & de per se, vndè dici po-
3 test Castrum iurisdictionale, saltèm habitu, seù aptitudine ad nouam reædificatio-

tationem, iuxtà casum, de quo *disc.* 54. *& seqq. cum similibus*, quoniam Constitutio loquitur de Ciuitatibus, Oppidis, Terris, Castris, Arcibus, & locis, quæ in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad certas generationes concessa, & alienata, ad Cameram postmodùm deuoluta sint, vel deuolui contingat; Et sub quo genere certè dicebam compræhendi ipsum Castrum Gandul-
4 phi, quamuis re verà, non iure deuolutionis, sed iure priuatæ, & correspectiuæ acquisitionis ad Cameram redierit, dum ex rationibus, de quibus suprà *disc.* 128. supèr comprehensione illorum locorum, quæ ad Cameram obuenerint iure confiscationis, pro priuato indifferenti delicto, reprobando *cons.* 16. *Spada lib.* 1. Tùm etiam ob expressam declarationem contentam in eadem bulla Baronum, vt elapso triennio, Castra, & loca per hanc viam acquirendo, dictæ bullæ subiacerent, quod clariùs declaratum, & stabilitum fuit per Constitutionem Alexandri VII. occasione Status Castri paritèr ad Cameram reuersi, & consimili causa priuatæ correspectiuæ emptionis.

Credebam tamen non compræhendi hanc tenutam, vtpote extrà genus dictorum bonorum, de quibus Constitutio loquitur, & collocanda inter bona priuata, & indifferentia, passiuam potiùs patientia, quàm actiuam iurisdictionem
5 habentia; siquidèm non ex eo, quod in prædio exerceatur iurisdictio, inferri potest, quod illud sit iurisdictionale, quoniam in omnibus prædijs, & bonis tàm rusticis, quàm priuatis, iurisdictio exercetur, non ratione ipsorum bonorum de per se, sed quia illa sita sint in eo territorio, cui inest iurisdictio actiua, quam feudistæ dicunt esse in territorio, tanquam nebulam suprà paludem, siue ratione iuris territorialis, id est terrendi.

Quamuis etenim iurisdictio non sit pernecessè annexa loci dominio vtili, etiam iure feudi obtento, quoniam vt aduertitur pluriès in præcedentibus, & præsertim *disc.* 61. *&* 62. stant simul, vt
6 quis sit Baro, & feudatarius, & alter, etiam iure feudi, vel iure allodij habeat iurisdictionem, siue quod idem ex diuersis titulis, vel concessionibus habeat vtrumque, non per hoc tamen id immutat naturam; Et sic magna differentia est inter iurisdictionem actiuam, & iurisdictionem passiuam, neque ab hac posteriori ad priorem inferri potest.

Ad probandum autem hanc non comprehensionem, quodque ista Tenuta censenda potiùs esset priuatum prędium indifferens, situm in agro Romano, sub iure territoriali Vrbis, & possessa antiquitùs per dictos Domicellos, & nunc per Cameram iure dominij priuati, ad instar aliorum priuatorum, quamuis aliás sint Barones, & Magnates, qui in eodem agro, Tenutas, & Casalia, aliaque prædia, & bona possident, sequentes propositiones præmittebam.

Primò nempè, quod licèt iuxtà magis communem, & receptam opinionē, præsertim Canonistarum, cum qua potiùs, quàm cum illa Ciuilistarum in ma-
7 teria feudorum, & publicorum dominiorum proceditur, Ciuitates, Oppida, Castra, & Loca inhabitata cum vassallis, & cum iurisdictione, & imperio præsumantur potiùs allodialia, quàm feudalia, ex eo, quod feudalitas, tanquam seruitus, in dubio non præsumitur, præterquam in Regnis vtriusque Siciliæ, vbi exceptis Ecclesijs, regula est in contrarium, ex insinuatis suprà *disc.* 2. 56. 63. *& in alijs plurisès*; Attamèn in huiusmodi dominijs Baronalibus, & subordinatis, in quibus Papa, eiusque Magistratus, & Tribunalia, tam actu, quàm habitu habent altum dominium, ac superioritatem, & Regalia maiora, adeóvt dominium baronale, seù domicellarium redoleat speciem vicariatus, vel gubernij perpetui, cum iure percipiendi illius loci redditus, & emolumenta, tunc iuridicè dici non potest, quod obtineantur iure proprij, & veri allodij, quoniam istud excludit omnem dependentiam, & subiectionem, atque supponit maiorem, & absolutam superioritatem cum regalibus etiam maioribus, adeóut non recognoscatur alter superior nisi Deus, sed potiùs dicendum est, vt non constito de inuestitura, vel ex alijs probationum speciebus, de vera, & propria qualitate feudali, istud baronale, seù domicellarium dominium subordinatum Principi supremo, intrà cuius principatus fines loca sita essent, sit quodam mixtum constitutum ex duabus imperfectis, & improprijs naturis, ex illa

scilicèt allodij, ad effectum, vt non intret formalis seruitus feudalis, redolens necessitatem præstandi seruitium personale, vel reale sub pœna caducitatis, ac subiacendi oneri renouationis, & prohibitioni alienandi, alijsque oneribus, quæ in vero, & proprio feudo dignoscuntur; Et ex illa feudi, ad effectum excludendi dictum allodium verum, & proprium, & independentiam, sed probandi, quod Baro, vel Domicellus illum locum obtineat ex originaria concessione Papæ, tanquam domini directi, & Principis supremi, qualis qualis naturæ illa censenda sit cum reseruatione alti dominij, & superioritatis, ac regalium maiorum, nec non fidelitatis, & oblationis seruitijs in grauibus, & extraordinarijs vrgetij; Istaque est illa feudalitas, quam in hoc Principatu *ex consil. 8. Abb. lib. 1.* laté probat *Spada consil. 1. lib. 1.* vt locis citatis, & alibi pluriés aduertitur; ideòque ita dici etiam possint feuda impropria, & corrupta.

Istaque est ratio, ob quam dicta Piana Constitutio, quæ loquitur de infeudationibus, non distinguit, an Ciuitates, Oppida, Castra, & loca iure feudi, vel iure allodij possiderentur; quoniam sufficit, vt ea redolerent illud dominium publicum, & iurisdictionale, per quod loca ita possessa per feudatarios, & Barones quodammodo separata sint à reliquo statu existente sub immediato regimine Papæ, eiusque officialium, ideóque dicantur de statu mediato magis, & minùs, iuxtà pluriés insinuatas species mediationis, *hoc eod. tit. & in altero de regal.* & sic, vt sit dominium publicum, & baronale, cum iure territoriali, & iurisdictione actiua, ad differentiam illius dominij priuati vtilitarij, seù fructuarij tantùm sub aliena iurisdictione, & territorio, quod esse dicitur penès priuatos possessores prædiorum, & locorum indifferentium.

Secundò aduertebam, prænotandum esse, quod huiusmodi dominia publica

8 baronalia, seù domicellaria cum iurisdictione, & imperio in vassallos, & cum iure territoriali, siue sint iure feudi recti, & proprij, siué improprij, & corrupti, quod redoleat potiùs allodium, vt suprà, constituunt illam vniuersitatem, de qua pluriés in præcedentibus, præsertim *disc. 32. 56. & 61.* & quam feudistæ dicere solent vnum mansum, eo modo, quo in spiritualibus est diœcesis Episcopi, & territorium Ecclesiæ Cathedralis, & sic vnum corpus intellectuale, sed integrale, & indiuiduum, quod á feudistis appellatur homo mutus, surdus, cœcus, & claudus, quod eius facit operationes per organum feudatarij, eo modo, quo corpus catedraticum operatur per organū Episcopi, & Capituli, indiuiduum tamèn, quia scilicèt in sua compage, & integritate habeat eius membra vnita, cum mōstruosum sit, vt dentur membra separata á capite, & à reliquo corpore, iuxtá ea, quæ habentur *disc. 22. de iurisdict. & alibi.*

Tertiò, quod in ista vniuersitate, seù corpore, atque intra eius viscera, vel partes, atque in eadem possessoris persona

9 datur compatibilis concursus plurium dominiorum diuersæ naturæ, vnius nempè publici, & domicellarij, & alterius priuati, & vtilitarij, seù fructuarij in prædijs rusticis, & vrbanis, alijsque bonis, & iuribus, in quibus consideratur tanquam priuatus, vt in eisdem insinuatis *discurs. 2. & 3. 56. & 61. & alibi.* Verùm iste concursus fingit omnimodā diuersitatem plurium personarum formalium in vna persona materiali cum diuersitate respectuum, quia nempè in prima consideretur tanquam Baro, ac dominus publicus ipsius vniuersitatis cū imperio, & iurisdictione actiua, quæ in vniuerso territorio, in altera veró consideretur tanquam vassallus, & incola subditus sui ipsius, & sub iurisdictione passiua.

Quartò in idem, quod licèt detur casus, quod iuxtá illam destinationem patris familias, de qua *disc. 7. de legat.* & magis ad rem *disc. 6. de fideicomm.* alicui

10 Castro, seù loco baronali, & iurisdictionali, vt suprá annexa sint prædia priuata in diuersis territorijs existentia, & materialitèr á dicto corpore, seù manso territoriali separata; Attamén ista vnio, quæ proueniat à destinatione patris familias, operatiua est in ijs, quæ pendeant ab eius facto, & potestate, putà ad effectum successionis iuxtà casum, de quo *d. disc. 6. de fideicomm.* vel ad effectum comprehensionis sub legato, vel alienatione, iuxtà deducta *d. disc. 7. de legat. & alibi*; non au-

rem in ijs, qui pendent á potestate Principis supremi, & in quibus eius voluntas nihil operari potest, ideóque cum eadem fictione plurium personarum formalium, vel intellectualium in eadem persona materiali, dicitur multiplex possessor, pro diuersitate respectuum; Vt putà exempli-
11 ficando demonstrationis gratia pro faciliori intelligentia in Magno Duce Etruriæ (quamuis omnia bona, & iura huius domus, regulentur cum eodem ordine successionis, atque pertineant ad illum, qui tanquam primogenitus sit possessor Principatus maioris;) Attamèn diuersimodè consideratur, quoniam in Ducatu Florentino, cum annexis ad illam antiquam Rempublicam pertinentibus, consideratur tanquam Princeps supremus, & omninò independens iure illius veri allodij, de quo suprà; In Ducatu Senensi, tanquam feudatarius veræ dignitatis Imperialis, vel subfeudatarius, iuxtà deducta suprà *disc.59.* In statu Capestrani cum annexis in Regno Neapolitano, consideratur tanquam Baro, & feudatarius inferior, atque in palatijs, villis, & bonis, quæ possidet in Vrbe, consideratur tanquam priuatus ciuis, & sic in alijs bonis, & iuribus, quæ alibi existant.

His itaque prænotatis, atque descendendo ad applicationem, dicebam nullatenus hanc Tenutam, ratione annexionis cum dicto Castro, censendam esse de
12 illis dominijs publicis, de quibus dicta Constitutio loquitur, quoniam etiam in casu, in quo sita esset in territorio eiusdē Castri, adhuc dicenda veniret vnum ex prædijs priuatis, quæ Baro, vel Domicellus iure priuati ciuis possidere potest in proprio Castro, vel feudo; Multó magis dum sita est extra dictum territoriū, & in agro Romano, cum quo denotatur proprium, ac particulare territorium Ro-
13 manæ Ciuitatis, contradistinctum ab illo territorio magis lato, quod ad differentiam explicatur sub nomine districtus iuxtà distinctiones, de quibus *disc. 72. de regal. & alibi pluriès*; Et per consequens vt considerandus veniat tanquam priuatus possessor prædij priuati in dominio solùm fructuario, seù vtilitario iuxtà cōsiderationes, de quibus suprà *disc.61.*

Quarè si aliquos actus iurisdictionales in loco exercuit, id intrusioni de facto potiùs referendum venit, cum ob
14 certam iuris resistentiam ad hunc effectum, necessarium esset explicitum priuilegium Principis supremi, vel immemorabilis, cuius vigore illud allegari posset; Atque siué ista Tenuta esset penès vnum, siue alterum, dici non potest, quod exindè resultaret dictus effectus, veré & propriè à bulla consideratus, dismembrationis scilicèt à statu immediato, per quam locus fiat de statu mediato, vt suprà.

Neque alicuius momenti esse aduer-
15 tebam, quod in venditione facta non esset contradistincta mentio huius tenutæ vndè propterea vendita esset tanquam pars, & membrum Castri, quoniam ita docente quotidiana praxi huius Congregationis Baronum, iuxtà casus recensitos suprà *disc.74.cum plur. seqq & disc.13.& 151. de credito*, ac etiam in Regno Neapolitano, iuxtà casus recensitos *eod. tit. de credito disc. 22. & 27. & 30. & alibi*; Quando ad instantiam creditorum Baronis fit executio in Castris, & locis iurisdictionalibus, fit etiam executio in bonis priuatis, & allodialibus, quæ ille possideat, non solùm intrà fines Castrorum, vel locorum, sed etiam extrà, vt de executione domus, aliorumque bonorum existentium in Ciuitate Viterbi, & in alijs locis, habetur in casu, de quo *disc. 77. cum plur. seqq. & alibi*.

Ad omnem autem difficultatem remouendam, inhærendo considerationibus, & rationibus, de quibus suprà *d.disc.61.* aduertebam alienationem fieri posse, ac de-
16 bere cum hac expressa declaratione, vt scilicèt concederetur tenuta, tanquam prædium priuatum, existens in agro Romano, absque aliqua iurisdictione, vel iure territoriali, & ad solum dominium vtilitarium, seù fructuarium, eodem modo, quo sunt reliqua Castra, & prædia priuata in eodem agro existentia.

Ex ista veró facti serie manat id, quod initio insinuatum est, vt scilicèt nimium notabilis casus censendus veniat ad plu-
17 res effectus; Primó nempè quod iste fuerit primus casus, in quo dicta bulla Baronum practicata fuerit, & qui fortè magis impulit legislatorem ad illam edendam.

Secundó magis, quod cum (incertum est

est ex quo consilio) in eiusdem Castri porta insculpti sint isti versus:

Qui potenti minora negat,

maiora amittit.

Hinc vulgus credit, quod ob Pontificiam indignationem originatam ab inciuilitate possessorum, qui illo loco priuati fuerint, quasi quod fuerit priuatio potentialis, & de facto, iure illius supremæ potestatis, de qua *disc.* 148. *&* 177. *de Regal. & alibi pluriès*; Et quæ per non professores, tirannides dici solet; Et tamen ex dicta facti serie liquet, quod fuit licita, & canonica acquisitio ex causa onerosa, & correspectiua, more cuiuslibet priuati pro iusto pretio, quod creditoribus solutum fuit, vndè propereà dicti vulgi opinio falsa, & erronea detegitur, vt in plerisque alijs contingit.

Tertiò, quod vt pluriès ad materiam huius bullæ aduertitur, idem vulgus, partim ex ignorantia, & partim ex malignitate aduersùs istam bullam alloquitur, vt prodierit ad effectum parandi occasiones acquirendi Castra, & bona iurisdictionalia pro nepotibus; Et tamen Pontifex legislator ad id, nec quidem cogitauit, dũ non solùm istam neglexit occasionem, sed omnes alias, quæ eius Pontificatu durante sequutæ sint, adeò vt ipso viuente, eius coniuncti, & attinentes nihil mediante ista Congregatione Baronũ, quæsierint, sed cursuit Pontifex suo sumptu reintegrare statum Ecclesiasticum, quo magis potuit, acquirendo, pretio mediante, Oppidum Neptuni, & Montem Sancti Ioannis, aliaque similia loca ab inferioribus Dominis possessa.

Et quartò quod non implicat, vt ille, qui est dominus directus Ciuitatis, & Castrorum, ac locorum existentium intrà
18 eius Principatum sub dominio vtili, vel subalterno aliorum, ita emat rem propriam ad liberandum quò magis fieri potest subditos à dicta Baronum, & Domicellorum seruitute, ac etiam à quadã iniuria, quam loca baronalia pari videntur super minori existimatione nobilitatis, cùm tot alijs damnis, & præiudicijs, istæque sunt partes boni Principis; Vt è conuerso deplorabilis est abusus, qui viget in aliquibus Regionibus, vt Ciuitates nobiles, & qualificatæ, ita more prædiorum rusticorum vendantur etiam ignobilibus, qui ex beneficio Fortunæ diuitias parauerint, violando etiam contractus onerosos, & correspectiuos, iuxtà casus de quibus *disc.* 148. *de Regal.* quo nil absurdiùs, nilve detestabiliùs.

DE FEVDIS

DISC. CXXXIII.

Eadem Romana Castri Orciani.

De qua suprà Disc. LXX.

Inter easdem partes cum resolutionibus, vt infrà.

De eadem materia, de qua *d. disc.* 70. An, scilicèt, & quando dominium probetur per inuestituram; Et quando dominium iam probatum præscribatur, vel præsumatur amissum. Et probato dominio Castri, an exindè inferatur ad dominium prædiorum, & bonorum in eo existentium.

SVMMARIVM.

1 *Veritas cum dubijs, & obiectis meliùs inquiritur, & elucidatur.*

2 *De punctis, vel inspectionibus, in quas diuiditur discursus.*

3 *De regula, quod sola inuestitura non probat dominium contra tertium, & de limitatione concurrentibus adminiculis.*

4 *Quod in adminiculatiuis non dentur regulæ certæ, & de ratione.*

5 *De regula tenenda super adminiculorum pondere, & præsertim, an id quod est adminiculatum, habeat in suo genere certitudinem.*

Dantur exempla.

6 *De discrimine inter casum, in quo primordium concessionis sit certum, & clarum, & alterum, in quo sit incertum, & dubium.*

7 De

7 *De propositione non præsumendi delictū concessionis rei alienæ, & quod etiam ea, quæ non obtineantur, concedi soleant, & de ratione.*

8 *De canonizatione inuestituræ, quod esset in forma probante.*

9 *Quod falsò confingi soleant per modernos antiqua documenta.*

Ideòque eis non de facili sit deferendum absque adminiculis.

10 *Ex retentione in Archiuio proprio resultat verisimilis scientia.*

11 *Expenduntur aliqua adminicula.*

12 *De distinctione inter deuolutionem pœnalem, & alteram non pœnalem ob lineam finitam, ad effectum maioris, vel minoris probationis dominij.*

13 *Antiquitas excusat à rigorosa, & concludenti probatione.*

14 *Declaratur distinctio, de qua num. 12. & quando procedat.*

15 *De ratione cui innixa est eadem distinctio.*

16 *Declaratur item alia conclusio, de qua num. 13.*

17 *De conclusione, quod probato dominio de præterito, illud præsumatur de præsenti, & quando procedat.*

18 *Post decursum vnius sæculi, allegari potest quicunque titulus de mundo melior.*

19 *Probatio præsumpta non admittitur in ijs, quæ sunt fundamentum intentionis actoris.*

20 *Expenduntur præsumptiones excludentes præsumptionem, de qua num. 17.*

21 *De conclusione, quod feudatarius, vel concessionarius non præscribit inuestitura durante, quando procedat.*

22 *Quod per lapsum centum annorum, præsumitur finita inuestitura, & quando secus cum distinctione.*

23 *Per quantum tempus durare valeant, & præsumantur tres generationes.*

24 *Ex identitate cognominis, non infertur ad descendentiam, vel parentelam.*

25 *Qualis sit vera, & propria præscriptio, & qualis impropria, quæ præsumptionem potiùs redoleat.*

26 *Quod malum consilium sit allegare præscriptionem, bonum verò allegare præsumptionem.*

27 *De differentijs inter vnum, & alterum præsidium; Et quarè sit melius illud præsumptionis.*

28 *Expenduntur quædam adminicula post inuestituram.*

29 *Lis in qua actor succubuit, vel derelicta, non inducit malam fidem, & non interrumpit.*

30 *Quod probato dominio Castri, exindè non resultet probatio prædiorum, & bonorum intra eius fines existentium.*

31 *De argumento exigui canonis, quid operetur, & quando intret.*

32 *De potentia familiæ Pierleona in Vrbe, quando fuerit.*

33 *De eadem conclusione, de qua num. 30. & quando non procedat.*

34 *Concluditur qualis resolutio esset probabilior.*

35 *Admonitio, quod in iudicando, & concludendo vis non consistit in conclusionibus, & doctrinis, sed in earum congrua applicatione.*

DISC. CXXXIII.



IN ista præsertim causa, cuius facti series recensetur suprà *disc.* 70. expertus sum verificari vulgere dicterium, quod virtus in infirmitate perficitur, siuè quod aurum igne purgatur,
1 vel quod ferro via melius aperitur; quoniam cū in illis primis disputationibus, de quibus *eod. disc.* 70. agitur, penè vlla habita esset difficultas, adeòut resolutiones de plano prodierint super non probatione dominij, quasi superficialitèr de illa actum fuit; Post dicti autem discursus editionem, emanauit sententia ad formam ibidem in fine enunciatarum trium decisionum *coram Albergato*, quarum prima super dominio vniuersali est impressa *decis.* 452. *par.* 13. *rec.* cum altera præcedens super iudicio particulari sit *decis.* 282. *ead. par.* 13. Commissaque causa appellationis *in ead. Rota coram Emerix sub die* 15. *Iunij* 1672. responsum fuit de dictæ sententiæ confirmatione, sed repropoſita causa *coram eod.* 2. *Martij* 1674. recedendo à decisis, dictum fuit, sententiam esse infirmandam; ab hac autem resolutione recessum est *sub die* 24. *Ianuarij* 1676. *coram eod.* approbandò primam resolutionem pro sententiæ confirmatione, atque in hoc statu, causa reperitur.

In his itaque disputationibus in ista secunda instantia habitis, & præsertim in vltima aduersùs resolutionē tot præcedentibus contrariam, in qua disputatio fuit acrior, atque curatum fuit, causā quò maturiùs fieri potuit examinare: plures erant puncti; Primus nempè, an constaret de dominio Ecclesiæ actricis
2 de tempore factæ inuestituræ de anno scilicét 1286. Secundò, posito quod tunc, eoque tempore attento, sufficientes adessent probationes, an exindè inferri posset ad dominium de præsenti, ad effectū rei vendicationis contrà tertium possessorem; Tertiò, an ob lapsum tanti temporis intermedij intraret præscriptio, vel præsumptio amissionis dicti dominij; Quartò, pro dicti temporis intermedij regulatione, an esset attendenda lis mota de anno 1571. vel potiùs altera suscitata de anno 1639. Et quintò, posito quod constaret etiam de præsenti de dominio Ecclesiæ actricis, qualis effectus exindè resultaret quoad prædia, & bona intrà Castri fines existentia.

Quatenùs pertinet ad primum; Non negabant scribentes in contrarium, provt etiam contraria decisio expressé admittit conclusionem, de qua *d. disc. 70. num. 1.* quod sola concessio, vel inuesti-
3 tura non probat dominium concedentis, potissimè contra tertium, quem non constet habere causam ab eo, qui inuestituram obtinuerit, & acceptauerit, eo quia etiam res aliena concedi potest; sed dicebant id limitari, quando accedant adminicula, quod ego admittebam, loquendo generalitèr, & in abstracto; sed punctus est in adminiculorum qualitate, & efficacia; quando nempè talia dici valeant, vt hunc operentur effectum.

In hoc autem, re vera, certa, & generalis regula, cuicumque casui applicabilis, statui non potest, adeòut nedum error, sed stultitiæ species videatur illa aliquorum pragmaticorum, qui procedere
4 volunt cum regulis generalibus, vel cum illis auctoritatibus, quæ diuersos percutiant casus, cum iuxtà sæpiùs enunciata sub diuersis materijs, & præsertim *sub tit. de fideicomm.* & sub altero *de dote*, in proposito confessionis receptæ dotis, in adminiculatiuis probationibus non detur certa regula, sed totum sit remissum Iudicis prudenti arbitrio, regulando ex singulorum casuum particularibus circumstantijs, ex quibus rectè dari potest, vt in vno casu aliqua adminicula sufficiant, & exuberent, in altero autem eadem, & alia longé maiora non sufficiant.

Applicando autem ad rem, vbi etiam circà istum idealem punctum probationis dominij, vt tunc, & de tempore inuestituræ, non descendendo ad effectum, vel ad consequentiam, vt nunc, & de præsenti, desideranda non essent adminicula subsequentia, & à parte postea, iuxta secundum punctum, de quo infrà, adeòut inspicienda essent solùm adminicula antecedentia, & à parte antea, ex quibus comprobatum remaneret, quod tunc concedens esset dominus, atque tē suam, non autem alienam concesserit.

Adhuc tamen pro huiusmodi adminiculorum regulatione, & an maioris, vel minoris ponderis essent desideranda, re-
5 flectendum esse in primis, ac principalitèr aduertebam ad certitudinem, vel respectiuè incertitudinem ipsius principalis subiecti adminiculandi, nempè inuestituræ, seù concessionis. Vbi etenim illa de facto sit authentica, & vera, atque in suo genere certa, adeòut super eius forma probante, ac veritate, nulla cadat quæstio, quæ solùm restringatur ad regulam iuris fundatam in superiùs insinuata ratione, quod etiam res aliena concedi potest, & tunc adminicula non adeò vrgentia desideranda veniunt, stante certo primordio veritatis, adeòut agatur de construendo ædificium præsumptum, siuè adminiculatiuum super solo, vel super fundamentis certis, & solidis; secùs autem vbi ipsum primordium sit etiam incertum, ac dubium, vndé proptereà congruat, eius veritatem, ac formam probantem expiscari à præsumptionibus, & adminiculis, quoniam ita est construere ædificium præsumptum, & adminiculatiuum super solo, vel fundamentis etiam præsumptis, & adminiculatiuis, quod vel non est admittendum ex principio non dandi præsumptum super præsumpto, vel saltèm adminicula esse debent nimiùm vehementia, & magna, adeòut valdé vrgeant.

Vt putà (exem:gr:) Quando adest certa, & explicita alienatio bonorum, vel iurium Ecclesiæ, adeòut super ipso facto, vel

vel titulo alienationis tanquam certo, & expresso nulla cadat quæstio, quæ solùm sit super eius validitate ob requisita solemnitatis, & causæ; tunc si accedat diuturna, pacifica, & vniuoca obseruantia triennalis, & vltrà, hæc requisita præsumuntur, & multó magis vbi etiam alia accedant adminicula, ex ijs, quæ habentur *disc. 1. de alienat. & contract. prohib. & disc. 143. de dote, & alibi*, vbi de materia beneplaciti Apostolici præsumpti, aliarumque solemnitatum præsumendarum; sed si non constet de titulo expresso, & certo, adeó vt iste deducatur præsumptiuè, vel adminiculatiuè, tunc dicta alia præsumptio non intrat ex dicta ratione non dandi cumulum præsumptionum, ac specialitatum, siue ædificandi præsumptum, & incertum super alio præsumpto, & incerto, vt locis citatis habetur.

Siue in materia dotis confessatæ, de qua in sua sede *sub tit. de dot. disc. 159. & sæpiùs*; Si per instrumentum, vel aliam scripturam, de cuius veritate, ac certitudine non dubitatur, constat de expressa, & clara confessione, adeòut, nisi adesset iuris prohibitio inter coniuges, sed ageretur inter non prohibitos, absque dubio probaret concludentèr; vndè inter prohibitos desiderentur adminicula, tunc ista leuiora sufficiunt, potissimé vbi non adsit mixtura præiudicij tertij independentis à confitente; sed si ipsa confessio sit dubia, & incerta, adeòut illius veritatē ex adminiculis expiscari oporteat; tunc vtique longé maiora, & efficaciora desideranda veniunt, quoniam duplicem operationem facere debent.

Ad quod etiam conferunt ea, quæ habentur pluriès *sub tit. de fideicomm. & præsertim disc. 82.* super puncto, An filij in conditione positi censeantur vocati, non solùm vocatione actiua, sed etiam passiua, itavt sint etiam grauati, quoniam vbi vocatio actiua est certa, vt est in Vrbe ex statuto, tunc faciliùs infertur ad passiuam, atque minores requiruntur coniecturæ; sed si etiam actiua sit dubia, quia regula iuris sibi resistente, oporteat eam deducere ex coniecturis, vtique ad alterum effectum vocationis passiuæ, longé maiores, & efficaciores esse debent cum similibus.

Alia quoque discriminis ratione accedente inter casum, in quo ipsa concessio sit certa, adeóut super eius substantia & veritate de facto nulla cadat dubietas, quæ solùm restringatur ad regulam Iuris, & alium casum, in quo dubietas etiā facti accedat, quoniam priori casu, aliud
6 non vrget in contrarium, ob quod sola concessio non probat, nisi dicta possibilitas, vt etiam de re aliena concessio facta fuerit, sed hæc possibilitas, vtpotè continens quandam nudam iuris præscriptionem, de facili tollitur per contrarias præsumptiones, & adminicula facti, ac etiam per aliam iuris præsumptionem in dicta contraria *decis. 2. Martij 1674.* valdé magnificatam, vbi præsertim agitur de personis Ecclesiasticis, & qualificatis, vt in præsenti, quod agebatur de Capitulo adeò qualificato, id agente cū authoritate, & assensu Cardinalis titularis, quod scilicèt præsumendum non sit delictum concedendi id, quod suum non esset, ad tradita per *Crot. cons. 332. n. 10. & seqq. lib. 3. Rot. decis. 400. nu. 4. par. 1. recent.* sed in alio casu vrgent aliæ maiores difficultates, quoniam ipsum factum veritatis concessionis negari potest, vt suprà.

Vltrà quod ista præsumptio fundata in exclusione delicti, nimium leuis censenda est, quoniam non ex eo, quod Ecclesia, vel Prælatus, quantumuis qualifi-
7 catus faciat concessionem de re, quam tunc re vera non habebat; sed ab altero tanquam prætensa libera, & propria possideatur, resultat turpitudo, vel delictum, dum sæpiùs huiusmodi concessiones fieri solent de Castris, & bonis, quæ non habeantur, vtpotè ab alijs possessa, ob aliquam prætēsionem, quæ in eis habeatur ad effectum, vt concessionarius recuperet, atque prætensio redigatur, ad effectum; vt præsertim practicatum fuit per Sedem Apostolicam sub Alexandro VII. quod Marchioni Monteauto concessa fuit inuestitura Castrorum Vallis, & Mōtisleonis, quæ possidentur tāquam libera per Principem Plumbini, iuxtá seriem, de qua *hoc eod tit. disc. 54. & seqq.* Vndè proprerea in tractatu concordiæ conclusæ, sed ineffectuatæ, cùm opus esset, vt Mōteautus dictæ inuestituræ cederet, fuit examinatus articulus, de quo etiam suprà *hoc tit. disc. 71. in Rota* cum plerisque similibus exemplis.

In

In posteriori autem casu primordij incerti versari dicebam, quod scilicèt dicta inuestitura anni 1286. quæ erat fundamentum intentionis Ecclesiæ agentis, non esset adeò certa, & authentica, vt super illius veritate de facto nulla cade-
8 ret quæstio, quæ proindè ad solùm punctum iuris reduceretur, quoniam in antiquis disputationibus habitis *in Rota coram Cotta*, coram quo, tanquam iudice fabricæ S. Petri ista lis initiata fuit de anno 1571. in vim Bullæ B. Pij V. super bonis Ecclesiæ malè alienatis, *sub diebus* 4. *februarij* 1575. *&* 9. *May* 1576. dictum fuit, quod instrumentum istius inuestituræ anni 1286. non indigeret recognitione, eo quia versaremur in antiquissimis, atque accederent adminicula, de quibus infrà, idemque dictum *sub diebus* 8. *Iunij*, *&* 14. *Decembris eiusdem anni* 1976. quarum aliquæ sunt impressæ *in par.* 1. *diuersor.* nempè prima *sub die* 4. *Februarij*, *est decis.* 52. *repetit, decis.* 54. & secunda 18. *May* 1576. *est decis.* 58. *par.* 1. *diuersor.* Et sic firmata fuit veritas, non quia illa esset certa, sed quia in sensu tunc iudicantium ita suaderent antiquitas, & adminicula, ergo est probatio præsumpta, & adminiculatiua.

Et nihilominùs vbi huiusmodi antiquarum resolutionum reuisio assumenda esset, provt fieri debere, dicebam in congressibus, quatenus à dicta contraria decisione non esset recessum, probabilius veniret sperandus recessus, quoniam nunc in ista materia magis aperti sunt oculi, qui tunc erant clausi, vel cæcutientes, dum detectum fuit artificium ali-
9 quorum falsariorum decursi sæculi, & præsertim cuiusdam Alphonsi Ceccarelli, qui ob istam causam sub Gregor. XIII. per manus Iustitiæ obijt, conficiendi scilicèt antiquorum temporum priuilegia, & instrumenta, aliaque documenta, quæ originalis faciem haberent, imitando illorum temporum characterem, & stylum, aliaque verisimilia argumenta, quamuis ob istorum defectum à peritis, sed probis, ac fidelibus antiquarijs conuicti fuerint, vt præsertim de isto Ceccarello agitur inter *Epistolas familiares Vincentij Armanni Eugubini impressas Macerata de anno* 1674. *vol.* 2. *Epist.* 1. *apologetice*, *pagina* 61. *& seq.* occasione defendendi ab ista possibili confictione Ceccarelli, quódam antiquum instrumentum in Eugubina Ciuitate existens, in quo fit mentio Petri Cardinalis de Capisucchis, & super qua defensione ego quoque edidi discursum Italico idiomate, in quodam libercuIo impressum, adeóut irrisione potiùs hodie digna remaneant quædam antiqua priuilegia, & inuestituræ Othonis, & aliorum Imperatorum, ac similia per istos falsarios fabricata, ad extorquendas pecunias à vanitatis cultoribus antiquam nobilitatem mendicantibus, quotiès eadem documenta, alia non habeant solida, & vrgentia veritatis adminicula; Et per consequens erroneum est, post has machinationes defectas procedere, cum illis nimium vagis, ac leuibus generalitatibus, cum quibus tunc processum fuisse, eædem decisiones ostendunt; Potissimè quia frasis, vel eloquutio non videtur illis temporibus magis barbaris adaptata; magnamque inuerisimilitudinem præbent quædam clausulæ feudales tunc ad vsum non redactæ, aliæque considerantur inuerisimilitudines, ideòque argumentum deductum à sola antiquitate; his stantibus nimium fragile, ac periculosum remanet.

Magno quoque huius confictionis verisimili argumento resultante ab adeò diuturno silentio trium sæculorum, á dicto scilicèt anno 1286. vsque ad annum 1571. motæ litis, absque eo, quod interim de canonis aliqua exactione, alioqui actu aliquid appareat, quinimò neglecta fuit possessio Ecclesiæ, & tenimentorum, ac decimarum, aliorumque iurium reseruatorum, vt etiam infrà in tertio puncto præscriptionis, vel præsumptionis ad-
10 uertitur. Ista namque inuestitura iuncta, cum alijs antecedentibus de annis 1097. & 1141. supponitur reperta in eiusdem Ecclesiæ actricis Archiuio, in quo conseruata fuerit, quod præsupponit in ipsis Capitulo, & Canonicis scientiam, iuxtà firmata apud *Cauaier. dec.* 77. *&* 91. *cum alijs relatis disc.* 21. *de iudic. num.* 66. *& alibi*; ideóque saltèm negari non posse aduertebam, quin ipsius conceptionis veritas de facto sit incerta, solùmque adminiculatiuè deducatur cum contraria possibilitate.

Descendendo verò ad adminicula, ea nimiùm imperfecta, & inefficacia esse, **dicebamus ego, & alij pro hac parte scri-**

scribentes, atque in fauorabilibus decisionibus admittitur, etiamsi versaremur in casu, in quo primordium veritatis esset certum per veram, & concludentem probationem: multó igitur magis tali certitudine cessante, vt suprá: siquidèm pro adminiculis, per alteram partem ad-
11 ducebatur superiùs enunciatę antiquiores inuestituræ annorum 1097. & 1141. ambo nullius ponderis, tùm quia sunt scripturæ omninò informes, & imperfectæ, tùm etiam quia de earum effectuatione aliqua non constat, aliosque plures patiuntur defectus in nostris decisionibus ponderatos; ideòque vel omninò inutiles censendæ videntur, vel saltèm nimiùm lęuia producunt adminicula. Fortiùs verò, quoniàm sunt remotissimæ ab actu, dum prima distat per spatium annorum 189. & altera per spatium 145. adeóut adsit inter media centenaria, cuius vigore allegari potest omnis melior possibilis titulus amissionis cuiusennq; dominij antiqui, si quod adesset, iuxtà ea, quæ habentur infrá in tertio puncto.

Tertium adminiculum deductum ex Bulla Calixti II. de anno 1123. paritèr, vel nullius, vel nimium leuis ponderis videtur, tùm ex mox insinuato motiuo intermedij spatij annorum 163. tùm etiá quia dicta Bulla est ad supplicationem Capituli, nilque concedit, vel positiué probat, sed præsupponit, seù enunciat generalitèr bona, & iura antiqua Ecclesiæ.

Quartum adminiculum deducebatur ex transactione super canonibus decursis in libris mille, sed illud deducitur ex corpore eiusdem inuestituræ, ideòque eisdem laborat defectibus; neque dici potest, quod sit extrinsecum, ac diuersum; Et vlteriùs nulla datur probatio, nec quidèm fumus solutionis, quodque transactio effectum sortita fuerit.

Et demùm ad quintum deductum, ex inuerisimilitudine, siuè ab exclusione turpitudinis, & delicti concedendi rem non suam, & in quo aliqui ex Iudicibus nimiùm se fundarunt in dicta contraria resolutione, iàm responsum est suprá; Imó etiam si pietatem, atque integritatem in eisdem personis presupponere debemus, istud adminiculum potiùs retorquetur, atq; comprobat huius partis intentionē, circà ea, quæ in 3. & 4. puncto inferiùs habetur.

Agnoscendo autèm scribentes pro Ecclesia actrice, quod re vera dici non posset adesse illam perfectam, & concludentem probationem, quæ ad effectum rei vendicationis contra tertium est necessaria, vt supra, recurrebant ad distinctionem, in qua præcipuum fundamentum constituere videtur dicta contraria decisio in principio, quod scilicèt rigo-
12 rosa probatio concludens, & perfecta requiratur, vbi agatur de deuolutione pœnali magis odiosa, ob non solutionē canonum, vel ob alienationem, aut aliam speciem caducitatis; secús autèm, vbi de deuolutione non pœnali, & non odiosa, ob lineam finitam, cùm tunc probationes non requirantur adeó concludentes, in id allegando firmata *apud Canaler. decis. 269. Buratt. decis. 602. num. 9. & Dunozett. decis. 741. num. 7. & 939. num. 6.* Potissimè in antiquissimis, in quibus nè alias impossibilis reddatur probatio dominij; non adeó rigorosè procedi debet,
13 sed sufficere debent adminicula, & coniecturæ, vt apud *Canaler. decis. 93. apud Millin. decis. 374. Coccin. decis. 1708. decis. 597. par. 4. recent. tom. 3. num. 5. & in alijs.*

In vtroque tamén assumpto (etiam in sensu veritatis) dicebam procedi cum æquiuoco, tàm attenta littera, quàm etiam ratione dictarum authoritatum in applicatione, quodque dictæ propositiones essent veræ in casibus suis, malé autèm ad rem applicarentur; Quatenùs etenim pertinet ad primam propositionem, super dicta distinctione inter deuolutionem pœnalem, & alteram ob lineam finitam, illa non habetur in iure Ciuili, vel Canonico statuta; minusque
14 per antiquiores interpretes tradita, sed originalitèr deriuare videtur á dicta *decis. 269. Canaler. in fin.* vbi absque aliqua authoritate, vel ratione id firmatur ad superabundantiam, postquam firmatum fuit constare sufficientèr de dominio, ex concessione adminiculata, cum adminiculis subsequentibus á parte posteá denotantibus effectuationem concessionis, in ipsis possessoribus, eorumque auctoribus, præsertim cum solutionibus Canonum, & geminatis confessionibus, vel recogni-

recognitionibus iam antecedentèr in eodem casu ponderatis *apud Millin.dec.*11. *in fine*, id subiungendo eum verbo *Tantò magis*.

In casu autèm *decis.*602. *Buratt.* proceditur cum *d. decis. Canaler.* & cum altera *Manzared.* 249. *par.*1.*recent.* in qua agebatur incidentèr ad effectum excauationis lapidum, ac etiam in eadem *decis. Buratt.* non agebatur de formali deuolutione, ac rei vendicatione, sed solùm ad effectum cogendi manum mortuam, vt rem poneret, accepto pretio extrà manum non mortuam, quod non redolet interesse nimiùm considerabile; Et nihilominùs, cum ageretur de concessione recenti, concurrebant plura adminicula à parte postcà, nempè solutiones Canonum, solutiones Laudemij, reseruationes consensus in alienationibus, & multiplicatæ confessiones Auctorum, & paritèr ista distinctio ponderatur ad superabundantiam, eum verbo, *Præsertim*.

Prout in *decis.*741.*Dunozett.* agebatur de inuestitura recenti anni 1560.& principalitèr consideràtur quamplura adminicula à parte posteà redolentia eius obseruantiam, & effectuationem in concessionarijs, eorumque successoribus, cum quibus erat quæstio, & paritèr dicta distinctio consideratur ad superabundantiam, cum verbo *Maximè*.

Idemque in *decis.*939. *eiusdem*, in qua dicitur, quod dominium inter partes nō controuertebatur, & tamèn in facto recenti anni 1566. aderant eadem adminicula à parte postcà denotantia effectuationem concessionis, præsertim inscriptio marmorea, & continuatæ solutiones canonum, per longissimum tempus annorum triginta, & vltrà; Eiusdemquè naturæ sunt quotquot aliæ auctoritates, ac decisiones, quæ in materia habentur nimium diligentèr collectæ per scribentes in contrarium, vt præsertim, vltrà prædictas, sunt *decis.*374. *Millin. decis.* 135. *Penia decis.*290.*par.*1. *recent. & in Sabinen. coram Litta apud Marchesan. par.*1.*pag.*1079. quoniam in omnibus accedebant adminicula à parte postcà redolentia effectuationem concessionis in inuestitis, à quibus possessores, cum quibus erat quæstio, causam haberent; Nulla verò dabatur authoritas, quæ firmaret, vt contra tertium, quem nullatenùs constat habere causam à concessionario, sufficere debeat adminiculatiua, & imperfecta probatio antiquissimę concessionis, cuius nulla detur effectuatio, ex eo, quod non ageretur de deuolutione pœnali, sed de alia ob lineam finitam, dum tertius possidens rem, tanquam liberam, negat in genere casum cuiuscumq; deuolutionis, & terminationis alicuius lineæ, vtpotè se dicens omninò independentem ab asserto concessionario.

Ponderando siquidém rationem, cui dicta distinctio innixa est, ea percutit casum, in quo non controuertatur dominium agentis in genere, & in substantia, adeóut certò constet de præexistente, & continuante eius iure, ex continuatis solutionibus canonis, vel alterius respōsionis, & ex recognitionibus, & confes-
15 sionibus possessoris, eiusque authorum; sed solùm quæstio sit super qualitate dicti iuris, vel dominij, quia nempè Dominus Actor prætendat agi de vero contractu emphyteutico, in quo ob canones non solutos, vel ob alienationem irrequisito Domino, fiat locus caducitati, possessor veró prætendat agi de perpetua locatione, vel de censu reseruatiuo, adeóut non intret restrictio ad hæredes sanguinis, & ad lineam, iuxtá quæstiones, de quibus *disc.*30. *& seqq. de Emphyteus.* cum similibus; Tunc enim Domino docente de inuestitura adminiculata, ob quam emphyteutica qualitas iustificetur, benè intrat dicta distinctio, quod ad effectum deuolutionis non pœnalis facilior probatio admittitur, quám ad alteram pœnalem, pro qua omninó clara, & euidens probatio desideratur, adeóut possessor nullam allegare valeat causam, vel credulitatem, quæ à pœna excuset; Istiqui sunt veri, & proprij termini dictæ distinctionis, quæ propterea ad rem nostram omninó extranea remanet.

Paritèr eadem responsio cadit super alio assumpto antiquitatis, cū illud procedat, quando certum sit primordium veritatis, quod illa res, de qua est quæstio dependeat à concessione illius, qui
16 ob deuolutionem eam vendicare velit, possessor autèm id non neget in substantia, sed in qualitate, vt suprà, atque ex parte

parte Domini agentis vrgeat æquitas, vel iusta causa, quæ illum excusare debeat à magis rigorosa probatione; Vt puta, quia linea concessionarij longissimam habuerit durationem, qua pendente possessores bonorum concessorum, pro tempore soluerunt canonem, vel aliam recognitionem, neque ius Domini directi negarunt; quarè ipse ob non factum casum deuolutionis, diù acquieuit, dum obtinebat singulis annis id, quod consequi debebat, neque aliam actionem experiri poterat; ideòque si finita linea, possessor obijcere velit, quod inuestitura, cuius vigore petitur deuolutio, & vendicatio, indigeat exacta, & rigorosa probatione, tunc Dominus reddi meretur excusabilis, ob temporis antiquitatem, ob quam aliæ magis concludentes probationes perierint, rectéque adaptatur dicta ratio, atque cum hoc præsupposito loquuntur dictæ decisiones *Millin. Coccin. Caualer.* & aliæ desupèr allegatæ super isto assumpto antiquitatis, quod scilicèt constaret de successiua obseruantia à parte posteá, donèc factus esset casus deuolutionis; Sed vbi hæc deest, tunc antiquitas potiùs retorquetur in contrarium, vt infrà in tertio puncto præscriptionis, vel præsumptæ cessationis dominij: Ac propterea concludebam, quod assumpta essent vera in illis casibus, in quibus allegatæ, ac aliæ auctoritates loquuntur, eorum retentis circũstantijs, & rationibus nullatenùs autèm ad casum, de quo agitur adaptarentur; Eatenùs etenim antiquitas est considerabilis, vt robur tribuat scripturæ informi, quatenùs iuncta sit cum obseruantia, fine qua in nulla consideratione habenda venit, vt aduertitur *disc. 29. de Iudic. nu. 42. & alibi sæpiùs*.

Hinc aduertebam, opus non esse, assumere alios punctos, vt suprà distinctos, cum ob non probatum dominium, etiam ex tunc, cessaret ità quæstio in radice; Verùm ad exuberantiam (assumendo secundum punctum super dominio de præsenti) dicebam, nil referre, an probaretur, quod Ecclesia Actrix esset Domina Castri de anno 1286. si non docetur de continuatione, & competentia dominij, de tempore intentatæ vendicationis, ob intermedium spatium trium sæculorum, in quo illud per redemptionem, vel alienationem, aliumuè legitimum titulum amitti potuit, atque res effici libera, vt in fauorabilibus decisionibus, & infrà in tertio puncto.

Super hoc autèm in contraria decisione admittitur id, quod scribentes in cõtrarium dicere solebant, quod nempè probato iàm dominio de tempore con-
17 cessionis, illius continuatio, ac retentio præsumitur, vt qui docet se dominum, & possessorem de præterito, præsumatur etiam Dominus, & possessor de præsenti, ex ijs, quæ habentur apud *Grauett. de antiqu. temp. par. 1. §. Viso in hac. sub n. 5. Mascard. de prob. concl. 551. nu. 1. & seqq. Menoch. lib. 6. præsumpt. 62. num. 1. & seqq. Ciriac. contr. 204. num. 41. & seqq. Rota decis. 590. num. 3. par. 4. recent. tom. 3.* per quos allegatur *Dec. Ruin.* & alij, de quibus etiam in contraria decisione.

Verùm, cum firmiori sensu veritatis, in hoc magis, quàm in alijs; de quibus suprà, æquiuocari dicebam, ex pluribus fundamentis, quorum quodlibet singularitèr, ac de perse consideratum sufficeret; multò igitur magis, ea omnia simul iuncta considerando.

Primò, quoniàm ista præsumpta retentio, vel continuatio intrat infrà breue tempus, non autèm post longissimum triginta, vel quatraginta annorum, quod est sufficiens ad præscribendum, vt declarat idem *Grauett. de antiqu. temp. par. 1. sub num. 303. propè fin. versic. modo præsens.* Multó igitur magis, quando adest spatium intermedium tot sæculorum, dum vnius tantùm sæculi lapsus sufficit, vt possessori licitum sit allegare quemcumque titulum de mundo meliorem aduersus actorem super eius domi-
18 nij amissione, ex deductis, *disc. 3. de feud. disc. 3. de alien. & contract. prohib. disc. 21. de Iudic. & alibi frequentèr*.

Et quidém, vbi nullas desupèr haberemus iuris authoritates, vel rationes, ad sensum claré id probaret ipsa ratio, vel discursus naturalis, atque comunis praxis, quoniàm aliàs esset penitùs reuoluere totum Mundum, si probationes etiam certæ per authentica documenta, & historias, ac inscriptiones, aliasque species dominij antiqui duorum, vel triũ, fortiùs quatuor sæculorum retró, absque alia probatione retentionis, & continuationis, deberent de præsenti sufficere, ad vendi-

vendicationem aduersùs tertios, cùm historiæ doceant, plerasque Ciuitates, Oppida, Castra, & loca, imò Prouincias, & Ditiones à duobus, vel tribus, vel vlterioribus sęculis retrò possideri per aliquos, nunc autèm esse penès alios, vt cuiquè infrà medioeritatem in historijs versato, innotescit.

Secundò, quia in Rota, & Curia receptum est, vt in actore non admittatur probatio præsumpta ex sola præsum-
19 ptione iuris in ijs, quæ sunt fundamentum suæ intentionis, vt per *add. ad Gregor. decis.53. decis.202. num.4. par.5. rec.* & aduertitur *disc.33. num.15. de Iudic. & alibi pluriès*.

Tertiò, quia tunc dicta opinio, quæ contradictoribus non caret, procedere posset, quando probatio antiqui dominij esset omninò certa, & concludens, adeònt excludat contrariam possibilitatem, quod est essentiale requisitum perfectæ, benèque concludentis probationis, vt habetur *disc.22. de Iudic. num.20. & alibi*; Secùs autèm, vbi est probatio præsumpta, & adminiculatiua, quoniàm tunc esset dare inconueniens in Iure reprobatum, de quo suprà in primo puncto cumuli præsumptionum, & specialitatum, atque desumendi præsumptum, ex præsumpto, vt in specie *Arelitan. in add. ad Alciac. de præsumpt. regul.2. præsumpt.20. num.4. Mascard. de prob. d.concl.551. num.9. cum seqq. Barbos. in l. finè possidetis num 5. & 7. C. de probat.* apud quos alij referuntur: Ideòque cum ex supra firmatis in primo puncto, dominiū, vel nullatenùs probatum sit, vel sit probatio præsumpta, & adminiculatiua, hinc sequitur, vt nullo pacto conclusio intret.

Et quarto, quod eadem præsumptio, tanquàm simplex iuris tantùm, tollitur, per contrarias fortiores præsumptiones; *vt ex Menoch. præsumpt.62. num.9.* admittitur in *d. decis.590. par.4. recentior. tom.3.* & in eadem contraria *decis.* eum sit propositio firmissima.

Multæ verò in præsenti vrgent contrariæ præsumptiones ad enidentiam, hanc simplicem, & nudam iuris præsumptionem elidentes; Primò nempè spatium temporis adeò diuturni, absque eo, quod; nec quidèm fumus, vel signum aliquod detur retentionis, & continua-
20 tionis dominij; Secundò tot alienationes factæ, etiam in manus mortuas expressè prohibitas, qualis præsertim erat Hospitale Sancti Spiritus, à quo possessor causam habebat. Tertiò enunciatiuæ plures, illa præsertim Franeiscæ Pierleonæ, in decisionibus enunciatæ, de qua infrà, quod quædam portio, ad eam liberè spectaret pleno iure dominij: Et quarto fortitèr, quoniàm in eadem inuestitura Ecclesia concedens, sibi reseruauit quasdam Tenutas, vel Prædia, nec non decimas, aliaque Iura; & tamen ista de præsenti non possidet, neque probat, quinimò, neque dat fumum, vel adminiculum, quod á dicto tempore anni 1286. citrà possederit, atque actus dominij exercuerit; Ergò sicuti amisit hæc bona non concessa, sed retenta, ità etiam illud ius, quod in Castro habere poterat, amittere potuit, mediante aliquo legitimo titulo, cuius nunc memoria, & notitia post tot sęcula perijt; ideòque prodijt dicta conclusio, quod post lapsum vnius sęculi competit possibilitas, allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.

Pro exclusione istius effectus, ex adeò diuturni temporis lapsu resultantis, scribentes in contrarium, quibus adhæret dicta contraria decisio, præsupponendo, quod lapsus tēporis allegaretur ex hac parte, tanquàm præsidium præscriptionis, duo dicebant: Primò nempè, quod præscriptio allegari non potest, per possessorem malæ fidei, qualis supponebatur author Principis hodierni possessoris; ex eo, quod quęsijsset lite pendente: Et secundò, quod præscriptio non currat
21 durante inuestitura, sed incipiat post illam finitam, quodque id Domino innotuerit, præsertim verò Ecclesiæ, cui, negligentia Prælati, vel administratorum præiudicare non potest: Ideòque cum constaret, partem istius Castri fuisse possessam per dictam Franciscam Pierleonam, quæ obijt de anno 1517, hine inferebatur, vt hoc tempore, & non priùs, præscriptio inchoare deberet, quatenùs doceretur, id ad Ecclesiæ notitiam deuenisse, de quò non constat, ideòque stante lite mota de anno 1571. ità cessare dicebant omnem difficultatem.

Quinimò, ex ista circumstantia, quod Castrum, saltèm in parte possessum fuisset per dictam Franciscam, inferebant
claré

clarè probari effectuationem concessionis, quodquè ita adesset adminiculum à parte posteà, dum ad istam, ex dicta concessione facta eius maioribus, obuenisse præsumendum erat, iuxtà celebre *consil.*145. *Fulgos.ex pluriès deduct.sub tit. de fideicommiss. & alibi*.

Quatenùs itaq; pertinet ad hunc punctum præscriptionis, qui est tertius, circà primum obiectum deductum à mala fide resultante à lite, qua pendente, in authores possessoris vitiosè alienatio facta esset, illud de plano tollebatur ex facto, adeòut contineret erroneum præsuppositum facti, in quo docebatur id nullam habere subsistentiam, ideòque alia discussio iuris non fuit necessaria.

Quò verò ad alterum punctum Iuris, vbi etiam procedendum esset cum terminis præscriptionis, dicebam esse quidèm in puncto iuris veram dictam propositionem, à me deductam suprà *disc.3. hoc eod. tit. num.*19. *&* 20. vbi allegantur *Bal. Crauett. Bellon. iun. Surdus, Rosenthal. & alij*, quod scilicèt feudatarius, vel alter concessionarius, eiusque successores durante inuestitura, nnnquàm præscribunt, etiam per mille annos; Verùm eodem modo, quo supra in tot alijs, fallacia manifesta erat in applicatione ad casum; procedit etenim, quando ipse possessor, qui præscriptionem allegat, vel eius authores professi sunt possidere illa bona, tanquàm feudalia, vel emphyteutica in vim inuestituræ, de qua agitur; quoniàm tunc ipsa causa possidendi, probat possedisse iure concedentis, non autèm proprio, siuè in solo illo dominio subalterno, quod inuestituræ qualitas præbeat, vel saltèm, quod ita sit de iure præsumendum, quia possessores habeāt causam ab inuestito, ex cuius iure possederint; Secùs autèm vbi possessor, tàm ex persona propria, quàm ex illa authorum, totum id negat, atque profitetur semper possedisse bona tanquàm libera, & allodialia ex alio iure, & titulo omninò independentèr, tàm à concedente, quàm à concessionario, nunquàm verò in vim inuestituræ, quoniàm tunc conclusio non intrat, neque per somnium, vt ita distinguendo habetur *apud Bellon. iun. Surd. Rosenthal. & alios, de quibus d. disc.3. num.*19. *&* 20. Ideòque cum possessor, & authores professi sint possidere hæc bona, tanquàm libera, pleno iure omninò independentèr à concessionarijs, ac aliàs quam ex inuestitura, hinc conclusio extranea omninò remanet à casu.

Aduertebam propterea, quod non constabat quandiù inuestitura durauerit, & an ex primis concessionarijs fuerint, nec nè superstites filij, & nepotes, in quibus perfici potuerint tres generationes, ad quas concessio restricta fuit,
22 vt etiam aduertitur suprà *disc.*70. vbi ex ibi allegata *decisione* 402. *Bich.* de hoc nō constito, sufficit lapsus annorum centum; & sic vsque ad annum 1386. à quo tempore, vsque ad annum 1571. vbi etiam admittendum esset, quod ex tunc dici deberet mota lis, adest spatium annorum 185. & sic vltrà centenarium.

Vt etenim distinguendo firmatur in *d. decis.* 402. *Bich. & apud Zarat. decis.* 89. *&* 95. *& decis.*227. *num.*17. *& seqq: &* 363. *num.*1. *& seqq. par.*13, *recent. & sub tit. de Emphyteus.* filij, & allj descendentes non præsumuntur, nisi eorum superexistentia probetur, talique probatione non facta, sufficit lapsus annorum centum; sed vbi adsit hæc probatio, tunc non sufficit dictum tempus, sed probandus est finis generationum.

Et nihilominùs, vbi etiam hæc probatio adesset, adhùc ante motam dictam litem de anno 1571. adesse dicitur spatium centenarium post finem trium generationum, cum in totum adsit spatium annorum 285. dictas verò generationes
23 impossibile est durasse per annos 185. Manifestè siquidèm erroneum dicebam esse calculum scribentiùm in contrariū, quod cùm quilibet possit viuere, vsque ad centum annos, ita tres generationes importare possint cursum penè trium seculorum, quoniàm primi concessionarij, qui sunt de prima generatione, præsuponuntur viri iam adulti, & maiores, ipsiq; post annum septuagesimū, vel parum vltrà filios procreare non poterant, eorumque filij, & nepotes non poterant procreare filios, nisi post pubertatem, & vsq; ad dictam ætatem decrepitam; ideòque ita vna vita confunditur cum altera, eo modo, quo habemus in Sacra Genesi, super generationibus ab Adam, vsque ad Noe, quando vita hominum adeò longæua erat, ac etiam post diluuium à Noe, vsque ad Abraham, quando licèt non

esset ita longæua, adhuc tamen ad plura sæcula ascendebat; Et tamén secunda generatio filij, pro frequentiori contingentia, per modicum spatium annorum quadraginta, vel quinquaginta circitèr superabat vitam Patris, ex dicta ratione, quod vna vita confunditur cum altera. Et per consequens bené calculãdo, iuxtá communem, & generalem contingentiã, impossibilis censenda est hæc duratio vltrá annos 185.

Atque ad id comprobandum, aduertebam, obseruari debere omnes decisiones, quas habemus in materia feudali, vel emphyteutica, cum restrictione ad tres generationes, quæ iam extiterint, atque terminatæ sint, quod non reperietur casus, in quo hæc duratio ascendat ad metam annorum centum quinquaginta; Siquidèm *in Assisien. apud Merlin. decis.* 420. *&* 454. durarunt minùs, quam per centum annos: Idemque in plerisq; casibus, de quibus agitur apud *Coccin. decis.* 1194. *& in alijs recensitis d. tit. de Emphyteus. disc.* 12. *cum pluribus seqq. & in alijs*, adeòut non detur casus ascensus, ad terminationem vnius sæculi, cum medietate alterius, sed multò minus.

Argumentum veró deductum ab existentia dictæ Franciscæ de Pierleonibus, quæ supponitur defuncta de anno 1517. circitèr, prorsùs fallax, quinimó omninó contemptibile, cum eodem sensu
24 veritatis esse dicebam, cùm nulla daretur probatio sufficiens, quinimó, neque imperfecta, vel simplex fumus, quod ista Francisca descenderet ab inuestitis, atque de illorum genere esset, solaque similitudo cognominis, non docto, saltém per adminicula de identitate familiæ; & de descendentia, in nulla penitùs considoratione habenda est, etiam ad leuiores effectus, ex ijs, quæ laté in hac materia habentur *disc.* 50. *& seqq. de fideic. disc.* 32. *de præminent. & disc.* 31. *de iurepatr. & alibi pluriès*; Maximé quia dicebatur, quod etiam de præsenti in Vrbe, & districtu plures adsunt, etiam populares, & pauperes huius cognominis; Vndè propterea, nullatenùs ad casum adaptabilis est dicta præsumptio deducta, ex *d. consil. Fulgos.* Cum procedat in filijs, alijsque descendentibus, in quos non constito de alio acquisitionis titulo, præsumptio est, quod bona à patre, alijsque ascendentibus prouenerint.

Multò veró magis, ob multa vrgentia argumenta in contrarium, absque dubio istam leuem, ac simplicem iuris præsumptionem excludentia. Primó nempé, quoniàm si ita esset, ista Francisca debuisset possidere totum Castrum, & tamén actus, de quo agebatur, probat possessionem cuiusdam modicæ portionis, reliquum possidentibus diuersis personis omninò extraneis. Secundó, quia impossibile erat, quod ipsa esset de tertia generatione, vt suprà. Tertió, quia erat incapax, vtpoté fœmina, dum concessio cantat, pro filijs, & nepotibus masculis. Quartò, quia enunciatiua contenta in testamento viri eiusdem Franciscæ iam defunctæ, id excludit, dum dicitur, quod illa portio spectabat ad eam iure pleni dominij. Et quintó, quia pro legato eiusdem, bona data fuerunt liberè, ac pleno iure in solutum Hospitali S. Spiritus, contrà expressum inuestituræ tenorem, né transiret Castrum ad manus mortuas; idcóque vt præmissum est, dicebam, quod re vera istud fundamentum omninó contemptibile dici mereretur.

Ceterùm, quamuis retentis etiam dictis terminis præsumptionis, adhuc tutum videretur ius rei, & possessoris, vt suprá; Attamén in hac vltima disputatione, super impugnatione contrariæ decisionis, Ego præsertim aduertebam, atque principalitèr instabam, quod quidquid per alios scribentes dictum fuisset, & an isti termini præscriptionis adhibiti essent, nec né: Attamèn quoad me vn-
25 quam, nec quidem cogitaueram eos adhibere, dum potiùs adhibere semper consueui alios terminos præsumptionis, quæ ex diuturni temporis lapsu resultat, quamuis ista, ex quodam improprio, & vulgari vsu loquendi, soleat etiam dici præscriptio, vt aduertitur in sępiùs enũciato *disc.* 21. *de iudic.* vbi generalitér de hac materia præscriptionis, ac etiam *d. disc.* 3. *de alien. & contract. prohib. & sub tit. de credito*, pluriès occasione agendi de præscriptione statutaria, & alibi.

Præscriptio etenim in eius veris, ac proprijs terminis, dicitur illa, per quam, ob diuturnum silentium, vel iuxtá vnam opinionem, in pœnam, & odium negligentiæ, vel iuxtá alteram, ex causa fa-

uoris

uoris publici, nè dominia diù ſtent in incerto, tollatur vni ius, vel dominium, quod iam certò conſtet aliàs ſibi competere, illudque ex temporis, vel iſtius præſidij beneficio transferatur in bonæ fidei poſseſsorem, qui aliás eſset re vera non dominus, vndè ita dominus efficiatur, adeòut tempus vim habeat tituli; vt patet *ex tot. tit. ff. & Cod. de præſcript.* Iſtoq; caſu meritò rigorosè proceditur, ſuper huius præſidij requiſitis verificandis; adeòut nimium rari ſint caſus, in
26 quibus illud faciat ſuam perfectam operationem, ex deduct. *d. diſc. 21. de indic.* vbi ac etiam *d. diſc. 3. de alien. & contract. prohib. & alibi*, aduertitur malum, atque imprudens conſilium eſse ad iſtud præſidium recurrere, ac propterea iſtam ſpeciem nunquam deducere in animo habui.

Illam tamén præſcriptionem impropriam, ideſt præſumptionem, ex antiquiſsimi temporis lapſu reſultantem, Ego ſemper deduxi, & inculcaui, quod ſcilicèt non docto, infrà adeò diuturnum ſpatium quatuor, vel trium ſeculorum, de aliquo, nec quidem minimo actu retentionis, & continuationis illius dominij, quod inueſtitura ſupponit, ita reſultet præſumptio, quod eadem inueſtitura nullum habuerit effectum, vtpotè de re, quæ per alium, etiam tunc obtineretur, vel quod illud directum dominium modicæ conſiderationis, vtpotè in ſolo fructu duorum ſolidorum, redimi, ſeù alienari potuerit, ob illam poſſibilitatem, quæ per ſolum lapſum vnius ſæculi conceditur, multò magis, vbi adſit ille quatuor, vel ad minus trium; Potiſſimè, ob ſuperiùs ponderatam præſumptionem, vel argumentum, quod eadem Eccleſia, neque poſſideat tenimenta, & bona, ac iura in inueſtitura non comprehenſa, ſibique expreſsè reſeruata.

Notabilis verò differentia dignoſcitur inter vnum, & alterum præſidium; Tùm quia primùm præſcriptionis eſt potiùs odioſum, & pœnale, vtpotè iam præſupponens aliquem dominum, qui ità ob
27 ſolam diuturnam negligentiam priuatur, quod nimium difficile, nimiumque rarò in Eccleſia eſt practicabile; E' conuerſo antèm alterum præſumptionis, eſt potiùs fauorabile, vt ita præſumendo titulum, cuius memoria perierit, rerum dominia reddantur certa, neque ſemper ſint in incerto, cum magna totius Orbis inuolutione, vt ſupra.

Tùm etiam, & fortiùs, quoniam quādo reus, & poſſeſſor ſe tuetur cum præſidio præſcriptionis, tunc fatetur actorem eſſe alias dominum, ac habere intentionem fundatam, ſed curat eam elidere, cum hac exceptione, in qua ipſe dicitur actor, iuxtà diſtinctionem, de qua *diſc. 2. & 22. de iudic.* & per conſequens tenetur iuſtificare præſcriptionis requiſita, præſertim bonam fidem, & poſſeſsionem propriam, vel illam eius authorum, qua vti poteſt, & ſic docere per quantum tempus ipſe, eiuſque authores rem poſſederint, adeòut concludat centenariam; Sed quando idem ſe tuetur cum dicto alio præſidio præſumptionis, tunc reo, & poſſeſſori ſufficit vincere fugiendo, ſeù negando, & ſic non ex iure ſuæ antiquæ poſſeſſionis, ſed ex iure non probatæ effectuationis inueſtituræ, cum adminiculis à parte poſtea, quæ duo denotent; Primó nempè, quod inueſtitura effectum ſortita ſit; Et ſecundò, quod poſſeſſor obtineat, ac poſſideat bona vigore illius inueſtituræ, excludendo poſſibilitatem, quod ab alio non obtinuerit, vt cum tertio requiri firmatur ſuprà *diſc. 70. & in deciſ. fauorabilibus*: Ideòque actori venienti cum inueſtitura, reus, & poſſeſſor replicare poteſt actori, iſta non ſufficit ad tuę actionis fundamētum, niſi etiam doceas cum adminiculis à parte poſteà, quod illa effectum ſortita ſit in meis authoribus abſque neceſſitate docendi per quantum tempus ipſe poſſederit, ex regula, quod reo ſufficit vincere per non ius, & ſic negando, & fugiendo.

Alia quoque vigentę differentia inter iſtas ſpecies, quod in illa formalis præſcriptionis fiunt multæ ſubductiones, de quibus *d. diſc. 21. de indic.* & præſertim in bonis Eccleſiæ, illa vitæ Prælati alienantis, ſecús verò in altera ſpecie præſumptionis, vt *diſc. 1. de alien. & contract. prohib. & diſc. 143. de dote, & alibi.*

Ad iſtum magnum, ac re verá ineuitabilem ſcopolum diuturnitatis temporis euitandum, ſcribentes in contrarium, magnum faciebant fundamentum, in quibuſdam literis Apoſtolicis Benedicti Duodecimi, de anno 1340. & Calixti III.

de anno 1457. innouantibus superiùs enunciatas literas Calixti II. anni 1123. in quibus inter bona, & iura istius Ecclesiæ enumeratur istud Castrum Orciani: Ita etenim duo resultare dicebant;
28 Primò nempè, quod ità interruptum fuerit dictum diuturnum silentium; Et secundó, quod ita adesse dicerentur adminicula á parte posticá, dum isti actus sunt posteriores inuestituræ; sed paritér istud videbatur alijs leuiùs fundamentũ, quoniam istæ literæ nil disponunt de præsenti, nihilè concedunt, vel augent, sed solùm continent innouationem paginæ concessionis antiquæ Calixti II. quam timebatur perire posse ob temporis vetustatem; potissimé quia in literis præsertim Benedicti expressé dicitur, vt nullum ius de nouo exindè quæratur; Neque ista dici possunt adminicula posteriora inuestituræ, quoniàm ad hunc effectum, vt præmissum est, desiderantur illa adminicula, quæ denotent effectuationem, ac obseruantiam ipsius inuestituræ in possessoribus, vel eorum authoribus, adeòut ita comprobetur, quod illa effectum sortita sit, quodque eius vigore, non autèm ex alio titulo bona possessa fuerint ab eiusdem possessoris authoribus.

Qinimò aduertebam, quod ex his literis euidentiùs comprobata remanebat dicta præsumptio, quod istud directum dominium alienatum, vel redemptum fuerit, eodem modo, quo alia bona reseruata, distractu fuisse præsupponendum venit, quoniàm occasione obtinendi istas literas renouationis, Canonici illius tẽporis ità certam noticiam habuerunt, quod istud Castrum esset de pertinentijs Ecclesiæ, atque tunc concessio verisimilitèr erat terminata, vel quod saltém finis trium generationum immineret, dũ de tempore literarum Calixti iàm effluxerant anni 171. ac proptereà omninó improbabile est, quod negligere voluerint recuperationem, signum clarum, quod sequuta esset aliqua alienatio, rectè cognita Canonicis illius temporis magis proximi, dum ità non potest allegari ignorantia, minusque potentia, de qua supra, cum in eo tempore nullæ habeantur istius familiæ memoriæ notabiles.

Hactenus cum præsupposito, quod silentium computandum esset à tempore inuestituræ, vsque ad annum 1571. in quo lis mota fuit, & quo tempore attento, non probatur possessio centenaria, in authoribus possessoris; sed solùm annorum 60. circitér, dum antiquiora documenta super huiusmodi bonorum locationibus tactis, per Hospitale S. Spiritus in parte erant de anno 1509. At quando de iure non istud tempus anni 1571. sed alterum recentiùs anni 1639. in quo hæc lis instaurata fuit, attendi deberet, tunc dicebam, quod res procederet magis de plano, dum ita iustificata remanebat possessio pacifica centenaria, per quam intraret dicta facultas allegandi quemcumque titulum meliorem.

Super hoc igitur puncto, (qui est quartus, vt suprà distinctus) dicebam, quod lis antiqua anni 1571. fuit diuersa super bonis particularibus, illaque terminata ad fauorem possessoris, per rem iudicatam, canonizatam, vt supra *in decis. 282. par. 13. recent.* & per consequens duplicitèr ista lis attendenda non erat. Primó nẽpè, quia erat in iudicio diuerso ab isto vniuersali totius Castri; Et secundó, quia in ea possessor obtinuit, atq; actor succu-
29 buit; quo casu lis non interrumpit, sed potiùs cõfirmat bonã fidem, & pacificam possessionem, quam ità magis licitam declarat *Gregor. decis. 467. num. 1. vbi add. num. 15. Buch. decis. 361. num. 23. dec. 283. in fin. par. 8. recentior. decis. 253. num. 3. par. 13.* & aduertitur *eod. disc. 21. de iudic.*

Verùm reflectendo ad veritatem de hoc dubitabam, quoniám re vera iudicium ab initio motum fuit super toto Castro, super quo obtenta fuit sententia super eodem Castro in genere, deindèq; illa reuocata ex motiuo identitatis non probatæ, stante quod Hospitale confugijt ad motiuum, quod non esset possessor totius Castri, sed aliquorum bonorum particularium: Considerabam tamén, quod dicta lis, vtpotè derelicta, vsque ad annum 1639. euanuerit, quoniam licét attenta dispositione iuris Canonici instantia sit perpetua, & non pereat; attamén per silentium triginta annorum habita censetur pro derelicta, ex deductis *disc. 7. de iudic. & disc. 92. de benef.* ideòque intrat eadem conclusio, de qua supra, & in specie apud *Coccin. decis. 2283. num. 34.* Sed paritèr dubitabã,

cum

ẽum ad hunc effectum non sufficiat tempus, sed requiratur etiam malum ius, ideòque res pendet à meritis, & sic in isto motiuo non videbatur constitui posse tutum fundamentum.

Demùm in omnem euentum, posito etiam, quod his omnibus cessantibus, firma esset contraria decisio, super probatione dominij, etiam de præsenti, ac ad effectum vendicationis contra tertiũ: Adhuc tamen dicebam, vt id aliud importare non posset, nisi dominium territoriale, seù iurisdictionale Castri, non autèm dominium priuatum, & vtilitarium tenutarum, & prædiorum intrà eius fines existentium; Atque vbi iste punctus subsistat, fauore possessoris, penè inutiles remanent omnes præmissæ quæstiones, dum istud dominium territoriale, seù iurisdictionale, vtpotè de Castro iam diruto, est modici, penèque nullius valoris, nulliusque fructus, adeòut inutilis quæstio dici mereatur.

In sensu autèm illius veritatis, quam Aduocato affectionem habenti erga cliẽtem, & ad causam cognoscere conceditur, dicebam, ac reuera credebam, quod vbi etiam dicta inuestitura attendi debe-
30 ret, illaque sufficientèr dominium probaret, adhuc tamen illa non nisi in dicto dominio publico vniuersali, & in ratione territoriali, seú iurisdictionali, intelligenda veniret, ex sola iuris regula, de qua supra *disc. 2. & 56.* vt sub nomine Castri non veniant prædia, & bona intrà eius fines existentia, quamuis ab eodem feudatario, seú Barone possessa sint, ibique habentur auctoritates, & rationes frustrà hic repetendæ; Et fortiùs vbi Castrum non constituat vnum integrale, siuè (vt feudistæ dicunt) vnum mansum à solo feudatario possessum, absque eo, quod alij priuati in eo territorio bona possideant, iuxtà casum, de quo *dicto disc. 56.* & quo casu aliqua ratio dubitandi cadere potest, ex ibi deductis, sed alij priuati possideant, vt in hac facti specie, per plures priuatos prædia ibi possideri concludentèr cum instrumentis, & testibus iustificabatur in facto, eademque inuestitura probat conuincentèr, dum in ipsamet inuestitura continetur exceptuatio tenimentorum, aliorumque bonorum, & iurium, quæ ab eadem Ecclesia in isto Castro possidebantur, ergò contradistinctum est vnum dominium ab altero; Potissimè quia constabat, quod intermedio tempore inter primas inuestituras annorum 1097. & 1141. & hanc vltimam anni 1286. eadem Ecclesia à pluribus priuatis, ex legatis, & donationibus aliqua prædiola obtinuerat; Ac etiam in idem cum antecedenti ob nimiam modicitatem responsionis duorum denariorum, cùm tamen in licentia concessa per Cardinalem titularem, ex commissione Apostolica dicatur fieri ad Ecclesiæ vtilitatem, vt ex Canonum dispositione præsefert natura alienationis, & concessionis bonorum Ecclesiæ, ideòque patet, quod concessa fuit res nullius fructus, & vtilitatis, sed solùm cuiusdam honorificentiæ, dum agebatur de Castro, tunc etiam diruto, dum ea bona, & iura, quæ erant in aliquo fructu, pro se ipsis, Canonici retinere voluerunt singulæ siquidèm istæ ponderationes de perse sufficere videntur, multò magis simul iunctæ, ex regula, vt singula, quæ non prosunt &c. concedendo solùm fumum honorificum.

Aduersùs hanc vltimam circumstantiam adeò modicæ responsionis, duo replicabantur ex parte Ecclesiæ. Primó nempè, vt id prouenerit, ob magnam potentiam huius familiæ Pierleonæ, deducendo historias Schismatis illius Petri Leonis, qui se intrusit in Pontificatu sub nomine Anacleti; Et secundò, deducẽdo exempla Status Vrbini, aliarumque ibi adiacentium Regionum, quod Castra, & bona magni valoris per Ecclesias conceduntur, sub consimili exiguo ca-
31 none, vt patet ex pluribus casibus recensitis *sub tit. de Emphyteus.* Istæque responsiones in penultima disputatione, in qua dicta cõtraria prodijt resolutio præcedentium reuocatoria, magnam fecerunt impressionem, magnumque habuerunt plausum.

Verùm reuera erant plausu indignæ, vtpotè nimium leues, & fallaces, nullamque subsistentiam habentes; Siquidèm quoad primam potentiæ huius familiæ, aduertebam plura vrgere, ex quibus motiuum contemptibile, pro meo sensu videbatur; Primó nempè, quia nulla dabatur probatio, an illi, de quibus inuestitura loquitur, essent de illa domo, & progenie, de qua historiæ lo-

quuntur, quod magnam in Vrbe tunc potentiam haberet: Secundò, quia dicta potentia fuit circà initia sęculi duodeci-
32 mi, ideòque ex eo tempore inferri non potest ad tempus inuestiturę, dum inter vnum, & alterum intermediat spatium annorum circitèr centum quinquaginta; Potissimè quia in hoc intermedio tempore, rerum status in Vrbe, totaque Italia, magnam recepit immutationem, vt eędem historię docent, ac pręsertim, quod in eadem Vrbe potentiam quęsierunt plures alię familię: Illa nempè Comitum, quę tres habuit Pontifices Innoc. III. de anno 1198. Gregor. IX. de anno 1227. & Alexand. IV. de anno 1254. Altera familia Vrsinorum, quę habuit Pontificem Nicolaum III. de anno 1277. & familia Sabella, quę habuit Pontifices Honorium III. de anno 1216. & Honorium IV. de eodem anno 1286. huius inuestiturę, vltrà familias Columnensium, & Anguillariorum, & similes, adeòut de hoc tempore ista familia apud Historicos nullam in Vrbe faceret figuram. Et tertiò, quoniàm ista consideratio intraret, quando ageretur de priuata concessione facta, per Canonicos, cum quibus cadere possit concussio rationę potentię, secùs autèm in pręsenti, quod totum gestum est, cum authoritate Papę, & Cardinalis titularis; Vel quod principalitèr ageretur de rescissione actus, ob lęsionem Ecclesię; secùs autèm dum id deducitur pro argumento in comprobationem regulę, seù pręsumptionis iuris, vt supra.

Et circa exemplum aliarum Ecclesiarum, aduertebam ęquiuocari; quoniàm id prouenit ex antiqua consuetudine illarum regionum, fundata in eo, quod bona essent priuatorum, qui ob illorum temporum factiones illa dederant Ecclesijs ratione protectionis, ab eisdem inconrinenti recipiendo, sub exigua responsione, vt *eod. tit. de Emphyteus.* pluriès aduertitur.

Replicabant quoque ijdem scribentes, pro Ecclesia, quod regula, de qua *dicto disc. 2. & 56.* desumpta ex *cons. 121. Oldr. & alijs*, ibidem recensitis, procedit, quan-
33 do concessum esset simplicitèr Castrum, cum suis pertinentijs, absque alia expressione; secùs autèm vbi dictum sit, *cū terris cultis, & incultis, Siluis, Stirpetis, Montibus, & Collibus Molendinis, &c.* quasi, quod tunc concessio latiùs pateat, iuxtà ponderata *in discursu, seù Voto Orani*, tunc Rotę Auditoris in hac eadem causa de anno 1599. & in quo erat totum fundamentum dictorum scribentium; sed paritèr istud videbatur fragile fundamētum, quoniàm huiusmodi expressiones fieri solent pro solito formulario inuestiturarum feudalium ad denotandum iurisdictionem, & ius dominicale vniuersale; ac etiam illud ius, quod solet esse publicum, & feudale in locis campestribus, & alijs, quę de eorum natura, & qualitate sunt potiùs iuris publici, & feudalis, seù dominicalis, quàm priuati, iuxtà distinctionem, de qua suprà *eodem disc. 2.* Ac propterea, cum tali generalitate intelliguntur concessa ea, quę adsint, & si quę sint, iuxtà deducta supra *disc. 32.* Et clariùs, dum in inuestitura expresśe dicitur, quod conceduntur, talitèr, qualitèr Ecclesię competunt.

Triplici etiam consideratione in idem accedente. Primò nempè, quod ista dubietas cadere potest, quando res esset omninò dubia; atque constaret, quod Castrum secum traheret tenutas, & prędia, secùs autèm vbi constar, quod concedens illa tenimenta, & prędia, quę iure priuato possidebat, noluit concedere sed pro se retinere, ac etiā constat, quod alij priuari quoque possiderent, ideòque non cadit illud dubium, de quo suprà *disc. 56.* Secundò, quod dicta regula, seù pręsumptio iuris non est sola, sed habet fomentum aliarum pręsumptionum facti, de quibus suprà. Et tertiò, quod prima inuestitura anni 1097. continet adamussim eadem verba, eandem generalitatem, & tamèn ex multis publicis instrumentis, quorum aliqua ex parte eiusdē Ecclesię actricis producta fuerunt, constat, quod ipsamet, hoc intermedio tempore inter dictam primam inuestituram, & hanc vltimam, pleraque prędia, & bona obtinuerit à diuersis priuatis possessoribus, quorum alij plerique aderant; Ergo generalitas adiecta est, iuxtà formularium huiusmodi inuestiturarum, eo modo, quo supra dictum fuit.

Et ex his, & alijs, quę per alios huius partis defensores deducebantur, maturè reflectendo ad veritatem, mihi vi-
34 detur, quod priores resolutiones, ac

vltima

vltima illis conformis, essent iustæ, beneque fundatæ; improbabilis autém inter media contraria.

Hinc etiam edocemur id, quod nimium quidem frequentér, semper tamèn vtilitér, & oportunè, mea est do-
35 cendi, & inculcandi consuetudo; quod scilicèt hodiè in iudicando, & consulendo, punctus non est in cumulo conclusionum, & in collectione auctoritatum, sed in earum congrua applicatione ad casum, de quo agitur, quoniàm pleræque conclusiones per scribentes in contrarium deductæ, & in dicta contraria decisione admissæ, sunt in suis casibus veræ, malæ autém applicatæ ad casum, vt supra &c.

DE FEVDIS

DISC. CXXXIV.

Vercellen̄ feudi.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

An, & quando feudum dici valeat, per clausulas inuestituræ alienabile, vel trāsitorium ad fœminas.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De clausula in feudum nobile, francum, & liberum.*
3 *De clausula, vt facere possit ad libitum voluntatis.*
4 *Concessio ex causa meritorum, impropriat feudum.*
5 *Feuda de eorum natura sunt restricta ad descendentes masculos.*
6 *Renouatio cum remissione caducitatis, nō alterat antiquam naturam feudi.*
7 *Ex quibus desumitur, quod agatur de feudo vero, & recto.*
8 *De cōsuetudine, feuda Imperialia in Italia sunt masculina.*
9 *De eodem, de quo num. 2.*
10 *Et de eo, quod habetur num. 3.*
11 *Respondetur ad contrarias auctoritates.*
12 *De renouatione debita proximiori diuersa ab alia de ordinaria natura feudi.*
13 *Faciliùs admittitur alienatio in præiudicium Domini directi, quàm agnatorum.*
14 *Ad quid referat alienationem, vel alium actum esse factum propè mortem; nec nè?*

DISC. CXXXIV.



POSSIDENTE ab antiquo nobili familia de Titionis feudum Imperiale Decianæ, Imperator Maximilianus, primus illud deuolutum ad Camerā Imperialem declarauit, ob neglectam tempo-
1 ribus debitis inuestituram, & ob alienationem sine Imperiali assensu, & licentia factam de Zerbis, furnis, molendinis, pascuis, nemoribus, datijs, & alijs quibuscumque regalibus. Dictaque declaratione facta de eodem feudo intuitu meritorum, & seruitiorum huius familiæ, ergà Imperium, denuò inuestiuit Ludouicum Titionum, pro se, suisque filijs masculis á legitimo matrimonio descentibus in infinitum ex linea masculina, qua defecta, proximior ex linea transuersali agnationis admittatur, cum ordine Indiuiduo, vt vnus succedat, isteque proximior, quando aliàs non disponatur cum dignitate, etiam Comitatus, & Vicariatus, itá, & talitér, quod dictus Ludouicus, eiusque successores facere possint, & valeant ad suæ libitum voluntatis, prout ipse Imperator antè concessionem facere poterat, illos in locum suum ponendo, itavt concessio esset in feudum liberum, & francum, nobile, gentile, & antiquum, auctum, & paternum, itá, & talitèr, quod in omnibus, & per omnia sequatur naturam feudi gentilis, antiqui, aucti, & paterni, cum inhabilitatione Clericorum. Dictaque inuestitura renouata fuit penè per omnes Imperatores successores, vsque ad hodiernum cum eisdem clausulis, & cum præstatione iuramenti fidelitatis, ac etiā cum clausula *saluo iure Imperij*, repetendo præsertim dictam clausulam *in feudum nobile, liberum, & francum.*

Cum itaque vltimus possessor dicti feudi, masculina prole destitutus, pauló ante eius mortem iam sequutam, dictum feudum

feudum alienauerit in virum eius filiæ primogenitæ, hinc dubitari contigit, An dicta alienatio esset rectè valida, & sustentabilis, vel, an filia fœmina in feudo succederet, atque desuper pro veritate consultus.

Respondi, quod affirmatiuam suadere
2 videntur illa verba, *In feudum francum, liberum, & nobile*, per quæ impropriata videtur feudi natura, illudque redactum ad quandam speciem allodij, vt propterea istius iure veniat regulandum, tam in facultate alienandi, quàm in ordine succedendi ad limites iuris comunis, ciuilis potiùs, quàm feudalis, vt ex *Corn. Paris. Menoch.* & alijs, in specie huius clausulæ *franchi*, *& liberi*, habetur firmatum per Rotam Romanam *decis. 94. num. 6. & decis. 237. num. 3. & seqq. par. 12. recent. vbi concordantes*.

Clariùs veró stantibus illis verbis - *facere possit, & valeat ad sui libitum volun-*
3 *tatis*, quæ æquipollent clausulæ, *Ad habendum, & quidquid placuerit faciendum*, per quam feudi recti, & proprij natura quoque corrumpitur, illudque efficitur alienabile; ex ijs, quæ plenè habentur apud *Ossasch. decis. 164. Bellon. sun. consil. 30. Rosenthal. de feud. cap. 9. membr. 1. concl. 41. Surd. consil. 440. & cons. 551. cum alijs collectis, per Boscol. in controu. feudal. artic. 3. ex num. 123. & seqq. & 131.* Potissimè verò, dum agitur de concessione fa-
4 cta, ex causa meritorum, & seruitiorum, quæ ad speciem reducta fuerunt, vt aduertitur *d. decis. 94. num. 8. & decis. 237. num. 8. & seqq. par. 12. recent. vbi concordantes*.

His tamén non obstantibus, negatiuam veriorem videri, dixi, adeóut pro meo iudicio videretur casus planus, nullam, vel satis modicam habens rationem dubitandi, ex pluribus, quæ non singularitér, sed vnitim consideranda sunt, cum solita regula, vt singula, quæ non prosunt, &c.

Primò nempè, ob regularem naturam feudorum, vt ad solos hæredes sanguinis
5 masculos restricta censeantur; fœminæ verò, & multò magis extranei successores vniuersales, vel particulares censeātur inhabilitati, iuxtà iura feudalia expressa, recensita suprà *disc. 11. num. 1. & disc. 53. num. 2. & alibi pluriès*, cum sit principium apud feudistas notorium, adeóut quando fœminæ habilitantur, ita dicatur impropriari, & corrumpi naturam feudi.

Secundò, quia re vera dicta inuestitura Maximiliani primi, per alios successores semper renouata, non est omninò prima,
6 & noua, sed est remissiua incursæ caducitatis, tanquàm per speciem reintegrationis, vel continuationis feudi antiqui in hac familia, iuxtà ponderationes, de quibus suprà *disc. 5.* ideòque illam non alterauit antiquam naturam feudi restrictam ad solos masculos, ex præfata dispositione iuris feudalis, cui antiquitùs non solebat derogari in feudis Imperialibus, cùm habilitatio fœminarum sit moderna, vt infrà; ac etiam, ob antiquam obseruantiam, quod semper feudum stetit in hac familia, absque mixtura fœminarum, vel extraneorum.

Tertiò quia, ex contextu inuestituræ liquet hoc feudum habitum esse pro re-
7 cto, & verò, eius natura nullatenùs impropriata; Tùm quia expressè restrictum ad solos descendentes, & agnatos masculos, & lineam masculinam, adeòut rectè intret regula vulgaris *tex. in l. ille aut ille ff. de leg. 3.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta: Tùm etiam quia semper practicata fuit renouatio, iuxtà leges feudales, de quibus suprà *disc. 59.* Ac etiam quia adest expressa exclusio Clericorum quamuis essent masculi, vt etiam suprà *disc. 54.*

Et quartò clariùs ob rem iudicatam Imperialem eiusdē Maximiliani, approbatam á primo acquirente, & auctore vltimo defuncti, quod ob alienationem aliquorum iurium, & pertinentiarum feudi, istud cecidisset in cōmissum, quamuis illud non esset alienatum; multó igitur magis, vbi agitur de alienatione totius corporis.

Hisque addi posse, obseruabam, quandam cōsuetudinem penè generalem feudorum Imperialium in Italia, vt sint ma-
8 sculina; vndè propterea deuoluta fuerunt ad Cameram Imperialem, ob defectum lineæ masculinæ, quamuis ex vltimo fuissent superstites fœminæ, iuxtà multa exempla, quæ colligi possent, & præsertim habemus illud feudi Plumbini, de quo agitur supra *d. disc. 54. cum pluribus seqq.* adeóut admissio fœminarum,

rum, videatur manere ex quodam stylo recepti.

Ad argumenta veró ponderata in cótrarium, sufficit videre responsiones da-
9 tas *d. disc.* 11. vbi præsertim de clausula *feudi franchi*, *liberi*, *& nobilis*, quoniàm illa in omnibus inuestituris feudalibus legitur, etiam vbi agatur de feudis rectis, & veris primæ clasis, quæ in Italia habentur; Atque re vera est æquiuocum clarum aliquorum non benè callentium materiam feudalem; quoniam ista clausula adijci consueuit ad distinctionem illorum feudorum meré seruitoriorum, quæ antiquitùs erant in vsu, etiam cum seruitijs mechanicis, & sordidis personalibus, vt aduertitur *d. disc.* 54. *de feud. num.* 18. *& disc.* 59. *num. fin.* Atque aliæ clausulæ *ad habendum*, & similes, intelligendæ veniunt compatibilitèr, feudi natura retenta, & inuestitura durante in ijs, quæ inuestituræ non aduersentur,
10 neque eius violationem redoleant, ex deductis apud *Merlin. decis.* 532. *num.* 9. *cum seqq. decis.* 427. *num.* 12. *cum seqq. par.* 9. *recentior. decis.* 209. *num.* 3. *par.* 10. *decis.* 277. *num.* 18. *par.* 11. & aduertitur plurièss *sub tit. de Emphyt.*

Dictæ autèm *decisiones* 94. *&* 237. quæ videntur melioris auctoritatis pro fœmina, vel extraneo, vltrá earum impugnationes, de quibus *d. disc.* 11. edito in
11 eadem causa, percutiunt quædam feuda rustica, & ignobilia Episcopatus Mantuæ ex consuetudine alienabilia, & quæ reuera allodialiorum, & bonorum priuatorum potiùs naturam habent. Ideòque in hac specie feudi veri, & certi, nobilis, & iurisdictionalis, cum mero, & mixto Imperio, & cum dignitate Comitatus, & Vicarij Imperialis, pro meo iudicio videbatur opus desperatum.

Subiungebam tamèn, quod nimium expediret inspicere, An adsint, nec nè agnati, quoniàm quando revera non adessent, vt in transmissa notula præsuppo-
12 nebatur; tunc obtineri posset intentum per viam illius renouationis, quæ deriuat ex æquitate *Glosæ*, *& Bartol. in l. prima*, *ff. de aqua quotid. & æst.* vt Dominus, qui nolit pro se retinere feudum (vt iuxtà notoriam praxim in Italia Imperator nó solet) renouare debeat proximiori vltimo de sanguine deficientis, etiam de linea fœmina, iuxtá leges feudales, & auctoritates in specie huius renouationis plenè cumulatas *disc.* 3. *de Emphyt. & alibi plurièss*, dum ista species renouationis est diuersa ab illa, quam inuestitura durante tenetur nouus feudi successor accipere, de qua suprá *d. disc.* 59. & iuxtá illas renouationes, quæ à singulis Imperatoribus possessores istius feudi obtinuerunt.

Atque vbi probatio descendentiæ illorum, qui se prætendant agnatos, reduceretur ad probabilem dubietatem; id fortè sufficeret, vt haberetur arbitrium Consilij Aulici, ob interesse Cameræ Imperialis ratione laudemij; quod pro hac specie renouationis solui solet, potissimé in currentibus indigentijs eiusdé Cameræ; Istamque dixi videri meliorē, ac tutiorem viam, qua mediante gener vltimi feudatarij defuncti cóseruare posset feudum in eius descendentia, & posteritate, etiam in fœminina, contra antiquam naturam feudi, cùm hodie id praticari soleat, vt præsertim docet praxis enunciati feudi Plumbini, pluriumq; similium; fortèque minor esset impensa, pro huiusmodi renouatione obtinenda, quam importaret lis in illo Consilio Aulico, sustinenda magis probabilitèr, cú timore succumbentiæ, quàm cum spe victoriæ.

Procedere hæc dicebam retento dicto præsupposito, quod agnati non adsint, quodque illi, qui prætendunt se esse tales, non possint eorum descendentiam iustificare á comuni stipite primi acquirentis, vel alterius possessoris: Quando etenim istud præsuppositum deficeret, quod nempè agnati adessent, tunc casus esset difficilior. Tùm quia deficit dictum remedium obtinendi renouationē, quod
13 videtur huius negotij sacra Anchora: Tùm etiam quia illi, qui clausulis superiùs ponderatis in contrarium, aliquam tribuunt operationem, quamuis in hac specie feudorum pro meo iudicio, malè firmant, quod faciliús id conceditur in præiudicio Domini ad impediendam deuolutionem, quám in præiudicium agnatorum, vt apud *Bellon. iun. cons.* 30. *num.* 32. *&* 36. & quam differentiam, vt scilicèt potentiùs sit ius agnatorum, quàm illud Domini directi, in terminis subinfeudationis factæ propè mortem, vel in statu desperatæ successionis,

sionis, considerant *Aluarott. Iacobin. & alij relati per Marin. in add. ad Reuerter. decis.* 522. *num.* 3. quamuis, neque istud motiuum subsistat, vt aduertitur suprà *disc.* 1. *post nu.* 25. *versic. Dicebatur etiam.*

Esse factam alienationem in tempore proximo morti, nil pro meo iudicio, facere videbatur, ob dilemma, quod aut istud est feudum liberè alienabile, aut non; Si non esset, nil refert, an vno, vel altero tempore fiat; Et si est, cùm tunc
14 dicatur merè hæreditarium, & transmissibile ad quoscumque, etiam extraneos, iuxtà illam speciem feudorum, de qua, omnibus de materia agentibus ad satietatem cumulatis per *Rot. apud Dunozett. decis.* 748. & 760. *repetit. post cantr. decis.* 18. & 19. & *apud Ottobon. dec.* 265. pariter nil refert, dum essent transmissibilia ad hæredes, siuè de illis etiam per vltimam volũtatem disponi posset; Ideóque dicta consideratio intrat solùm in refutatione, vel subinfeudatione, iuxtà ea, quæ latè ad hanc materiam actus gesti propè mortem, vel in casu desperatæ successionis habentur superiùs acta, *eodem disc.* 1. & generalitèr in illis actibus, qui sunt liciti in valetudine, & citrà fraudem, non autém per vltimam voluntatem, & propè mortem, iuxta exempla deducta *eodem disc.* 1. ac etiam *disc.* 102. & *seqq. de dote, & alibi.*

Concludebam demùm, quod audirem libentèr sensum aliorum, qui desupèr consulti essent, quatenùs ille esset diuersus, vt meus intellectus illuminari posset; Sed pro nunc, dixi, quod non agnoscebam probabile fundamentum sustinendi alienationem, vel successionem fœminæ, dum tenor inuestituræ videbatur nimium clarus, & litteralis.



DE FEVDIS

DISC. CXXXV.

Eadem Camerineñ iurisdictionis.

De qua supra Disc. XLIX.

De eadem materia, de qua *d. disc.* 49. præsertim in eo, an, & quæ leges feudales attendi debeant, atque vim legum habeant in Statu Ecclesiastico, siuè in Principatu temporali Ecclesiæ, alijsque feudis Ecclesiasticis, & præsertim circa Constitutiones Lotharij, & Friderici Primi, super prohibita feudorum alienatione.

SVMMARIVM.

1 *Casus quæstionis, eiusque occasio.*
2 *De origine, & introductione feudorum.*
3 *De distinctione feudorum iuris Longobardorum, & Franchorum.*
4 *De consuetudinibus feudalibus.*
5 *De earum varietate.*
6 *De earundem redactoribus ad scripturam.*
7 *Status Reipublicæ litterariæ, ac litterarum restitutio in Italia.*
8 *Quomodo leges feudales fuerint adiunctæ in corpore iuris.*
9 *An sint authenticæ, nec nè.*
10 *Ob quam auctoritatem, & de quo tempore sint effectæ authenticæ.*
11 *Quando* Bald. *scripsit super feudis, & qua occasione.*
12 *De meliori, magisque distincto ordine librorum feudi* Cuiaccij.
13 *Quod res debeant capi per principia, & de errore pragmaticorum.*
14 *Quomodo veniant intelligendi illi, qui dicunt, quod leges feudales sint receptæ vbique, etiam in terris Ecclesiæ, & in foro Ecclesiastico.*
15 *De differentia inter consuetudines, & Constitutiones Imperiales.*
16 *De differentia in Consulatu Maris.*
17 *De legibus additis in Codicibus modernis.*
18 *De eodem, de quo num.* 10.

19 *De*

19 *De quibus feudis loquantur leges Lotharij, & Friderici.*
20 *De Constitutionibus Apostolicis super prohibita alienatione Castrorum, & bonorum iurisdictionalium.*
21 *Quod in statu Ecclesiastico leges feudales attendi soleant, attenta earum ratione, non autem ratione potestatis.*

DISC. CXXXV.



QVALIS istius causæ sit facti series, ac status habe-
1 tur supra *disc.49.* & in annotation. ad eundem in hoc Supplemento; Sed quoniam ista causa in vlterioribus eius disputationibus, occasionem dedit edendi discursum generalem, An leges, vel consuetudines feudales habeant, nec ne, vim legis in statu Ecclesiastico, præsertim super Constitutionibus Lotharij, & Friderici Primi super prohibita feudorum alienatione; idcirco sub eiusdem causæ nomine, vel intitulatione in præsenti de hoc agitur, dũ quoad alia, quæ ad ipsam causam in particulari pertinent, agitur vbi supra.

Dicebam itaque, quod sub iudice lis est, quam ego indecisam relinquere volebam (cum nil ad rem eius decisio con-
2 ferat) An feudorum introductio, & vsus haberentur apud antiquos Romanos, vt vna opinio credit, vel in Italia prouenerint à Longobardis, vt credit altera, siuè à Franchis, vel Germanis, dum hæc vocabula sub temporibus, & dominationibus respectiuè Pipini, & Caroli Magni, ac Ludouici Pij, qui per Summum Pontificem euocati, venerunt in Italiam ad reprimendam Longobardorum temeritatem, vt alia opinio credit, & super quo antiquioribus relatis, plura colligit *Larat. in theatr. feud. par.1. dilucid.6.cum seqq. vsque ad fin.* vbi concludit, quod iste vsus sit antiquus etiam apud Romanos, aliasque nationes, quamuis sub diuersis vocabulis, adeòut istud vocabulũ feudi sit quidem barbarum, antiquis linguæ latinæ professoribus ignotum, vndè propterea Longobardis, vel respectiuè Germanis tribuitur, non autem quoad substantiam.

Quidquid enim sit de prædictis, quæ scholarum, & Academiarum congruum continere videntur pabulum pro exercitio ingenij; Quoad ea, quæ ad forum practicum pertinent, pro vtili, ac profi-
3 cuo effectu, de quo agebatur, illud certum esse aduertebam, quod hæc introductio sequuta esset per multa sæcula ante Imperium Lotharij, & Friderici I. de quorum legibus ad rem agebatur, obseruando, quod tam sub Longobardis, quàm sub Franchis respectiuè, hunc vsũ sub diuersa forma adesse, conuincentèr, & claré comprobare videtur vsus loquẽdi antiquorum feudistarum, apud moderniores continuatus, & actu retentus, pluriès in præcedentibus insinuatis, & præsertim magis ex proposito suprá *disc.8.* quod scilicèt, quando explicantur feuda diuidua, simultaneum concursum plurium successorum, & possessorum admittentia, illa dicuntur iuris, vel moris Longobardorum; quando veró indiuidua, & singularia, vni tantúm personæ cum ordine primogenituræ conuenientia, explicantur sub iure, vel more Francorum; ergo ad euidentiam patet, quod apud vtramque nationem adesset iste vsus, quamuis sub diuersa specie, vel natura.

Super eis autem nullæ habebantur leges scriptæ, vt patet ex legibus Roma-
4 norum, & ex illis Longobardorum, dum neque in vnis, neque in alijs, eorum mentio habetur, & ex quo *Larata vbi suprà dilucid.13.* reprobando opinionem, quæ hanc introductionem tribuit Longobardis, deducit argumẽtum, quod aliàs in eorum legibus de hac materia ageretur, & tamen in hoc idem auctor conuincitur, quoniam substinendo dilucidatione vltima, quod sit introductio antiquorum Romanorum, non aduertit, quod idem vrget argumentum. Vtcumque tamen sit, certum est, quod eorum respectu videatur cum iure non scripto etiam vario, quoniam in ipsamet Lombardia, & Liguria respectiuè, vbi antiquiores feudistæ concordare videntur, fuisse primęuam introductionem ad alias
5 Italiæ partes, postmodùm dilatatam, consuetudines erant variæ, dum aliæ erant Mediolani, aliæ Ticini, aliæ Cremonæ, aliæ Mantuæ, & aliæ Placentiæ, cum similibus, vt apud *Cuiacc.initio primi lib.de feud.*

Istas verò consuetudines cum eadem varie-

varietate inter seipsas, post quam plura
6 sæcula moderno tempore comparatiuè, in scripturam redegerunt *Gerardus, Nigrus, & Obertus de Bebio*, qui supponuntur Senatores Mediolanenses sub præfato Friderico primo, vt comprobat *Cuiacc. vbi supra*, eosdemque licèt non expresso eorum munere, minusque tempore in quo floruerunt antiquiores, & primi earundem consuetudinum interpretes, relati per *Bald. de feud. in proœm. n.4.* concorditèr admittunt, ac præsupponunt redactores huiusmodi consuetudinum in scripturam, quamuis postea alij diuersi, aliquas alias adnotationes fecerint.

Cumque Imperatores Germaniæ occasione aduentus in Italiam, aliquas desupér fecerint Constitutiones, & præsertim super prohibita alienatione, de qua agunt enunciati Lotharius, & Frideri-
7 cus, ac etiam super punitione rebellium, & pace constantiæ, & alijs; Atque tunc non haberetur vsus typorum, siue impressionis, cuius inuentio est recentior, minusque vsus legum Ciuilium, quarum inuentio fuit circà eadem tempora, & in eodem sæculo duodecimo, in quo aliquod lumen, seù initium litterarum haberi cæpit in Italia, quæ tunc erat penitùs barbara, dum restitutio Reipublicæ litterariæ etiam in omnibus alijs facultatibus isto sæculo duodecimo, initium habuit, in quo fuit eius infantia, in sequenti anno decimo tertio adolescentia, & in decimoquarto florida iuuentus cõtinuata in decimoquinto, in sequentibus annis decimo sexto, & currenti decimoseptimo eius virilitas; (nisi dicamus, quod in nostro currenti incæperit senectus, quæ antiquæ morti, & corruptione approximet ob nullam, vel modicam Principum applicationem super eius cultura; vndè adeó ignauiam, ac ignorantiam crescere vidimus) ideoque viuebatur cum exemplaribus manuscriptis, vt plurimùm malè conceptis, & inter se varijs, vndè prodeunt in omni facultate tot quæstiones, & contrarietates. Præ-
8 sertim veró huiusmodi consuetudines feudales, & Constitutiones Imperiales respectiuè, apud aliquos circumferebantur exemplaria sub vnico libro, apud alios veró sub bino, atque iuxtà hanc posteriorem formam, postquam voluminibus pandectarum, & Codicis adiunctum fuit alterum nouellarum, siuè authenticorum, confiarum ex nouem collationibus, isti duò feudorum libri adiuncti quoque fuerunt, eo modo quo in dicto Authenticorum volumine antiquæ impressionis cernitur sub nomine collationis decimæ, vt præsertim patet ex *Bal. in d. proœm. feudorum, vbi ex num.3. vsque ad num.7.* disputat quæstionem enunciatam quoque suprà *disc.1. num.16.*
9 An ista collatio decima esset, nec ne authentica, & haberet vim legis, adeóut tanquam talis in omni foro obliget.

Quidquid autem sit de istius quæstionis veritate temporibus *Baldi*, & in alijs, sibi proximis, quando magis ea vigebat; Vbi etiam tenenda esset opinio, quam
10 ipse substinet, quod esset authentica, & haberet vim legis, innixus præsertim auctoritati *Odofredi*, cuius verba registrat; Attamén id prouenit, vt idem *Odofredus* asserit, cum quo *Bald.* perrransit, ex moderniori prouisione, & potestate Imperatoris Friderici II. qui fuit etiam Rex vtriusque Siciliæ, & Auctor pro eo Regno sæpiùs enunciatæ Constitutionis, quæ incipit *Constitutionem Diuæ memoriæ*, super eadem, longè tamen strictiori prohibitione alienationis feudorum, vt præsertim aduertitur *eod. disc. 49.* quod scilicèt dictus Imperator istam collectionem consuetudinum, & Constitutionum Imperialium respectiuè miserit Bononiã illis Doctoribus, vt suis titulis apparent, prout fecerunt in Ecclesia S. Petri, reducendo ad eam formam, quæ vt suprà legitur post dictum librum Authenticorũ, sub dicto nomine decimæ collationis, & quod post hoc tempus fuit glossatum per *Pileum, Ardizzonem, Iacobum de Rauenna, Iacobum de Beluisio, Odofredum, & Andream de Isernia*, quos refert *Bald. in d. proœm. num.4.*

Atque hinc liquet, quod Baldus scripsit super hac materia feudali in vltima senecta post Iserniam, qui paritèr scri-
11 psit circa vltima tempora eius vitæ, dum reliquit illud opus imperfectũ, tot suppressionibus indigens, vt patet *ex Liparulo in eius vita*; Atque ita verificari videtur illa traditio, quã dum essem scholaris, audiui in scholis Neapolis, quod *Bald.* vir celeberrimi nominis ob nimiam litteratorum raritatem, & pecuniam in eo sæculo, quando enunciata Respublica

ea litteraria adhuc erat in infantia, vel ad summum in prima adolescentia, euocatus Neapolim per Reginam Ioannā II. vt super quadam graui causa feudali cōsuleretur, confusus remansit in concursu *Isernie*, vndè propterea deindè studio huius materiæ applicauit.

Sed quoniam ista collectio aliquos cōtinebat, vt reverà continet errores, illū præsertim, quod absque debita distin-
12 ctione confunduntur consuetudines primo loco in scripturam redactæ per enunciatos *Gerardum*, & *Obertum*, & aliæ postmodum adnotatæ per diuersos Doctores Mediolanenses, & alios, vnà cum Constitutionibus Imperialibus, ob notabilē diuersitatem temporum inter vnam, & alteram speciem, ille doctus, & eruditus *Cuiac.* cum meliori distinctione materiā distinxit in quinque libros, quorum primus est *Gerardi*, duo posteriores sunt *Oberti*, quartus continet alias adnotationes diuersorum, & quintus Constitutiones Imperiales, illas præsertim ad rem nostram dictorum Lotharij, & Friderici primi.

His itaque ita prænotatis, atque descendendo ad applicationem pro fine,
13 vel effectu, ad quem ista series recensita fuit; Capiendo, vt decet, rem ab alto, & per eius principia, non autem cum consueto modernorum pragmaticorum vitio, procedendo more cœcorum, qui trahuntur ad manus cum sola littera aliquarum auctoritatum, omni penitùs neglecto discursu, & ratiocinio.

Quatenùs pertinet ad nostrum punctum, An scilicèt dictæ leges feudales, & præsertim dictæ Constitutiones Imperiales super prohibita alienatione haberent vim legum in statu Ecclesiastico, pro negatiua, quam ego sustinebam,
14 probatione, plura exindè resultare dicebam; Primò nempè, quod illi Auctores relati per *Fagnan. & alios, de quibus suprà disc.*54. qui dicunt, quod leges feudales vbique sunt receptæ, & habent vim legis etiam in terris Ecclesiæ, vel in foro Ecclesiastico, vtpotè generalitèr loquentes, atque ad hanc speciem non descendētes, intelligi possunt, ac debent de præfatis antiquissimis consuetudinibus, quas tanquam iam per plura sæcula receptas, & obseruatas in scripturam reduxerunt præfati *Gerardus, & Obertus*, sed non ex-

indè inferri potest ad præfatas longè moderniores Constitutiones Imperiales restrictas ad territorium, & subditos ipsorum legislatorum, nullam iurisdictionē, & potestatem habentium in hoc Principatu, ex ea clara differentiæ ratione inter dictas antiquas consuetudines, & istas modernas Constitutiones, quod illæ acquirere potuerunt vim legum ex vsu populorum, & vt tanquam tales ab antiquo
15 receptę fuerint, eo modo quo habebatur de antiquis consuetudinibus, vel Capitulationibus artis maritimæ, seù nauigationis, nuncupat. *Consolato del mare*, iuxtà historiam recensitam *disc.* 107. *de credito, & alibi*, ac propterea nō ex eo, quod in eodem volumine, dicto moderno tempore, in confuso tā consuetudines, quàm Constitutiones registratæ fuerint, inferri potest, quod sint eiusdem naturæ, & qualitatis, atque in hoc consistere aduertebam pragmaticorum æquiuocum, vel ineptiam.

Ad quod comprobandum, deducebā eadem, quæ in proposito dicti Consulatus maris aduertuntur *eod. disc.* 107. *de
16 credito*, quod nempè in moderna impressione voluminis dicti Consulatus vltrà eius antiqua Capitula ordinata ante millesimum, ex opera impressoris continentur etiam aliquæ ordinationes Barchionenses, aliæque prouisiones recentes, & locales, vndè ignarum vulgus Pragmaticorum, procedendo de more cum sola superficie litteræ, ad aliud non reflectendo, credit, quod istæ superadditiones contineant etiam Consulatum maris, vbique receptum pro lege, & authenticum, & tamen est error manifestus, ità à pari cum alijs considerationibus,
17 quæ circà aliquas leges ex priuata diligentia, vel potiùs temeritate insertas in modernis Codicibus habentur *disc.* 1. *de seruit. & disc.* 35. *de iudic. & alibi*, ideóque generalitèr ad hęc est reflectendum.

Secundò, quod retenta etiam opinione volentium, vt leges feudales eo modo, vt suprà registratæ sunt post volumen Authenticorum, sint authenticæ, vt probant *Surd. & alij relati suprà d. disc.* 1. *n.*16.
18 Attamèn, vt patet ex *Odofredo* auctore istius opinionis, cum quo pertransit *Bald. vt suprà*, sequutū est sub Imperio Friderici II. & ex eius ordinatione; ideóque cùm iste Imperator, tanquam Sedis Apostolicæ,

stolicæ, & Pontificiæ dignitatis acerrimus hostis, fuerit Imperio, ac Regnis priuatus, ac etiam ponitus anathemate, in quo obijt, non videtur quomodo eius gesta, & ordinationes pro legibus in Principatu Ecclesiæ, vel in foro Ecclesiastico pro legibus recipi debeant, potissimè quia etiam Fridericus Primus eius auus Giballinæ factionis auctor, ac protector, fuit etiam eiusdem farinæ, vt acta Alexandri Tertij, aliorumque Pontificum illorum temporum docent.

Tertió clariùs quia earundem Lotharij, & Friderici Primi Constitutiones in litera expresse docent, quod fuerunt latæ cum proprijs feudatarijs subditis, & super ijs feudis, quæ in Alemania, & in Italia sint de pertinentijs feudi.

19

Quartò, á subsequuto effectu, quod in plerisque leges feudales, & præsertim circa Clericorum incapacitatem non seruantur, vt aduertitur *eod. disc. 49. & in annot.*

Et quintó, quoniam esset redarguere Summos Pontifices Sixtum V. & Clementem VIII. qui in Constitutionibus super prohibita alienatione Castrorum, & bonorum iurisdictionalium Status Ecclesiastici, & de qua prohibitione frequentèr agitur suprá, præsertim *disc. 66. & seqq.* rem nouā ordinare professi sunt;

20

Ac etiam redarguere Rotam Romanam, quæ totiès firmauit validos esse contractus ante dictas prohibitiones, & alias Pauli V. & Vrbani VIII. & aliorum Pontificum respectiuè esse validos, vt frequentèr aduertitur.

Et quamuis *Isernia*, & *Afflict.* alijque Regnicolæ huiusmodi Imperialiū Constitutionum mentionem faciant, attamèn vltrá quod nil id concludit, dum isti sunt Doctores Regnicolæ, & non loquuntur de Statu Ecclesiastico immediato, de quo agitur, aduertebam quoque ad æquiuocum, quoniam in Regnis, de quibus ipsi agunt, nulla subest necessitas recurrendi ad has Constitutiones Imperiales, ibi nullam habentes auctoritatem, ex enunciatis *d. disc. 1. de seruit. & alibi*, cùm adsit dicta Constitutio particularis, quæ incipit *Constitutionem Diuæ memoriæ*, longè rigorosior, sed more scriptorum aduertunt, quod ista Constitutio Regni se cōformat etiam Constitutionibus Imperialibus.

Pròvt suprà *in annot. ad disc. 1. in fine*, aduertitur, his non aduersari, quod in eo casu processum sit cum legibus feudalibus, quoniam istæ in eo casu considerandæ veniunt potiùs in ratione, quám in auctoritate, vt ibi latiùs.



SVMMA

SVMMA,

SIVE

COMPENDIVM

Eorum, quæ in Foro magis practicabilia continentur in hoc Lib. I.

De Feudis, & bonis iurisdictionalibus, ac Bulla Baronum.



INDEX

RVBRICARVM

Summæ, seù Compendij feudorum.

SVMMARIVM.

I.

1 *An vsus feudorum fuerit cognitus apud Romanos, vel à quibus introductus sit.*

2 *Vocabulum tamen* feudi *ignotum est iuri communi, ac professoribus linguæ latinæ.*

3 *Quid istud vocabulum significet, quod importet militiam, & feudatarius dicatur miles.*

4 *Leges feudadales prouenirunt à consuetudine, & de earum compilatoribus.*

5 *An habeant vim legis vbique, & in omni foro obligantes.*

6 *Eis cessantibus, etiam in feudis attendendum est ius commune* Ciuile, vel *Canonicum.*

7 *Feudum, an contineat gratiam, & beneficium, vel potiùs contractum, & quæ species contractus sit.*

8 *De pluribus distinctionibus, ac speciebus feudorum.*

9 *In præsenti compendio agitur solùm de ijs quæ magis foro adaptata sunt, ac disputandi occasio præbuit, non autem de vniuersa materia.*

10 *De feudis diuiduis, quæ iuris* Longobardorum *dicuntur.*

11 *De indiuiduis, quæ dicuntur iuris francorum, & iure primogenituræ deferuntur.*

12 *Antiquiori tempore omnia feuda erant diuidua, etiam illa Dignitatis, hodiè verò illa Dignitatis sunt indiuidua.*

13 *Ex consuetudine tamen aliquarum Regionum, præsertim Lombardiæ sunt indiuidua habitu, non autem exercitio, seù fruitione.*

14 *Maior sedes feudorum, excepta Germania, est in Regnis vtriusque Siciliæ.*

15 *In istis Regnis regulariter feuda propria, quæ in* capite, *seù* quaternata *dicuntur, sunt indiuidua iuris francorum.*

16 *Adhuc tamen adsunt aliqua iuxtà antiquam naturam iuris Longobardorum.*

17 *De alia distinctione inter feuda Regalia, & non regalia, seù Dignitatis, & simplicia.*

18 *Quænam sint feuda Regalia, vel Dignitatis, & quid importent.*

19 *Tituli, seù Dignitates in feudis inferioribus, & non Regalibus, an veram dignitatem importent, nec nè.*

20 Et

20 *Et quatenus non importent, quid operetur dictus titulus, seu dignitas, quamuis impropria, & abusiua.*

21 *De distinctione inter feuda recta, & propria, & impropria.*

22 *Feuda impropria, allodialium potius iure censentur, ac iure communi, non autem feudali regulantur.*

23 *Quando alteratio consueta feudalis naturę istam alteret, vel corrumpat, illudque reddat improprium.*

24 *De distinctione inter feuda propria, & impropria, quæ habetur in Regno Neapolitano.*

25 *Quod propria dicantur* in capita, *siuè* quaternata, *& quare.*

26 *Feuda impropria dicuntur plana, & de tabula, quæ iure allodialium regulantur.*

27 *Et de feudis planis, & de tabula secundũ quid, vel mixtis.*

28 *De alia distinctione inter feuda nobilia, & rustica, seu franca, & non franca, & quid importet feudum francum.*

29 *De alia distinctione inter feuda ex pacto, & prouidentia, & hæreditaria, ac mixta.*

30 *Qualitas hæreditaria raro congruit veris, ac proprijs feudis.*

31 *Quale dicatur feudum auitum, seu antiquum.*

32 *An feudum antiquum, quod denuò ob incursam caducitatem concessum est, dicatur nouum, vel antiquum.*

33 *De feudis nouis, eorumque distinctione inter acquisita ex titulo oneroso, & lucratiuo.*

34 *Concessa ex causa meritorum, an dicantur ex causa onerosa, vel lucratiua.*

35 *Quid vbi concessio est partim ex merito, & partim ex gratia, seu causa lucratiua.*

36 *An clausula, vt concessio censeatur in feudum antiquum, seu paternum, illud reddat antiquum, quamuis verè sit nouum.*

37 *De distinctione inter feuda, & subfeuda.*

38 *De alia distinctione inter feuda masculina, & fœminina, siuè Ecclesiastica, & laicalia cum similibus.*

II.

39 *Feudum est seruitus, & ideò in dubio non præsumitur.*

40 *Ex quibus adminiculis probetur feudalitas.*

41 *Distinguuntur casus pro regulanda, vel præsumenda feudali, vel allodiali qualitate, in quæstione inter Principem, & Baronem.*

42 *Quod præsumptio non assistat veræ allodialitati.*

43 *De mixtura allodialitatis, & feudalitatis, quarum vtraque sit impropria.*

44 *In Regnis vtriusque Siciliæ, loca inhabitata cum vassallis præsumuntur feudalia, non autem in Ecclesia.*

45 *De controuersia inter Baronem, & vassallos in prædijs intra fines feudi, an sint feudalia, vel libera.*

46 *Et de alia inter hæredem feudatarij, & Dominum, vel successorem feudi in prædijs, & bonis intra fines feudi.*

47 *Vbi etiam præsumptio assistit allodialitati, ea cessat si constet, quod bona annexa sint feudo.*

48 *De distinctione inter bona existentia in statu naturali, vel habentia industriam pro dicta præsumptione.*

III.

49 *In bonis verè stabilibus & soli, etiam priuatis datur feudum.*

50 *Distinguuntur bona priuata à Ciuitatibus, Oppidis, & Castris, & vt in hac secunda specie detur verum, & propriũ feudum.*

51 *Datur feudum in annuis redditibus, ac etiam in iuribus, & actionibus.*

52 *Prout datur in iurisdictione, ac iuribus Regalibus.*

53 *Quæ iura Regalia dari possint in feudum.*

54 *Idem Castrum potest esse feudum vnius, & iurisdictio feudum alterius.*

55 *Vel Castrum haberi in feudum, & iurisdictio in allodium.*

56 *An in pecunia, vel in mobilibus detur feudum.*

57 *Quid de pecunia, quæ sit pretium feudi, & quod illud regulariter non sit feudale.*

58 *Actio ad feudum, an sit feudalis, iureque feudi censeatur.*

59 *Res aliena, an & quando dari possit in feudum.*

60 *Id fieri potest à Principe.*

61 *De concessione in feudum facta de Ciuitatibus, & locis, quæ ex priuilegio,* vel

107 *Quid*

adeòut censeantur annexa feudo, nec ne.

152 *Iurisdictio, & Imperium, an feudo pernecessè annexa sint.*

153 *Et quatenùs sint annexa, quomodo competant, & de diuersarum Regionum moribus.*

154 *De eodem, quomodo iurisdictio competat, ac exerceri possit per feudatarium.*

155 *De prærogatiuis, seù præeminentijs feudatary in feudo circa iura ciuica, & alias obligationes, vel seruitia vassallorum.*

156 *An ea seruitia, vel præstationes, quibus feudatarius potitus est, deuoluto feudo debeantur Domino, vel alteri feudatario, cui ipse concesserit.*

157 *De grauaminibus, seù recursibus vassallorum aduersus feudatarium, seù Baronem.*

158 *De oneribus Baronis, seù feudatary erga vassallos.*

IX.

159 *Prohibitio alienandi iure feudali inducta, non procedit in feudis improprys, vel in bonis allodialibus, quamuis annexã iurisdictionem habeant.*

160 *De prohibitione alienandi bona iurisdictionalia, quamuis allodialia in Statu Ecclesiastico ex Constitutionibus Apostolicis.*

161 *De alia prohibitione alienationis, etiam in feudis improprys ex pacto, seù lege inuestitura, seù aliàs ex dispositione iuris.*

162 *Feuda vera, & propria per leges feudales generalitèr alienari prohibita sunt sub decreto annullatiuo.*

163 *Distinguuntur plures inspectiones in hac materia cadentes.*

164 *Sub nomine alienationis veniunt emptio, & venditio, donatio, & similes contractus importantes omnimodam translationem dominij pleno iure.*

165 *Veniunt etiam concessio in emphytheusim, seù liuellum, aut censum, & similes.*

166 *Quando veniat locatio, & quando hac dicatur ad longum tempus.*

167 *Impositio census, vel constitutio seruitutis, seù reseruatio vsusfructus veniunt sub prohibita alienatione.*

168 *Quid de diuisione inter plures vocatos ab inuestitura, vel in cessione vnius portionis alteri.*

169 *Quid de permutatione.*

170 *Quid de transactione, vel compromisso.*

171 *Et quid de hypotheca.*

172 *An ex causa dotis feudum alienari possit, datur distinctio.*

173 *De opinione nolentium, vt fieri possit in subsidium, sed reycitur.*

174 *An vir feudatariæ efficiatur feudatarius, & Baro,*

175 *Commoditas fructuum, est alienabilis etiam in feudis.*

176 *Pretium feudi, an sit alienabile, vel potiùs cadat sub prohibitione.*

177 *Et quid de actione ad feudum.*

178 *Posita inualida alienatione, cui competat actio illam retractandi.*

179 *Quod non competat ipsi alienanti, & quãdo agnatis, alienante viuente.*

180 *Mortuo alienante, vel eius iure resoluto, successor iure proprio vendicat feudum.*

181 *Etiamsi in ipsum Dominum alienatum esset.*

182 *Nisi consuetudo alienandi facultatem tribuat, & de dicta consuetudine.*

183 *Quid vbi agnatus feudi, successor est etiã heres alienantis.*

184 *Beneficium inuentarij ad quid suffragetur.*

185 *Quid si agnatus proximè successurus alienationi consentijt.*

186 *An tunc vlterior agnatus admitti debeat.*

187 *De pœnis alienantis remissiuè.*

188 *De effectu prohibitæ alienationis, vt per eam nullum ius quaratur, ideòque potior sit conditio feeundi, cui validè facta est alienatio.*

189 *Anterioritas, vel potioritas deducitur ex assensu.*

190 *Beneficium separationis bonorum, an procedat in feudis, vt creditores defuncti sine assensu, vincant creditores hæredis cum assensu.*

191 *An ille, qui malè alienauit, teneatur ad damna, & interesse.*

192 *Assensus præstitus re non integra, & post renocationem actus, non suffragatur.*

193 *Item debet viuere vterque contrahens, non autem vno defuncto.*

194 *An assensus certam habeat formam.*

195 *De surreptione, vel defectu intentionis.*

X.

XI.

240 *An*

XII.

XIII.

priuilegij, vel pacti fiant de Ciuitatibus, & locis non infeudantis.

327 Quod ista infeudationes soleant reuocari, ideòque magistratus non debeant eas exequi, sed Principi replicare.

328 De prælatione, seù iure prouocandi ad libertatem, & demanium, competente vasallis.

XVII.

329 An scriptura inuestituræ sit necessaria ad effectum deuolutionis, & quæ probatio ad id necessaria sit.

330 Quando præsumptio feudalitatis assistat, etiam sine inuestitura.

331 Quæstiones deuolutionis naturalis, & nõ culposæ ob lineam finitam, quando intrent.

332 Ad quem effectum necessaria videatur scriptura inuestituræ.

333 Deuolutio accidentalis aliàs quàm per lineam finitam, sub caducitatis, vel amissionis termino explicatur.

334 Ex quibus dicta caducitas, vel amissio intret.

335 De caducitate ob non præstitum seruitium statuto tempore, & an requiratur monitio, & declaratoria.

136 De alijs causis caducitatis, vel amissionis.

337 Culpa possessoris, an causet praiudicium successorum in feudo antiquo.

338 Si acceptata caducitate, fiat noua concessio, an hæc faciat feudum nouum.

339 De circumstantia in hoc attendenda, vt sit feudum nouum.

340 Præsumptiones in hoc tolluntur per contrariam probationem.

XVIII.

341 Distinguuntur species detractionum competentium cessato feudo.

342 In casu culposæ deuolutionis, quæ detractio competat aduersus Dominum.

343 Et quid vbi agatur de non culposa, & naturali deuolutione, ob lineam finitam.

344 Melioramentorum separabilium detractio fit aduersus Dominum, qui admittitur ad soluendam æstimationem.

345 Secus verò inseparabilium materialium.

346 Benè tamen fit detractio, seù debetur refectio melioramentorum intellectualium.

347 Quænam sint ista melioramenta intellectualia reficienda, puta extinctiones onerum, expensæ pro defensione, vel recuperatione.

348 Dominus tenetur reficere omnia melioramenta feudatario, qui ex ipsius Domini facto feudum amittit.

349 Quando istud factum sit excusabile, vt non dicatur culposum.

350 Quæ melioramenta debeant refici per successorem feudi, prædecessori.

351 An resoluto iure feudatarij, reuiuiscant census per ipsum redempti.

352 Cessant detractiones, vbi constat de animo donandi.

353 De alijs speciebus detractionum remissiuè.

354 De imputatione feudi in legitimam.

XIX.

355 Distinguitur possessionis quæstio inter Dominum, & hæredem feudatary successorem incapacem, vel inter istos, & agnatos.

356 Vbi deuolutio clara est, Dominus obtinet in possessorio, secus autèm è contrà.

357 Fallit in Principe supremo habente fiscũ, qui litigat manibus plenis.

358 De quæstione possessionis inter agnatum, & hæredem feudatarij defuncti, siuè inter capacem, & incapacem.

359 De quæstionibus legitimi contra dictoris, & quomodo decidenda.

360 De alia quæstione Iudicis, vel fori competentis in causis feudi.

361 An dicta cognitio pertineat ad Dominum immediatum, vel mediatum.

362 Ecclesia, & Ecclesiastici subiacent Domino laico in causis feudi.

XX.

363 Quod in materia pleraque alia remanent dicenda, & quare non dicantur.

364 De ratione, ob quam dominia allodialia, cum iurisdictione, & vasallis prius erant frequentia, hodiè autem rara, & de istorum dominiorum vsu, & introductione.

365 Domini Castrorum, & locorum allodialium cum iurisdictione, & vasallis dicuntur

I.

PROEMIALIA.

De feudorum origine, seù introductione, eorumque diuisione, ac generibus.



1 FEVDORVM vsum, an Romanorum Imperium habuerit, non modica lis est? Aliquibus in affirmatiua generaliter concordantibus; in vocabulo autèm discordantibus; Eorum scilicèt vna parte, id referente illi clientelæ, cuius in eorundem Romanorum legibus; & chronicis, frequens mentio habetur; Altera verò, militijs; Et altera legi agrariæ; Alijs autèm indefinitè id negantibus, ac referentibus Longobardorum moribus; Et alijs, id pariter negantibus, ac tribuentibus Germanis, vel istorum Imperio in Italia.

Super his autem, vtpotè foro parum aptis, locum relinquendo veritati, soli
2 Deo nota; Illud certum est, feudorum vocabulum, Romanorum legibus, vel antiquis chronicis, aut latinæ linguæ professoribus, ignotum esse; Illudque barbarum potiùs, quàm latinum, à fide, seù fidelitate deriuatum, idem importare, ac beneficium, quod Dominus vasallo præbeat, sub fidelitatis, ac militaris
3 seruitij onere; Ideóque feudum militiã importat, atque feudatarius, Domini miles est.

Prout extrà controuersiam est, Romanorum, seù Longobardorum leges, in hac feudali materia nihil statuere, eamque regi cum feudalibus consuetudini-
4 bus, quas paulatim, tacitò infeudantium, ac infeudatorum vsu inductas, in scripturam, *Gerardus*, & *Obertus* reduxerunt.

Non leui, apud canonistas præsertim (ciuilistis non exclusis) vigente quæstio-
5 ne, an vbique, atque in omni foro, etiam Ecclesiastico, legum obligantium vim habeant, personarum distinctione non admissa; Et quamuis non desint negantes, ex ea dubitandi ratione, quod priuata auctoritate collectæ, ac relatæ sint;

Con-

Contrarium tamen vsus recepit, ideóq;
particulari, scripto, vel non scripto iure
non refragrante, vbique in feudis, legum
vim habent, eisque cessantibus, ius cō-
6 mune ciuile, vel canonicum supplet ca-
sus omissos: *de his disc.1.& 64.*

An autem feudum contineat meram
gratiam, ac beneficium, vel potiùs con-
tractum correspectiuum; Et an iste, bo-
næ fidei, vel stricti iuris censeri debeat,
7 nimium certant scribentes; foro autem
parum accomodatæ huiusmodi quæstio-
nes videntur, Scholasticis, & Accade-
micis magis congruæ, ideòque apud ma-
teriam ex professo tractantes videndum
est.

Apud eosdem tractantes plures quo-
que habentur feudorum distinctiones, di-
uersaque genera, quæ tamen ab aula
8 exulasse videntur, siue in foro nimium
rara, nempè, ligium; De cauena, seù
camera; Soldatum; Aduocatiæ; Curtis;
Thenasiæ; Cancellariæ; Commissatiæ;
Scutiferi, cum similibus, de quibus
Thyronum partes erunt apud dictos tra-
ctantes perquirere, cum institutum sit,
breui sub compendio ea recensere, quæ
9 in foro agere occasio dedit, non au-
tèm totius materiæ formalem tractatio-
nem assumere.

Quatenùs igitur pertinet ad ea, quæ
in foro magis adaptata, & frequentia ha-
bemus, feudorum distinctiones, ac ge-
nera sunt; Primò quod; Alia sunt diui-
dua, plurium personarum simultaneam
10 successionem, ac pertinentiam, & con-
cursum admictentia, Et quæ iuris Lon-
gobardorum appellantur; Alia verò sunt
indiuidua, non nisi vni personæ congrua,
pluriumque concursum excludentia, Et
11 quæ iuris francorum dicuntur, cum or-
dine primogenituræ, ac pro lineæ præro-
gatiua frequentiùs, ac regularitèr defe-
renda.

Antiquiori autem tempore, inspecta-
que primæua feudorum introductione,
12 omnia erant diuidua, quamuis essent Di-
gnitatis, multò magis simplicia; Hodiè
verò illa Dignitatis, generalitèr, ac vbi-
que de eorum natura, habitualitèr indi-
uidua sunt; Ex aliquarum tamen Regio-
num consuetudine, præsertim verò Lom-
bardiæ, datur eorum diuisio, plurium-
13 que concursus in fruitione, ac iurium
feudalium exercitio, ipsius feudi sub-

stātia indiuisa remanente penès omnes,
eorumque singulos in solidum, ad instar
eorum, quæ in iurepatronatus habentur:
de his distinctionibus, disc.8.& seqq.& 107.

In vtriusq; autē Siciliæ Regnis, in qui-
bus (si Germaniā excipias) maior est feu-
14 dorum sedes, ac frequentia; siuè ex con-
suetudine, siuè ex peculiaribus eorum
legibus, diuisionem, omnemque scissu-
ram prohibentibus: Omnia feuda recta,
15 & propria, (quæ ibi *in capite*, seù *qua-
ternata* dicuntur), sunt indiuidua, & iu-
ris francorum, iure primogenituræ de-
ferenda, aliquibus raris, ac exiguis ex-
ceptis, quæ in Aprutio, ac in ea Re-
16 gione, quæ *Cilentum* dicitur, antiquam
diuiduam, ac iuris Longobardorum na-
turam retinent. *De eisdem disc.8. & 107.*

Altera est distinctio inter feuda Re-
galia, (quæ idem sonant, ac dignitatis)
& simplicia, seù non Regalia, dignita-
17 tem annexam non habentia.

Regalia, seù dignitatis, verè, ac pro-
priè sunt ea, quæ Regis, Principis, Du-
18 cis, Marchionis, vel Comitis titulum
annexum habent, cum supremi Imperij,
ac Principatus iure, & cum quodam al-
to dominio, ac Regalibus, etiam maio-
ribus, alium non recognoscentes supe-
riorem, nisi ipsum magis supremum in-
feudantem, in concernentibus ius feudi,
ac alijs, quæ lex inuestituræ, vel ditionis,
ac Prouinciæ, scripta, vel non scripta
lex disponat, magis alto, (quod alij, ad
differentiam, altissimum dicunt), ac ma-
iori superioritate Domino reseruatis.

Et quamuis in feudis, etiam non Re-
galibus, dictum supremum Imperium,
vel iura Principis, ac Regalia maiora,
non præseferentibus, sed potiùs omninò
19 dependentem, ac subordinatam Baro-
niam importantibus, adhuc, præfatæ
Principum, Ducum, Marchionum, &
Comitum Dignitates, vel tituli, in ni-
mium frequenti vsu habeantur; Attamē
impropriæ, ac abusiuæ sunt Dignitates,
non autem veræ, quandam solam ima-
ginem veræ Dignitatis habentes. *De his
distinctionibus disc.63.*

Adhuc tamen id feudorum distin-
ctionem causat inter titulata scilicèt, &
non titulata; Tùm ad præfatum indiui-
duitatis effectum in præcedenti distin-
20 ctione enunciatum, in hac etiam specie
cadentem; Tum etiam quia pleraque

Magistratibus competunt in feudis simplicibus, quæ in titulatis denegantur, siuè circa preeminentias, ac alia, vt *disc.* 106

Tertia est distinctio, inter feuda recta, & vera, seu propria, quæ iuxta feudalem
21 naturam, ac feudales consuetudines conceduntur sub onere seruitij militaris, ac fidelitatis; Et impropria, seu abusiua, quæ sub aliqua præstatione reali, seu aliàs præter feudalem naturam, & consuetam formulam conceduntur; Istaque in solo nomine, seu vocabulo, feudali-
22 tatem habentia, in reliquis, allodialium, ac indifferentium bonorum iure censentur.

Non omnis tamen consuetæ naturæ feudorum alteratio, feudalem qualitatem corrumpit, atque diuersam allodialem imprimit, sed quando est circa essentia-
23 lia, vel talia naturalia, quod sine eis feudum non detur; Vt sunt præsertim, seruitium, vel seruitij, ac fidelitatis obligatio; Si enim alteratio sit circa aliqua accidentalia, super quibus dispensari soleat puta circa habilitationem fœminarum, vel clericorum, cum similibus, erit quidem feudum in hac parte alteratum, ac deuians à propria natura, non per hoc tamen in reliquis definit esse tale, vt *disc.* 11.

In aliquibus regionibus, vel Ditioni-
24 bus, isti termini feudi proprij, & improprij, sub diuersis vocabulis, vel terminis explicari solent, præsertim verò in vlte-
25 rioris Siciliæ Regno (quod apud antiquiores *Apuliæ*, apud moderniores verò *Neapolitanum* appellatur); Distinguuntur feuda vera, & propria ab improprijs, quod ea de prima specie, dicuntur feuda *in capite*, & *quaternata*, vtporè directè, ac in capite concessa per Regem in consueta forma feudali, atque descripta in ipsius Regis codicibus, seu libris, qui de more regionis *quinterniones* appellantur.

Ea verò de altera specie, vtporè à feudatarijs, & Baronibus concedi solita, in prædijs, ac similibus rebus, non autem in Ciuitatibus, Oppidis, & Castris, vt
26 plurimum consistentia, neque in dictis quinternionibus descripta, appellantur *plana*, *& de tabula*, quæ vbi sine Regis interuentu conceduntur, neque in dictis quinternionibus descripta sunt, plana, & de tabula simpliciter dicuntur, iure allodialium, ac indifferentium bonorum regulanda, non autem iure feudali.

Quandoquè tamen, tàm à Rege, quàm à Barone conceduntur, eorumque descriptio in quinternionibus habetur, atque tunc dicuntur plana, & de tabula secun-
27 dum quid, de vna, vel respectiuè altera; feudali, ac respectiuè allodiali qualitate participantia, iuxtà circumstantias, ac distinctiones, de quibus in sua sede.

In idem verò coincidit distinctio, inter feuda nobilia, & rustica, seu franca, & non franca, non attenta verborum for-
28 mula, sed substantia veritatis; ipsiusque rei concessæ natura, & pactis, feudalem veram naturam corrumpentibus nec nè, cũ sæpiùs verba, ad honorificos, ac preeminentiales effectus, atque vt ab antiquis formulis non deuietur, adijci soleant: *de his terminis, ac distinctionibus, disc.* 7.

Quarta est distinctio, inter feuda ex pacto, & prouidentia pura, pacti item, &
29 prouidentiæ mixta, & merè hæreditaria; De prima specie sunt, ea, quæ pro filijs, & descendentibus, vel successoribus sanguinis tantùm conceduntur, alia qualitate hæreditariæ non admixta: De secunda verò ea in quibus, restricta concessione ad eosdem successores sanguinis, hæreditaria etiam qualitas admixta est, vt vtraque simul requiratur, vt infrà in successionum Rubrica: Et de tertia sunt ea, quæ pro quibuscumque hæredibus, rei familiaris quantumuis extraneis concessa sunt; Istaque species vix, veris, ac
30 proprijs feudis nobilibus congruit, magis autem improprijs, allodium sapientibus, vt *disc.* 9. 10. 12. 13. *&* 17.

Quinta est distinctio, inter feuda antiqua, & noua; Antiqua solent etiam *auita*, seu *paterna* dici; Istaque sunt ea,
31 quæ non ab ipso possessore, sed à patre, vel alijs maioribus quæsita sunt; Cadente quæstione, an eandem retineant naturam, si iure nouæ concessionis (caduci-
32 tate remissa) idem possessor obtineat feudum, quod aliàs amittere debuisset, ad plures effectus, de quibus in suis respectiuè Rubricis infrà.

Noua autem sunt, quæ ab ipso feudi possessore quæsita sunt, eaque subdistinctionem recipiunt à causa, vel modo ac-
33 quisitionis; Vbi enim obtinentur ex concedentis munificentia, sine correspectiua recompensa, dicuntur noua titulo lucratiuo; Vbi verò pretio, vel alia recom-

recompensa mediante, dicuntur titulo oneroso, vel emptitia ad plures effectus, præsertim illum facultatis alienandi, vt infrà in suis sedibus.

Cadente quæstione, vbi concessio sequatur ob primi concessionarij merita; Idque recipit decisionem à meritorum
34 qualitate, an scilicèt talia sint, quæ ex obligatione iustitiæ, illud præmium de condigno postulent, vt tunc dicatur acquisitio ex titulo oneroso; Secus autèm vbi ex sola obligatione autidorali, & ex munificentia concedentis à solo impulsu congruentiæ regulata.

Ac etiam altera quæstione, vbi recompensa non adæquet feudi valorem, adeò
35 vt gratia, & iustitia admixtæ sint, vt tunc actio à præponderanti sequi dicatur, ad istár eorum, quæ in materia iurispatronatus frequentiùs habentur.

Quia verò frequentiores inuestiturarū formulæ continent clausulam, vt quamuis noua concessio sit, attamèn tanquàm, de feudo auito, seù antiquo facta censea-
36 tur; Hinc altera cadit quæstio, an id veritatem alteret, atque ad omnes effectus feudum antiquum reddat, vt plerique putant; Verior autém est contraria opinio, vt veritas attendi debeat, non autem hæc fictio, quæ non omninò inanis est, sed operatiua ad plures effectus honorificos, ac præeminentiales, illum præsertim nobilitatis, quam antiquum feudum inducit, nouum autèm non, cum similibus; Natura feudi quoad successionem, vel disponendi facultatem, ac similia, iuxtà naturalem veritatem attendenda, & non immutata. *De his eisdem locis proximè supra*.

Sexta est distinctio inter feuda, & subfeuda, quæ tamén plures recipit subdi-
37 stinctiones, pro effectuum diuersitate cadentes, vt infrà in propria subfeudorum Rubrica.

Pluresque aliç habentur distinctiones, quas operis progressus, pro effectuum qualitate docebit; Vt est præsertim illa,
38 feudi masculini, & fęminini; Siuè illa ecclesiastici, & laicalis, cum similibus foro non adeò adaptatis.

II.

An in dubio præsumatur feudum, vel allodium, & cuinam incumbat onus, vnam, vel alteram qualitatem probandi.

CVM feudum importet seruitutem non præsumendam; Hinc regula libertati, seù allodialitati assistit, non ac-
39 cedente contraria probatione, quam tamen expressam esse non oportet, cum præsumptiua, siué adminiculatiua quoque sufficiat.

Qualia verò sint adminicula ad id sufficientia, certa, & determinata regula
40 non de facili datur, cum huiusmodi, facti potiùs, quàm iuris quæstiones, à facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, pro Iudicis prudenti arbitrio recipiant decisionem, quæ pro locorum, personarum, temporum, ac frequentioris vsus qualitate, diuersa est, vt quandoq; minora adminicula sufficiant, quandoque autém eadem, ac longè maiora inefficacia sint, iuxtà coniecturalium, ac adminiculatiuorum generalem naturam.

Ad benè autem præfatum arbitrium regulandum, tollendumque æquiuocorum lapsum, ob diuersorum casuum confusionem, (in Iuristis præsertim pragmaticis frequentem, ac facilem), plures casus distinguere oportet.

Primus igitur casus est, vbi feudalitatis quæstio sit, inter prouinciæ, seù Di-
41 tionis Principem, qui vniuersale Imperium in vniuersa prouincia, vel Ditione habeat, ac inferiorem Dominum, & possessorem Ciuitatis, Oppidi, vel Castri, cū Imperio, & iurisdictione in vasallos, intrà ipsius prouinciæ, seù Ditionis limites, super ipsius particularis dominij natura in vniuersum, an scilicèt ipsa Ciuitas, vel Oppidum, seù Castrum, iure feudi, vel allodij possideatur; Atque tunc, ex magis communi, receptoque sensu, regula, seù præsumptio resistit illi veræ, ac propriæ feudalitati, quæ iuxtà feudales regulas importat formalem seruitutem, idcòque pro allodialitate potiùs respondendum est, ad effectus successionis, ac

transmissionis, & facultatis disponendi, ac obligationis seruitij, vel renouationis, aliosque similes.

Eadem veró præsumptio, vel regula, è conuersó resistit illi allodialitati, per quam, vtpotè omnimodam idependentiam præseferentem, alter non recogno-
42 scitur superior, nisi Deus; Ideòque regula, seù præsumptio assistit illi remotæ, ac impropriæ feudalitati, quæ Principis altum dominium, ac superioritatem, & Regalia maiora præseruet, ipsumque priuatum dominium, ex ipsius Principis cõcessione originatum esse denotet; Non tamèn exclusa contraria probatione, cui semper iuris regula, seù præsumptio cedit; Adeòut in huiusmodi paruis, ac
43 subordinatis dominijs, verum Principatum, cum supremo Imperio, non præseferentibus, quoddam mixtum, de allodio, ac de feudo (vtroque in parte alterato, vel corrupto) adesse videatur.

In vtriusque autèm Siciliæ Regnis, ac
44 præsertim in citeriori, Regula, seù præsumptio est in oppositum, vt scilicèt, Ciuitates, Oppida, Castra, & loca, cum Vasallis, Imperio, ac iurisdictione, in priuatis personis feudalia præsumantur, secus autem in Ecclesijs, nisi vtroque respectiuè casu, de contrario constet.

Alter controuersiæ casus est, inter loci Baronem, seù feudatarium, ac vasallos, aliosque priuatos intra feudi fines
45 prædia, ac bona possidentes, an scilicèt ea, libera, & allodialia, vel potiùs feudalia, seù feudi reddititia censeantur; Magisque de plano, libertati, seù allodialitati, in feudalis seruitutis exclusionem, regula assistit, nisi diuersa natura maioris partis adiacẽtium bonorum, siuè aliæ præsumptiones, & adminicula, pro facti qualitate, diuersimodè suadeant.

Tertius demùm est casus, in quo eadẽ controuersia cadat super bonis, ac prædijs intrà ipsius feudi fines ab ipso feuda-
46 tario possessis, inter ipsius hæredes, ac Dominum facto casu deuolutionis; Vel inter agnatos feudi tantùm, non autem allodij successores, ac dictos hæredes; Atque in hoc, pariter libertati, siuè allodialitati assistit regula, seù præsumptio, contraria probatione expressa, vel etiam præsumptiua elidibilis, quia scilicèt constet, penès infeudantem, vel feudatariũ prædecessorem, iure feudi fuisse; Siuè quod constito etiam de priuato, ac al-
47 lodiali statu, & acquisitionis initio, constet quoque de acquirentis animo, à priori, vel posteriori comprobato, ea incorporandi, ac addendi feudo, cuius proindè naturam assumpserint per speciem alluuionis.

Recipienda verò est hæc præsumptio, quæ allodialitati assistit, in illis prædijs, ac bonis, quæ in primæuo naturæ statu non continuantia, humanam supponunt
48 industriam, ex qua priuati dominij argumentum resultet; Secus autèm in ijs, quæ in præfato naturæ primæuo statu perseuerent, atque talia sint, quod iuxtà magis communem vsum, publici potiùs, quàm priuati iuris esse soleant; Siuè aliquam annexam habent iurisdictionem, vel præeminentiam, priuato dominio regularitèr incongruam, frequentiùs autèm possessori, tanquàm feudatario, seù Domino conuenientem, iuxtá facti qualitatem, singulorumque casuum particulares circumstantias, ex quibus, facti potiùs, quàm iuris, quæstio determinationem recipit. *De his circa præsumptionem, vel probationem feudalitatis disc. 2. 3. 6. 34. 35. 56. 60.*

III.

In quibus rebus feudum consistere valeat, qualeue sit feudi subiectum habile.

IN rebus, quæ veré, ac per naturam, absque legis fictione sint immobiles, vtpotè soli, concors est sententia, vt
49 feudum rectè cadat, quamuis priuata bona sint; nullamque annexam habeant iurisdictionem, vel Imperium in vasallos; Neque dubium est in his etiam rebus verum, ac rectum feudum dari posse.

Communis tamen feré vsus, distinguit feuda nobilia, ab ignobilibus, vel rusticis; Vt vbi agatur de Ciuitatibus, Oppidis, Castris, vel locis inhabitatis,
50 vel quæ talis fuerint, habitu iurisdictionem, vel ius vasallorum retinentia, vera, & propria feuda frequentiùs iudicẽtur; Vbi verò de bonis, priuatæ magis, quàm Baronali fortunæ, seù qualitati congruis, vt

vt sunt ea feuda rustica, quæ alicubi dicuntur *plana*, & *de tabula*, & hæc allodij iure, ac tanquam feuda impropria potiùs censenda veniant, dicta tamen possibilitate non negata.

In iuribus etiam incorporalibus, quæ ex legis fictione, pro immobilibus habentur, seù tertiam constituunt speciem,
51 de illa immobilium magis participantē, putà in annuis redditibus, vel pensionibus, specierum, vel quantitatis; Siuè in iuribus, & actionibus, quæ ad rem immobilem competunt, idem quod de immobilibus soli dictum est, recipiendum quoque venit.

Idemque in iurisdictione, & imperio,
52 ac iuribus Regalibus, siuè Regalium speciem habentibus; Cadente potestatis quæstione, circà ea Regalia maiora, quæ
53 Coronæ, seù Principatui annexa, ab eo absque notabili scissura, vel deturpatione auelli non possunt; Quotiès non agatur de feudo Regali, ac veræ dignitatis, quod eadem iura Regalia, quamuis maiora secum trahat.

Neque implicat, vt in eodem Castro, vel loco, duorum feudorum concursus detur; Vnius scilicèt in ipso Castro; Et
54 alterius in iurisdictione, & imperio, siuè in eadem, siuè in diuersa persona; Ac siuè ab eodem, siuè à diuerso infeudante;
55 Quinimò, vt ex his vnum obtineatur in feudum, & alterum, in allodium.

In pecunia verò, vel mobilibus, feudum non datur, nisi agatur de pecunia
56 Principis, quod praxis vnquam, seù nimium raró admittit; Cadente frequenti quæstione in ea pecunia, quæ ex feudi alienatione proueniat, eiusque pretium
57 sit, an eandem feudalem retineat naturam, iureque feudi, ad effectum deuolutionis, aliosque effectus regulari debeat; Idque decisionem recipit ex facti qualitate, & circumstantijs, veram subrogationem redolentibus, præsertim, vbi ex facto Principis, vel Magistratus ad id potestatem habentis, hæc subrogatio sequatur, vt in sua sede; Regula veró in dubio negatiua est, vt feudi pretium, feudale non sit, *vt disc.42. & 48. & sub tit. de emphyteus. disc.36.*

Eadem cadit quæstio in iuribus, & a-
58 ctionibus ad feudum, an iure feudi censeri debeant; Et quamuis in istis, regula esse videatur affirmatiua, adhuc tamen pro facti qualitate limitationem recipit, vt in sua sede.

Affirmant feudistæ, etiam rem alienā in feudum dari posse, quod tamen recipiendum est; vel rei Domino assentien-
59 te, ratumque habente; Vel in Principe, cui potestas tributa sit, aliena bona, quāuis libera, & allodialia concedendi absque eo, quod molestiæ haberi valeant à
60 domino, cui actio aduersùs ipsum concedentem pro æquiualentia tribuatur.

Hanc autem feudi speciem, raró, atque non nisi publica causa impellente, praxis
61 docet; Frequentiùs verò concessiones Ciuitatum, seù locorum, quæ ex conuētione cum Principe etiam ex causa onerosa libertatis, vel dominij obtineant priuilegium, cui derogari solet, ac potest à Principe supremo, potestatem tollendi ius tertij habente, quamuis non debeat, neque congruat, *vt sub tit. de Regal. disc.148.*

Ipsius autem infeudati propria, quāmuis libera, & allodialia bona, per ipsum, ratione protectionis, ac defensionis, vel
62 ex alio motiuo, seù etiam libera voluntate, ac sinè causa, in feudum verum, ac proprium posse ab alio recipi, vel recognosci, extrà controuersiam est, vbi liberé de bonis disponendi, defectus potestatis in eo non vrgeat; Itá occultato donationis contractu, per quem infeudatus, infeudanti bona propria tribuat, atque incontinenti ab eodem in feudum recipiat, *vt disc.56.*

Pluribus alijs apud feudistas cadentibus quæstionibus super rebus, in quibus feudum dari valeat, putá in fructibus
63 pendentibus, alijsque accessionibus, quæ tamen in foro nullæ, vel nimium raræ sunt, ideóque de ijs in sua sede, ac apud tractantes ex professo materiam videri potest.

I V.

Qui possint infeudare.

QVamuis regula generalis apud feudistas, ac alios habeatur, vt
64 omnis liberam habens eius bonorum administrationem, infeudare valeat, qui expressè in iure prohibitus non reperiatur; Attamen Scholis, & Academijs, huiusmodi

iusmodi relinquendo generalitates, pluresque illationes ex eis resultantes, foro parum congruas, attentoque magis communi practico vsu, distinctio est quod.

Aut agitur de feudis Regalibus, ac Dignitatis, & certum est hanc facultatem
65 non competere, nisi Papæ, ac Imperatori, illisque Regibus, ac primi ordinis Principibus, qui antiqua Romani Imperij superioritate præscripta, tanti sunt in suo Regno, vel dominio, quantus est Imperator in imperio.

Cadente potestatis quæstione, vbi agatur de tali infeudatione, quæ notabilem Regni, seù Coronæ, vel dominij scissu-
66 ram, vel deturpationem causet, potissimè verò vbi Regnum, vel dominium hæreditarium non sit; super quo tamen, rarò Iuristis conceditur in foro, per iuris tramites id examinare, ac decidere, cum potiùs ea, quæ summa ratio rerum dicitur, illudque anagramma purum, quod ex eisdem litteris componitur, ex quibus componitur etiam ius (vnius litteræ ordine mutato) huiusmodi quæstiones decidat.

Alij verò, qui iure feudi, vel allodij Regna, vel dominia, cum aliqua subie-
67 ctione ab alio recognoscunt, quamuis iura Principatus, ac supremi Imperij obtineant, possunt quidem concedere feuda, cum iurisdictione, & imperio subordinato in Baronum, non autem Principum figura, idcòque non in feudum Regale, ac veræ dignitatis, cum nemo sibi æqualem facere valeat, nisi accedat assensus alterius supremi, cuius auctoritate potiùs id fieri dicitur.

Benè tamen, ex recepto vsu, etiam huiusmodi inferioribus, atquè subordinatis feudis, isti Principes alium superiorē
68 habentes, adijciunt dignitates, abusiuas tamèn, ac improprias pro aliquibus potiùs honorificè effectibus, non tamen illas veras, quæ feudum Regale faciant, iuxtà suprà insinuatam feudorum diuisionem: *De his disc.* 1.

Licèt verò Papa sit omnium Principū primus, nullumque in ijs, quæ iuri diuino expresè non aduersentur, sentiat defectum potestatis; Attamèn antiqua se-
69 des, sibi ipsi per aliquos canones, quoddā iniecit impedimentum, à se ipsa tamen soluibile, seù dispensabile, *vt disc.* 4.

Idemque moderna sedes facit per nouas Constitutiones, infeudationum prohibitiuas, à se ipsa paritèr dispensabiles, cum exceptis, vt insinuatum est ijs, quæ
70 diuino iuri expresè aduersantur, non detur primæ sedis ligamen, quod ab eadem solui non possit; Quamuis de congruo voluntas, in huius potestatis vsu, difficilis, ac rara sit, præsertim derogando posteriori moderno ligamini.

Eodem tamèn vinculo non soluto, sed
71 vigente, adhuc prohibitum non est, vt perseueret, atque effectum habeat id, quod antè talis viculi iniectionem concessum sit, & competat.

Cadente etiam quæstione, an impediat
72 eas concessiones, vel alienationes, quæ veram infeudationem non importent, minusque locorum prohibitorum substantiam percutiant, sed solùm fructus, vel commoditatem, aliaque iura, & bona à fendo separabilia, in sua sede *disc.* 1. 4. *& 61.*

Inferioribus veró, quamuis dignitatē, vel Prælaturam habentibus, quibus publicum bellum licitè indicendi facultas non sit, neque Regalia maiora cum iure Principatus, ac Imperio competant, vix
73 proprium, ac verum feudum nobile concedere posse, praxis docet, cum præcipuū veri, ac proprij feudi nobilis requisitum, sit militare seruitium; ideòque abusiua, & impropria frequentiùs ista feuda esse dignoscuntur, sub realis prestationis onere concedi solita, vt infrà in rubrica distinguente feuda propria ab improprijs; (Quamuis, & istis nil prohibeat, quin veri, ac proprij feudi leges, & conditiones adijci valeant circá deuolutionem,
74 ac successionem, & alia) Ideòque multó magis in merè priuatis, priuata, & indifferentia bona concedentibus, id asserendum est, vt improprium feudum fit.

In Prælatis veró, alijsque Ecclesiarum Rectoribus, ac administratoribus, qui Papa inferiores existunt, potestas à fa-
75 cris Canonibus, & Apostolicis decretis nimium coarctata est, vbi copulatiué causa, & solemnitas non accedant, nisi generalis, vel particularis consuetudo, aut Apostolicæ Sedis indultum alitèr concedat; Quod tamen, potiùs prohibitæ alienationis in genere, quam feudorū peculiarem materiam percutit.

Quid autem sit de potestate faciendi
76 abusiuas, seù præuentiuas infeudationes

de

de feudo adhuc pleno; siuè de potestate subinfeudandi habetur in vtraque particulari, abusiuæ inuestituræ, ac subfeudorum Rubrica.

V

Qui possint infeudari, atque feudorum assequutionis, vel retentionis capaces existant.

EAdem regula generalis, quæ, vt supra traditur in iure actiuo, datur etiam in passiuo, vt scilicèt, (exceptis casibus, qui in iure prohibiti sunt) omnes feudi capaces existant; Nimium autem
77 vaga est hæc generalitas, ideóque strictius distinguendum est, feudum rectum, ac proprium, ab improprio; Huius, etenim secundi generis feudi improprij omnes capaces existunt, dictaque regula generalis benè procedit, quoniam cum
78 hęc feuda personale seruitium annexũ non habeant, atque allodialium potiùs, quàm feudalium iure censenda sint, vt in proximè sequenti Rubrica; Hinc personarum differentia, vel inhabilitas attendenda non venit.

Secùs autem, vbi de vero, ac proprio feudo agatur, cum istud connaturale habeat personale seruitium militare, saltèm subsidiarium, atque in extraordina-
79 rijs Domini occurrentijs, quamuis pro seruitio currenti aliqua annua realis prętatio ex consuetudine soluatur, vt præsertim in enunciatis vtriusque Siciliæ Regnis practicatur, vbi talis præstatio, sub *Adhoa* barbaro vocabulo explicatur, ideòque inhabiles ad hoc seruitium incapaces feudi existunt.

Hinc proindè clerici, tàm sæculares, quam Regulares, vt potè tali seruitio inhabiles, per feudales consuetudines generales, fortiùs verò per dictorum Re-
80 gnorum leges particulares, inhabilitati sunt ad feudorum essequutionem, vel retentionem.

Adeò vt si sæculares in sacris ordinibus existant, Regulares autem professionem irretractabilem emiserint, ne dum
81 ad feudum delatum assequendum inhabiles existant, verum etiam assequutum illicò amittant, illudque proximiori agnato, vel isto non existente Domino, tanquam per mortis speciem aperiatur.

Quatenùs verò sæculares in minoribus, Regulares autem in statu nouitiorũ existant, feudum in statu habili, & capa-
82 ci iam assequutum nõ amittunt, nisi pro status mutatione moniti, contumaces reddantur; Assequendi autem adhuc incapaces reputantur, iuxtà magis rigorosam opinionem, quamuis eo statu dimisso, sæcularem assumere prompti sint; Verior autem, magisque recepta opinio est in contrarium, vbi intrà competentem terminum pro iudicis arbitrio, seù locorum consuetudine taxatum, vel taxandum, animum declarent; Quinimò eidẽ adhuc in determinato, an priorem statum retinere, vel alterum diuersum assumere velit, aliquis competens terminus assignari solet.

Cessat hæc inhabilitas ex particulari prouinciarum, vel feudorum consuetu-
83 dine; Itemque ex ipsius Domini dispensatione, quæ tamen in citerioris Siciliæ Regno concedi non solet nisi per speciẽ tenutæ, seù administrationis de consensu legitimi, & capacis successoris, qui inter feudatarios descriptus perseuerat.

Siuè vbi agatur de feudis Papæ, de
84 Ecclesiæ Romanæ temporali Ditione, vbi Clerici, & in sacris, & Episcopi sunt capaces; Ac generalitèr de illis aliarum Ecclesiarum, quarum consuetudo, vel statutum non obstet.

Quamuis autem aliqui opinentur Cardinalitiam dignitatem in hoc priuilegia-
85 tam esse; Erronea tamen opinatio est, cùm originaria traditio, quæ Cardinalisũ fauore habetur, proueniat ab insinuata circumstantia, vt de feudo Status Ecclesiastici agatur, quod commune est omnibus Clericis sæcularibus; Quinimò non desunt volentes, vt Regulares etiam, ad Episcopalem dignitatem assumpti, capaces quoque existant. *De his omnibus circa Clericorum capacitatem, vel incapacitatem, & habilitatem disc.17. & 18.43.&53.*

Et quamuis plurium Canonistarum
86 sit sensus (quibus etiam aliqui feudistæ adhærent,) vt huiusmodi leges, Clericorum, & Ecclesiasticorum inhabilitatiuæ, vtpotè Ecclesiasticæ libertati contrariæ,

pro

pro cassis, ac irritis habendæ sint; Verior tamen, passimque recepta est contraria opinio, cum prohibendus non veniat dominus rei suæ, quam alteri concedit, sibi bené visam legem adijcere, probabilis etiam rationis fomento non destitutam, vt nempè sibi subditos milites, ac feudatarios, eos non inhabilitandò ob Clericatum, tanquam pœnæ inductiuum, sed desiderando in eius vassallis statum laicalem, tanquam conditionem, seù qualitatem, sine qua eius intentio non sit concedendi, vt *d.disc.54. & in alijs proximis.*

In militiarum veró ecclesiasticarum
87 professoribus, aliqua non improbabilis dubitandi ratio cadit, quod istis benè congruat status militaris, ob quem, seruitium feudo proprio connaturale, præstari valeat; Atque in ijs militijs, quæ licet Ecclesiasticæ, ac Apostolicæ Sedis auctoritate erectæ, verum tamen regularem, seù religiosum statum non inducunt: magis receptus vsus, inhabilitationem non inducit, nisi particularis scripta, vel non scripta lex alitèr statuat; In ijs veró militijs, in quibus iam solemnitér, ac validè professi, verùm religiosum statum assumunt, ideóque sub Clericorum nomine veniunt, vt præsertim, milites Hierosolymitani censentur, regula est negatiua, in plerisque tamen ditionibus, vel Prouincijs, de consuetudine limitata.

De facili tamen per Principem, seù Dominum habilitari solent eo modo, quo
88 cernimus frequentèr habilitari ad sæcularia officia, quæ iurisdictionem, ac administrationem connexam habeant, vel ad munera militaria Principum sæcularium, ad quæ non ita de facili Clerici sæculares, vel Regulares Claustrales habilitantur.

Extrà controuersiam veró est, vt hic
89 status militaris, absque solemni irretractabili professione, atque in statu nouitiatus, talem inhabilitatem non inducat, vt *disc. 16.*

Adhuc tamen frequens praxis docet, Prælatos, aliosque Ecclesiasticos, Principum sæcularium feudatarios esse ra-
90 tione feudi, quod Ecclesiæ per eos administratæ concessum sit; Atque vbi dè feudali qualitate constat, omnis quæstio cessat, cadere solita in ambiguo, an scilicèt Castrum á Principe laico concessum,
91 de cuius titulo non constet iure feudi, vel allodij censendum sit, allodialitatis præsumptione assistente, etiam vbi in priuatis, in contrarium sit regula; Et quatenús iure allodij, an istud verum, & proprium sit, quod ipsius Principis laici superioritatem, et altum dominium excludat, de quo in sua sede, *disc.60. & in alijs proximè.*

Siuè autem ex particulari Domini indulgentia, & dispensatione; siuè ratione Prælaturæ, ac administrationis Ecclesiæ, cui feudum competat, Clericus, vel Ec-
92 clesiasticus feudum possideat, in ijs, quæ ad ipsum pertinent feudum, eiusque annexa, non autem in alijs, fori clericalis exemptione, ac priuilegio non obstantibus, Domino quamuis laico subditus est, eiusque foro sistitur.

Hinc proindè in Papa non leuis est quæstio, an ista capacitas detur, obtinendi feudum ab alio; Aliquibus affirmati-
93 uam indubiè tenentibus, quasi quod Pontificia dignitas tollere non debeat illam capacitatem, quam quilibet priuatus obtinet; Alijs autem id negantibus, eo quia incompatibile sit, Summum Pontificem, ac primam Apostolicam Sedem, omnium Principatuum supremam, eius subdito, ac inferiori vassallaggium, ac seruitium debere, quodque propterea Castra, & loca per alios Principes Romanæ Ecclesiæ, vel Apostolicæ Sedi concessa, pleni allodij naturam assumant, nilque in concedente remaneat, vt in concessionibus, quæ inferioribus Ecclesijs fiant, remanere compatibile est; De his autem in sua sede, cum id non de facili certam recipiat determinationem, sub cõpendio explicabilem, vt *eod.disc.60*

Fœminæ item ad feudi rectì, ac proprij assequutionem, vel retentionem in-
94 habilitatæ sunt, omnesque ab eis tanquam ex infecta radice descendentes, cũ feudales communes consuetudines, masculos agnatos tantùm, regularitèr feudorum habiles præsupponant; Nisi Regionis, vel Principatus peculiaris scripta lex, aut inuestituræ formula, alitér nõ disponat, vt præsertim in dictis vtriusque Regni feudis, aliarumque Italiæ ditionibus frequentior vsus docet.

Isto autem accedente, fœminarum, vel
95 ab eis descendentium vocatio, subsidiaria est, in masculini scilicèt sexus, defe-

ctum,

ctu, expectato tamen tempore apertæ successionis, vndè propterea, masculorum superuenientia, ius fœminæ iam quæsitum, imò legitimè delatum, quàuis non agnitum, non tollit, cum feuda, tanquam species beneficiorum ec-
96 clesiasticorum administrationem annexam habentia, vacare, atque in suspenso stare non valeant, quamuis futuræ existentiæ priùs vocati spes duret; Quæ tamen suspensio datur in allodialium fideicommissis, ac primogenituris, & maioratibus, non tamen in illis Hispaniæ, vbi denegata suspensione, idem quod in feudis, ac beneficijs, receptum est.

Attentaque feudalium consuetudinum generalium dispositione, sexus
97 fœmininus, alijque ab eo originem trahentes, masculino agnatitio existenti in feudis veris, & proprijs locum cedunt, quamuis remotiori, non curatis lineæ gradus, vel ætatis prærogatiuis.

In præfatorum autem vtriusque Siciliæ Regnorum feudis (vt præmissum est) indiuiduis, cum ordine primogeniture, seù iure franchorum regulandis, secùs est, quoniam iuxtà primo-
98 geniorum ordinem, seù naturam, linea primum occupet locum, eique cedunt, nedum gradus, vel ætas, sed quod fortiùs est, etiam sexus; Ideóque
99 magis receptum est, vt neptis ex primogenito prædefuncto, quamuis sexus, gradus, ac ætatis disparis, ac inferioris conditionis, adhuc tamen ex prærogatiua lineæ per eius parentem, saltèm habitualitèr transmissæ, vincat filium secundogenitum, ac patruum respectiuè, vt infrà in successionum Rubrica, *de fœminarum, vel ex eis descendentium concursu, disc. 11. 13. & 53.*

Illegitimorum natalium defectu laborantes, qui in eo statu perseuerent,
100 eorumque descendentes, quamuis legitimè procreati, vtpotè ex infecta radice, inhabiles reputantur; Nisi macula abluta sit per subsequens matrimonium, quod data habilitate de tem-
101 pore procreationis, eius consuetum effectum retrotractiuum operetur, cũ tunc etiam ad effectum successionis feudorum, á verè in constantia legitimi matrimonij procreatis, ità legitimati non differant, nisi lex inuestituræ, vel mos regionis, procreationem in constantia matrimonij, expressè exigat; vt in *disc. 15.*

Vbi verò legitimatio sequatur ex
102 priuilegio; Distinctio est inter eam, quæ directè, ac immediatè concedatur à supremo Principe, qui derogandi legibus, atque tollendi ius alterius, potestatem habeat, ipseque sit etiam feudi dominus, Vel feudum sub eius Principatu, ac imperio existens, concedatur ab eo, qui sibi omninò subordinatus est, ac subditus in omnibus; Et illam, quæ concedatur ab inferiori Magistratu, legitimandi facultatem ab eodem Principe habente.

In prima enim specie, quotiès natalium restitutio generalis, ac indefinita sit, nullam habens conditionem, vel restrictionem, eaque obuenit re integra, & ante factum casum successionis (nisi agatur de concursu filiorum, vel aliorum eiusdem gradus, qui verè legitimi, & naturales ex matrimonio procreati sint,) iure legitimorum habendi videntur, etiam ad hunc effectum, nisi regionis, vel ipsius inuestituræ scripta, vel non scripta lex aliud disponat.

Cadente quæstione, vbi re non integra, & post factum casum successio-
103 nis, vel delationis, ea concedatur, adeòut ius quæsitum, vel delatum remotiori agnato legitimo tollat; Aliquibus opinantibus, potestatis etiam defectum in Principe, isto casu concurrere; Contrarium verò quoad ea, quæ forum externum concernunt, veriùs est, vbi clara sit voluntas, in dubio excludenda, cum in ijs, quæ à lege positiua manant, Princeps plenam habeat potestatem; Quod generalitèr in
104 alijs impedimentis, vel habilitatibus, ratione Clericatus, vel sexus, aut infirmitatis, ac similium procedit, cum eadem sit ratio, vt *sub tit. de Regalibus disc. 148.*

In altera verò specie legitimationis ab alio inferiori concessæ, cuius facultas aliquam non habeat restrictionem,
105 ad cuius limites operatiua tantùm est, etiam in rebus indifferentibus; Distinctio est, an agatur de feudo merè hæreditario, ac improprio, vt suprà iure allodij

allodij regulanda, & recipienda veniunt ea, quæ in rebus indifferentibus in iure communi Romanorum, vel alio municipali statuta sunt, ea præsertim attenta circumstantia, an legitimatio de voluntate eius, de cuius iure hæreditario, ac liberæ dispositionis agitur, sequuta sit, iuxta ea, quæ testatæ, vel intestatæ, aut fideicommissariæ successionis materiam percutiunt, ac determinata sunt; In veris autem, ac proprijs feudis formam pacti, & prouidentiæ, vel mixtam habentibus, verius est hanc inferioris legitimationẽ non sufficere.

Ea quoque specialitate in hac feudali materia accedente, vt quamuis su-
106 premi Principis, vel alterius, vera, plenaque natalium restitutio sufficiat, etiam pro indifferentibus bonis extrà legitimantis ditionem, vel potestatem non existentibus, non tamen in feudis veris pacti, & prouidentiæ, vel mixtis, quę non sint sub legitimantis imperio, ac ditione sufficiat.

Quinimó plurium sensus est, atque aliquarum ditionum praxis docet, vt neque sufficiat illa domini directi, ma-
107 gisque supremi in ea ditione, quæ iure feudi Regalis, cum supremo Imperio, ac iure Principatus, omnibusque maioribus Regalibus possideatur; Super quo tamen veritati integer locus relinquitur qualis qualis illa sit; Ex locorum tamen legibus, vel receptis moribus, frequentiús determinationem recipiens.

Surdus, & mutus in feudo vero, ac proprio, inhabilitati sunt, Pluresque
108 aliæ per feudistas recensentur inhabilitates in foro minus frequentes, vt putà ratione amentiæ, censuratum, banni, reatus læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ cum similibus.

Satis peregrina quæstione cadente in feudis Indiuiduis, vni tantúm, iuxtá prærogatiuam lineæ, atque in ea de-
109 ferendis iuxtá prærogatiuam gradus, vel in istius æqualitate, ex prerogatiua sexus; An existentia surdi, & muti, vel Clerici, seù aliàs inhabilis habentis prærogatiuam, quæ potioritatem concedat, impediat feudum deferri alteri de diuersa linea, qui sit eo ætate minor, maior autem alijs capacibus de linea impediti, vt in sua sede, *disc. 13. & in decis. Siciliæ in eodem casu*.

Omnes huiusmodi inhabilitates cessant, accedente explicito, vel implicito dispensatiuo consensu Domini,
110 quatenùs de prima concessione, seù aliàs de ipsius dispensantis pręiudicio agatur; Quæstione cadente, vbi tertij pręiudicium accedat, quod determinationem recipit á superiùs insinuata distinctione, an sit supremus, vel inferior, vt *d.disc.148. de Regal.*

Putarunt aliqui, vt huiusmodi dispensationes, vel habilitationes feudi
111 substantiam corrumpant, illudque in diuersam transire faciant naturam bonorum allodialium, ac indifferentium, quorum iure censendum sit; Quod tamen minus verum est, vbi alia recti, ac proprij feudi requisita concurrant, cùm ita dicatur feudum in ea parte improptiatum, in reliquis autem suã retinens naturam, vt alibi etiam aduertitur, & *disc.11.*

VI.

Quando dicatur feudum rectum, & proprium, & de illius constitutione, & probatione, alijsque necessarijs requisitis; Vel potiùs dicatur improprium, & corruptũ.

Nimium refert, naturam feudi perscrutari, & an sit rectum, ac proprium, vel potiùs improprium, seù corruptum; Primo etenim casu, iuxtá leges, vel consuetudines feudales est
112 regulandum, atque verum feudum dicitur, illis exceptis partibus, in quibus corruptum, vel alteratum sit; secùs autem in secundo, in quo bona, solam feudi nuncupationem, seù vocabulum habendo in substantia, potiùs allodialia censenda sunt, ideoque iure communi, tanquam de rebus indifferentibus, ac allodialibus, non autem feudalibus regulanda sunt.

Ad vnam autem, vel alteram speciem, seù naturam dignoscendam feu-
113 distæ (magis veró iuris communis potiùs, quàm feudalis professores, ac periti)

periti) nimiùm se inuoluisse videntur; Aliqui enim iuridicè supponentes, vt personale seruitium, sit feudi essentiale requisitum, opinati sunt, eo ipso, feudum improprium, & corruptum esse, quod nullam inuestitura contineat obligationem seruitij, quod proindè remissum censeatur, vel quod de certa reali præstatione cautum sit.

Verùm erronea opinatio est, quotiés expressa remissio, vel præcisa, ac taxatiua restrictio ad reale onus non
114 accedat, cum etiam absque expressione seruitij, istius obligatio, de ipsius feudi natura subintelligenda de iure veniat, atque fidelitati insit.

Alij veró seruitij remissionem desumunt ex illa inuestituræ clausula, quod
115 concedatur *franchum*, vel *nobile*(quod *francho* æquipollere, plurium sententia est;) Sed paritèr claro æquiuoco hæc opinio laborat, cum huiusmodi clausulæ, vel similes; ex antiquis inuestiturarum formulis, pro regionum stylis, ac moribus diuersis emanent, honorificentiæ, vel alicuius præeminentiæ gratia, ad differentiam illius antiquæ(hodiè saltèm in Italia oblitatæ) feudorum speciei, quæ ignobile, ac seruile mechanicum onus annexũ habebat.

Credunt alij, fœminarum, vel Clericorum, siuè extraneorum hæredum
116 habilitationem, aut alienandi facultatem singularitèr, ac discretiuè, hanc impropriationem inducere; Sed clariùs est æquiuocum eorum, qui vt suprà iuris communis potiùs, quàm feudalis peritiam habent, cum nimium frequens, receptaque praxis doceat etiam in maioribus, ac Regalibus feudis dignitatis, in quibus de vera, ac propria feudalitate nefas est dubitare, aliquam ex huiusmodi impropriationibus accedere, præsertim illam coæqualis, vel subsidiariæ fœminarum habilitationis; quæ frequens est, ac penè connaturalis hodiè reddita videtur; Vt etiam habilitatio Clericorum pro Ditionum, seù Regionum qualitate, ac moribus; Atque altera pro illa alienandi facultate, quam ob feudorum frequentiam, ex iusto commercij motiuo, consuetudo induxit.

Ita enim ex his, vel similibus alte-
117 ratiuis qualitatibus resultat, vt sit quidém feudum in aliquo à recti, ac proprij feudi natura deuians, in parte tamen alterata, in reliquis veró suã retineat naturam.

Provt erronea est opinio volẽtium, vt feudum, quod non gratuitò, sed pecunia, vel alia æquiualenti recompen-
118 sa mediante, concessum sit (quod emptitium appellari solet,) omninó improprium sit, allodij naturam habens, cum nimium frequentem habeamus vsum illorum feudorum, quæ extrà controuersiam talia sunt, ita quæsita, vel concessa.

Magisque erronea est altera opi-
119 nio, vt causa meritorum (potissimè verò, vbi hæc ad speciem deducta sunt) hunc effectum producat, cùm meritorum remunerationem, feudorum matrem, vel causam eorum vsus, ac introductionis fuisse, certum sit; Emeritis etenim, ac fidelibus, non autem demerentibus, ac ignauis, vel ignotis, huiusmodi concessiones congruunt.

Neglectum quoque fidelitatis iuramentum, hanc impropriationem cau-
120 sare aliqui opinati sunt, sed etiam malè, cum hoc sit quidem non leue feudalitatis argumentum, non tamen adeó necessarium, vt eius omissio, feudi substantiam corrumpat.

Rusticitatem item feudi, seù carentiam iurisdictionis, & imperij, idem
121 operari, aliquorum opinio est; Sed paritèr erronea, cum iurisdictio, vel eiuilitas, non sit feudi essentiale, seú necessarium requisitum; Dari enim potest etiam in eadem concessio Castri in feudum, & illa iurisdictionis in allodium.

E conuerso autem ex iurisdictione, ac imperio, siuè ex iuramento fidelitatis, aut aliqua seruitij, vel subiectio-
122 nis præstatione, veram ac propriam feudalitatem resultare; Aliqui arbitrati sunt, adhuc tamen erroneé, cum hæc aliquam impropriam, ac remotã feudalitatem percutere videantur, pro Principis, vel alterius superioris alto dominio, ac superioritate denotanda in veri, ac proprij independentis allodij exclusionem, corrupta in reliquis propria feudali natura, illaque allodij

lodij potiùs attendenda.

Compertum igitur est, hanc facti
123 potiùs, quàm iuris quæstionem esse,
ideóque certam, ac determinatam iuris regulam, seù theoricam non recipere, sed pro singulorum casuum qualitate, ac circumstantijs, præsertim veró pro Ditionum, seù Regionum legibus, vel moribus, determinandam esse; Prædictis, ac similibus adminiculis, vel argumentis pro vna, vel respectiuè altera natura, seù qualitate attendendis, pro eorum numero, & qualitate, ac præponderantia, *vt de hac materia feudi proprij, & improprij eod. disc.* 11.

Cessant verò huiusmodi ambiguitates, & quæstiones in illis Ditionibus, vel Regionibus, in quibus feudorum
124 codices, seù libri diligentèr tenti habentur, vt præsertim praxis docet pluriès enunciati Regni Siciliæ citrá, seù Neapolitani, in quo feudorum libri, seù codices diligentissimè tenentur, *Quaterniones* ibi appellati, vndè *quaternatorum*, & *non quaternatorum* feudorum termini prodierunt.

Vbi etenim in quinternionibus descripta sunt (vndè *quaternata* dicuntur) sunt feuda vera, & propria, quæ ibi di-
125 cuntur *in capite*; Vbi veró non sunt descripta, impropria sunt, ibi nuncupata *plana*, *& de tabula*, allodialium iure censenda; Datur tamen quædam mixta qualitas explicari solita sub nomine *feudi quaternati secundum quid*,
126 quia nempè feudum obtineatur à feudatario, de consensu tamen Regis, vndè propterea non sit propriè feudū directè obtentum à Rege, quod dicitur *in capite*, sed ratione assensus describatur in quinternionibus, istoque casu, de vtraque participat qualitate, atque iuxtá quæstionum diuersas species, vno, vel altero iure est regulandum, vt in sua sede *disc.* 7.

Atque generalitèr Domini libris, in quibus feuda describi solent, nimiū
127 deferendum esse, pro affirmatiua, vel negatiua receptum est, quamuis istud vehemens quidem adminiculum sit, nō tamen necessarium requisitum, cuius defectus feudi substantiam corrumpat.

Inuestitura feudi veri connaturale requisitum est, non tamen scripturæ necessitas vrget, cùm propriè inuesti-
128 tura in ipso actu traditionis ipsius feudi, vel signi vsitati, putá ensis, vel annuli, seù loricæ, vel baculi, consistere dicatur; Nimiùm tamen refert, scripturam adesse in consueta forma priuilegij, vel instrumenti, ad certiorem, ac faciliorem probationem.

Vbi autē copulatiuus defectus ac-
129 cedit inuestituræ, ac seruitij, magna resultare videtur probatio, feudalis qualitatis exclusiua, contrariam tamen nō excludens meliorē probationem. Atque ad affirmatiuam, vel negatiuam, nimium quoque confert obseruantia
130 circá petitam, vel neglectam eam renouationem, quę per nouum feudi successorem de iure feudali petenda est, vt in renouationis rubrica; Non exclusis alijs argumentis, ac probationum speciebus pro facti qualitate.

Ad veri tamen, ac proprij feudi no-
131 bilis qualitatem desumendam, potissimum attendenda est Domini qualitas, & an indicendi belli ius habeat, in quo verificabile sit personale, ac militare seruitium, quod videtur feudi veri, ac proprij essentiale requisitum, vt supra quoque aduertitur, *disc.* 52.

VII.

De oneribus, & seruitijs, ad quæ feudatarius tenetur erga Dominum, & è conuerso de oneribus, & de obligationibus Domini erga feudatarium.

Vbi ex lege vniuersali scripta, seù non scripta, omnium feudorum eiusdem dominij, vel regionis, vel ex particulari lege inuestituræ, certum
132 seruitium præscriptum est, illud extrà controuersiam præstandum est, quòd pro ferè communi vsu, vbi præsertim agitur de Domino, qui frequentiùs eius Principatum, vel dominium pacificum habet, ad aliquam realem præstationem annuam, loco seruitij, vel homagij subrogatam redactum est, vt præsertim contingit in dicto citerioris Siciliæ, seù Neapolitano Regno, vbi loco seruitij, annua quædam præstatio

ſtatio ſoluitur, ſub *adhoa* vocabulo ibi explicata; Quæſtione cadẽte, an, & quãdo huiuſmodi præſtationis neglecta
133 ſolutio caducitatem cauſet, & an moræ æquitatiua purgatio concedenda ſit, quod pro varijs prouinciarum, vel dominiorum legibus, vel ſtylis, diuerſam recipit determinationem, vt infrà in propria deuolutionis, vel caducitatis Rubrica *diſc.5*.

Per huiuſmodi autem realis præſta-
134 tionis obligationẽ, ac ſolutionem (poſito feudo vero, ac proprio) non ceſſat obligatio fidelitatis, ac reuerentiæ, minuſque altera ſeruitij perſonalis, vbi præſtati poteſt, vel per ſubſtitutũ in bello, aliiſque Domini vrgentibus neceſſitatibus, & occurrentijs, quod tamen certam, ac determinatam regulam generalem non recipit, cum dominiorum, ſeù regionum leges, vel mores, in hoc totum faciant.

Qualia veró ſint ea ſeruitia, vel obſequia, ſeù fidelitatis argumenta, quæ feudatarius Domino præſtare tenetur,
135 & quando ab ijs reddatur excuſabilis, præſertim verò vbi idem ſit plurium Dominorum feudatarius, ſeú vaſſallus, cui potiùs ſeruire, & obedire, ac fidelitatem ſeruare teneatur, quodque naturali, & originario, ſeù ei, in cuius ditione maior pars feudorum habeatur, agitur in ſua ſede.

Et quid concurſu vtriuſque mediati, ac immediati Domini, vt immediato potiùs, quám mediato teneatur,
136 habetur infrà in dicta deuolutionis, & caducitatis Rubrica, vbi de fellonia, alijſque caducitatis cauſis.

Quemadmodum autem feudatarius Domino ſeruire, obedire, ac fidelis, &
137 obſequens eſſe tenetur, ità è conuerſo ex correlatiuorum natura, Dominus tenetur feudatarium protegere, ac tueri.

Hinc proindé ſi Dominus pro recuperatione feudi, quod citrá feudatarij culpam, ab eius inimicis, vel aliás oc-
138 cupatum ſit, ſeù pro defenſione, ac tuitione ne occupetur, expẽſas faciat, aliaque damna patiatur, non petit à feudatario refectionem, quæ è conuerſo competit feudatario, ſi de proprio eas magnas, ac notabiles faciat pro huiuſmodi recuperatione, vel tuitione expenſas, ad quas Dominus tenebatur, vt *diſc.57.&58*. Quod tamen pro communi vſu, neque certam, ac generalem regulã recipit, ſed pro dominiorum, ac regionum moribus, vel feudorum qualitate deciditur; vbi ſcilicèt feuda inferiora ſint, ſub Domini omnimoda ſubiectione, ac obedientia, & ſeruitio, ex quibus de conſequenti tutelæ, ac protectionis onus in Domino reſultat.

Secùs autem vbi agatur de feudis Regalibus, ac veræ Dignitatis, cum omnimodo Imperio, & Regalibus, iu-
139 reque Principatus, ac belli indicendi ſolùm alto, ſeù altiſſimo dominio, ac homagij recognitione reſeruatis, abſque alia ſeruitij, ac obedientiæ, & ſubiectionis obligatione, cum tunc ipſe feudatarius ſe ipſum tueri teneatur.

Quia veró forus raró, vel vnquam audit has quæſtiones, quæ non per Iuriſtarum regulas, ſed per ea inſtrumẽta, in quibus vltima ratio rerum conſiſtit, decidi ſolent (Iuriſtarum traditionibus, ac opinionibus ad colorem, ſeù prætextum frequentiùs deſeruientibus;) Hinc proindè parum congruũ, ac adaptatum eſt, deſuper ſub compendio iuris regulas, vel theoricas, ac propoſitiones ſtatuere, ſed in ſua ſede videndum, dum ex iam inſinuatis, eorum, quæ in foro agere occaſio dedit, aliquem guſtum ſub compendio præbere ſolùm animus eſt.

VIII.

Quid veniat ſub conceſſione feudi; Et præſertim, an & quæ Regalia, aliaque iura conceſſa, vel reſeruata cenſeantur.

Et de imperio, iuriſdictione, iuribus, ac præeminentijs feudatarij in feudo, & in Vaſſallos, iſtorumque obligatione; Et è conuerſo de eiuſdem feudatarij obligatione ergà vaſſallos.

INueſtituræ lex vbi habetur pèr ſcripturam in forma priuilegij, vel inſtrumenti,

menti, illa seruari, ac attendi debet,
140 vbi est clara; si veró ambigua, tunc obseruantiæ, tanquam optimæ interpreti, nimium deferendum est; Atque vbi vna, vel altera, vel vtraque particularis desit, adeó vt non valeat ita quæstio decidi, tunc leges, vel mores generales Principatus, vel Regionis attendi debent.

Potissimè autem attendenda est feudi qualitas, vel natura, an scilicèt ei congruant, nec nè Regalia præsertim maiora, seù etiam inferiora; Vt putá,
141 ius belli; Cussio monetarum, potestas condendi leges, eisque derogandi, vel dispensandi; Ius vectigalium, ac pedagiorum, & tributorum; Fodinæ auri, & argenti, aliorumque metallorum, & mineralium, & salinarum; Ius fisci pœnalis, vel successorij in bonis vacantibus, & similia, quæ Regalia, vel supremo Principi reseruata esse solent; Vt etiam pro Regionum qualitate cèseri solent, magni venationum, ac piscationum redditus, & similia.

Vbi etenim de feudo Regali, ac veræ Dignitatis agitur, quod omnimodum imperium, ac ius Principatus redoleat, tunc regula est, vt (excepto al-
142 to, seù altissimo dominio, quadamque maiori superioritate) omnia hæc veniant, nisi lex inuestituræ, vel consuetudo, aut Domini generalis lex (ad cuius normam infeudatio in dubio facta censetur) alitèr statuat; Ideòque raró forus huiusmodi quæstiones audit, quas per iuris tramites in forma iudiciali decidere oporteat.

Eis frequentèr cadentibus in illis inferioribus feudatarijs, Domino magis subordinatis, ac omnimodam obe-
143 dientiam, & subiectionem profitentibus, qui ad differentiam feudatariorũ veræ Dignitatis, Principum nuncupationem habentium, ac figuram facientium Baronum, ac Domicellorũ nuncupationem habent, ac figuram faciunt; quamuis alicuius abusiuæ Dignitatis titulo decorati sint, vt præsertim sunt in Italia Barones, & feudatarij Regnorum vtriusque Siciliæ, & Status Ecclesiastici immediati, ac similes; An scilicèr istis hæc iura Regalia, præsertim veró ea, quæ media, vel minora dicuntur á supremo Principatu, eiusque Corona congruè separabilia veniant, atque concessa dicantur, seù aliàs competant.

Regula veró in dubio negatiua est,
144 ex iuris præsumptione deducta, contraria probatione, quamuis adminiculatiua, elidibili, adeòut facti potiùs, quàm iuris, quæstio videatur; Nimiũ autem refert (vt praxis docet) inspicere, an agatur de vero, ac proprio feudatario, qui ex Domini munificentia, vel titulo, etiam oneroso, feudum, ità inferioris ordinis, vel subordinatum iuxtá eius propriam, ac regularẽ naturam receperit; Vel de illo Ciuitatum, Oppidorum, vel Castrorum Domino, & possessore libero in purum allodium cum totali imperio, omnibusque Regalibus, absque certo dominij, vel possessionis initio, vt frequens erat proximè decursis sæculis, præsertim in Italia Domicellorum vsus.

Postmodum veró ius, vel aliud verbum ex eisdem litteris (vna locum alteri cedente) compositum, eum impulerit ad recognoscendum in Dominum supremum illum Principem, quem ratione adiacentiæ, vel opportunæ protectionis, aut prioris dominij reliquias vel argumenta recognoscere iudicauerit per homagij præstationem, ac fidelitatis iuramentum.

Primo casu, vt sunt feudatarij, ac Barones vtriusque Siciliæ Regnorum, (quorum, vt iam insinuatum est, vniformis est subfeudorum natura, seù
145 qualitas) Regalia tam primi, quàm vlterioris ordinis Regi reseruata censentur, neque sub feudali inuestitura veniunt, nisi peculiare priuilegium, vel immemorabilis consuetudo, quæ priuilegij, vel alterius tituli melioris vim habet, aliquod ius Regale (ex illis tamen inferioris ordinis) concedat, vt putá in iure collectandi, & in iure priuatiuo, seù prohibendi, & similibus.

In altero autem casu, (exceptis Regalibus maioribus, quæ á supremo
146 Domino abesse non debent, nec possunt, ne sibi æqualem habeat, quod in iure damnatur) in reliquis dictam implicantiam non habentibus, nil suadere, seù prohibere videtur, cur id quod anteá obtinebatur, continuari non debeat;

beat; Semper tamén obseruantiæ nimium deferendo, vt *de hac materia Regalium disc.63. & 64.*

Quamuis enim in Ditione temporali, Ecclesiæ præsertim, vix obseruantiæ præscriptiuæ casus detur, ob
147 decretum irritans in Apostolicis Constitutionibus adijci solitū,quod quamcumque inficit possessionem, sine qua præscriptionis initium impediri dicitur; Vbi tamén ita res ambigua sit, quod interpretationis capax existat, eidem obseruantiæ tanquam interpræti obstaculum non obest;Ac etiam
148 quia esset violare legem, ac fidem, sub qua, ille, qui saltèm de facto non erat subditus, talem se fecit, *vt dicto disc.63. ac etiam disc.72.*

Quia verò aliquibus niminm benemeritis, Dominus aliquas insolitas,ac maiores prerogatiuas concedere solet, vt præsertim in dicto Neapolitano Re-
149 gno praxis docet, circa secundæ, ac etiam tertiæ instantiæ competentiam; Siuè circà derogationem priuilegij electionis, ac variationis fòri, cum similibus; Hinc dubitari solet, an deuoluto feudo, eoque postmodum alteri concesso absque alia expressione, idem priuilegium tanquàm reale, ac feudo iam annexum, repetitum quoque censeatur, quod ab inuestituræ clausulis, ac verbis, vel ab identitate rationis, ob consimilem benemerentiam, vel ex eo, quod constet priuilegium concessum fuisse in forma reali, potiùs, quàm personali, alijsque ex circumstantijs, hanc voluntatem verisimilitèr suadentibus, decisionem recipit prò facti qualitate; Regula
150 in dubio existente negatiua; Eademque Regula, ac respectiuè limitatio in Dignitate, vel titulo procedit.

In ijs autèm bonis,quæ iure allodij intrà feudi fines per feudatarium possessa, ratione pnblicationis, vel aliàs, cum feudo ad Dominum deuoluta
151 sunt; Quæstio cadere solet,an feudo annexa, & incorporata censeantur, adeòut in feudo, quod simplicitèr alteri postmodùm concessum est, veniãt nec nè, quod facti potiùs,ac voluntatis quæstionem continet, quàm iuris; Vel quia ex facti circumstantijs constet, ab ipso primo possessore, bona feudo annexa esse, ideóque feudalem naturam assumpsisse; Vel quia inuestituræ verba, seù aliàs desumpta Domini voluntas idem suadeat, vt *disc.3.*

Magno resultante argumēto à pretij quantitate voluntatem regulante, vel satis arguente, quando emptitia, vel aliàs correspectiua sit concessio.

Iurisdictio, ac Imperium, feudo pernecesse annexa non sunt; Stanteque simul, feudum esse penès vnum,iuris-
152 dictionem autèm penès Dominum,vel penès alterum; Siuè vtrumque penès eundem diuerso iure, vnum scilicèt in feudum, & alterum in allodium, vel eiusdem naturæ, sed à diuersis fontibus, vt *disc.62.*

Eiusdē autèm iurisdictionis maioris, vel minoris annexio à Prouinciarum, vel Regionum legibus, vel moribus deriuat, ideóque certam regulam non habet.

In Italia etenim vt plurimum (cum rarò contrario exemplo diuerso), iurisdictio annexa est feudo, vel Baro-
153 niæ, cum aliqua maiori, vel respectiuè minori subordinatione Domino, eiusque Magistratibus, iuxtà singulorum Principatuum leges, ac mores; In Germania veró longè maior est feudatariorum iurisdictio,ac potestas; Et in Hispania, & Gallia (vt fertur), vel nulla, vel satis modica est, quandam honorificam præeminentiam redolens, quotiés alicuius Regij muneris robur adiunctum non sit, quamuis titulus, vel Dignitas adsit; Licèt præsertim in Hispania, feudorū proprius vsus haberi non videatur, sed totum sub illorum maioratuum,ac primogeniorum nomine possideatur; Illis maioratibus, ac primogenijs titulo decoratis ibi facientibus eam figuram, quam in Italia, & Germania faciunt feuda.

Qualis autèm sit iurisdictio feuda-
154 tarij, vel Baronis, & quomodó exerceri debeat, & quantùm se extendat; Siué an sit cumulatiua, vel priuatiua cum Principe, seù Domino, & quæ delicta sint de reseruatis Principi, ad feudalem materiam non pertinet, sed potiùs iurisdictionalem, ideóque ibidem tanquàm in propria sede videndum; Ac etiam in alia sede Regalium super

super iure concedendi abolitiones, & gratias, ac securitates, quæ sub salui conductus nomine explicantur.

In ordine verò ad feudi incolas, feudatarij prærogatiuæ diuersæ sunt, prò Regionum, seù Ditionum legibus,
155 ac moribus, ipsorumque feudorum vsibus, tàm circà primi Ciuis præeminentias in pascuis, alijsque ciuicis vsibus, & commoditatibus, quàm circà alias ciuicas præeminentias; Ac etiam pro diuersis regionum moribus, in dicto præsertim citerioris Siciliæ Regno, pro coactione vnius vasalli, ad ei seruiendum in munere œconomico, seù administratorio fructuum feudi, sub *Aerarij* vocabulo explicari solito, quàm circà quoddam adiutorium pro filia maritanda, vel in primogeniti susceptione, aut alia contingentia, per vasallos Domino præstandum; Siue circa munera, quæ certis anni solemnitatibus, ex beneuolentia vsitata, in necessitatem transierunt.

Cadente quæstione, an deuoluto feudo, hæc munera, vel alia seruitia,
156 quæ de iure debita non sunt, sed beneuolentiæ, seù facultatis initium habent, cum feudo ad Dominum deuoluantur; Regula verò est negatiua, nisi facti qualitas limitationem suadeat.

Frequentes itèm esse solent clamores, vel recursus Vasallorum aduersus Barones; Vel super dicto immoderato ciuico vsu pascui, quando istud co-
157 munale sit; Vel circà nimis restrictum, ipsorum Vasallorum ciuicum vsum, quando territorium sit Baronis; Vel circà seruitiorum, & angariarum, ac perangariarum exactionem, & coactionem; Aut ius cogendi, vel prohibendi, seù aliud ius, quod Regalium materiam potiùs concernit, ideóque sub eorum propria sede agitur, atque de facili collectum habetur apud eos, qui de Vasallorum grauaminibus agere professi sunt.

E' conuersò autem, Baronis, vel
158 feudatarij onera ergà Vasallos, ac feudi incolas versantur, circa protectionem, ac defensionem, cum Vasallorum pater dicatur; Ac etiam circa iustitiæ administrationem, & officialium deputationem; Et quod magis controuersijs ansam præbet, circa permissionem vsus in pascuis, lignis, aquis, cultura, & alijs, sine quibus aliàs inermem vitam ducere cogerentur, pro locorum, ac populorum qualitate, regionumque legibus, ac moribus; ideóque non de facili certa, & determinata regula desupèr statui potest, atque sub dicta Regalium tractatione potiùs, quàm sub ista feudali huiusmodi quæstiones cadunt. *De his hoc tit. disc.65. & sub tit. de Regal. disc. 145. & 146. & sub titulo de seruitut. disc.36. & 42.*

IX.

De alienatione, vel obligatione feudi, aliaque dispositione inter viuos; Ac etiam de præscriptione; Et de alienatione, vel obligatione, aliaque dispositione fructuũ; vel commoditatis; Et de materia assensus.

Cadit hæc inspectio, in veris, ac proprijs feudis, quæ iure feudali regulantur, non autèm in improprijs, & corruptis, quæ (solo feudi voca-
159 bulo retento) iure communi, ad instar indifferentium allodialium bonorum recensentur, ijs exceptis, quæ ex particulari lege concessionis, vel ex regionis moribus, aut legibus, peculiaritèr statuta sint; Ideóque in illis bonis iurisdictionalibus, quæ vel nullam habent feudalem naturam, vel habent eam (pluriès insinuatam) remotam, ac impropriam feudalitatem, quæ pro superioritate, ac iurisdictione Principis, in cuius ditione sita sunt, considerari solet, vt præsertim ditionis temporalis Ecclesiæ praxis docet, illæ alienandi prohibitiones, quæ à iure feudali manant, locum non ha-
160 bent; Solùmque vigent illæ, quæ à iure municipali proueniunt, vt in eadem Ecclesiæ Romanæ temporali ditione ex Apostolicis Constitutionibus viget, vt infrà in particulari Rubrica dominij allodialis Ciuitatum, & Castrorum habetur *à disc.66. ad 69.*

Aliaque in huiusmodi corruptis, ac impro-

improprijs feudis alienandi prohibi-
tio habetur ex iuris communis dispo-
sitione manans, eo modo, quo, in
emphyteuticis, vel fideicommissarijs,
161 ob ius successorum proprio iure ex in-
uestitura venientium, vel ob interesse
Domini, ac legem ab eo præscriptam.

Id autem feudalem prohibitionem
verè non percutit, quamuis huic pro-
hibitioni, terminos feudales Iuristæ
quoque adhibeant tanquàm à simili,
quotiés peculiaris differentiæ ratio nõ
vrgeat; Istamque prohibitionem af-
firmatiuam, vel negatiuam potiùs per-
cutere videntur aliquarum Ecclesia-
rum consuetudines, quæ contra inue-
stituræ formam, hanc alienandi prohi-
bitionem, seù licentiam inducunt.

In peculiaribus igitur terminis feu-
dalibus, ipsum feudale ius, à quibus-
162 dam receptis Imperialibus Constitu-
tionibus strictiùs, quàm à primæuis
consuetudinibus deriuatum, genericé
prohibet quamcumque alienationem,
aliumque actum, qui feudi diuisionem,
dismembrationem, vel diuisionem, aut
aliud reale onus redoleat sub decre-
to annullatiuo, adeóut inualidus re-
maneat alienationis actus.

Multiplicem tamén inspectionem
habet hæc alienationis, vel obligatio-
nis, aut alterius dispositionis inter
viuos Rubrica. Prima nempè, quæ-
nam alienationis, vel dispositionis
163 species sub hac prohibitione cadant;
& præsertim quid de transactione, do-
te, permutatione; & hypotheca; Se-
cundó cuinam inualidam alienationẽ
impugnandi, vel retractandi facultas
competat; Tertiò pœnarum illicitè
alienanti inflictarum; Quartò aliorum
effectuum ex licita, vel respectiuè il-
licita alienatione resultantium; Quin-
tò super Domini assensu alienationi
præstito, eiusque effectibus; Et sextò,
quid iuris communis feudorum dispo-
sitioni, vel prohibitioni addant leges
particulares Regnorum vtriusque Si-
ciliæ, in quibus (si Germaniam exci-
pias,) maior est, quàm alibi feudorum
cópia, feudalisque materiæ frequen-
tior tractatio, ac successiuè notitia,
præsertim verò in eo citerioris, quod
magis cum reliquis Europæ partibus
communicat.

Quoad primum, sub prohibitæ alie-
nationis genere, veniunt omnes con-
tractus, ius reale ab vno abdicantes,
164 atque in alium transferentes, siné sit
alienatio vera, & propria, quæ im-
portet omnimodam abdicationem do-
minij, ac possessionis ab vno, & in
alium transferat, vt sunt, emptio, &
venditio, datio in solutum, donatio,
& similes.

Itidemque alij contractus, qui ean-
dem inducunt dominij, & possessionis
165 actualem abdicationem, & translatio-
nem respectiuè, non tamèn omnimo-
dam, quia nempè sit concessio domi-
nij vtilis, directo retento, vt est con-
cessio in emphyteusim, seù liuellum,
vel censum, cum similibus.

Cadente quæstione in locatione,
quæ tamèn, vbi est longum tempus,
sub eadem prohibitione cadit, cum
166 per eam, quoddam quasi dominium,
vel ius reale conductori quæri dicatur;
Quale verò dicatur ad hunc effectum
longum tempus, apud antiquiores cõ-
trouersum fuit; Hodiè autém in hac
materia receptum est, illud dici, quod
decennij metam non excedat, capien-
do annos regularitér pro cursu solari,
nisi bonorum peculiaris qualitas alitér
suadeat, quia nempè bona fructus di-
uerso ordine producant, cũ tunc quæ-
libet fructuum recollectio, annum cõ-
stituat, iuxtà generales terminos alia-
rum prohibitionum.

Eodemque iure censentur actus, im-
propriam alienationem importantes,
167 per quos ipsa bona non abdicentur,
vel respectiuè transferantur, aliquod
tamen ius in eis, vel ad ea quæratur,
vt sũt, impositio seruitutis, vel alterius
oneris, quod feudi substantiam percu-
tiat, vnde diuisionem, vel diminutio-
nem, seù aliud reale, præiudicium im-
portent, & sub quorum actuum gene-
re, impositio censuum, aliarumque
præstationum, ac reseruatio vsusfru-
ctus, (proút iuris est), aliaque simi-
lia veniunt, vt *tit. de alienat. & contract.
disc. 1. & in alijs ibidem, quæ conferunt*.

In diuisione inter plures legitimos
feudi possessores, vel successores in
inuestitura comprehensos, vel in ces-
168 sione propriæ portionis alteri posses-
sori, aliqua est quæstio, quam tamen
in

in nostra Italia rarò forus audit, cum ea feuda, quæ veram, ac propriam feudi naturam retinent, nimium rarò sint diuidua, quæ iuris Longobardorum dicuntur, vtpotè ferè omnia indiuidua ratione veræ Dignitatis, Regalisque naturæ feudi, vel quia ad formam indiuiduam iuris Francorum redacta sint.

Proùt rarò, vel vnquam ad praxim deduci posse videntur, ea, quæ feudistæ adstruunt, circà permutationem,
169 quam aliqui putant ob vtilitatem sine assensu fieri posse, cum præsertim in præfatis vtriusque Siciliæ Regnis, in quibus maior est feudorum sedes, ac frequentia, ob illius leges, extrà controuersiam sit, id fieri non posse, vt etiam attento iure communi est probabilius, magisque receptum.

In transactione item, vel compromisso, cadit quæstio, cum distinctione,
170 bonæ, vel malæ fidei, siuè an vtile negotium geratur, neque Domino præiudicium generetur probabiliùs decidenda, quamuis non desint contradicentes, vt *in hoc tit. disc.* 49.

Super hypotheca verò duplex cadit quæstio; Vna scilicèt compræhensionis feudorum, sub hypotheca gene-
171 rali omnium bonorum, atque verior est negatiua, nisi verba, aliæque facti circumstantiæ alitèr suadeant; Altera verò compræhensione posita, quia nempè sit specialis) vndè sola sit quæstio potestatis, & an veniat sub generica alienationis prohibitione.

Quamuis autèm aliqua desupèr pugna scribentium adsit; Verior tamèn quoad pœnarum incursum est negatiua; Et è conuersò quoad ius reale creditori acquirendum, illudq; hypothecæ exercitium, per quod ad alienationem deueniri possit, verior est affirmatiua, vt *eod. tit. de alienat. & contract. disc.* 1. *& in alijs ibidem*.

In alienatione autèm ex causa dotis ipso iure communi inspecto, gene-
172 ralis distinctio est, an res detur æstimata, vel inæstimata, vt primo casu indefinitè prohibita sit, vtpotè venditionis potiùs speciem redolens; Idemque, si detur inæstimata, cum pacto lucri, quod alienationem, vel scissuram importet; Si verò absque hoc pacto, inæstimata detur per ipsam met mulierem feudatariam, licitè fieri potest; Non tamèn licet patri, vel fratri pro filia, vel sorore dotanda, feudum dare, nisi eadem dotanda sit feudalis successionis capax, proximèque successura, adeòut assignatio in dotem, potiùs refutationis, vel præuentiuæ successionis habeat speciem; Verùm, & in eis casibus, in quibus hic dotationis actus licitus reputatur, aliqua cadit difficultas, vbi ex viri qualitate, præiudicium notabile Domino parari potest.

Et quamuis aliquorum opinio sit (ducto argumento ab ijs, quæ in bonis fideicommisso subiectis in iure di-
173 sposita sunt), vt in subsidium aliorum allodialium, ad feudalia competat actio pro dote filiæ, vel alteri descendenti constituenda; Contrarium tamèn veriùs est, cum feuda iure proprio feudali, non autèm communi ciuili regulentur, ideòque aliud fœminis non conceditur, nisi quod super earum paragio dispositum est, vel quod ex aliquarum regionum legibus vel moribus eis conceditur, vt in successionis, ac successoris onerum Rubrica, habetur.

An autèm feudataria simplicitèr nubente, feudum censeatur datum in
174 dotem, eiusq; vir efficiatur feudatarius ac Baro, in dotali materia actum habetur, & *de his in materia dotis hoc tit. disc.* 20. *& sub tit. de dote disc.* 146.

A' præfata verò prohibitione, excepta est illa alienatio, quæ feudi substantiam non tangat, nullumque ius
175 in eo, vel ad illud tribuat, sed ad solam commoditatem, seù fructuum perceptionem (vt facti est) restricta sit, cum tunc, nulla feudi, vel iuris feudalis alienatio fieri dicatur, sed actus importet simplex mandatū, per quod ille, in quem alienatio facta est, tanquàm feudatarij mandatarius, eiusque vice, ac nomine fructus percipiat, eosque à feudo separatos, ac effectos allodiales, sibi ipsi applicet; Eo modo, quo, etiam in beneficijs, ac pensionibus ecclesiasticis, quæ minus in commercio existunt, alijsque prohibitis, receptum est fieri posse, ac praxis docet, vt *in hoc tit. disc.* 47. 61. *&* 110.

& sub

*& sub tit. de pension. & sub tit. de emphyteusi disc.*44.

Pretium item feudi, ex magis recepta sententia, feudale non est, ideóq; tanquàm allodij naturam habens, sub
176 hac prohibitione non cadit; Nisi de Iudicis mandato, pretij omnimoda subrogatio accedat loco feudi, quod non existat, vel omninò liberatum sit à iure Domini, ac aliorum, atque in ipsum pretiū translatum sit, vt *hoc tit. disc.* 42. 48. 98. *& sepè sub tit. de emphyteusi disc.*36. *&* 58.

Et é conuersò eadem alienandi prohibitio, quæ ipsi feudo inest, actioni competenti in feudo, vel feudum in-
177 esse quoque dicitur, cum actio ad feudum, feudalis dicatur, eodemque iure metienda sit, quotiés ipsius feudi corpus, vel substantiam tangat, seú ius reale tribuat, aut rei persecutorium.

Posita veró inualida alienatione, vtpotè sine Domini assensu facta, subintrat secunda superiùs distincta inspectio, cui nàm scilicèt facultas compe-
178 tat, eam retractandi, vel impugnandi; Atque iuris communis feudorum dispositione attenta, veriús est Domino id absque dubio competere; Vel ad effectum sibi ipsi, ob caducitatis pœnam applicandi; Vel quia sua interfit feudum poni extrà sibi non gratā personam, in quam alienatio facta sit, sed ad vocatos ab inuestitura redire.

Secùs autém ipsimet alienanti, vel eius hæredibus, qui non nisi ob hæreditariam qualitatem in feudo ius habeant, quia nempè hæreditarium sit;
179 Vbi veró sit pacti, & prouidentiæ, adeóut filijs, vel agnatis per inuestituram vocatis, ius competat in feudi successione ab ipso alienante indepēdens, tunc distinctio est, an feudatarius qui alienauit viuat, vel obierit; Eo etenim viuente, nullum ius est ab eis exercibile, nisi illud retractus, quod feudistæ dicunt *prothomiseos*, de quo infrà in eius particulari Rubrica; Vel nisi lex inuestituræ, aut primi acquirentis titulo oneroso, dispositio inducat in alienante speciem mortis ciuilis, quæ naturalis ad instar, successori proximo locum aperiat.

Defuncto autèm alienante, seù aliàs eius iure resoluto, adeóvt proximé
180 successuro feudum apertum sit; Vbi alienantis hæres non sit neque idem alienans primus acquirens titulo oneroso esset, extrà controuersiam est, vt Domini etiam assensu accedente, descendens, vel agnatus, nullo refuso pretio, feudum vindicet ab eo, in quem alienatio facta sit; Quamuis in
181 ipsummet Dominum facta esset, cum durante inuestitura, iure cuiuslibet tertij censendus veniat.

Nisi particularis consuetudo facultatem alienandi præbeat cum solo Do-
182 mini assensu, quamuis ille agnatorum non accedat, vt in aliquibus partibus viget.

Si verò proximè successurus, alienantis quoque allodialis hæres existat, aut quod agatur de feudo mixto, quod vtramque sanguinis, ac rei familiaris hæreditariam qualitatem exigat, tunc si beneficio inuentarij munitus non
183 est, idem patitur obstaculum, quod ipsemet defunctus; Si autèm dicto beneficio potitur, atque agitur de feudo pacti, & prouidentiæ antiquo, vel etiam nouo gratuito, siuè mixto in quo non agatur de primo acquirente, sed de vlteriori possessore, qui alienauerit, & tunc quatenùs vires hæreditarię suppetant, habere debet ratum factum auctoris, etiam in ijs, quæ iure proprio competunt, nisi talis accedat particularis circumstantia, quod licitam reddat impugnationem actus in specie, reficiendo id, quod interest, iuxtà ea, quæ generalitèr in fideicommissaria, vel simili materia habentur; Inuentarij beneficio suffragante, vt feudum antiquum, vel etiam nouum
184 gratuitò concessum, ab hæreditate præcipuum separari valeat, illudque in calculo virium hęreditariarum non veniat.

Atque si proximé successurus, alienationi consensum præstiterit, ipse quoque prohibitus est eam impugnare, nisi facti circumstantiæ ostendant,
185 consensum præstitum fuisse pro sola validitate actus, excusandaque caducitate pro tempore durationis iuris alienantis, non autém, vt futurum speratum ius successionis per mortem remitteretur, quod ex facti qualitate pen-

scripto habetur, præfatis distinctioni-
bus ad alios effectus attendendis; vt
in sequentibus Rubricis.

Tertió circa assensus formam, vel
solemnitatem; Ad cuiuslibet etenim
gratiæ, vel præstationis assensus vali-
210 ditatem, vel substantiam, de iure scri-
ptura requisita non est, cum solo ver-
bo perficiatur, ipsa sciptura ad melio-
rem, ac faciliorem probationem adhi-
beri solita, nisi lex particularis scripta,
vel non scripta alitér suadeat; In hoc
autém Regno neque sufficit supplica-
tio à Rege, vel eius Prorege, alijsque
211 Magistratibus signata, nisi solemne
instrumentum, seù priuilegium, in
forma (vt ibi dicitur) Regiæ Cancel-
lariæ desupér expediatur.

Quinimó, vbi contingat, vel ob de-
fectum potestatis Proregis, vel ob ma-
iorem cautelam, illud in forma solem-
nis priuilegij concedi per ipsum Re-
212 gem; Adhùc tamèn in eo supremo
Consilio, quod Proregi assistit, atque
Regiam Cancellariam regit, (quod
Collaterale dicitur, eiusque Consilia-
rij Regentes) infrà annum, vt ibi di-
citur executoriari debet, sin minus in-
ualidum est, *vt disc.106. & 109.*

Quarto, quod iuris communis feu-
dorum dispositione attêta, siué ex ma-
gis recepto scribentium sensu, Vica-
rius Generalis Domini, vbi præsertim
213 cum omnimoda, & Proconsulari po-
testate deputatus est, etiam cum Re-
galibus maioribus, & cum potestate
legibus derogandi, vel dispensandi,
hunc assensum in feudis sibi commissæ
prouinciæ, vel Ditionis præstare po-
test, nisi particularis restrictio acce-
dat; Aliqua dubitandi ratione caden-
te in illis inuestituris, quæ abusiuæ, seù
214 præuentiuæ dicuntur de feudo, pleno,
quotiès præsertim consuetum non
sit eas concedi.

In hoc autém Regno, per eius par-
ticulares leges (non tamen semper fir-
mas, cum earum variationem casus
215 frequentèr dederit), Proregis pote-
stas coarctata est super forensium ca-
pacitate acquirendi feuda, necnon su-
per aliquorum feudorum Dignitatis,
seù Titulatorum alienatione, *vt dicto
disc.106.*

Vndè propterea frequens praxis
docet, quod exteri cum propria pecu-
nia emunt feuda ad proprium com-
modum, sub alicnius nationalis no-
216 mine simulato, á quo eiusdem feudi
tenuta, seù administratio ad propriam
omnimodam vtilitatem conceditur;
Adhùc tamen feudum verè in ipsa si-
mulata persona residere dicitur, ipse-
que est feudatarius, cum in feudis non
admittatur iuris communis Romano-
rum regula, vt veritas potiùs, quàm
simulatio attendi debeat; Quod etiam
vbique in officijs receptum est, *vt d.
disc.24. 30. & 106.*

Et secundò (inter cætera, quæ me-
moria non suggerit), quod de iure
communi feudorum, dos priuilegiata
217 non est, neque pro eâ constituta sol-
uenda, vel restituenda, actio ad feu-
dum, sine Domini assensu competit, re-
iecta sententia volentium, vt fideicom-
missorum ad instar, subsidiarium be-
neficium competat; In dicto autèm
Regno, ex gratia, seù assensu gene-
rali Neapolitanis concesso, secus est,
vt in dotalibus instrumentis, vel tabu-
lis, assensus inesse censeatur; Cum
pluribus tamen declarationibus, ac
restrictionibus, in propria sede viden-
dis, vtpoté sub compendio minus ada-
ptatè cadentibus, *vt disc.26.*

Alienationi autém æquiualet præ-
scriptio, quæ cum eisdem terminis
218 regulari solet, quoniám qui expressè
alienando, successori, vel Domino
præiudicare non potest, itá minus idem
præiudicium negligêdo causat; Ideò-
que successori iure proprio venienti
quodcumque longissimum tempus nô
obstat, cum ante sui iuris competen-
tiam, præscriptionis initium, & cur-
sus non dentur; Nisi immemorabilis,
vel centenariæ possessionis qualitas,
non constito de initio vitioso, ad quod
pateat, possessionem restrictam esse,
possibilitatem causet, quemcumque ti-
tulum meliorem allegandi, vndè pro-
pterea Principis derogatio, vel similis
iuris successorum, & inuestituræ de-
structiuus, allegari valeat.

Præscriptionis etiam quæstio cade-
re solet, inter possessorem, & Domi-
num, super ipsa feudali qualitate, quã
neget possessor, bonorum libertati in-
hærens; Vix autém hoc præsidium
verifi-

verificabile est in ipso feudatario, qui inreinuestiturae feudum, eiusq; annexa possederit, cum ea durante nulla detur aduersus Dominum praescriptio; Seccus autèm si ea negata, aliam allegerpossidendi causam, vel titulum; Raras autèm in foro istas quaestiones esse, praxis docet, *vt disc.3. 70. & 107.*

X.

De dispositione feudi per vltimam voluntatem; Et quatenùs non valeat de ipso corpore feudi, an debeatur aestimatio, vel in ea substineatur.

IN feudis merè haereditarijs, quae absque restrictione ad certum genus, ad quoscunque transmissibilia
219 sunt, nulla cadit ratio dubitandi, nisi accidentale vinculum adiectum sit, eo modo, quo in omnibus indifferentibus bonis; Ista verò species, corruptum, siuè improprium feudum frequentiùs redolet, iure allodialium, ac indifferentium bonorum, vt supra, potiùs recensendum, nisi Domini, particularis prohibitio accedat.

In ijs autèm, quae sub alienandi prohibitione, iuxtà proximè praecedentē Rubricam cadunt; Idem de alienatione per vltimam voluntatem ela-
220 riùs procedit, quàm de illa inter viuos dictum est, cum faciliùs illa, quàm ista in hac materia quandoque permittatur.

Ideòque distinctiones ibidem traditae, inter feuda noua, & antiqua, siuè inter primum acquirentem ex causa onerosa, & lucrariua, huic etiam
221 disponendi generi congruunt, cum eadem distinctione, inter ius commune feudorum, ac particulare dicti Regni Neapolitani, vbi indefinitè nulla datur dispositio, quae feudi corpus, vel substantiam tangat, absque Regis assensu, quamuis de feudo nouo ex causa onerosa quaesito agatur, nisi specialis facultas accedat, quandoque in ipsa acquisitione concedi solita.

Generalitèr verò, iuris communis dispositione attenta, vbi etiam inuestitura ad certum genus haeredum sanguinis restricta sit, primi acquirentis,
222 ex causa onerosa potestas est, intrà ipsius generis personas disponendi, atq; successionis ordinem interuertendo, aliquibus gratificari, *vt disc.9. 10. & 12.*

Quatenùs verò feudum talis naturae sit, quod successor, quamuis à lege inuestiturae vocatus, haereditariam qualitatem disponētis habere debeat,
223 tunc licet ipsum corpus feudi sub prohibitione cadat; Non tamèn eius valor, qui in morientis haereditate esse dicitur, ideòque in eo grauari potest, ac etiam in actione personali cogi, vt vendat feudum, & de pretio soluat, vt infrà.

Siuè quod feudo indefinité cadente sub prohibitione, successor, ob alterius rei familiaris haereditariam qualitatem, proprij auctoris factum
224 implere teneatur; Tunc etenim, quaestio cadit, an facta dispositione feudi ad fauorem incapacis, in quo dispositio in ipsa specie effectum sortiri non valeat, intret obligatio praestandi aestimationem; Atque licèt nimia scribentium varietas in ista quaestione dignosci videatur; Veriùs tamèn est, eam esse facti, ac voluntatis quaestionem potiùs quàm iuris, ex facti qualitate, & circumstantijs disponentis voluntatem suadentibus, decidendam.

Quamuis etenim distinctio adhiberi soleat, an de vniuersali, vel de par-
225 ticulari dispositione agatur, vt primo casu aestimationis obligatio non intret, secus autèm secundo; Praesumptio tamen, vel argumentum est, quod ex hac distinctione resultat, non autèm necessaria probatio, vel iuris dispositio, ideóque regula, vno, vel altero casu, contrariae disponentis expressae, vel coniecturatae voluntati cedit, cum posita potestate, omnes iuris regulę, quas in ambiguis morientium voluntatibus habemus, contrariae disponentis voluntati perpetuò cedant, *vt disc.18.*

Ipsa enim voluntate accedente, quānis moriens feudi legitimum successorem à lege inuestiturae vocatum, ipso corpore feudi priuare non valeat,

lodij potiùs attendenda.

Compertum igitur est, hanc facti
123 potiùs, quàm iuris quæstionem esse, ideóque certam, ac determinatam iuris regulam, seù theoricam non recipere, sed pro singulorum casuum qualitate, ac circumstantijs, præsertim veró pro Ditionum, seù Regionum legibus, vel moribus, determinandam esse; Prædictis, ac similibus adminiculis, vel argumentis pro vna, vel respectiué altera natura, seù qualitate attendendis, pro eorum numero, & qualitate, àc præponderantia, *vt de hac materia feudi propry, & impropry eod. disc. 11.*

Cessant verò huiusmodi ambiguitates, & quæstiones in illis Ditionibus, vel Regionibus, in quibus feudorum
124 codices, seù libri diligentèr teneri habentur, vt præsertim praxis docet pluriès enunciati Regni Siciliæ citrà, seù Neapolitani, in quo feudorum libri, seù codices diligentissimè tenentur, *Quaterniones* ibi appellati, vndè *quaternatorum*, & *non quaternatorum* feudorum termini prodierunt.

Vbi etenim in quinternionibus descripta sunt (vndè *quaternata* dicuntur) sunt feuda vera, & propria, quæ ibi di-
125 cuntur *in capite*; Vbi veró non sunt descripta, impropria sunt, ibi nuncupata *plana*, *& de tabula*, allodialium iure censenda; Datur tamen quædam mixta qualitas explicari solita sub nomine *feudi quaternati secundum quid*,
126 quia nempè feudum obtineatur à feudatario, de consensu tamen Regis, vndè propterea non sit propriè feudũ directè obtentum à Rege, quod dicitur *in capite*, sed ratione assensus describatur in quinternionibus, istoque casu, de vtraque participat qualitate, atque iuxtá quæstionum diuersas species, vno, vel altero iure est regulandum, vt in sua sede *disc. 7.*

Atque generalitèr Domini libris, in quibus feuda descrlbi solent, nimis
127 deferendum esse, pro affirmatiua, vel negatiua receptum est, quamuis istud vehemens quidem adminiculum sit, nõ tamen necessarium requisitum, cuius defectus feudi substantiam corrumpat.

Inuestitura feudi veri connaturale requisitum est, non tamen scripturæ necessitas vrget, cùm propriè inuesti-
128 tura in ipso actu traditionis ipsius feudi, vel signi vsitati, putá ensis, vel annuli, seù loricæ, vel baculi, consistere dicatur; Nimiùm tamen refert, scripturam adesse in consueta forma priuilegij, vel instrumenti, ad certiorem, ac faciliorem probationem.

Vbi autẽ copulatiuus defectus ac-
129 cedit inuestituræ, ac seruitij, magna resultare videtur probatio, feudalis qualitatis exclusiua, contrariam tamen nõ excludens meliorẽ probationem. Atque ad affirmatiuam, vel negatiuam, nimium quoque confert obseruantia
130 circá petitam, vel neglectam eam renouationem, quę per nouum feudi successorem de iure feudali petenda est, vt in renouationis rubrica; Non exclusis alijs argumentis, ac probationum speciebus pro facti qualitate.

Ad veri tamen, ac proprij feudi no-
131 bilis qualitatem desumendam, potissimum attendenda est Domini qualitas, & an indicendi belli ius habeat, in quo verificabile sit personale, ac militare seruitium, quod videtur feudi veri, ac proprij essentiale requisitum, vt supra quoque aduertitur, *disc. 52.*

VII.

De oneribus, & seruitijs, ad quæ feudatarius tenetur erga Dominum, & è conuerso de oneribus, & de obligationibus Domini erga feudatarium.

VBi ex lege vniuersali scripta, seù non scripta, omnium feudorum eiusdem dominij, vel regionis, vel ex particulari lege inuestituræ, certum
132 seruitium præscriptum est, illud extrà controuersiam præstandum est, quòd pro ferè communi vsu, vbi præsertim agitur de Domino, qui frequentiùs eius Principatum, vel dominium pacificum habet, ad aliquam realem præstationem annuam, loco seruitij, vel homagij subrogatam redactum est, vt præsertim contingit in dicto citerioris Siciliæ, seù Neapolitano Regno, vbi loco seruitij, annua quædam præstatio

ftatio foluitur, fub adhoc vocabulo ibi explicata; Quæftione cadête, an, & quãdo huiufmodi præftationis neglecta
133 folutio caducitatem caufet, & an moræ æquitatina purgatio concedenda fit, quod pro varijs prouinciarum, vel dominiorum legibus, vel ftylis, diuerfam recipit determinationem, vt infrà in propria deuolutionis, vel caducitatis Rubrica *difc.5*.

Per huiufmodi autem realis præftationis obligationẽ, ac folutionem (pofito feudo vero, ac proprio) non ceffat
134 obligatio fidelitatis, ac reuerentiæ, minufque altera feruitij perfonalis, vbi præftari poteft, vel per fubftitutũ in bello, alijfque Domini vrgentibus neceffitatibus, & occurrentijs, quod tamen certam, ac determinatam regulam generalem non recipit, cum dominiorum, feù regionum leges, vel mores, in hoc totum faciant.

Qualia veró fint ea feruitia, vel obfequia, feù fidelitatis argumenta, quæ feudatarius Domino præftare tenetur,
135 & quando ab eis reddatur excufabilis, præfertim verò vbi idem fit plurium Dominorum feudatarius, feú vaffallus, cui potiùs feruire, & obedire, ac fidelitatem feruare teneatur, quodque naturali, & originatio, feù ei, in cuius ditione maior pars feudorum habeatur, agitur in fua fede.

Et quid concurfu vtrinfque mediati, ac immediati Domini, vt immediato potiùs, quàm mediato teneatur,
136 habetur infrà in dicta deuolutionis, & caducitatis Rubrica, vbi de fellonia, alijfque caducitatis caufis.

Quemadmodum autem feudatarius Domino feruire, obedire, ac fidelis, &
137 obfequens effe tenetur, ità è conuerfo ex correlatiuorum natura, Dominus tenetur feudatarium protegere, ac tueri.

Hinc proindè fi Dominus pro recuperatione feudi, quod citrà feudatarij culpam, ab eius inimicis, vel aliás oc-
138 cupatum fit, feù pro defenfione, ac tuitione ne occupetur, expẽfas faciat, aliaque damna patiatur, non petit à feudatario refectionem, quæ è conuerfo competit feudatario, fi de proprio eas magnas, ac notabiles faciat pro huiufmodi recuperatione, vel tuitione expenfas, ad quas Dominus tenebatur, vt *difc.57.& 58*. Quod tamen pro communi vfu, neque certam, ac generalem regulã recipit, fed pro dominiorum, ac regionum moribus, vel feudorum qualitate deciditur; vbi fcilicèt feuda inferiora fint, fub Domini omnimoda fubiectione, ac obedientia, & feruitio, ex quibus de confequenti tutelæ, ac protectionis onus in Domino refultat.

Secùs autem vbi agatur de feudis Regalibus, ac veræ Dignitatis, cum omnimodo Imperio, & Regalibus, iu-
139 reque Principatus, ac belli indicendi folùm alto, feù altiffimo dominio, ac homagij recognitione referuatis, abfque alia feruitij, ac obedientiæ, & fubiectionis obligatione, cum tunc ipfe feudatarius fe ipfum tueri teneatur.

Quia veró forus raró, vel vnquam audit has quæftiones, quæ non per Iuriftarum regulas, fed per ea inftrumẽta, in quibus vltima ratio rerum confiftit, decidi folent (Iuriftarum traditionibus, ac opinionibus ad colorem, feù prætextum frequentiùs deferuientibus;) Hinc proindè parum congruũ, ac adaptatum eft, defupèr fub compendio iuris regulas, vel theoricas, ac propofitiones ftatuere, fed in fua fede videndum, dum ex iam infinuatis, eorum, quæ in foro agere occafio dedit, aliquem guftum fub compendio præbere folùm animus eft.

VIII.

Quid veniat fub conceffione feudi; Et præfertim, an & qua Regalia, aliaque iura conceffa, vel referuata cenfeantur.

Et de imperio, iurifdictione, iuribus, ac præeminentijs feudatarij in feudo, & in Vaffallos, iftorumque obligatione; Et è conuerfo de eiufdem feudatarij obligatione ergà vaffallos.

Inueftituræ lex vbi habetur per fcripturam in forma priuilegij, vel inftrumenti,

menti, illa seruari, ac attendi debet;
140 vbi est clara; si verò ambigua, tunc obseruantiæ, tanquam optimæ interpreti, nimium deferendum est; Atque vbi vna, vel altera, vel vtraque particularis desit, adeò vt non valeat ita quæstio decidi, tunc leges, vel mores generales Principatus, vel Regionis attendi debent.

Potissimè autem attendenda est feudi qualitas, vel natura, an scilicèt ei congruant, nec nè Regalia præsertim maiora, seù etiam inferiora; Vt putà,
141 ius belli; Cussio monetarum, potestas condendi leges, eisque derogandi, vel dispensandi; Ius vectigalium, ac pedagiorum, & tributorum; Fodinæ auri, & argenti, aliorumque metallorum, & mineralium, & salinarum; Ius fisci pœnalis, vel successorij in bonis vacantibus, & similia, quæ Regalia, vel supremo Principi reseruata esse solent; Vt etiam pro Regionum qualitate cēseri solent, magni venationum, ac piscationum redditus, & similia.

Vbi etenim de feudo Regali, ac veræ Dignitatis agitur, quod omnimodum imperium, ac ius Principatus redoleat, tunc regula est, vt (excepto al-
142 to, seù altissimo dominio, quadamque maiori superioritate) omnia hæc veniant, nisi lex inuestituræ, vel consuetudo, aut Domini generalis lex (ad cuius normam infeudatio in dubio facta censetur) alitèr statuat; Ideòque rarò forus huiusmodi quæstiones audit, quas per iuris tramites in forma iudiciali decidere oporteat.

Eis frequentèr cadentibus in illis inferioribus feudatarijs, Domino magis subordinatis, ac omnimodam obe-
143 dientiam, & subiectionem profitentibus, qui ad differentiam feudatariorū veræ Dignitatis, Principum nuncupationem habentium, ac figuram facientium Baronum, ac Domicellorū nuncupationem habent, ac figuram faciunt; quamuis alicuius abusiuæ Dignitatis titulo decorati sint, vt præsertim sunt in Italia Barones, & feudatarij Regnorum vtriusque Siciliæ, & Status Ecclesiastici immediati, ac similes; An scilicèt istis hæc iura Regalia, præsertim verò ea, quæ media, vel minora dicuntur à supremo Principatu, eiusque Corona congruè separabilia veniant, atque concessa dicantur, seù aliàs competant.

Regula veró in dubio negatiua est,
144 ex iuris præsumptione deducta, contraria probatione, quamuis adminiculatiua, elidibili, adeòut facti potiùs, quàm iuris, quæstio videatur; Nimiū autem refert (vt praxis docet) inspicere, an agatur de vero, ac proprio feudatario, qui ex Domini munificentia, vel titulo, etiam oneroso, feudum, ità inferioris ordinis, vel subordinatum iuxtà eius propriam, ac regularē naturam receperit; Vel de illo Ciuitatum, Oppidorum, vel Castrorum Domino, & possessore libero in purum allodium cum totali imperio, omnibusque Regalibus, absque certo dominij, vel possessionis initio, vt frequens erat proximè decursis sæculis, præsertim in Italia Domicellorum vsus.

Postmodum veró ius, vel aliud verbum ex eisdem litteris (vna locum alteri cedente) compositum, eum impulerit ad recognoscendum in Dominum supremum illum Principem, quem ratione adiacentiæ, vel opportunæ protectionis, aut prioris dominij reliquias vel argumenta recognoscere iudicauerit per homagij præstationem, ac fidelitatis iuramentum.

Primo casu, vt sunt feudatarij, ac Barones vtriusque Siciliæ Regnorum, (quorum, vt iam insinuatum est, vniformis est subfeudorum natura, seù
145 qualitas) Regalia tam primi, quàm vlterioris ordinis Regi reseruata censentur, neque sub feudali inuestitura veniunt, nisi peculiare priuilegium, vel immemorabilis consuetudo, quæ priuilegij, vel alterius tituli melioris vim habet, aliquod ius Regale (ex illis tamen inferioris ordinis) concedat, vt putà in iure collectandi, & in iure priuatiuo, seù prohibendi, & similibus.

In altero autem casu, (exceptis Regalibus maioribus, quæ à supremo
146 Domino abesse non debent, nec possunt, ne sibi æqualem habeat, quod in iure damnatur) in reliquis dictam implicantiam non habentibus, nil suadere, seù prohibere videtur, cur id quod anteá obtinebatur, continuari non debeat;

beat;

beat; Semper tamén obseruantiæ nimium deferendo, vt *de hac materia Regalium disc.63. & 64.*

Quamuis enim in Ditione temporali, Ecclesiæ præsertim, vix obseruantiæ præscriptiuæ casus detur, ob
147 decretum irritans in Apostolicis Constitutionibus adijci solitũ, quod quamcumque inficit possessionem, sine qua præscriptionis initium impediri dicitur; Vbi tamén ita res ambigua sit, quod interpretationis capax existat, eidem obseruantiæ tanquam inter-
148 præti obstaculum non obest; Ac etiam quia esset violare legem, ac fidem, sub qua, ille, qui saltèm de facto non erat subditus, talem se fecit, *vt dicto disc.63. ac etiam disc.72.*

Quia verò aliquibus nimium benemeritis, Dominus aliquas insolitas, ac maiores prerogatiuas concedere solet, vt præsertim in dicto Neapolitano Re-
149 gno praxis docet, circa secundæ, ac etiam tertiæ instantiæ competentiam; Siuè circà derogationem priuilegij electionis, ac variationis fori, cum similibus; Hinc dubitari solet, an deuoluto feudo, eoque postmodum alteri concesso absque alia expressione, idem priuilegium tanquàm reale, ac feudo iam annexum, repetitum quoque censeatur, quod ab inuestituræ clausulis, ac verbis, vel ab identitate rationis, ob consimilem benemerentiam, vel ex eo, quod constet priuilegium concessum fuisse in forma reali, potiùs, quàm personali, alijsque ex circumstantijs, hanc voluntatem verisimilitèr suadentibus, decisionem recipit prò facti qualitate; Regula
150 in dubio existente negatiua; Eademque Regula, ac respectiuè limitatio in Dignitate, vel titulo procedit.

In ijs autèm bonis, quæ iure allodij intrà feudi fines per feudatarium possessa, ratione publicationis, vel aliàs, cum feudo ad Dominum deuoluta
151 sunt; Quæstio cadere solet, an feudo annexa, & incorporata censeantur, adeòut in feudo, quod simplicitèr alteri postmodùm concessum est, veniãt nec nè, quod facti potiùs, ac voluntatis quæstionem continet, quàm iuris; Vel quia ex facti circumstantijs constet, ab ipso primo possessore, bona feudo annexa esse, ideóque feudalem naturam assumpsisse; Vel quia inuestituræ verba, seù aliàs desumpta Domini voluntas idem suadeat, vt *disc.3.*

Magno resultante argumẽto à pretij quantitate voluntatem regulante, vel satis arguente, quando emptitia, vel aliàs correspectiua sit concessio.

Iurisdictio, ac Imperium, feudo pernecessè annexa non sunt; Stanteque simul, feudum esse penès vnum, iuris-
152 dictionem autèm penès Dominum, vel penès alterum; Siuè vtrumque penès eundem diuerso iure, vnum scilicèt in feudum, & alterum in allodium, vel eiusdem naturæ, sed à diuersis fontibus, vt *disc.62.*

Eiusdẽ autèm iurisdictionis maioris, vel minoris annexio à Prouinciarum, vel Regionum legibus, vel moribus deriuat, ideóque certam regulam non habet.

In Italia etenim vt plurimum (cum rarò contrario exemplo diuerso), iurisdictio annexa est feudo, vel Baro-
153 niæ, cum aliqua maiori, vel respectiuè minori subordinatione Domino, eiusque Magistratibus, iuxtà singulorum Principatuum leges, ac mores; In Germania veró longè maior est feudatariorum iurisdictio, ac potestas; Et in Hispania, & Gallia (vt fertur), vel nulla, vel satis modica est, quandam honorificam præeminentiam redolens, quotiés alicuius Regij muneris robur adiunctum non sit, quamuis titulus, vel Dignitas adsit; Licèt præsertim in Hispania, feudorũ proprius vsus haberi non videatur, sed totum sub illorum maioratuum, ac primogeniorum nomine possideatur; Illis maioratibus, ac primogenijs titulo decoratis ibi facientibus eam figuram, quam in Italia, & Germania faciunt feuda.

Qualis autèm sit iurisdictio feuda-
154 tarij, vel Baronis, & quomodó exerceri debeat, & quantùm se extendat; Siuè an sit cumulatiua, vel priuatiua cum Principe, seù Domino, & quæ delicta sint de reseruatis Principi, ad feudalem materiam non pertinet, sed potiùs iurisdictionalem, ideóque ibidem tanquàm in propria sede videndum; Ac etiam in alia sede Regalium super

super iure concedendi abolitiones, & gratias, ac securitates, quæ sub salui conductus nomine explicantur.

In ordine verò ad feudi incolas, feudatarij prærogatiuæ diuersæ sunt, prò Regionum, seù Ditionum legibus,
155 ac moribus, ipsorumque feudorum vsibus, tàm circà primi Ciuis præeminentias in pascuis, alijsque ciuicis vsibus, & commoditatibus, quàm circà alias ciuicas præeminentias; Ac etiam pro diuersis regionum moribus, in dicto præsertim citerioris Siciliæ Regno, pro coactione vnius vasalli, ad ei seruiendum in munere œconomico, seù administratorio fructuum feudi, sub *Aerarij* vocabulo explicari solito, quàm circà quoddam adiutorium pro filia maritanda, vel in primogeniti susceptione, aut alia contingentia, per vasallos Domino præstandum; Siue circa munera, quæ certis anni solemnitatibus, ex beneuolentia visitata, in necessitatem transierunt.

Cadente quæstione, an deuoluto feudo, hæc munera, vel alia seruitia,
156 quæ de iure debita non sunt, sed beneuolentiæ, seù facultatis initium habent, cum feudo ad Dominum deuoluantur; Regula verò est negatiua, nisi facti qualitas limitationem, suadeat.

Frequentes itèm esse solent clamores, vel recursus Vasallorum aduersus Barones; Vel super dicto immoderato ciuico vsu pascui, quando istud co-
157 munale sit; Vel circà nimis restrictum, ipsorum Vasallorum cinicum vsum, quando territorium sit Baronis; Vel circà seruitiorum, & angariarum, ac perangariarum exactionem, & coactionem; Aut ius cogendi, vel prohibendi, seù aliud ius, quod Regalium materiam potiùs concernit, ideóque sub eorum propria sede agitur, atque de facili collectum habetur apud eos, qui de Vasallorum grauaminibus agere professi sunt.

E' conuersò autem, Baronis, vel
158 feudatarij onera ergà Vasallos, ac feudi incolas versantur, circa protectionem, ac defensionem, cum Vasallorum pater dicatur; Ac etiam circa iustitiæ administrationem, & officialium deputationem; Et quod magis controuersijs ansam præbet, circa permissionem vsus in pascuis, lignis, aquis, cultura, & alijs, sine quibus aliàs inermem vitam ducere cogerentur, pro locorum, ac populorum qualitate, regionumque legibus, ac moribus; ideóque non de facili certa, & determinata regula desupèr statui potest, atque sub dicta Regalium tractatione potiùs, quàm sub ista feudali huiusmodi quæstiones cadunt. *De his hoc tit. disc. 65. & sub tit. de Regal. disc. 145. & 146. & sub titulo de seruitut. disc. 36. & 42.*

IX.

De alienatione, vel obligatione feudi, aliaque dispositione inter viuos; Ac etiam de præscriptione; Et de alienatione, vel obligatione, aliaque dispositione fructuũ; vel commoditatis; Et de materia assensus.

Cadit hæc inspectio, in veris, ac proprijs feudis, quæ iure feudali regulantur, non autèm in improprijs, & corruptis, quæ (solo feudi voca-
159 bulo retento) iure communi, ad instar indifferentium allodialium bonorum recensentur, ijs exceptis, quæ ex particulari lege concessionis, vel ex regionis moribus, aut legibus, peculiaritèr statuta sint; Ideóque in illis bonis iurisdictionalibus, quæ vel nullam habent feudalem naturam, vel habent eam (pluriès insinuatam) remotam, ac impropriam feudalitatem, quæ pro superioritate, ac iurisdictione Principis, in cuius ditione sita sunt, considerari solet, vt præsertim ditionis temporalis Ecclesiæ praxis docet, illæ alienandi prohibitiones, quæ à iure feudali manant, locum non ha-
160 bent; Solùmque vigent illæ, quæ à iure municipali proueniunt, vt in eadem Ecclesiæ Romanæ temporali ditione ex Apostolicis Constitutionibus viget, vt infrà in particulari Rubrica dominij allodialis Ciuitatum, & Castrorum habetur *à disc. 66. ad 69.*

Aliaque in huiusmodi corruptis, ac impro-

improprijs feudis alienandi prohibitio habetur ex iuris communis dispositione manans, eo modo, quo, in emphyteuticis, vel fideicommissarijs,
161 ob ius successorum proprio iure ex inuestitura venientium, vel ob interesse Domini, ac legem ab eo præscriptam.

Id autem feudalem prohibitionem verè non percutit, quamuis huic prohibitioni, terminos feudales Iuristæ quoque adhibeant tanquàm à simili, quotiès peculiaris differentiæ ratio nō vrgeat; Istamque prohibitionem affirmatiuam, vel negatiuam potiùs percutere videntur aliquarum Ecclesiarum consuetudines, quæ contra inuestituræ formam, hanc alienandi prohibitionem, seù licentiam inducunt.

In peculiaribus igitur terminis feudalibus, ipsum feudale ius, à quibus-
162 dam receptis Imperialibus Constitutionibus strictiùs, quàm à primæuis consuetudinibus deriuatum, genericè prohibet quamcumque alienationem, aliumque actum, qui feudi diuisionem, dismembrationem, vel diuisionem, aut aliud reale onus redoleat sub decreto annullatiuo, adeòut inualidus remaneat alienationis actus.

Multiplicem tamèn inspectionem habet hæc alienationis, vel obligationis, aut alterius dispositionis inter viuos Rubrica. Prima nempè, quænam alienationis, vel dispositionis
163 species sub hac prohibitione cadant, & præsertim quid de transactione, dote, permutatione, & hypotheca; Secundò cuinam inualidam alienationē impugnandi, vel retractandi facultas competat; Tertiò pœnarum illicitè alienanti inflictarum; Quartò aliorum effectuum ex licita, vel respectiuè illicita alienatione resultantium; Quintò super Domini assensu alienationi præstito, eiusque effectibus; Et sextò, quid iuris communis feudorum dispositioni, vel prohibitioni addant leges particulares Regnorum vtriusque Siciliæ, in quibus (si Germaniam excipias,) maior est, quàm alibi feudorum copia, feudalisque materiæ frequentior tractatio, ac successiuè notitia, præsertim verò in eo citerioris, quod magis cum reliquis Europæ partibus communicat.

Quoad primum, sub prohibitæ alienationis genere, veniunt omnes contractus, ius reale ab vno abdicantes,
164 atque in alium transferentes, sinè sit alienatio vera, & propria, quæ importet omnimodam abdicationem dominij, ac possessionis ab vno, & in alium transferat, vt sunt, emptio, & venditio, datio in solutum, donatio, & similes.

Itidemque alij contractus, qui eandem inducant dominij, & possessionis
165 actualem abdicationem, & translationem respectiuè, non tamèn omnimodam, quia nempè sit concessio dominij vtilis, directo retento, vt est concessio in emphyteusim, seù liuellum, vel censum, cum similibus.

Cadente quæstione in locatione, quæ tamèn, vbi est longum tempus, sub eadem prohibitione cadit, cum
166 per eam, quoddam quasi dominium, vel ius reale conductori quæri dicatur; Quale verò dicatur ad hunc effectum longum tempus, apud antiquiores cōtrouersum fuit; Hodiè autèm in hac materia receptum est, illud dici, quod decennij metam non excedat, capiendo annos regulariter pro cursu solari, nisi bonorum peculiaris qualitas aliter suadeat, quia nempè bona fructus diuerso ordine producant, cū tunc quælibet fructuum recollectio, annum cōstituat, iuxtà generales terminos aliarum prohibitionum.

Eodemque iure censentur actus, improprium alienationem importantes,
167 per quos ipsa bona non abdicentur, vel respectiuè transferantur, aliquod tamen ius in eis, vel ad ea quæratur, vt sūt, impositio seruitutis, vel alterius oneris, quod feudi substantiam percutiat, vndè diuisionem, vel diminutionem, seù aliud reale præiudicium importent, & sub quorum actuum genere, impositio censuum, aliarumque præstationum, ac reseruatio vsusfructus, (prout iuris est), aliaque similia veniunt, vt *tit. de alienat. & contract. disc. 1. & in alijs ibidem, quæ conferunt*.

In diuisione inter plures legitimos feudi possessores, vel successores in inuestitura comprehensos, vel in ces-
168 sione propriæ portionis alteri possessori, aliqua est quæstio, quam tamen in

in nostra Italia rarò forus audit, cum ea feuda, quæ veram, ac propriam feudi naturam retinent, nimium rarò sint diuidua, quæ iuris Longobardorum dicuntur, vtpotè ferè omnia indiuidua ratione veræ Dignitatis, Regalisque naturæ feudi, vel quia ad formam indiuiduam iuris Francorum redacta sint.

Prout rarò, vel vnquam ad praxim deduci posse videntur, ea, quæ feudistæ adstruunt, circa permutationem,
169 quam aliqui putant ob vtilitatem sine assensu fieri posse, cum præsertim in præfatis vtriusque Siciliæ Regnis, in quibus maior est feudorum sedes, ac frequentia, ob illius leges, extrà controuersiam sit, id fieri non posse, vt etiam attento iure communi est probabilius, magisque receptum.

In transactione item, vel compromisso, cadit quæstio, cum distinctione,
170 bonæ, vel malæ fidei, siuè an vtile negotium geratur, neque Domino præiudicium generetur probabiliùs decidenda, quamuis non desint contradicentes, vt *in hoc tit. disc.*49.

Super hypotheca verò duplex cadit quæstio; Vna scilicèt compræhensionis feudorum sub hypotheca gene-
171 rali omnium bonorum, atque verior est negatiua, nisi verba, aliæque facti circumstantiæ alitèr suadeant; Altera verò compræhensione posita, quia nempè sit specialis) vndè sola sit quæstio potestatis, & an veniat sub generica alienationis prohibitione.

Quamuis autem aliqua desupèr pugna scribentium adsit; Verior tamèn quoad pœnarum incursum est negatiua; Et è conuersò quoad ius reale creditori acquirendum, illudq; hypothecæ exercitium, per quod ad alienationem deueniri possit, verior est affirmatiua, vt *cod. tit. de alienat. & contract. disc.* 1. *& in alijs ibidem*.

In alienatione autèm ex causa dotis ipso iure communi inspecto, gene-
172 ralis distinctio est, an res detur æstimata, vel inæstimata, vt primo casu indefinitè prohibita sit, vtpotè venditionis potiùs speciem redolens; Idemque, si detur inæstimata, cum pacto lucri, quod alienationem, vel scissuram importet; Si verò absque hoc pacto, inæstimata detur per ipsammet mulierem feudatariam, licitè fieri potest; Non tamèn licet patri, vel fratri pro filia, vel sorore dotanda, feudum dare, nisi eadem dotanda sit feudalis successionis capax, proximéque successura, adeóut assignatio in dotem, potiùs refutationis, vel præuentiuæ successionis habeat speciem; Verùm, & in eis casibus, in quibus hic dotationis actus licitus reputatur, aliqua cadit difficultas, vbi ex viri qualitate, præiudicium notabile Domino parari potest.

Et quamuis aliquorum opinio sit (ducto argumento ab ijs, quæ in bonis fideicommisso subiectis in iure di-
173 sposita sunt), vt in subsidium aliorum allodialium, ad feudalia competat actio pro dote filiæ, vel alteri descendenti constituenda; Contrarium tamèn veriùs est, cum feuda iure proprio feudali, non autèm communi ciuili regulentur, ideòque aliud fœminis non conceditur, nisi quod super earum paragio dispositum est, vel quod ex aliquarum regionum legibus vel moribus eis conceditur, vt in successionis, ac successoris onerum Rubrica, habetur.

An autèm feudataria simplicitèr nubente, feudum censeatur datum in
174 dotem, eiusq; vir efficiatur feudatarius ac Baro, in dotali materia actum habetur, & *de his in materia dotis hoc tit. disc.* 20. *& sub tit. de dote disc.* 146.

A' præfata verò prohibitione, excepta est illa alienatio, quæ feudi substantiam non tangat, nullumque ius
175 in eo, vel ad illud tribuat, sed ad solam commoditatem, seù fructuum perceptionem (vt facti est) restricta sit, cum tunc, nulla feudi, vel iuris feudalis alienatio fieri dicatur, sed actus importet simplex mandatū, per quod ille, in quem alienatio facta est, tanquàm feudatarij mandatarius, eiusque vice, ac nomine fructus percipiat, eosque à feudo separatos, ac effectos allodiales, sibi ipsi applicet; Eo modo, quo, etiam in beneficijs, ac pensionibus ecclesiasticis, quæ minus in commercio existunt, alijsque prohibitis, receptum est fieri posse, ac praxis docet, vt *in hoc tit. disc.* 47. 61. *&* 110.

& sub

& sub tit. de pension. & sub tit. de emphyteusi disc.44.

Pretium item feudi, ex magis recepta sententia, feudale non est, ideóq; tanquàm allodij naturam habens, sub
176 hac prohibitione non cadit; Nisi de Iudicis mandato, pretij omnimoda subrogatio accedat loco feudi, quod non existat, vel omninò liberatum sit á iure Domini, ac aliorum, atque in ipsum pretiũ translatum sit, vt *hoc tit. disc.42. 48. 98. & sæpè sub tit. de emphyteusi disc.36. & 58.*

Et é conuersò eadem alienandi prohibitio, quæ ipsi feudo inest, actioni competenti in feudo, vel feudum in-
177 esse quoque dicitur, cum actio ad feudum, feudalis dicatur, eodemque iure metienda sit, quotiés ipsius feudi corpus, vel substantiam tangat, seú ius reale tribuat, aut rei persecutorium.

Posita veró inualida alienatione, vtpoté sine Domini assensu facta, subintrat secunda superiùs distincta inspectio, cui nàm scilicèt facultas compe-
178 tat, eam retractandi, vel impugnandi; Atque iuris communis feudorum dispositione attenta, veriús est Domino id absque dubio competere; Vel ad effectum sibi ipsi, ob caducitatis pœnam applicandi; Vel quia sua intersit feudum poni extrà sibi non gratã personam, in quam alienatio facta sit, sed ad vocatos ab inuestitura redire.

Secùs autém ipsimet alienanti, vel eius hæredibus, qui non nisi ob hæreditariam qualitatem in feudo ius habeant, quia nempè hæreditarium sit;
179 Vbi veró sit pacti, & prouidentiæ, adeóut filijs, vel agnatis per inuestituram vocatis, ius competat in feudi successione ab ipso alienante indepẽdens, tunc distinctio est, an feudatarius qui alienauit viuat, vel obierit; Eo etenim viuente, nullum ius est ab eis exercibile, nisi illud retractus, quod feudistæ dicunt *protomiseos*, de quo infrá in eius particulari Rubrica; Vel nisi lex inuestituræ, aut primi acquirentis titulo oneroso, dispositio inducat in alienante speciem mortis ciuilis, quæ naturalis ad instar, successori proximo locum aperiat.

Defuncto autèm alienante, seù aliás eius iure resoluto, adeóvt proximé
180 successuro feudum apertum sit; Vbi alienantis hæres non sit neque idem alienans primus acquirens titulo oneroso esset, extrà controuersiam est, vt Domini etiam assensu accedente, descendens, vel agnatus, nullo refuso pretio, feudum vindicet ab eo, in quem alienatio facta sit; Quamuis in
181 ipsummet Dominum facta esset, cum durante inuestitura, iure cuiuslibet tertij censendus veniat.

Nisi particularis consuetudo facultatem alienandi præbeat cum solo Do-
182 mini assensu, quamuis ille agnatorum non accedat, vt in aliquibus partibus viget.

Si veró proximé successurus, alienantis quoque allodialis hæres existat, aut quod agatur de feudo mixto, quod vtramque sanguinis, ac rei familiaris hæreditariam qualitatem exigat, tunc si beneficio inuentarij munitus non
183 est, idem patitur obstaculum, quod ipsemet defunctus; Si autèm dicto beneficio potitur, atque agitur de feudo pacti, & prouidentiæ antiquo, vel etiam nouo gratuito, siuè mixto in quo non agatur de primo acquirente, sed de vlteriori possessore, qui alienauerit, & tunc quatenùs vires hæreditarię suppetant, habere debet ratum factum auctoris, etiam in ijs, quæ iure proprio competunt, nisi talis accedat particularis circumstantia, quod licitam reddat impugnationem actus in specie, reficiendo id, quod interest, iuxtà ea, quæ generalitèr in fideicommissaria, vel simili materia habentur; Inuentarij beneficio suffragante, vt feudum antiquum, vel etiam nouum
184 gratuitò concessum, ab hæreditate præcipuum separari valeat, illudque in calculo virium hereditariarum non veniat.

Atque si proximé successurus, alienationi consensum præstiterit, ipse quoque prohibitus est eam impugnare, nisi facti circumstantiæ ostendant,
185 consensum præstitum fuisse pro sola validitate actus, excusandaque caducitate pro tempore durationis iuris alienantis, non autém, vt futurum speratum ius successionis per mortem remitteretur, quod ex facti qualitate pen-

pendet, ideòque certam vniformem determinationem non recipit; Neque exindè vlteriori agnato ius competit, durante vita proximioris consentien-
186 tis, nisi consensus alienationi æquipollens, mortem ciuilem, ex peculiari dispositione induceret, ideóque locum vlteriori non consentienti aperiret.

De tertio autém superiùs distincto puncto pœnarum, ex alienatione sine
187 assensu facta resultantium, habetur infrá in deuolutionis, vel caducitatis peculiari Rubrica.

Effectus autém ex licita, vel respectiuè illicita alienatione resultantes,
188 sunt plures, ille præsertim nullitatis actus illicitè initi, quodque propterèa ius reale in feudo, vel ad illud nó quæratur ei, cui malè alienatio facta est.

Et consequentèr, si postmodùm validè cum assensu, ab eodem alienante, vel eius successore, alteri feudum alienetur, vel obligetur, istius posterioris potior erit conditio, cum prioritas, vel potioritas, non ex tempore alienationis, vel obligationis desumenda sit, sed ex tempore assensus, qui perficit, ac informat actum; Atq; ità in hac materia posteriores vincunt priores, quamuis isti quoque assen-
189 sum deindè obtineant, cum non detur istius retrotractio in preiudicium eius, cui medio tempore ius quæsitum est, *vt eisdem locis proximè citatis*.

Idqué adeò verum, vt beneficio separationis bonorum non suffragante, creditores eum assensu hæredis vincant creditores absque assensu defuncti in istius feudo, iuxta vnam fortè probabiliorem, magisque receptam opinionem, contradictoribus tamen non carentem, neque probabilitate, *vt disc.106. & 109. ac etiam locis citat. proximè supra*.

190 Cadente quæstione, an ei in quem inualidè sine assensu alienatio facta est, actio personalis contra alienantem competat ad id, quod interest;
191 Atque regula est affirmatiua, nisi diuersa conuentio, vel consuetudo, siuè scientia in eo, cum quo actus geritur, hanc obligationem, seù actionem cessare faciat, quod ex facti qualitate determinationem recipit, *vt disc.30. & 31. & sub tit. de dote disc.54.*

Assensus autèm Domini, per quem actus perficitur, seù reualidatur, re integra accedere debet, priusquam pœnitentia ex vnius contrahentium par-
192 te declarata sit; Cadente quæstione, an expressa, & iudicialis pœnitentiæ declaratio necessaria sit, vel quouis modo declarata sufficiat, quamuis tacita, seù implicita, atque hæc posterior pars probabilior videtur, *vt disc.66.*

Desideratur etiam, vt de tempore, quo idem actus perficiens sequitur, vtrumque extremum habile existat, vt
193 scilicèt viuat vterque contrahens; Vno etenim defuncto, nouus hæredis consensus necessarius est, à Iudice quandoque supplendus, vbi denegari non potest, *vt disc.109.*

Super dicti autém assensus præstatione, certa forma præscripta de iure communi nó est, sed sufficit per quamlibet speciem probationis illum veri-
194 ficari, dummodó validè accedat, quia nempè subreptionis, vel intentionis defectu non laboret, aut in concedente, potestatis defectus non cadat, vt contingere solet in eo assensu, qui non ab ipso Domino, sed à Vicario, alioque Magistratu concedatur, determinationem huiusmodi quæstionibus hodie á regionum, seù Ditionum legibus, vel vsibus magis recipientibus, *vt disc.106.*

Quæstio autèm surreptionis, vel defectus intentionis, determinationē recipit á qualitate, & circumstantijs facti, cuius, ac voluntatis potiùs,
195 quàm iuris quæstio est, ex ipsius Domini stylo potissimum decidenda, cum exindè voluntas arguatur.

Non tamén Domini assensus, quamuis validus, ac solemnis, ius agnatorum tollit, solumque actus validitatē,
196 durante iure alienantis, istinsque præseruationem á pœnis causat.

Quandoque tamèn assensus, ipsius met Domini præiudicium causat, vt in casu deuolutionis, feudum adhùc affectum remaneat nexibus, ac obli-
197 gationibus, cum eius assensu iniunctis, nisi clausulæ præseruatiuæ accedant, vt in deuolutionis Rubrica aduertitur.

Vel

Vel nisi constet, Dominum, in quo
198 potestas tollendi ius tertij vigeat, voluisse ius agnatorum etiam tollere.

Præsumptiuam probationem assensus, iuxtà aliarum extrinsecarum solemnitatum generales terminos, ac
199 regulas, ius commune feudorum non excludit, ideóque ex longissimi temporis (trigenario non minoris) decursu, iuncto tamèn cum obseruantia, vèta, continua, pacifica, & vniuoca, eius præsumptio resultat, contraria tamèn vera probatione, vel fortioribus præsumptionibus adhùc elidibilis, puta ob negatiuam resultantem á reuolutione registrorum, vel quia ex ipsius actus qualitate, expressus assensus adesse non possit, cum fictio non possit excedere veritatem, *vt disc.49. & sub tit. de alienat. disc.1. & sub tit. de dote disc.143.*

Procedunt hæc omnia, alienationis præsentem Rubricam, seù materiam concernentia, iuris communis feudo-
200 rum dispositione attenta, vel etiam iuris communis Romanorum, (quod in feudis etiam cessante speciali iure feudali vim habet, siuè prò iuris feudalis interpretatione attendendum est;) Secus autèm vbi ius particulare, scriptum, vel non scriptum, contrarium disponat, cum semper lex generalis, contrariæ particulari, quæ legitimè inducta sit, locum cedere debeat.

Facilè autém non est, singularum regionum, seù Ditionum particulares leges, vel mores, ac stylos tecen-
201 sere, cum in hoc earum respectiuè peritis deferendum sit; Vndè contingit, quod aliarum desupèr se ingerentium magna, & frequentia sint æquiuoca; Ideòque agèdo solùm de patrijs legibus, ac moribus, de quibus congruum est, Nationalem agere.

In dicto Siciliæ citrá, aliàs Apuliæ, seù Neapolitano Regno, infrascripta habentur specialia, à præmissis deuian-
202 tia, quibus exceptis, in reliquis, vtriusque dicti iuris communis generales regulæ, seù propositiones firmæ remanent.

Primó siquidèm, transactio, vel compromissum, aliæque species alienationis, quæ in aliquibus casibus de iure communi permissæ sunt, ob stri-
203 ctiorem prohibitionem ab illis legibus resultantem, sub eadem prohibitione cadunt, *vt d. disc.49.*

Idemque de dote, quæ etiam in casu, vt supra permisso de iure communi, per easdem leges particulares
204 prohibita est; Aliqua cadente inter eos scribentes quæstione, an potiùs ex vna, quàm altera lege talis prohibitio manet, & an matrimonij libertas hanc prohibitionem irritet, vetiorque est negatiua.

Vbi veró actus dationis in dotem, ex quocumque iure sit inualidus, de facto tamèn vir constante matrimonio
205 feudum possederit, ac fructus perceperit, eos facit suos loco damnorum, vel vsurarum æstimationis, in quados constituta censetur. *De his in materia dotis hoc tit. disc.20. & sub tit. de dote disc.146.*

Secundò circá magis liberam pœnitendi, seù reuocandi facultatem, cuilibet ipsorummet principalium contrahentium, eorumq; hæredibus com-
206 petentem, re tamèn integra, & ante assensum in forma solemni obtentum; Eoque etiam obtento, ante alias litteras, quæ assecurationis vasallorum ibi dicuntur; Idque absquè aliqua dam-
207 norum, & interesse refectione, vel obligatione, quæ aliás de iure communi intraret, *vt disc.30. & 31.*

Quinimò cum retrotractione ad suũ initium, adeóut fructuum restitutio debita sit alienanti, qui obligatus remanet ei, in quem alienatio facta est,
208 reficere interesse pretij obtenti, vel alterius recompensæ commodum intermedium; Cadente quæstione, an hoc interesse, ipsorum fructuum metam excedere valeat, probabiliorque videtur negatiua, *vt d. disc.31.*

Minusque super huiusmodi pœnitendi, seù reuocandi libertate, cadunt
209 distinctiones, quæ iure communi attento desupèr habentur inter feudum nouum, vel antiquum, siuè inter hæreditarium, vel purè pactionatum, aut inter primum acquirentem titulo lùcratiuo, vel oneroso; Quoniàm quidquid ipsius feudi substantiam tangit, vel afficit, absque Regio assensu, indefinitè inualidum est, atque pro non scripto

scripto habetur, præfatis distinctionibus ad alios effectus attendendis; vt in sequentibus Rubricis.

Tertió circa assensus formam, vel solemnitatem; Ad cuiuslibet etenim gratiæ, vel præstationis assensus vali-
210 ditatem, vel substantiam, de iure scriptura requisita non est, cum solo verbo perficiatur, ipsa sciptura ad meliorem, ac faciliorem probationem adhiberi solita, nisi lex particularis scripta, vel non scripta alitèr suadeat; In hoc autém Regno neque sufficit supplicatio à Rege, vel eius Prorege, alijsque
211 Magistratibus signata, nisi solemne instrumentum, seù priuilegium, in forma (vt ibi dicitur) Regiæ Cancellariæ desupèr expediatur.

Quinimó, vbi contingat, vel ob defectum potestatis Proregis, vel ob maiorem cautelam, illud in forma solemnis priuilegij concedi per ipsum Re-
212 gem; Adhùc tamèn in eo supremo Consilio, quod Proregi assistit, atque Regiam Cancellariam regit, (quod Collaterale dicitur, eiusque Consiliarij Regentes) infrà annum, vt ibi dicitur executoriari debet, sin minus inualidum est, *vt disc.106. & 109.*

Quarto, quod iuris communis feudorum dispositione attèta, siuè ex magis recepto scribentium sensu, Vicarius Generalis Domini, vbi præsertim
213 cum omnimoda, & Proconsulari potestate deputatus est, etiam cum Regalibus maioribus, & cum potestate legibus derogandi, vel dispensandi, hunc assensum in feudis sibi commissæ prouinciæ, vel Ditionis præstare potest, nisi particularis restrictio accedat; Aliqua dubitandi ratione cadente in illis inuestituris, quæ abusiuæ, seù
214 præuentiuæ dicuntur de feudo pleno, quotiès præsertim consuetum non sit eas concedi.

In hoc autém Regno, per eius particulares leges (non tamen semper firmas, cum earum variationem casus
215 frequentèr dederit), Proregis potestas coarctata est super forensium capacitate acquirendi feuda, necnon super aliquorum feudorum Dignitatis, seù Titulatorum alienatione, *vt dicto disc.106.*

Vndè propterea frequens praxis docet, quod exteri cum propria pecunia emunt feuda ad proprium commodum, sub alicuius nationalis no-
216 mine simulato, á quo eiusdem feudi tenuta, seù administratio ad propriam omnimodam vtilitatem conceditur; Adhùc tamen feudum verè in ipsa simulata persona residere dicitur, ipseque est feudatarius, cum in feudis non admittatur iuris communis Romanorum regula, vt veritas potiùs, quàm simulatio attendi debeat; Quod etiam vbique in officijs receptum est, *vt d. disc.24. 30. & 106.*

Et secundò (inter cætera, quæ memoria non suggerit), quod de iure communi feudorum, dos priuilegiata
217 non est, neque pro eà constituta soluenda, vel restituenda, actio ad feudum, sine Domini assensu competit, reiecta sententia volentium, vt fideicommissorum ad instar, subsidiarium beneficium competat; In dicto autèm Regno, ex gratia, seù assensu generali Neapolitanis concesso, secus est, vt in dotalibus instrumentis, vel tabulis, assensus inesse censeatur; Cum pluribus tamen declarationibus, ac restrictionibus, in propria sede videndis, vtpoté sub compendio minus adaptatè cadentibus, *vt disc.26.*

Alienationi autém æquiualet præscriptio, quæ cum eisdem terminis
218 regulari solet, quoniám qui expresè alienando, successori, vel Domino præiudicare non potest, ità minus idem præiudicium negligẽdo causat; Ideòque successori iure proprio venienti quodcumque longissimum tempus nõ obstat, cum ante sui iuris competentiam, præscriptionis initium, & cursus non dentur; Nisi immemorabilis, vel centenariæ possessionis qualitas, non constito de initio vitioso, ad quod pateat, possessionem restrictam esse, possibilitatem causet, quemcumque titulum meliorem allegandi, vndè propterea Principis derogatio, vel similis iuris successorum, & inuestituræ destructiuus, allegari valeat.

Præscriptionis etiam quæstio cadere solet inter possessorem, & Dominum, super ipsa feudali qualitate, quã neget possessor, bonorum libertati inhærens; Vix autém hoc præsidium verifi-

verificabile est in ipso feudatario, qui jureinuestituræ feudum, eiusq; annexa possederit, cum ea durante nulla detur aduersus Dominum præscriptio; Secus autèm si ea negata, aliam alleget possidendi causam, vel titulum; Raras autèm in foro istas quæstiones esse, praxis docet, *vt disc. 3. 70. & 107.*

X.

De dispositione feudi per vltimam voluntatem; Et quatenùs non valeat de ipso corpore feudi, an debeatur æstimatio, vel in ea substineatur.

IN feudis merè hæreditarijs, quæ absque restrictione ad certum genus, ad quoscunque transmissibilia
219 sunt, nulla cadit ratio dubitandi, nisi accidentale vinculum adiectum sit, eo modo, quo in omnibus indifferentibus bonis; Ista verò species, corruptum, siuè improprium feudum frequentiùs redolet, iure allodialium, ac indifferentium bonorum, vt supra, potiùs recensendum, nisi Domini, particularis prohibitio accedat.

In ijs autèm, quæ sub alienandi prohibitione, iuxtà proximè præcedentē Rubricam cadunt; Idem de alienatione per vltimam voluntatem cla-
220 riùs procedit, quàm de illa inter viuos dictum est, cum faciliùs illa, quàm ista in hac materia quandoque permittatur.

Ideòque distinctiones ibidem traditæ, inter feuda noua, & antiqua, siuè inter primum acquirentem ex causa onerosa, & lucratiua, huic etiam
221 disponendi generi congruunt, cum eadem distinctione, inter ius commune feudorum, ac particulare dicti Regni Neapolitani, vbi indefinitè nulla datur dispositio, quæ feudi corpus, vel substantiam tangat, absque Regis assensu, quamuis de feudo nouo ex causa onerosa quæsito agatur, nisi specialis facultas accedat, quandoque in ipsa acquisitione concedi solita.

Generalitér verò, iuris communis dispositione attenta, vbi etiam inuestitura ad certum genus hæredum sanguinis restricta sit, primi acquirentis,
222 ex causa onerosa potestas est, intrà ipsius generis personas disponendi, atq; successionis ordinem interuertendo, aliquibus gratificari, *vt disc. 9. 10. & 12.*

Quatenùs verò feudum talis naturæ sit, quod successor, quamuis à lege inuestituræ vocatus, hæreditariam qualitatem disponētis habere debeat,
223 tunc licet ipsum corpus feudi sub prohibitione cadat; Non tamèn eius valor, qui in morientis hæreditate esse dicitur, ideòque in eo grauari potest, ac etiam in actione personali cogi, vt vendat feudum, & de pretio soluat, vt infrà.

Siuè quod feudo indefinitè cadente sub prohibitione, successor, ob alterius rei familiaris hæreditariam qualitatem, proprij auctoris factum
224 implere teneatur; Tunc etenim, quæstio cadit, an facta dispositione feudi ad fauorem incapacis, in quo dispositio in ipsa specie effectum sortiri non valeat, intret obligatio præstandi æstimationem; Atque licèt nimia scribentium varietas in ista quæstione dignosci videatur; Veriùs tamèn est, eam esse facti, ac voluntatis quæstionem potiùs quàm iuris, ex facti qualitate, & circumstantijs disponentis voluntatem suadentibus, decidendam.

Quamuis etenim distinctio adhiberi soleat, an de vniuersali, vel de par-
225 ticulari dispositione agatur, vt primo casu æstimationis obligatio non intret, secus autèm secundo; Præsumptio tamen, vel argumentum est, quod ex hac distinctione resultat, non autèm necessaria probatio, vel iuris dispositio, ideòque regula, vno, vel altero casu, contrariæ disponentis expressæ, vel coniecturatæ voluntati cedit, cum posita potestate, omnes iuris regulę, quas in ambiguis morientium voluntatibus habemus, contrariæ disponentis voluntati perpetuò cedant, *vt disc. 18.*

Ipsa enim voluntate accedente, quāuis moriens feudi legitimum successorem à lege inuestituræ vocatum, ipso corpore feudi priuare non valeat,

226 cum tamen vsque ad integrum valorem grauare potest, adeòut feudi successor, vt suprá aduertitur, actione personali cogi valeat ad vendendum feudum, vt ex pretio satisfaciat, vt in dicto Neapolitano Regno receptū est, quamuis contrà defuncti iudicium succedatur, quod tamen asperum, atque in puncto iuris communis improbabile est, *vt disc.21.*

XI.

De successione ab intestato feudali; Et de oneribus, quæ feudi successori incumbunt; præsertim de vita militia, vel participatione pretij erga secundogenitos; Et de contributione ad debita.

Rubricæ huius inspectio est, eo præsupposito retento, quod de veris, ac proprijs feudis agatur, iuxtà feudales leges regulandis, non autem
227 de improprijs, & corruptis, quæ iuxtà distinctiones initio traditas, feudali nuncupatione solùm retenta, in reliquis allodialium, ac indifferentium bonorum iure censenda sunt; Quotiès tamèn talis est alteratio, quòd feudi substantiam omninò corrumpat, secus autèm vbi in aliqua parte, firma in reliquis feudi natura manente, vt præsertim in Rubrica capacitatis, vel incapacitatis aduertitur, *vt disc.11.*

Præsuppositis igitur, tám vera, & propria feudi natura, itaut iure feudali successio regulanda sit, quàm etiā capacitate personarum, adeòut de solo successionis ordine, vel concursu quæstio sit; Duplex est inspectio; Vna generalis iuxtà feudales leges, vel consuetudines, quas communes dicimus; Et altera iuxtà præfatos vtriusque Siciliæ Regnorum leges; Vel mores.

Primò iure inspecto, vbi etiam fœminarum capacitas adsit, veriùs est,
228 sexum vincere, lineam, gradum, & ætatem (cuius contrarium est attento dicto iure particulari, vt infrà); Ideòque agnati masculi, quamuis remotiores à primo acquirente descendentes, excludunt fœminas proximiores; Quatenùs tamen de tempore apertæ successionis masculi capaces existant, vt etiam supra in capacitatis, vel incapacitatis Rubrica aduertitur, *vt eodem disc.11. & 53.*

Secus autèm si eis non extantibus, fœminæ, vel cognato successio dela-
229 ta sit, quoniam superueniens masculus eam non excludit, quamuis agnitio, vel possessio adhuc sequuta non sit, nisi particularis lex, vel acquirentis dispositio aliter disponat, cum in feudis non detur ea suspensio, quæ durante spe, seù potentia proximioris, vel prius vocati, datur in fideicommissis, & primogenijs, iure communi regu-
230 landis, quidquid secus sit in illis Hispaniarum, vt etiam in proximè insinuata Rubrica, *sub tit. de fideicommiss. disc.7. & seqq. præsertim disc.11. & 13.*

Vbi veró æqualis est contendentiū capacitas, tunc decisio pendet à qua-
231 litate, seù natura feudi, an diuiduum sit, quod iuris Longobardorum dicitur, successorum pluralitatem admittens, vel indiuiduum ordine primogeniture, vni tantùm deferendum, quod dicitur iuris Franchorum; Primó enim casu, ille intestatæ, vel fideicommissariæ successionis ordo, qui de iure communi in bonis indifferentibus, iuxtà gradus proximitatem præscriptus est, & cum eadem regula metiendi proximitatem ab vltimo moriente, non autèm á primo acquirente, in hac feudali successione attendendus quoque venit, cum nil diuersum desupér in iure feudorum statutum sit.

In feudo autem indiuiduo, quod personarū pluralitatem excludit; Cùm attendatur ordo primogenituræ, hinc
232 proindè linea primùm occupat locū, atque vincit gradum, ac ætatem, non autem sexum; Ideóque quidquid antiquiores disputauerint, veriùs est, ac extrà controuersiam, vt nepos ex fi-
233 lio primogenito prædefuncto, quamuis ætate, & gradu inferior, vincat patruum ex beneficio repræsentationis, vel transmissionis prerogatiuæ lineæ, quæ à primogenito fiat in eius filium, in quo eadem qualitas sexus quoque con-

concurrat, & non aliàs.

Quæstione cadente, an eadem transmissio prerogatiuæ lineæ detur in
234 transuersalibus, atque probabilior est affirmatiua, quamuis plures habeat contradictores.

Quia veró ex aliquarum regionum consuetudine, præsertim verò Lombardiæ, etiam feuda Dignitatis de sui
235 natura indiuidua admittunt diuisioné, pluriumque possessorum concursum, si non in substantia, (quæ habitualitèr remanet indiuidua,) attamèn in fructu, seù exercitio, & commoditate; Hinc probabiliùs est, vt vna linea, seù portione defecta, aliarum linearum, vel personarum possidentiũ alias portiones, æqualis esse debeat successio pro modo portionum, non autem pro numero personarum; Miniùsque in ratione proximitatis gradus, quoniam non per ius successoriũ, sed potiùs per illud accrescendi, seù veriùs non decrescendi, portiones superstites, defectam portionem ad se attrahant, cum totum ius habituale penès omnes esse dicatur.

Aliqua remanente quæstione, vbi aliæ lineæ non possideant portionem aliquam, sed agatur de concursu ad
236 nouam successionem, quo casu magis receptum videtur, vt proximitas gradus præualere debeat, vbi repræsentationis, vel subingressionis beneficium non intret, per quod, iuxtà generales terminos iuris communis, etiam in rebus indifferentibus, remotior fiat proximiori æqualis. *De his disc. 8. & 13. & in alijs.*

Protrahitur in infinitum successio descendentium per lineam rectam de
237 vno in alium; Vbi autem contingat possessorem feudi absque prole decedere, adeòut Collateralibus aperiatur successio, tunc in feudis nouis, nulla est eorum, vel parentum successio, sed fit locus deuolutioni, nisi lex inuestituræ, vel alia lex particularis diuersimodè disponat; In antiquis autem, quidquid aliqui variauerint ad septimum, vel decimum gradum successionem restringentes; Veriùs est, iure cõmuni feudorum attento, in infinitum paritèr protrahi successionem eorum, qui descendunt à primo acquirente, *Supplem. Theatri Lib. 16. de Feud.* qui sit omnium stipes, eorum autem, qui hanc descensiuam qualitatem non habent, nulla est succedendi causa.

Rara veró est successio parentum, qui à primo acquirente descendant,
238 nisi in casu quo possessor, ex eorundem refutatione obtinuerit, de quo aduertitur infrà in refutationum Rubrica.

Quando autem feudum indiuiduũ iuris Franchorum, est pacti, & prouidentiæ purum, adeó vt solus primogenitus succedat, tunc si est nouum quæsitum ex causa verè onerosa, &
239 correspectiua, pretio mediante, illud esse dicitur in hæreditate allodiali, ac propterea primogenitus feudi successor, tenetur ad debita, & onera defuncti, eisque non existentibus, adhuc secundogenitis eius fratribus pretium communicare tenetur, nisi pater hoc onus remiserit, quo casu voluntas attendenda est; Quatenùs tamen, eodẽ pretio calculato in asse, consultum sit in alijs bonis legitimæ filiorum, iuxtà generales, ac indifferentes terminos
240 iuris communis; Cadente quæstione an pretium tituli, seù Dignitatis debeat communicari, & probabilior est negatiua, cum Dignitas causet maius onus in possessore.

Si verò est antiquum, vel etiam nouum gratuitum, non intrat hæc obligatio communicandi pretium, neque
241 aliqua obligatio erga defuncti creditores, vel legatarios; Benè tamen obligatio præstandi secundogenitis masculis vitam militiam pro alimentis ad vitam duraturam, ideòque non transmissibilem; Fœminis verò dotem de paragio transmissibilem, quatenùs per carnalis, vel spiritualis matrimo-
242 nij effectuationem dos suam acquirat essentiam, atque ità fiat de ipsius dotatæ bonis liberis transmissibilibus, sin minus nil est transmissibile, vt *disc.* 108

Pluribus circá vtrumque vitæ militiæ, ac paragij onus intrantibus quæstionibus tàm circà taxam, quàm circa productionem interesse, ac alia non
243 de facili sub compendio citrà notabilem euagationem cadentibus, ideòque in sua sede videndum est.

Mixturæ autem qualitate accedente, siuè sit diuidunm, siuè indiuiduum;

X 2 In

244 In feudo nouo ex causa onerosa, vtra-
que hæreditaria qualitas sanguinis,
ac rei familiaris copulatiuè necessaria
est, neque inuentarij beneficium pro
feudi præcipua deductione suffragatur;
Si verò est antiquum, vel nouum gra-
tuitum, tunc requiritur vtraque qua-
litas proximè acquirentis, non autem
(ex probabiliori sententia) vltimi mo-
rientis; Atque siuè vnius, siuè alterius
respectu, inuentarij beneficium suffra-
gatur pro feudi præcipua deductione,
sufficitque per eum non stare, quo-
minus dictam aliam rei familiaris hæ-
reditariam qualitatem non habeat.

In præfatis autem vtriusque Siciliæ
Regnis, in quibus (paucis, ac obscuris
245 exceptis) omnia feuda sunt indiuidua
ad formam iuris Franchorum cum or-
dine primogenituræ deferenda; At-
que in feudis nouis ex causa onerosa
246 quæsitis pretio mediante, idem quod,
vt suprà, circa pretij communicatio-
nem, vel onera in pretio, tanquam exi-
stente in hæreditate allodiali, in om-
nibus procedit; In antiquis autem pa-
ritèr idem circà vitam militium, ac
paragium fauore secundogenitorum,
ac fœminarum respectiuè, aliquibus
legibus, fœminarum causam circà pa-
ragium magis clarè consonentibus.

Respectu verò creditorum, seù le-
gatariorum, aut aliàs à feudatario de-
247 functo causam habentium, quamuis
inuestituræ formula *pro se, & hæredibus*
ex corpore legitimè descendentibus, vtri-
que Regno sit communis, diuersimo-
dè tamen intellecta fuit; In Regno
enim vltrà Pharum, quod antiquum
Siciliæ vocabulum adhuc retinet, ad
248 limites iuris communis, magis con-
gruam accepit interpretationem, eo
modo, quo in feudis mixtis dictum est
suprà, vt primi, non autem vltimi hæ-
reditaria qualitas necessaria sit, vt
disc.13.

In altero autem citeriori (quod
Neapolitanum dicimus) diuersimodè
receptum est, vt scilicèt cum qualita-
te sanguinis, altera hæredis rei fami-
249 liàris etiam vltimi concurrat, absque
eo quod inuentarij beneficium suffra-
getur, quantum feudi importet inte-
ger valor, qui in morientis hæreditate
esse dicitur, tam respectu creditorum
ex causa onerosa, quàm etiam legata-
riorum, vel aliorum, quorum fauore
feudatarius moriens disposuerit.

Adeòut ex suprà insinuatis, iuxtà
magis receptam opinionem (contra-
dictoribus tamen non carentem) suc-
250 cessor, quamuis non ex defuncti iudi-
cio, sed contrà illud ex inuestitura
veniens, iudicium defuncti impugnan-
do; vsque ad integrum feudi valorem
grauari valeat, quod nimis asperum
est, ac improbabile; Cadente, vt suprà
insinuatum est, quæstione voluntatis
magis, quàm potestatis, vt *disc.13.*

Istumque viuendi modum, pro cō-
mercij facilitate, ac libertate fortè
251 magis proficuum à recenti tempore
introducere quoque cæperunt Sicu-
li vltrà Pharum, vndè propterea du-
plex ibi habetur feudorum species,
vna antiqua in forma pacti, & proui-
dentiæ, vel mixta respectu primi ac-
quirentis tantùm, quæ *in forma stricta*
dicitur, altera verò in hac *forma*
larga.

Super gradibus autem, vel repræ-
sentatione, aliqua inter hæc Regna di-
252 gnoscitur differentia; Per antiquas
etenim leges vtrique communes, vt-
potè editas de tempore, quo vtrum-
que pro vnico habebatur, vsq; ad ter-
tium gradum ciuilem collateralium,
successio restricta est, quamuis à pri-
mo acquirente descendentium, ac in
feudo antiquo, quod nimiam restri-
ctionem præseferre videtur; licèt fra-
253 tribus in feudis nouis concedatur ea
successio, quæ à iure communi ne-
gatur.

Sequuta verò eorum diuisione, in
eo vltrà Pharum successio latiùs patet;
254 In isto autem citrà, firmæ remanent
dictæ antiquæ restrictæ leges, per quas-
dam gratias ampliatæ ad vnicum vl-
teriorem ciuilem gradum lineæ æqua-
lis, vel inferioris, non autem superio-
ris; Adhuc dubia, & sub quæstione, re-
255 manēte gratia habilitante fratres vte-
rinos, vndè propterea concordia hu-
iusmodi controuersiarum speciebus
finem dare consueuit.

Pluribus cadentibus quæstionibus,
concursus inter ipsos collaterales,
256 quas peragere occasio non dedit, i-
deoq; videndum est apud eos, vtrius-
que

que feudi scriptores, qui peculiarem hanc successionis materiam ad illarum legum præscriptum peragere professi sunt.

Aliqua etiam differentia militante circá sexum: In hoc etenim citeriori
257 Regno, linea vincit gradum, sexum, & ætatem, adeóut (quamuis barbaré, & contra omnem rationem) neptis ex filio primogenito prædefuncto superstes, excludat filium secundogenitum eius patruum, quamuis ætatis, sexus, & gradus prærogatiua sit maior; In eo autem Regno, ob aliquas leges, agnationi magis rationabiliter prospicientes, contrarium fortè verius est, vel saltem est sub maiori controuersia, vt in sua sede; Vbi etiam de prærogatiua agnationis probabilius vincente alteram ætatis, quamuis æqualitas gradus concurreret, vt *disc.* 13.

Alijs multis cadentibus quæstionibus, circá repræsentationem, vel trans-
258 missionem prærogatiuæ linearis, an, scilicèt, quod in descendentibus dicitur, in collateralibus quoque procedat, vt in sua sede.

Inter fœminas autem æqualis gradus, in his Regnis, præsertim isto citeriori, ex eorum legibus particularibus, qualitas innuptæ, atque vt dicitur in capillo, præualet lineæ, ideòque secundogenita in capillo præfertur primogenitæ nuptæ, & dotatæ consentienti dotationi, cum plerisque declarationibus, de quibus in sua sede.

259 De Illegitimorum verò, & Clericorum, aut militiæ Ecclesiasticæ professorum capacitate succedendi, &
260 quid vbi de tempore delatæ successionis, ille qui in statu incapaci reperitur, eum immutare potest, atque capax effici, habetur suprà in propria capacium Rubrica.

Et de oneribus cum feudo deuolu-
261 to transeuntibus etiam ad dominum, habetur infrà in propria deuolutionis, vel caducitatis Rubrica.

Cum autem duplicem habeat diuersum hęredem feudatarius moriens, feudalem scilicèt, ac allodialem, seù
262 burgensem, iuxta diuersam patrimoniorum speciem, quorum quodlibet hæreditatis vniuersitatem distinctam constituit; Hinc frequentes in dicto Regno citeriori, forus audit quęstiones super vtriusque hæredis, vel patrimonij contributione ad debita, aliaque onera defuncti.

Recepta veró distinctio est, vt ad meré realia, ipsis bonis infixa, vel eorum causa contracta, non intret contributio, sed quilibet suum ferat onus; In personalibus autem, vel indifferen-
263 tibus, vterque hæres pro viribus, ac rata bonorum, atque vt dicitur per æs, & libram, habita ratione valoris in sorte principali contribuit, siue debita contracta sint cum Regio assensu, vel sine; Minùsque attento, an vna, vel altera bonorum species magis obligata, vel subiugata sit; Quod in debitis contractis per plurium maioratuum, vel fideicommissorum possesso-
264 rem, quando per istius mortem, eorundem maioratuum, vel fideicommissorum diuisionem sequi contingat, quoque procedere aliàs decisum est, nisi diuersa accedat expressa, vel coniecturalis ipsius morientis voluntas,
265 quæ seruanda est, vbi ratione legitimæ potestatis defectus accedat, vt *disc.* 21. & 22. & 89.

X I I.

De Refutatione.

Dvplicitér de refutationis validitate, vel effectibus agi solet, Primò scilicèt vbi ipso domino fiat; Et
266 secundó vbi filio, vel alteri proximé successuro, vel aliàs sub inuestitura compręhenso, cum in extraneis, non refutationis, sed alienationis terminus cadat.

In prima specie refutationis feudi, quæ domino fiat, duplex paritér quæstio intrat; Prima nempè, an dominus
267 inuitus eam recipere teneatur, quamuis eius voluntas diuersa sit; Alijs simplicitèr affirmantibus; Alijs è conuersó simplicitér negantibus, & alijs probabiliùs distinguentibus, an recusandi iusta accedat causa, nec nè, vt non teneatur si eius intersit refutationem non fieri, vt *disc.* 71.

Et secundó, quatenus dominus velit,

lit, & acceptet, an ea tollat ius agnatorum,
268 ac aliorum ab inuestitura vocatorum; Atque vbi in refutante, disponendi, vel alienandi facultas non adsit, probabilior est negatiua, cùm inuestitura durante, dominus iure extranei censeatur, in quem alienatio facta sit, ideòque non extinctiuo iure deuolutionis, vel consolidationis feudum obtinere dicitur, sed iure translatiuæ cessionis, durante iure cedentis, ipsa dominicali qualitate suffragante pro duplicita præstatione assensus sibi ipsi, né aliàs ipsimet refutandi, pœnitendi, vel reuocandi competat ea facultas, quæ facta alteri cessione, vel alienatione competeret, & ne agnatis detur illa retrahendi, seù vindicandi actio, quæ adhuc durante iure alienantis, quandoque competit.

In altera verò specie refutationis factæ agnato, qui non sit proximé suc-
269 cessurus (posita alienandi, vel disponendi prohibitione) idem dicendum est, vt prohibitæ, ac inualidæ alienationis speciem habeat; Vbi autem fiat in proximè successurum, tunc valida est etiam sine domini assensu, quoniam non est alienatio, sed præuentiua successio; Duobus tamén concurrentibus; Primò vt elegans nomen contractus habeat; Et secundò vt sit pura, non autem pactionata, præsertim circa re-
270 seruationem vsusfructus fauore refutantis, cum id feudi diuisionem, vel seruitutem prohibitam importet; Secùs autem vbi fiat ea reseruatio fructuum, seù commoditatis, vt nudi facti est, quæ in feudis etiam licitè fieri potest, cum feudi substantiam non tangat, vt suprà in alienationum Rubrica.

Dummodò talis reseruatio sie ample concepta non sit, quod in effectu refutatio verbalis dici valeat, ac fraudem redoleat, quod ex facti qualitate pendet, ideóque certam, ac determinatam regulam generalem non recipit.

Quatenùs veró pactionata sit, tunc non modica est inter feudistas questio an pacta vitient refutationem, vel potiùs eis vitiatis, aut ad licitam speciem
271 redactis, ea firma maneat; Tribus desupèr vigentibus opinionibus; Vna, quæ minores habet sequaces, vt reseruatio vsusfructus resoluatur in dictam licitam fructuum, vel commoditatis; vt facti est; Altera quæ aliquam habet maiorem probabilitatem, vt pacta vitientur, non autem ipsa refutatio: Et tertia probabilior, magisque per feudistas recepta, vt ob voluntatis indiuiduum, totus actus corruat, ipsaq; refutatio vitiata maneat, nisi facti circumstantiæ dictam præsumptam indiuiduitatem voluntatis cessare faciant, atque suadeant, refutantis intentionem fuisse, vt ipsa pacta potiùs vitientur, cùm semper præsumptio cedat veritati.

Cadente etiam quæstione fraudis, quæ dupliciter cadere potest: Vel scilicét domino super laudemio, vel re-
272 leuio, quod ex facti qualitate, & circumstantijs decisionem recipit; Vel creditoribus refutantis, quibus vtique præiudicatum non remanet, durante tempore, quo ius refutantis du-
273 raret, si refututio facta non esset, iuxtà ea, quæ de refutatione facta ipso domino desupér habentur, eum possit quidem debitor nolle quærere, iusque sibi delatum nolle agnoscere in creditorum præiudicium, non autem ius, iam agnitum, & quæsitum remittere.

An autem refutatario præmoriente intret resolutio actus; adeò vt refutans iure primæuo feudum occupet, vel potius ius successorium iuxtà ordinem
274 proximitatis refutatarij morientis intrer, sub quæstione est, in qua data valida refutatione pura, veriús videtur successorium edictum intrare.

Prout, an successionis ordo, quoad personam refutantis, atendi debeat de tempore refutationis, vel eius mortis naturalis, adeò vt hæc præuentiua suc-
275 cessio, apta sit tollere, nec nè, ius ei, cuius de tempore mortis, magis proxima esset causa succedendi, sub quæstione est, de qua in sua sede, vt *d. disc.* 13.



De

XIII.

De subfeudis, ac potestate subinfeudandi.

SVbinfeudandi potestas, an feudatario sine domini assensu competat, & an subinfeudatio prohibitā redoleat
276 alienationem, nec nè, apud antiquiores nimium certatum est; Hodiè verò ex magis communi, receptoque feudistarum sensu, inspecta iuris communis feudorum dispositione, verior videtur opinio, quæ subinfeudandi potestati assistit.

Tribus tamen requisitis copulatiuè concurrentibus; Primò nempè, vt fiat cum eisdem legibus, & pactis; Secun-
277 dò, vt in persona æqualis conditionis, vndè propterea domino non præiudicetur; Et tertiò, vt fiat sincerè, ac sine fraude, vt *dist.* 1.

Æquiuocum autem est aliquorum scribentium, in quacumque subinfeudatione, huiusmodi requisitorum con-
278 cursum indefinitè desiderantium, cùm (tertio excepto, quod cuicumque speciei adaptabile est, & congruit) reliqua duo, vni, non autem speciei conueniant.

Triplex igitur est subinfeudationis species; Vna est, quæ fiat de aliquibus inferioribus, modicique momen-
279 ti feudi membris, vel accessorijs concedi solitis, & quæ sub excadentiarum vocabulo feudistæ explicare solent, atque sub fructuum feudi nomine veniunt; Et hæc alienationem non redolet, sed potiùs fructuum perceptionem, dummodò absit fraus, ita maturè percipiendi hunc fructum pro tempore non suo.

Nil autem refert, an ille cui fit sub-
280 feudatio, sit disparis conditionis, idque pretio, vel alia recompensa mediante sequatur, dummodò solitum non alteretur, iuxtà eam generalem limitationem, quæ in bonis regulariter alienari prohibitis, tradi solet in ijs, quæ iam alienabilia, vel concedi solita effecta sint, cum hæc subfeuda (quę alicubi sub feudi plani, & de tabula puri vocabulo explicari solent) allodialium potiùs, quàm feudalium iure censenda sint, iure communi ciuili magis, quàm feudali regulanda.

Altera est subinfeudationis species, quæ de toto feudo fiat, nihilo retento pro subinfeudante, atque in hac specie verè propriè dicta requisita desi-
281 derantur, cùm tunc subinfeudatus obtinere dicatur à primo infeudante, ac domino, cuius fit vassallus immediatus, subinfeudans verò, organi, seù instrumenti partes gerit; ideóque facta subinfeudatione, istius persona de scena exit, neque aliud ius ei remanet, minùsque onus seruitij, ac fidelitatis, vel deuolutionis, ad instar ementis, pro persona nominanda, postquam nominationem fecit, suamque facultatem ad exercitium deduxit.

Tertia est demum species, quæ fiat, de feudo, vel eius partibus, aliquibus partibus, vel iuribus pro ipso subin-
282 feudante retentis, vel reseruatis; Et hæc paritèr subdistinguitur in eam subinfeudationem, quæ totius feudi, omniumque eius iurium, etiam Regalium fiat aliqua superioritate, ac intellectuali alto dominio reseruatis, adeóvt subinfeudatus, totum id obtineat, quod feudatarius immediatus, etiam feudi Regalis, ac Dignitatis obtinet dicta intellectuali reseruatione solùm excepta; Et hanc subfeudi speciem verius est, absque speciali facultate per infeudantem concessa, exercibilem non esse.

Quandoque tamen, ne dum pro fa-
283 cultate, sed etiam pro necessitate id iniungi praxis docuit.

Altera verò est subinfeudatio, quæ tertiam constituit speciem inter proximam de toto, & primam simplicium
284 membrorum, seú excadentiarum, quia nempè de aliquibus Oppidis, vel Castris, aut feudi membris, per quæ ipsius feudi Vniuersitas, vel corpus notabilem scissuram, vel deturpationem non patiatur; Quinimò nullam scissuram, vel diuisionem, quoad ius habituale, ac Imperium, & Regalia sentiat, sed in sola fruitione, ac merè subordinato Imperio, tanquam per speciem commissæ iurisdictionis, ac administrationis, sub omnimoda subinfeudantis superioritate, qualia sunt ea subfeuda, quæ simplices Barones, non autem

autem veros Dignitatis feudatarios constituunt.

Hæc autem species (non data speciali prohibitione) exercibilis est, vbi
285 qualitas feudi itá exigat, vt feudatarius feudi Regalis, ac Dignitatis, cum iure Principatus, ita nobiles, & qualificatos milites, ac vassallos sibi constituat, vel ita bené merentibus præmia distribuat; Cùm ea tamen moderatione, ac proportione ad feudi qualitatē, & circumstantias, vt fraudem, vel Domini notabile præiudicium non redoleat; Istaque subfeudorum species in feudis Regalibus, ac Dignitatis frequens est in praxi.

In hac verò specie, erroneum est, superiùs recensita, tria requisita desi-
286 derare, cum illud æqualis conditionis potiùs interdictum sit, dum non paribus, sed inferioribus, ac subditis, hæc subfeuda congruunt; Minùsque alterum, vt gratis, ac sub eisdem legibus concessio fiat, cum pretio mediante, magisque limitatè huiusmodi subinfeudationes fieri, recepta praxis, præsertim Italiæ, doceat.

Idcóque solùm requisitum fraudis exclusiuum, desiderandum est, pro ea scilicèt fraude, quæ in feudatario castè nato, seù de successore desperato,
287 aut aliàs deuolutione imminente consideratur, quamuis consilij non sit, sed solius præiudicij, eodem modo, quo de iure dispositum est in alia subfeudorum specie, quæ fructuum, seu excadentiarum speciem redolet, quia nempé perceptionem fructuum, vel sui iuris exercitium in tempus non suum subinfeudans itá protrahat, reiecta opinione volentium, vt vbi expresśè facultas concessa est, hæc restrictio nō intret, vt aliquid concessioni legis addat illa hominis, vt *d. disc.* 1. 7. & 59.

In præfatis autem vtriusque Siciliæ Regnis, ob eorum peculiares leges, strictiorem alienandi prohibitionem
288 continentes, (excepto dicto casu excadentiarum, quæ consueti fructus speciem habent, atque concedi solent) receptum est, hanc etiam subinfeudationem prohibitam esse, illamque sub alienationis vocabulo venire.

Posita legitima subinfeudatione, subinfeudatus ipsum subinfeudantem,
289 ac immediatum auctorem, in dominū agnoscere debet, eique fidelitatem, ac seruitium præstare, non autem media-
290 tum; Atque ad immediatum deuolutio pertinet; Prout ab eo renouatio petenda est, vt *d. disc.* 7. & 59. Nisi cum
291 consensu domini directi, eiusque noua inuestitura, ita subinfeudatio sequi dicatur, quod speciem dismem-
292 brationis à feudo, ac erectionem noui feudi directi, & in capite importet.

Ad regulandam veró subfeudi naturam, vbi inuestituræ lex ambiguà sit,
293 illa ipsius feudi attendenda est, cum subfeudum eius censeatur naturæ, cuius est feudum.

Non leui apud feudistas cadente quæstione, an deuoluto feudo, subfeudum duret, atque Dominus, cui
294 deuolutio facta est, subfeudatarium ei seruire volentem, recipere teneatur; Magisque probabilis, ac recepta est affirmatiua, vbi sinceritas accedat, neque fraudem subinfeudatio redoleat; Alia verò in foro parum frequentia, hanc subfeudorum materiam concernentia, in propria sede videnda sunt, vt *d. disc.* 1.

XIV.

De Renouatione inuestituræ feudalis, ac laudemio, & releuio; Et iure tappeti.

DVplex renouationis est species; Vna, quæ non culposè deuoluto feudo, terminataque inuestitura, ex
295 æquitate, per dominum nolentem pro se retinere; sed alios inuestire, debita est feudatarij defuncti proximiori sanguinis, vbi de feudo pacti, & prouidentiæ agatur, quod iure sanguinis, durante inuestitura deferatur; Vbi verò sit puré hæreditarium, rei familiaris hæredi; Denegatur autem in casu deuolutionis culposæ.

Id autem feudorum speciale non est, cum emphyteusi quoque sit com-
296 mune, ideòque ea, quæ frequentiùs in ea materia habentur, feudis quoque regularitèr congruunt, nisi peculiaris regio-

regionis scripta, vel non scripta lex aliter statuat, vt *disc.* 52. *& sub tit. de emphyteusi pluriès*.

Altera veró est à iure feudali specialiter manans, ad cuius instar in emphyteusi quoque ex quodam recepto vsu, idem inductum est; Istaque per
297 nouum feudi successorem, sub caducitatis pœna infrà annum, & diem petēda est, nisi consuetudo hanc obligationem cessare faciat, dictusque ter-
298 minus, quandoque per inuestituræ legem particularem breuior esse solet, vt in citerioris Siciliæ, seù Neapolitano Regno statutum est, vt infrà sex menses renouatio petenda sit; Pluribus cadentibus quæstionibus circà iustas excusationis, vel restitutionis in integrum causas ex facti qualitate, ac circumstantijs pro impedimentorũ, vel excusationum probabilitate decidendas, vt *d. disc.* 59.

Idemque terminus anni, & diei, qui in hac specie renouationis per feuda-
299 les præscriptus est, ex recepto vsu extensus fuit ad aliam speciem, de qua suprà, nisi dominus alteri concesserit, cùm tunc longissimi temporis decursum requiri, vt huic iuri præiudicatum censeatur, forus recepisse videatur.

A domino autem vbi potestatem non habeat legibus derogandi, nouasque condendi, verius est, dictum
300 terminum anni, & mensis abbreuiari non posse, benè tamen absque dubio extendi potest, quoties alieni præiudicij, vel interesse mixtura aliud non suadeat, vt *d. disc.* 52.

Illaque per subinfeudatum non à primo, ac mediato, sed à secundo, eiusque immediato domino, ac sub-
301 infeudante petēda est; Huic remanente obligatione, quando nouus est successor, suam renouationem à primo domino petendi, solaque petitio infrà
302 terminum ab ipso successore, seù legitimo procuratore, qui specialis esse debet, sufficit, licèt concessio differatur.

Pro huiusmodi renouationis successione, quæ per nouum successorem pernecesse petenda est, iure feudali,
303 statutum non est, aliquid domino soluendum esse, cum ea pars fructuum, quæ eidem domino à dicto iure defertur illius anni, in quo feudatarij mortem sequi contingat, sufficere debeat, nisi peculiaris lex scripta, vel non scripta diuersimodè disponat, vt *eod. disc.* 59.

In præfatis autem vtriusque Siciliæ Regnis; & præsertim in hoc citeriori; Siuè sit dicta fructuum parte, quam ius feudale domino defert anni vacatio-
304 nis feudi; Siuè ob domini recognitionem per leges, vel consuetudines particulares, Regi debita est medietas feudi fructuum dicti anni vacationis, spōtè soluenda infrá annum sub releuij vocabulo, cum fideli eorundem fructuum notula, & sub pœna duplicatæ exactionis faciendæ ex eiusdem feudi fructibus, qui affecti sunt, vt *disc.* 28.

Si veró contingat, eodem anno duplicem, vel multiplicem vacationem sequi, vnicum releuium soluendum
305 esse veriùs videtur; Pluribus cadentibus quæstionibus in hac releuij materia, quæ speciales habet tractantes super deductionibus onerum, ac super fraudibus, quæ illi occasione refutationis fieri solent, cum alijs de quibus in sua sede, vtpoté compendio parum congruis.

Adest quoque in dicto citeriori Regno, ac fortè etiam in vlteriori alia solutionis species, quæ sub nomine tappeti explicari solet, originem tra-
306 hens ab eo tappeti vsu, qui per nouū feudi successorem habebatur, dum fidelitatis iuramentum domino præstabat, eumque recognoscebat, cuius ceremoniæ, ac renouationis loco dictæ solutiones, ac etiam quarundam litterarum expeditiones successerunt, vt *eod. disc.* 29.

X V.

De iure prothomiseos; Et de feudi euictione.

Ratæ sunt in foro quæstiones illius iuris prothomiseos, quod ex æquitate ius feudale concedit agnato suc-
307 cessuro, vendicandi, seù retrahendi feudum alteri alienatum, oblato pretio, quamuis adhuc ius alienantis duret, neque suum apertum sit, eum frequen-

quentiùs magis expediat casum successionis expectare, atque ita nullo soluto pretio, feudum vendicare; Adhuc tamen aliquando praxis docet id expedire, ideóque tale ius exerceri.

Id autem procedit in feudo antiquo pacti, & prouidentiæ, non autem hæ-
308 reditario, vel etiam in nouo, quamuis pacti, & prouidentiæ formam habeat, vbi alienatio fiat per primum acquirentem titulo oneroso; Secùs autem vbi ex causa lucratiua, cum istud iure antiqui reguletur, vt *disc. 36. 37. 38. & 110.*

Non leui militante quæstione inter Neapolitanos feudistas, an hoc ius
309 competat in illis feudis antiquis, mixtam qualitatem habentibus, in quibus quodam iure speciali, vt nedum primi acquirentis, sed etiam vltimi morientis, nulla facta deductione feudi, vel eius valoris, hæreditariam qualitatem habere oporteat; Adhuc tamen ex quodã recepto stylo potiús, quã ex stricta iuris censura, recepta est affirmatiua opinio in voluntarijs alienationibus;
310 Non improbabili dubitate cadente, vbi iudicis auctoritate, publica subhasta alienationem fieri contingat, vt *eod. disc. 37.*

Vbi verò, non ipsum feudum, vel ius in eo, vendi contingat, sed solos
311 fructus, vel eorum commoditatem, veriùs est dictum ius non competere, *d. disc. 110.* Nisi facti circumstantiæ quandam non scriptam æquitatẽ producant, quæ dicti iuris competentiam congruè suadeat, etiam in casibus, in quibus de stricta iuris censura, illud veniat denegandum, vt quandoque habetur etiam in bonis iurisdictionalibus, non feudalibus; Quia veró, vt dictum est, raró forus alias quæstiones desupér cadentes audit, hinc proindè ad propriam sedem relatio sufficiat.

Raræ quoque videntur euictionis quæstiones inter infeudantem, & in-
312 feudatum, quotiés non pecunia, vel alia recompensa mediante, sed iuxtá propriam, ac regularem feudorum concessionem gratis, & tanquam speciem beneficij, feudum concedatur; Cùm tunc regula sit negatiua, in aliquibus casibus limitari solita, vt in sua sede, cùm inspectio parum congrua foro videatur.

Emptitij autem feudi, seù aliàs ex onerosa causa correspectiua concessi,
313 vel dati, siué à domino, siué ab altero feudatario id sequatur, euictio præstanda est; Nisi de illa agatur, quæ ex rei natura sequuta sit; Vel quia scientia imminentis, aut formidatæ euictionis hanc actionem excludat, quotiés diuersa conuentio, vel feudalis qualitatis ignorantia, siué diuersa venditoris assertio, eandem actionem aliàs denegandam non concedant; Ideóque facti, ac voluntatis potiùs, quàm iuris quæstio esse videtur, pro facti qualitate decidenda, vt *disc.44. & 65.*

Quatenús verò euictio præstanda sit, vt frequentiùs inter feudatarium alteri de consensu domini vendentem feu-
314 dum, quàm inter dominum, & feudatarium quæstiones esse solent, ipsius feudi in vniuersum euictio præstanda est, vel eius quotæ, non autem singulorum membrorum, vel bonorum, per quorum euictionem, eadem vniuersitas adhuc duret, nisi specifica aliquorum bonorum expressio, vel pretij quantitas, aut alia argumenta, diuersam probent voluntatem, quodque de illis quoque in pretio habita sit ratio, vt *disc. 32. & 65.*

Verùm vbi etiam de omnibus euictio promissa sit, cum libertatis assertione; Adhuc tamen euictionis, vel
315 quantó minoris actio, non intrat pro illis oneribus, ac seruitutibus, quæ feudo connaturalia sunt, eique insunt,
316 vt est præsertim naturalis vassallorum vsus, nisi aliàs cautum sit, vt *d. disc. 65.*

Prout euictio de natura rei, quæ regularitèr præstanda non est, intrat vbi ex facto culposo venditoris, deuolutio sequatur, atque ita ius emptoris cesset vt *in tit. de pension. disc. 69. & tit. de dote disc. 146.*



De

X V I.

De Inuestitura abusiua de feudo pleno; Et de concessione loci, in quo adsit priuilegium, vel pactum non infeudandi.

IN Papa quoad ea, quæ temporalem
Principatum concernunt, alijsque li-
cet supremis, ac primi ordinis Princi-
pibus electiuis, seù aliàs Principatum
cum hæreditaria qualitate non trans-
mittentibus; Aliqui feudistæ, præser-
317 tim vltramontani, hanc inuestituræ
speciem faciendi potestatem nega-
runt, quasi quod, etsi in supremo non
vrgeat ea ratio voti captandæ mortis,
quam inferioribus obstare creditur;
Attamèn vrgeat altera supplantandi
successorem, atque conferendi eius
potestatis exercitium in tempus inha-
bile, quo suum ius iam annihilatum
est.

Omninò autem hæc sententia repro-
bata, in Papa etiam in temporalibus,
alijsque supremis, qui positiuæ legis
non sentiant subiectionem, contraria
verior est, clariùs verò de consensu
possessoris, eiusque iure præseruato,
vt *tit. de Regal. disc. 3. & 148. & in tit. de emphytheus. disc. 1.*

Quinimò, & absque dicto consensu,
quem Supremus supplere potest, dum
318 receptum est, vt etiam ius quæsitum,
ac de præsenti ex causa, & quando-
que etiam sinè, tollendi potestatem
habeat; Adeò vt forus frequentér qui-
dem voluntatis, nunquam tamen, vel
nimiùm ratò, potestatis quæstiones
audiat, vt *d. disc. 148. de Regal.*

In Prælatis autem, vel inferioribus,
ac subordinatis feudatarijs, ac Ma-
319 gistratibus, quibus suprema potestas
derogandi legibus, vel tollendi ius
tertij non competat; Vna opinio inde-
finitè negat, ex triplici ratione, voti
scilicet captandæ mortis, supplanta-
tionis successionis, & præiudicij pos-
sessoris, post cuius cessatum ius con-
cessio facta esset.

Quidquid autem de prima ratione
sit, iure communi Romanorum atten-
to in emphytheusi, vel officijs, alijsque
vitalitijs rebus, dicto iure metiendis,
320 de quo in suis emphytheusis, ac offi-
ciorum sedibus; In feudis tamen iuxtà
proprias feudales leges, vel consuetu-
dines regulandis, hæc ratio negligitur;
Ideòque duabus alijs cessantibus, quæ
solùm inferioribus obstant, probabi-
liùs est, hanc inuestituræ speciem pra-
cticabilem esse, quia nempè possesso-
ris accedat consensus, vel cum omni-
321 moda sui iuris præseruatiua fiat (quod
etiam non expressum subintelligen-
dum est.)

Ideòque si casus aperturæ contin-
gat, adhuc durante iure, vel potestate
eius, qui talem abusiuam inuestituram
concessit, de illa non est dubitandum,
dum ità cessat altera præiudicij, vel
supplantationis successoris ratio; Ex-
322 indèque resultat, vt actùs esse dicatur
in implicito validitatis statu, quate-
nus re integrâ casus sequatur; Resolu-
tioni tamen subiectum, quatenùs ip-
sius infeudantis ius, pendente condi-
tione resoluatur.

Verùm, & in casibus, in quibus ra-
tione supremæ potestatis infeudantis,
vel ex dictis rationibus cessantis præ-
323 iudicij possessoris, ac successoris, actus
valeat, adhuc tamen ille non impedit,
quin possessor suum ius in alterum
transferre valeat, ipseque dominus as-
sentiri; Isteque posterior actus præ-
cedenti præualet, neque ille, cui hæc
abusiua concessio facta est, conquæri
poterit, cum hanc implicitam condi-
tionem eius infeudatio sub se conti-
nere dicatur; Nisi specialis valida cō-
uentio, vel aliæ facti circumstantiæ,
seù legitima consuetudo alitér sua-
deant.

Vicario autem Domini, hæc pote-
stas, absque speciali nota, demandata
324 non censetur, nisi vbi actuum frequē-
tia, vel obseruantia, siue aliæ facti cir-
cumstantiæ, Domini voluntatem re-
dolere videantur; Rara verò præser-
tim in Italia, in feudis est huiusmodi
inuestituræ praxis. *De his d. tit. de em-
phytheus. disc. 1. & 2. & d. disc. 3. de
Regal.*

Prout etiam rara est altera quæstio
feudalis concessionis, quæ de eodem
feudo duobus fiat, illaque ex facto
potius

325 potiùs, quàm ex iure decisionem recipit; Quamuis enim re integrà, quia nemini traditio facta sit, primæ concessioni assistat regula, quæ è conuersó assistit secundæ, quæ prioris traditionis fomentum habeat; Attamén ex clausulis, illa præsertim constituti, siué ex alijs actibus, ac signis traditioni æquipollentibus, plures recipit limitationes, ideòque certa determinatio non datur.

Frequentes autem, (in dicto præsertim citerioris Siciliæ Regno) audiuntur quæstiones circa infeudationes Ciuitatum, Oppidorum, & locorum, quibus ex gratia, & priuilegio, vel ex contractu, & causa correspectiua concessum est, vt non possint in feudum concedi, sed sub immediato Regis gubernio, ac iurisdictione con-
326 seruari debeant, (quod ibi esse de demanio dicitur); Et quamuis de stricta iuris censura, decisio pendeat, an ex gratia, vel iustitia, & causa correspectiua concessio prodierit; Attamén distinctio hæc, pro regulanda, seù refrenanda voluntate, nimium proficua est, vt hoc secundo casu, longé difficiliùs infeudatio sequatur, quàm primo, non autèm pro potestate, quæ etiá admittitur in casu contractus, & causæ onerosæ.

Ideòque Regis Vicario, eique à la-
327 tere assistenti Consilio, fas est, huiusmodi infeudationum exequutionem denegare, vel suspendere, donèc Rex certioretur, ac partes audiat; Sed Rege in eadem perseuerante voluntate, potestatis defectum, forus extremus non decidit, quidquid de interno fit, cuius medicorum spiritualium sunt partes agendi, *vt d. disc. 148. de Regal.*

Quando autém de correspectiua feudi concessione iure vêditionis aga-
328 tur, laudabilis inoleuit vsus, ad instar iuris prothomiseos, vasallis ad libertatem, seù demanium pronocantibus, prælationem concedere; Quod etiam, (ad instar), ad casum locationis extensum est, vt volente Barone feudum alteri locare, vasallis, eorumque Vniuersitati prælatio in pari causa concedatur, *vt disc. 38. & 110.*

XVII.

De deuolutione, seù caducitate, & amissione feudi.

Quamuis de feudi substantia non sit scriptura, sine qua inuestitura fieri, ac probari potest; Ob nimiam tamén difficultatem, quæ,
329 scriptura deficiente, dignoscitur, in factis, præsertim antiquis probandi legem præcisam inuestituræ, cum restrictione ad certa genera, vel tempora, ob quorum finem, á Domino prætendatur, deuolutioni locum factum esse, cum ad hunc effectum, Domino ad deuolutionem agenti, perfectæ, & concludentis probationis onus incumbat; (Alijs minus perfectis, ac adminiculatiuis probationibus sufficientibus, pro seruitij præstatione, alijsque incidentibus); Hinc per ora forensium volitare solet axioma, vt ad hunc deuolutionis effectum, inuestituræ scriptura necessaria sit, vbi per finem lineæ, vel temporis petatur, *vt sub tit. de Emphiteusi sæpius, & hoc tit. disc. 70.*

Id autèm recipiendum est, in illis regionibus, ac Principatibus, in quibus, impropriorum feudorum vsus, ac praxis habeatur, quamuis de Ciuitatibus, Oppidis, & Castris, eum Imperio, ac iure vasallorum agatur, adeò vt, possibilitas vigeat allodialitatis, vel impropriæ, ac purè hæreditariæ feudalitatis, cum iure transmittendi extrà proprium genus ad extraneos, quoniam perfecta, & concludens proba-
330 tio contrariam possibilitatem non admittit; Secus autèm vbi ex generali regionis vsu, Ciuitates, Oppida, & Castra prædicta, nonnisi iure veri, ac proprij feudi obtinentur, vt (exceptis Ecclesijs) est in sæpiùs enunciato Regno Neapolitano, cum tunc, probata dicatur feudalitas, eo ipso, quod diuersæ qualitatis probationes, vel vehementia argumenta non dentur, vt propterea ad limites iuris communis feudalis, vel peculiaris regionis, feudorum successione restricta ad certum genus, vel certos gradus, istis defe-
ctis

ctis deuolutioni locus fiat.

Constito autem per scripturam, vel aliam efficacem probationis speciem, de inuestituræ restrictione ad certum genus, istiusque fine probato, planum est ius Domini super deuolutione,
331 adeóut, facti potiùs, quàm iuris, huiusmodi quæstiones esse videantur, quotiès de hac non culposa, sed naturali deuolutione per lineæ, vel generis finem agatur; Potissimè verò vbi ex genere vocato, supersint quidèm personæ, de quarum capacitate, vel incapacitate quæstio sit, vt in clericis, ac fęminis, earumque descendentibus, vel in ijs, qui aliquo nata-
332 lium defectu, quamuis artificialiter sanato, laborent, iuxtà ea, quæ, in capacitatis, vel incapacitatis Rubrica superiùs habentur; Atque ad hunc effectum, (non controuersa etiam feudali qualitate ad certum genus, vel sanguinis successores restricta) pro necessario requisito, ob nimium difficilem probationem contrariæ possibilitatis exclusiuam, de facto scripturæ necessitas vrgere videtur.

Ipso autèm genere capaci adhuc durante, adeóut nulla sit finite inuestituræ quæstio; Plures dantur accidentalis deuolutionis casus, sub caduci-
333 tatis, vel amissionis vocabulo explicari soliti, quasi quod terminus deuolutionis, non congruat nisi illi, quæ citrà culpam, vel aliud accidens, ex solo naturæ cursu ob lineæ, vel generis finem sequatur.

Caducitati autem, siuè amissioni, quamuis inuestitura duret, ex pluribus locus fieri solet, quæ non facilè
334 est sub compendio recensere, eaque præsertim, quæ forus vnquam, vel nimium raró audit, in propria sede videnda sunt; Magis autem in praxi cótingibilis est casus non præstiti, statuto loco, vel tempore, seruitij personalis, vel realis.

In hoc autem certam, ac determinatam regulam non habemus, cum
335 iuxta regionum, ac Ditionum varias leges, vel consuetudines, varia sit praxis, quæ præsertim in temporali Ditione Ecclesiæ, omnium rigorosior est, vt caducitas ipso iure resultet; In terminis verò generalibus iuris, communis feudalis, plures desupèr habentur diuersæ opiniones, illa veró probabilior videtur, vt quotiès cessatio dolū, ac spretum positiuum non redoleat per quandam speciem interuersionis dominij, tunc monitio, ac vera contumacia positiua, eiusque declaratoria desideretur, ideóque caducitas ipso iure ex solo lapsu temporis non resultet, vt *disc. 5.*

Alię sunt causæ fellonię; Non petitæ renouationis infrà annum, & diẽ; Alienationis, Notabilis culposa dete-
336 rioratio; Dominij negatio; Grauis iniuria Domino facta, & similia, quarum tamen rara est praxis, excepto casu fellonię, cum aliarum excusatio de facili cadat ad hunc pœnalem effectū euitandum.

Vbi veró antiquum sit pacti, & prouidentiæ feudum, quæstio est; an culpa
337 possessoris, ipsius culposi personam egrediatur, aliosque successores proprio iure venientes afficiat; Negatiuam ea probabili suadente ratione, vt quod expresśe, ac directè prohibitum est, indirectè permittendum non sit, ideòque possessor expresśe alienare prohibitus in præiudicium successorū, ità indirectè non valeat eius præiudicium, suique iuris priuationem inferre.

Contrarium verò magis receptum est, vbi fraudis, & collusionis suspicio non vrgeat, quasi quod dominus, non personam deficientis, sed ipsum deficientiæ factum spectet; Faciliùs tamen successori non culposo, neque à culposo eius ius metienti, concedenda est illa æquitatiua moræ purgatio, quæ ipsimet moroso, quotiès malitia desit, atque ius domini deteriùs effectū non sit, concedi solet, vt *eod. disc. 5.*

Vbi autem casus præbeat, vt dominus caducitate acceptata, ipsimet moroso, seù deficienti, nouam ex in-
338 tegro eiusdem feudi concessionem faciat, an hæc noua dicenda sit, vel potiùs iure implicitæ remissionis incursæ caducitatis eadē antiqua perseueret, non leuis est inter feudistas quæstio; Cùm ea distinctione ex magis communi, ac probabili sententia decidenda; An agatur de effectibus ex noua qualitate resultantibus inter domi-
num,

num, & feudatarium nouitèr infeuda-
tum, & infeudatio pro noua haberi
debeat; Aut veró respectu agnatorum,
ex antiqua, non autem ex noua inue-
stitura vocatorum, & tunc pendet à
bona, vel mala fide, & an fraudis, vel
collusionis vrgeat suspicio, nec nè, vt
ea vrgente, dicatur antiquæ continua-
tio iure remissionis, quam noua im-
portet, secùs autém é conuersó.

Nimiùm quoque attendendo eam
circumstantiam, an prior inuestitura
339 notabilitèr alterata sit, vel potiús no-
ua sit antiquæ conformis, vt primo
casu nouum feudum constituat, secùs
autem secundo.

His tamèn itá generalitèr attendē-
dis pro regula, ex qua iuris præsum-
ptio resultet, contraria tamen expres-
340 sa, vel adminiculatiua, particulari pro-
batione elidibilis; Adeòvt facti, ac vo-
luntatis potiùs, quàm iuris quæstio sit,
pro facti qualitate, singulorumque ca-
suum circumstantijs decidenda pru-
denti arbitrio, vt *eod. disc. 5.*

XVIII.

De detractionibus, quæ deuoluto feudo competunt hæredi feudatarij aduersùs dominum; Et de alijs aduersùs agnatum feudi successorem, præsertim de melioramentis; Et de feudi imputatione.

ALia est detractionum species, quę
cessato feudo, eoque ad dominū
deuoluto, competit feudatarij hæredi,
341 vel successori aduersùs dominum, seù
alium ab eo nouitèr inuestitum; Alia
veró, quæ feudo, eiusque Inuestitura
adhuc durante, feudatarij hæredi, vel
successori competit aduersùs agnatum
iure proprio succedentem; Licét enim
isti casus in pluribus concordent, in
plerisque tamen discordant.

In prima specie, generalis distinctio
est inter culposam, & non culposam
deuolutionem, ac feudi terminationē,
342 vt in culposæ casu, nulla inseparabi-
lium melioramentorum detractio fiat,
Minùsque eorum separabilium, quæ,
vel ex eorum natura ipsi feudo, eius-
que munitionibus annexa sint, vt sunt
bombardæ, aliaque grauia, & penè fi-
xa bellica instrumenta; Vel ex volun-
tate, seù destinatione feudatarij ea fa-
cientis, feudo annexa dici valeant, cū
tunc feudalem naturam assumant, at-
que de feudi pertinentijs fiant.

Vbi veró non culposa sit feudi ter-
minatio, putà ob lineæ, vel generis fi-
nem, tunc si lex inuestituræ omniū me-
lioramentorū genericā deuolutionem
343 per verba ampla præscribat, nulli de-
tractioni locus est, sibique feudatarius
imputet, cur ea vltrà necessitatem fe-
cerit, sciens legem inuestituræ, nisi
facti circumstantiæ talem redoleant æ-
quitatem, quæ iudicis officio, conuen-
tionis rigorem temperanti locum ape-
riat; Idque indefinitè, siuè agatur de
inseparabilibus, siuè de ijs separabili-
bus, quæ ex destinatione, inseparabi-
lium iure censenda sunt, eorumque
speciem habent.

Cessante verò lege inuestituræ, seù
alio regionis peculiari scripto, vel non
scripto iure, spectatisque terminis iu-
ris communis feudalis, vel etiam ciui-
lis, (subsidiariè iure feudali cessante
attendendi,) separabilium detractio
indefinitè competit, nisi dominus (eo-
tum præsertim, quæ ipsi feudo desti-
344 nata sunt) æstimationem offerat, quan-
ti hæredis, vel successoris interśit ea
remoueri, ac distrahi, & non vltrá, cū
345 hæc prælatio domino concedenda sit;
Inseparabilium verò materialium, vt
sunt aucta, vel refecta ædificia, plan-
tationes, expurgationes, ac similia
nullam exigunt refectionem.

Ea verò inseparabilia, detractionē,
vel refectionem exigunt, quæ intelle-
346 ctualia, seù incorporalia sint, adeò vt
tali melioratione non facta deterior
remaneret feudi deuoluti conditio,
ideóque intret æquitas ob vtile nego-
tium pro domino, ac feudo gestum,
quia nempè censuum, ac præstationū,
aliarumque seruitutum onera extin-
cta sint, siuè notabiles facti sint sum-
ptus in litibus, vel in bello pro feudi
defensione, vel recuperatione, vltrá
347 illas ordinarias, ac moderatas expen-
sas, quæ ipsius feudi fructibus, in sin-

gulis

gulis annis, ac temporibus proportionatæ sint.

E conuersò autem, si non ex natura rei, minusque ex facto, & culpa feudatarij, sed ex facto domini feudum cesset, quia nempè alteri dederit, vel re-
348 stituerit, nunc vltrá inspectionem euictionis circa ipsum feudum, certum est feudatario reficiendum esse totum id, quod impendit, vel quod intereſt, atque in oppositum eius, quod receptū est in casu naturalis cessationis, cum isto casu attendatur quod minus, in illo autem quod magis, ac totum id, quod etiam extrinsecè intereſt.

Nisi iusta causa accedat, ob quam dominus excusabilis reddatur, vndè actus, necessitati, vel iustitiæ potiùs,
349 quám gratiæ, ac voluntati referatur, quia nempè Reipublicæ necessitas, vel vtilitas ita exigat, vt præsertim in ea restitutione exemplificari solet, quam rebellibus, vel ijs, qui ex fellonia, siuè in odium inimici domini, feudo priuari fuerint, facere oporteat in vim capitulationum pacis.

In altera veró specie refectionis, vel detractionum, inter feudi successoré, ac prædecessoris hæredem, intrant eadem, quæ suprà cum domino haben-
350 tur; Cum ea differentia, quod inseparabilia melioramenta materialia, quæ de recepto feudorum vsu, per dominum, etiam in casu non culposæ deuolutionis, non reficiuntur, (cuius cōtrarium est in emphytheusi, vel locatione) per successorem vbi vtilia sint, ad vtilitatis tamen limites, quatenùs hæc sit minor impenso, reficiantur, sin minus, quod impensum est.

Cadente quæstione in melioramentis intellectualibus, quæ ab extinctione census, vel annuæ præstationis re-
351 sultant, an resoluto iure feudatarij, qui cum eius pecunia onus redemit, vel acquisiuit census, vel ius fructiferum ad eius commodum reuiuiscat, quod ex facti qualitate determinationem recipit; His omnibus ità procedenti-
352 bus, quando expresse, vel adminiculatiuè sufficientèr non constet animo donandi melioratum esse. *De his omnibus in materia melioramentorum, & detractionum disc. 23. 25. & 27.*

Aliæ veró detractionum species
Suppl. Theat. lib. 16. de Feud.

Pretij scillicèt feudi noui, ad omnium filiorum commodum vbi soli primogenito successio deferatur; Seù vitæ
353 militiæ; Vel paragij in feudo antiquo cum similibus, onerum feudi potiùs materiam, ac Rubricam percutiunt.

Imputationis autem de feudo, vel pretio faciendæ in legitimā, vel allud ius, quod feudi successori competat, decisio pendet à feudi qualitate, an
354 purè hereditarium, vel nouum ex causa onerosa sit, vel potiùs antiquum pacti, & prouidentię, seù nouum eiusdem naturæ gratuitum, vt primis duobus casibus feudum imputetur (quatenus filius illud velit, non autem, vt inuitus cogi debeat) secùs autem in duobus alijs posterioribus, vt *disc. 19. & 108.*

Provt quanta sit legitima primogeniti in feudo antiquo habente eam mixtam qualitatem, quæ in sæpiùs enunciaro Regno Neapolitano est in vsu, sub quæstione est; Veriùs autem eam esse tertiam totius; Cadente quæstione, an onera connaturalia vitæ militiæ, & paragij, ante, vel post derrahi debeant, atque probabiliùs, vt de eo quod superest, non tamen absque probabili ratione dubitandi, vt *disc. 108.*

XIX.

De quæstione possessionis feudi, & qui in possessorio debeat obtinere; Et de Iudice causa feudalis.

Eadem retenta distinctione, de qua proximé præcedenti Rubrica, inter quæstionem, quę sit inter dominum contendentem de feudi deuolutione, ac feudatarij defuncti hæredem, vel
355 successorem; Et eam, quæ sit inter agnatos contendentes de successionis pertinentia; Siuè inter agnatum, & feudatarij defuncti hæredem, de succedendi capacitate, vel respectiuè de rei libertate contendentes.

In prima parte; Distinctio est inter dominum priuatæ fortunæ, siue ità superiorem recognoscentem, vt iuris regulis, ac limitibus obnoxius existat;

Et eum, qui supremum Principem agat (vt frequentiùs in veris, ac pro-
356 prijs feudis nobilibus contingit) Primo enim casu, procedit eadem distinctio, quæ in frequentiori emphytheutica materia recepta est, vt claro existente deuolutionis casu, potiores in possessorio sint domini partes, non autem vbi dubium (quale quale sit) isto enim secundo casu, siuè in retinendæ, siuè in adipiscendæ, vel recuperandæ remedio, ex facti qualitate, pro feudatarij hærede, vel successore respondendum est, vt *sub tit. de emphytheusi pluriès*.

In altero autem, in quo fiscus verè adsit, quia Dominus in ea ditione sit
357 supremus (siuè de iure, siuè de facto) penè generalis inoleuit vsus, vt fiscus possessionem adipiscatur, atque deuolutionis litem, non vacuis, sed plenis manibus agat, vt *disc*.2. 35. *&* 56.

Vbi verò inter priuatos quæstio sit, quia scilicèt (nulla cadente feudi quæstione) de capacitate, vel maiori pertinentia disputetur, vt frequentèr inter fœminam, vel cognatum proximiorẽ,
358 & agnatum remoriorem sit concursus; Vel quia ipsa feudi qualitas controuertatur, inter agnatum in ea se fundantem, & defuncti hæredem, eam negantem, atque de allodialitate, seù rei libertate contendentem; Et tunc eadẽ intret distinctio inter casum clarum, & turbidum, vt in hoc secundo
359 casu proximioris, vel hæredis defuncti, potiores esse debeant partes.

Pluribus desupèr cadentibus in proposito legitimi contradictoris quæstionibus, quæ beneficiali, ac fideicommissariæ materiæ communes esse videntur, atque cum eisdem regulis, ac distinctionibus regulandæ sunt; Et in quibus, vtporè à facti qualitate, singulorumq; casuum circumstantijs decisionem recipientibus, non de facili certa compẽdiosa regula tradi potest, ideóque in propria sede videndum est, *vt disc*.43. *&* 104.

Iudicis autem, vel fori competentis quæstio, apud feudistas quoque inuoluta est, varijs varia sentientibus; Alijs opinantibus, vt per Curiæ Pares co-
360 gnosci debeat, vt iuris feudalis dispositio dictat; Alijs, deferendum esse consuetudini; Et alijs vt ad ipsum dominum pertineat, si supremus est, vel ad eum, qui sit vtriusque subditi superior, & competens, istaque posterior magis recepta est.

Eaque retenta, Alia cadit quæstio,
361 vbi de subfeudo agatur, an ad mediatum, vel immediatum id pertineat, probabiliùsque est ad immediatum spectare, nisi facti qualitas alitèr exigat, vt *disc*.65.

Id autem in hac feudali materia, speciale, ac notabile est, vt Ecclesia,
362 vel Clericus coram domino laico, quamuis reus, ac possessor feudi causam, in ijs tamen, quæ ipsum feudum concernunt, & non aliàs, respondere, atque causã agere cogatur, vt *disc*.34. *&* 54.

Demùm huic feudali materię potissimum congruit idem, quod in alterius fideicommissariæ compendio aduertitur, vt plus fortè remaneat dicen-
363 dum, quàm dictum sit; Eademque tamen ibi insinuata commiseratio quoque congruit; Potissimè quia, (vt initio aduertitur) non de vniuersa tractatione, sed de ijs, quæ in foro tractare occasio dedit, institutum est agendi.

Quamuis enim post opus in consueto Tusculano otio iàm completum, casus dederit experiendi Euangelici oraculi praxim, vt ea, quæ sapientibus, & prudentibus abscondita sunt, paruulis quandoque reuelentur; Adhuc tamen (visionum gratia cessante) materia vasta, & inuoluta videtur, in qua semper plus dicendum remaneat, quam dictum sit.



De

XX.

De dominio allodiali Ciuitatum, Oppidorum, & locorum, imperium, ac iurisdictionem annexam habentium cum vassallis.

Qvemadmodum antiquiori tempore, præsertim in Italia, nimium frequens, ità nostro moderniori, satis rarus est, vsus illius veri, ac puri al-
364 lodij, quod imperium, ac dominium, cum iure territorij, ac vassallorum annexum habeat, cum independentia quocumque aliò superiore, adeó nonnisi Deus agnosci dicatur.

Scisso etenim Romano Imperio, post tot barbarorum incursiones, ita rerũ, ac temporum conditio, in his partibus occidentalibus dedit, vt occupantium conditio potior esset; Postquam veró status aliquarum dominationum (ab eodem, vel alio forsan iuridico principio originem trahentium) ad maiorem Regni, vel æquipollentis potentiæ gradum deuenit; Hinc adiacentium dominationum minoris potentiæ conditio, notabilem diminutionem pati coacta est, quoniam, siuè ob quandam præsumptam genericam antiquam totius regionis dominationem, ob quam minus potentium possessio, antiquo feudali, vel vicario titulo referenda sit; Siuè quia ratio protectionis, voluntariã deditionem causauerit; Siuè quia sic exegerit ea ratio, quæ rationem non habet, neque ius dicentem agnoscit.

Effectum est, vt huiusmodi sic diuisa, & minora dominia, veri allodij aliàs naturam habentia, eam immutauerint, atque subiectionem erga dominia maiora agnouerint, cùm quadam subintellecta impropria feudalitate, quæ veri allodij qualitatem excludat, pro alterius superioritate, ac alto dominio, ipsorumque inferiorum dominorum, (qui sub Domicellorum vocabulo explicari consueuerunt,) ma-
365 iori, vel respectiuè minori subiectione, vt ipsa obseruantia præbuit; Ac propterea Baronum, & feudatariorũ, seù vassallorum vocabulum, quod feudatarijs subordinatis propriè, ac verè adaptatum est, istis quoque Dominis, vel Domicellis, commune esse cæpit, vt ità à supremis distinguantur, vt *disc. 63.*

Vbi vero propriæ, ac veræ feudalitatis requisita desint, tunc dicta exce-
366 pta impropria feudalitate remota, quę ratione alti dominij, ac superioritatis alterius inesse censetur; In reliquis primęuam allodialium naturam, ac effectus retinent, in eo præsertim, vt feudalibus legibus, vel consuetudinibus, circà successionis ordinem, ac restrictionem, vel alienandi prohibitionem non subiaceant, sed more aliorum
367 indifferentium bonorum, iure communi Romanorum regulentur.

Illi prohibitionibus exceptis, quæ ex supremi legibus particularibus in ea ditione vigeant, vt præsertim cautum est in Ecclesiæ, vel Sedis Apostolicæ temporali ditione, quód antiquitùs disponendi, ac alienandi libertate competente, quæ in alijs indifferentibus bonis competit, initium habuit prohibitio ad venditionis, donationis, ac permutationis actus, postmodum veró ad omnes alias species extensa est, non tamen ad alienationem impropriam, minusque ad dotem, ad quos omnes actus quoque deindè extensũ fuit, adeóvt etiam tractatus de alienando sine licentia sit prohibitus; Adhuc expressè indecisa remanente quæstione, an hypotheca generalis sub hac prohibitione cadat; Magisque de facto recepta videtur affirmatiua, non quoad pœnas, sed quoad effectus, iuxtà generales bonorum Ecclesiæ alienationis terminos; Nimiùm tamen refert inspicere dictarum prohibitionum, ac extensionum tempora, pro actuum præcedentium validitate, vt *disc.66. cum tribus sequen. & disc.38.*

Provt, quamuis Baronibus, ac inferioribus Dominis, ità Principi subordinatis, regularitèr non congruant iu-
368 ra Regalia, quæ ad ipsum supremum, vel ad feuda Regalia, ac veræ Dignitatis pertinent; Attamèn in ijs, quæ feudatarij sunt, id procedit, cum ea sub feudali inuestitura non veniant, nisi priuilegium expressum, vel illud

quod ex immemorabilis possessionis beneficio allegari potest, ea concessa esse probet.

In istis tamen (exceptis illis maioribus Regalibus, quæ ab ipso alto, supremoque dominio, ac Principatu omninò inseparabilia sunt,) non incó-
369 gruit, vt ea Regalia, quæ priùs in statu veri allodij obtinebantur, post deditionem quoque, vel subiectionem retineantur, ac durent, vbi præsertim obseruantiæ fomentum accedit, vt *d. disc. 63.*

Seruitij quoque realis, vel personalis connaturalis, ac ordinaria obligatio, quæ feudis inest, huiusmodi do-
370 minijs non incumbit; Minùsque renouationis, vel actualis præstationis iuramenti onus.

Benè tamen ab eis debetur illud obsequium, ac etiam quandoque extraordinarium seruitium, quod cuicumque fideli subdito, quamuis non
371 feudatario, incubit ergà Dominum; Multò magis huiusmodi Baronibus, ac Domicellis, in quibus, vt pluriés insinuatur, quædam (licèt valdè remota, & impropria) feudalis qualitas adesse videtur, adeòvt à reliquo populo priuato, in aliquo differant.

XXI.

De Bulla Baronum.

Retento præsupposito, in proximè præcedenti Rubrica insinuato, vt quicquid iuxtà varias opiniones, Ba-
372 ronis vocabulum de iure significet, de facto tamen, & communi vsu, præsertim Italiæ, magisque in specie, temporalis ditionis Ecclesiæ Romanæ, vel Sedis Apostolicæ, complectatur omnes Magnates, ac Nobiles, qui Ciuitates, Oppida, Castra, & loca, cum imperio, ac iurisdictione in subditos possideant, siue in feudum, siuè in allodium, dominium, ac possessio obtineantur,

Hinc ad istius Bullæ materiam, illud ad hunc effectum non intrat inspectio feudalitatis, vel allodialitatis, quo-
373 niam sufficit eum esse possessorem bonorum iurisdictionalium, quæ intrà dictam Ditionem, seù Statum Ecclesiasticum immediatum sita sint. *De tota hac materia in compendioso disc. 73.* vbi alij enunciantur.

Potissimè vero, quia non solo Baronum vocabulo Bulla vtitur, sed illud magis generale Domicellorum quo-
374 quoque adhibet; Ac etiam quia non vocabula, sed rei substantiam, siuè ipsum iurisdictionis factum attendit; Vbi tamen iure proprio, non autem alieno, ac administratario competat, dum pro illis debitis, quæ post cessatã
375 de facto iurisdictionem ob legitimè distracta, vel refutata Castra, & bona iurisdictionalia contracta, illud prænotandum est, quod tunc illam non intrare probabiliùs, vt decisum, & receptum est, quamuis Baronis nomen, ac præeminentiæ retineantur.

Hoc itaque ita prænotato; Agnoscens Clemens VIII. vigilantissimus ac optimus Pontifex, in vtraque etiam
376 Canonica, & Ciuili facultate peritissimus, atque in Rotæ Auditorio, alijsque publicis muneribus ante Pontificatus apicem diù versatus; Hæreditario etiam quoque iure magni Iuris Consulti Syluestri Aldobrandini Patris, dictam peritiam obtinens;

Vt publici commercij fidei, ac libertati, (quæ præsertim in Regia, to-
377 tiusque Catholici Orbis Metropolitica Ciuitate necessaria est,) nimiùm præiudicialia essent, fideicommissorum, ac primogeniorum, & maioratuum, nec nõ inuestiturarum vincula, & iura, quibus freti, Magnatum, ac Baronum filij, & successores, parentũ, aliorumque maiorum creditores eludere in consuetudine habebant; Quodque commiseratione digni censeri deberent mercatores, & artifices, ac alij, qui bona, vel pecunias, huiusmodi Magnatibus, ac Baronibus, & potentibus viris crediderunt, eisque fidem denegare ausi non sunt, neque de facili audere poterant.

Per eius Constitutionem, quæ vulgó *Bulla Baronum* appellatur, tribunal, quod, sub Congregationis voca-
378 bulo explicatur, ex pluribus Cameralibus Prælatis constitutum, erexit, (*Congregatio Baronum* vulgò nuncupatum), cui facultatem dedit, vt manda-

mandatis exequutiuis, per Iudices ordinarios legitimè relaxatis, quæ contrà Barones viuentes, vel eorum defunctorum hæreditatem, atque in bonis liberis alias exequibilia sint, promptam, ac summariam daret exequutionem, super bonis omnibus, quouis modo per Baronem debitorē possessis, tàm iurisdictionalibus, (siuè feudalia, siuè allodialia sint), quam indifferentibus, quamuis per successores iure proprio, fideicommissorum, ac maioratuum, & primogeniorum, siuè inuestiturarum titulo possiderentur, dictis fideicommissis, maioratibus, primogenijs, inuestituris, ac alijs quibuscunque vinculis huiusmodi, nō obstantibus, quibus omnibus, amplissimè derogatum censeri statuit, adeòut, emptores ab eis omninó tuti sint.

Disponendo, vt ex reliquis Baronis debitoris bonis liberis (si quæ sint),
379 fideicommissa, vel maioratus, & primogenia, aliaque similia successorum iura reintegrari debeant, ipsoque iure subrogata censeantur.

Prorsùs noua in Mundo, nimiumque exorbitans ista lex visa est; Neutro tamèn vitio laborat; Non qui-
380 dem illo nouitatis, dum in alia Italiæ Ditione, in bonis feudalibus, quamuis pacti, & prouidentiæ antiquis, idē iam statutum fuerat.

Minusque illo exorbitantiæ, ac odibilitatis, quasi quod ius naturæ, vel gentium læderet; Tùm quia publica commercij causa, & fauor creditorum
381 onerosam causam fouentium, ac etiam ille fauor, quem ipsimet Barones reportant, vt eis liberé eredatur, præualent priuato fauori successorum, qui lucratiuam causam ex fideicommissaria successione fouent.

Tùm etiam quia, ignari vulgi opinatio est, vt derogatio fideicommissorum, aliarumque dispositionum illo-
382 rum, qui iam defuncti, & annihilati sunt, iuris naturæ, vel gentium læsionem redoleat, cum (reiecta quadam leguleica simplicitate), veriùs sit, vt testandi, vel aliás de bonis disponendi facultas, pro tempore, quo iam eorum dominus, ac possessor annihi-
383 latus est, neque dominium habere potest, ex legis positiuæ benignitate, non autèm ex iure naturæ, vel gentium manet; Adeòut sub Iudice sit lis, an id per legem positiuam concedi potuerit, vel benè concessum sit.

Fortiùs veró vbi, non de prima directa, & immediata dispositione agatur, per quam superstes, à priori domino, antequàm annihilaretur, bona obtineat; Sed de mediata, & obliqua (quam fideicommissariam dicimus),
384 cum eam, ipsamet antiqua lex positiua, præcisè obligatoriam facere noluerit, totumque fidei eius, cui id commissum est, reliquerit; Illa verò necessitas, quam hodiernus vsus habet, á moderniori lege, ac Romano Principe manauerit.

Ideòque nil prohibet, vt quod vna lex positiua induxit, altera lex positi-
385 ua tollat, quodq; id, quod vnus Princeps Romanus ligauit, alter Romanus Princeps soluat.

Si quæ veró exorbitantia considerabilis est, ea potiùs in eius praxi, quam in ipsa lege adest, vt scilicèt, non
386 pro quocumque voluntario, ac imprudenti debito, vitiosam, ac imprudentem dissipationem, vel prodigalitatem redolente, practicari debeat, sed pro eo, quod ex necessaria, vel saltèm honesta, & non damnabili causa contractum sit, & cui eiusdem legis ratio cōgruat, iuxtà praxim, seù interpretationem, quæ dictæ consimili alterius Ditionis antiquiori legi tradita est.

Prudentem, atque commendatione dignam huius legis moderationem tradidit, æquè vigilantissimus, ac op-
387 timus Pontifex, omnigena scientiarum eruditione præditus, Vrbanus VIII., mediatus successor, cum prudenti temperamento, quo mediante, omnibus consultum est, neque Baronum fidei credentibus, conquærendi occasio superest.

Vt scilicèt, postquàm fideicommissorum, aliarumque dispositionum, vel inuestiturarum documenta, in quodam publico Archiuio exhibita, & re-
388 gistrata sunt, cum distincta indicatione bonorum sub eis cadentium, quorum omnium enunciato in publica tabella, in eodem archiuij loco, vt omnibus pateat, per sex menses exposita, conti-

contineatur,ijs qui poſtmodùm Baro-
nibus crediderunt, dicta prior Cle-
mentina lex, nullatenùs valeat ſuffra-
gari, cum ſcientibus, vel ſcire valen-
tibus nulla dicatur fieri iniuria,neque
commiſeratione, ità credentes, digni
ſint.

Dubitandi veró anſam, iſta noua
lex, (quæ Bulla Archiuij vulgò nun-
cupatur) præbuit,an eius ratione ma-
389 gis, quam forma attenta, ſola fidei-
commiſſorum, aliorumque vinculo-
rum ſcientia, in contrahente ſufficiat,
vt dictæ Bullæ præſidio indignus cen-
ſeri debeat; Atque aliquorum opi-
nio affirmatiua fuit; Contrarium au-
tém probabiliùs videtur, cum præ-
ſcripta forma, certas, ac peculiares
habeat rationes, quæ ſimplici ſcientiæ,
quamuis certæ non congruunt,de qui-
bus in ſua ſede.

Super dictæ autém Bullæ Baronum
praxi, ac interpræatione, plures huc
vſque exortæ ſunt quæſtiones, quæ in-
noteſcant; Potiſſimè veró, an ea fa-
uorabilis, vel odioſa cenſenda ſit,pro
eius lata, ac benigna, vel è conuersò,
ſtricta, & rigoroſa interpætatione fa-
cienda; Atque priuſquam dicta mo-
390 deratoria lex prodiret, eam fauorabi-
lem eſſe Rota cenſuit; Poſt dictam
verò nouam legem, contrarium ſenti-
re viſa eſt; Adinſtar eorum, quæ,cir-
ca facultates transferendi eccleſiaſti-
cas penſiones,ob nouam ſupernentam
Apoſtolicam Conſtitutionem (varian-
do ſententiam) habentur; Negari
quippè non poteſt,legem à iure com-
muni exorbitare, ſed facta compara-
tione odij, ac fauoris hinc indè collu-
ctantis,fauor potiùs, vt ſupra prepon-
derare videtur, quotiès tamén,diſcre-
tè, ac ad limites rationis, cui lex in-
nixa eſt, eius praxis admittatur.

Altera eſt frequentior quæſtio, ma-
gnam habens opinionum diuerſitatem
apud Curiæ Profeſſores, an eadem
Bulla operetur, vt tunc, & ab initio,
quo debita contracta ſunt, adeòut, il-
391 licó ad bona per Baronem poſſeſſa ins
quæratur,fideicommiſſis, alijſque vin-
culis non obſtantibus; Vel potiùs o-
peretur vt nunc,quando Congregatio
ex poteſtate per Bullam ſibi attributa
manus apponit, atque vincula tollit;

Omninò autém probabilior videtur
hæc poſterior opinio, quodque prior
nullum habeat probabile fundamen-
tum, vt in ſua ſede.

Effectus autém quæſtionis, præ cæ-
teris, ille notabilis eſt, quod poſte-
392 riori opinione retenta ſuper operatio-
ne ex nunc, non anteá ius aperiatur
creditoribus, qui Bullæ tantum præſi-
dium habeant; Ideòque licér inter
eos,ex eiuſdem Bullæ beneficio æqua-
393 litèr venientes, anterioritatis, ac po-
tioritatis ordo ſeruari debeat; Adhuc
tamén iſti poſtponendi veniunt alijs,
quamuis tempore poſterioribus, qui
ex ſpeciali derogatione Pontificia,vel
ex ea, quàm lex concedit (putà fauo-
re dotium) ius anteà quæſierint,iuxtà
illum ordinem, quem in feudis, alijſ-
que ſine Principis, vel alterius aſſen-
ſu alienari prohibitis, atque in liberò
commercio non exiſtentibus, inducit
394 ipſe aſſenſus, qui actum animat, ac in-
format; Indeciſa remanente quæſtio-
ne reſpectu eorum, quibus á le-
ge ſuper fideicommiſſis, eis non ob-
ſtantibus ius tributum eſt,ſi poſt fidei-
commiſſi diſſolutionem naſcantur.

Quamuis autém,de legis natura ſit,
futurum, non autém præteritum tem-
pus reſpicere; Attamèn receptum eſt
iſtam legem (ità eius contextu pro-
395 bante) præterita quoque complecti,
ideòque in debitis,ante illius editionē
contractis, locum quoque ſortitur.

Dubitatum aliás fuit, an Bulla pro-
cedat in præiudicium minorum, alio-
rumque priuilegiatorum; Deciſum
396 tamèn fuit,vt indefinitè locū habeat,
atque hoc iure, extrà controuerſiam,
hodiè viuitur.

Non modica item dubitatio aliàs
habita eſt, an eadem Bulla procedat
in debitis contractis antè baronalem
397 qualitatem, quæ poſteà ſuperuenerit;
Verùm hodiè pariter extrà cōtrouer-
ſiam videtur affirmatiua; Sicuti è con-
398 uerſo, (vt ſuperiùs inſinuatum eſt),re-
cepta eſt negatiua in debitis contra-
ctis poſt ceſſatam actualem baroniam;
Siuè in bonis poſt eandem ceſſationē
399 obuentis cum vinculo fideicommiſſi,
quamuis debita, de tempore baroniæ
contracta eſſent; Ea vrgente efficaci
ratione, quod qui bona dedit, vel re-
liquit,

liquit, catenùs id egit, quatenùs cessatam vidit illam qualitatem, quæ vinculum in eius bonis volitum, ac desideratum, destruebat, aliàs non relictus, vel non daturus.

Indecisus verò est casus rarus, an eadem Bulla dirimat fideicommissum, vel aliud vinculum, quod adiecerit ille, qui adhuc viuat, atque contrariam
400 declaret voluntatem, probabiliorque videtur negatiua.

An autèm debita aliena, fideiussorio nomine, per Baronem contracta, huius Bullæ beneficio potiantur, sub quæstione est, in qua licèt aliqua habeatur decisio pro affirmatiua, vbi
401 præsertim æquè principalis obligatio accedat; Non tamèn hæc opinio ità indefinitè sumpta placet, sed cum distinctione, de qua in sua sede accipienda est, ex iàm dicta ratione, quod Bulla practicari, ac interprætari debet, ad limites rationis, quæ conditoris mentem mouere potuit, & quæ illam ab exorbitantia saluat.

Baronùm autèm, vel Domicellorùm nomine, ad hunc effectum, veniũt quidem omnes quouis modo, Oppida,
402 & Castra, seù bona iurisdictionalia, cũ actuali iurisdictionis exercitio possidentes, iure tamen proprio, non autem alieno, seù administratorio; ac etiam cũ actuali iurisdictione, & possessione, non autèm habituali tantùm sine exercitio.

Veniuntque illi, qui dicta bona iurisdictionalia possident in Italica temporali Ecclesiæ Ditione immediata, non autèm in eiusdem Ecclesiæ pari-
403 ter temporali ditione mediata, quæ in feudum Regale, ac Dignitatis ab alio possideatur, cum iure Principatus, ac omnimodo Imperio, solis alto dominio, ac maiori superioritate Papæ reseruatis; Aliquibus etiam dictæ Italicæ immediatæ ditionis locis exceptis;

Vbi verò huiusmodi feudorum deuolutio sequatur, adeòut pars infeu-
404 data ad eius priorem causam, ac vnitatem redeat; Quamuis aliquandò decisum sit, Bullam ibi vires non porrigere; Contrarium tamen veriùs est, magisque receptum, cum sublata causa separationis., vniuersa ditio, eiusdē naturæ sit, nisi expressè in contrarium caueatur.

An autèm pro debitis ex causa legatorum, vel donationum, Idem beneficium competat, sub quæstione quo-
405 que esse consueuit; Verior autèm est negatiua, nisi facti circumstantiæ, debiti naturam immutent, illudque onerosum, atque correspectiuum, saltèm ex parte debitoris reddant.

Cumque in vim Bullæ, per dictam Congregationem, ipsa Castra, & bona vendi valeant, ac debeant subhasta, quæ possessoris conditionem deteriorem reddere solet; Hinc proindè, si
406 debitor, vel successor, qui pro Baronis prędecessoris debitis huic damno subiacet, illud præueniat, contrahendo debita, seù census imponendo, sustinetur actus, cui Bulla prosit.

Non tamèn ei licitum est, Congregatione inconsulta, ipsorum bonorum, veras, ac proprias alienationes facere; Cadente quæstione, adhuc indecisa,
407 quatenùs ad actualem alienationem procedatur, cui Bulla non assistat, vndè propter eà successori iure proprio venienti, bonorum vindicatio competat; An emptor, qui euictionis, vel respectiuè pretij creditor efficitur, ità computari mereatur inter creditores, de quibus loquitur Bulla, quæ suffragetur.

In casu tamèn seruatæ formæ dictæ alterius modernæ legis moderatoriæ, (quæ vt supra vulgò *Bulla Archiuij* dicitur), si bona in Archiuio, eiusque
408 exposita tabella descripta, meliorentur, atquè ita recipiant incrementum; Aliàs dubitatum est, an hoc incremẽtum, vtpotè non archiuiatum, eodem iure censendum sit, atque decisio pendere videtur à distinctione, separabilium, ac inseparabilium melioramentorum.

Cumque Bulla, de Castris, Prædijs, & Palatijs, alijsque bonis loquatur; Quæstio cadit, an in ijs, quæ tertiam speciem constituunt, potiùsque Iurium
409 quàm bonorum vocabulũ merentur, vt sunt, census, & loca montium, procedat; Pluraque negatiuam suadent, licèt certa decisio non habeatur.

Prout sub quæstione est, an sub eadem Bulla veniant bona de ecclesiarum

410 tum directo dominio; Et quatenùs ve-
niant, an pro solo iure vtili possesso-
ris, non autèm pro directo, vt in sua
sede; Illud autèm certum est, vt do-
411 minio directo Sedis Apostolicæ, ac
realibus obligationibus exindè non
præiudicetur.

Ad quoscunque verò Iudices, ac
Tribunalia priuatiuè, sola Congrega-
tio Baronum huiusmodi facultatem
habet, atque vincula remouendo, bo-
412 na distrahit, neque alter in hoc se in-
gerit; Excipiendo tamén, ratione ina-
nis circuitus, de Bullæ dispositione
coram quocumque Iudice obijci po-
test.

Stylus Congregationis est, compa-
rentibus creditoribus, qui pro man-
datorum exequutione instent, depu-
tandi Commissarium in bonis Baronis,
413 eorumque administrationem assumen-
di, atque edicta affigendi, certum ter-
minum præscribentia, quo elapso (pre-
uia æstimatione, vel sine, pro eius ar-
bitrio, pro facti qualitate regulando)
bona publica subhasta exponendi, ac
deliberandi meliori oblatori, banca-
riam cedulam exhibenti, vt pretium,
in quod transeunt ipsorum bonorum
vincula, à bonis omninò abscissa, cre-
414 ditoribus, iuxtà eorum anterioritatis,
ac potioritatis ordinem, liberentur, cū
cautione tamén idonea de restituendo
anterioribus, & potioribus, vel con-
tribuendo cum æqualibus, ac ad omne
ipsius Congregationis mandatum.

Vbi verò cautio præstari non potest
eius loco succedit inuestimentum in
loca Montium, idem vinculum in cor-
415 pore habentia, quæ loco quantitatis
esse videntur, tàm ad effectus credi-
toribus proficuos, fructuum, ac inter-
medij augmenti, vt ad eorum restitu-
tionem non teneantur, quàm ad effe-
ctum damnosum, intermediæ diminu-
tionis, quæ sibi cedit, nisi alitèr cau-
tum sit.

Ipsis tamèn creditoribus licitanti-
bus, ad effectum retinendi pretium in
causam proprij crediti, arbitrarium
416 est, oblationem absqué cedula, vel
deposito admittere, re tamén ante de-
liberationem, Papæ communicata, eo-
que approbante.

Et quamuis Congregatio, de credi-
tis, eorumque subsistentia non cogno-
scat, sed ad præscriptum Bullæ, solas
417 partes exequutoris expleat mandato-
rum, quæ ab ordinarijs Iudicibus re-
laxata sunt; Attamèn, vel ex Aposto-
licis decretis, vel ex recepto stylo, de
mandatorum relaxatorum, ac debito-
rum subsistentia, nec non de anterio-
ritate, & potioritate creditorum co-
gnoscit, mandando etiam restitui pe-
cunias liberatas, aliaque gesta retra-
ctando, adeóut formalis Tribunalis
partes quodammodò gerere videa-
tur.

Quatenùs veró casus præbeat, vt
Baro possideat plura fideicommissa,
vel primogenia, quæ per eius mortem
scindantur, diuersosque habeant suc-
418 cessores, pro eius veró debitis indefi-
nitis, non autèm in alicuius fideicom-
missi causam particularem, vnius bona
distracta, vel subiugata sint, locum
esse contributo pro viribus, decisum
est.

Derogatio fideicommissorum, vel
maioratuum, aliorumque vinculorum,
probabiliús percutit illa fideicommis-
sa, & vincula, quæ adiecta sunt per
419 Baronis debitoris, ac alterius posses-
soris communem auctorem, adeóut in
Barone, qui debita contraxit, intret
ea ratio, cui innixa est Bulla, quod
nempé ipse Baro, qui debita contra-
xit, esset interim dominus, restitutio-
nis oneri subiectus, quod Bulla tollit;
Secus autém, fideicommissis, alijsque
vinculis à tertio ordinatis, & cum
quorum onere, in possessorem, vel al-
terius fideicommissi ordinatorē bona
obuenerunt.

Quamuis enim per hanc Bullam ius
tertij tolli decisum sit, intelligendum
tamèn venit, de illo iure, quod ab
420 ipso Barone debitore, vel respectiué
possessore proueniat, puta conducto-
ris, vel alterius, qui à possessore cau-
sam habeat, non autém tertij omninó
independentis.

Ad reddendum item tutos empto-
res in vim Bullæ à dicta Congregatio-
421 ne ementes, eadem tollit quoque hy-
pothecas, quibus ipsa bona affecta
sint, easque transfert in pretium, quod
in omnibus loco rei succedit, etiam
422 quoad fideicommissi, vel inuestituræ,
vincu-

vinculum, quatenùs folutis debitis exuberet.


Cumque fit ftylus Congregationis, vt fupra, non foluendi pecuniam ex bonorum diftractorum pretio refultantem, nifi cum cautione de reftituendo
423 anterioribus, ac potioribus, vel contribuendo cum æqualibus, Aut, vbi idonea cautio non habetur, cum inueftimento in loca Montium, quæ loco dictæ cautionis ità vinculata exiftant,
424 quod notabilitèr de pretio, feù valore minuit.

Hinc vulgus, de hoc etiam ftylo obloqui folet, quafi quod ità fit lædere ius naturæ, vel gentium, obligando creditorem, vt loco integri crediti, vix dimidiatum recipiat; Verùm in-
425 epta obloquutio eft, quoniàm qui ex huius Bullæ indulgentia, fui crediti, aliàs non experibilis, exactionem obtinet, iniuftè conqueritur, quod diminutum, vel qualificatum obtineat id, quod aliàs nullatenùs obtenturus effet; Ac etiam quia fauor publici cōmercij, ex emptorum libertate, ac fecuritate manans, huic in commodo præualere debet, vt etiam ex iuris communis intentione, inter priuatos praxis recepit.

Quia veró id cautos reddidit mutuantes, vel aliàs credentes, vt fibi cō-
426 fulant de pacto refectionis eius, quod iftud vinculum minuat, & quanti interfit liberam pecuniam reftitui; Hinc difputari folet, an creditori hanc viam eligenti, atque Baronum Congregationem adeunti, (quam fcit non alitèr pecuniam foluere) patere debeat via, quam elegit, adeóut in dicta cautela præiudicatum fit, vt in fua fede.

Vbi verò certa, & notoria fit anterioritas, vel potioritas creditoris, qui huius Bullæ præfidio, feù extraordi-
427 nario beneficio non indigeat, quia nempè, ex iuris difpofitione (ipfa etiam Bulla feclufa), ius, vel actionem habeat ad bona, ad quorum pretium inuitùs concurrere non cogatur, tunc afperum, ac exorbitans videtur, vt ad huiufmodi cautionem præftandam, feù vinculum patiendum cogi debeat, fed ob contrariam praxim, id non de facili exaudiri folet.

Quo verò ad iudicij ordinatoria, receptum eft, Congregationem, ad te-
428 lam iudiciariam feruādam, obligatam non effe, fed ad eiufdem Bullæ præfcriptum, fummariè, ac de plano, manuq; Regia procedere; Adeòut quandoque decifum fit, etiam fine citatione procedere poffe; Quod tamèn circumfpectè pro facti qualitate intelligendum eft, vt in fua fede; Vbi de alijs ad materiam, quam vniuerfam, facilè non eft, fub compendio recenfere, cum
429 in dies nouæ oriri foleant quæftiones, fuper huius Bullæ interpretatione, vel praxi, *vt in eodem difc. compendiofo 73. fub hoc tit. de feud. vbi enunciantur finguli difcurfus fuper fingulis fuprà enunciatis quæftionibus editi.*



SVP-

SVPPLEMENTVM

LIBRI XVI.

PAR. I.

TIT. DE REGALIBVS.

INDEX
ARGVMENTORVM
IN DISCVRSIBVS
Qui continentur in hoc Supplemento tituli de Regalibus.

tunia

tunia, ex quibus bona notabilem diminutionem passa sint.

Disc. CLXXX.
Pisana, seù Florentina depredationis.

De materia deprędationis indebitè factæ per nauem piraticam, eiusque Magistrum, seù Capitaneum; An de illa teneatur Dominus nauis, qui talem magistrum præposuit; Et quid vbi culposus non fuerit præpositus ab ipso Domino, sed ab altero per eum præposito.

Disc. CLXXXI.
Perusina Represaliarum.

De repręsalijs, à quibus, & contrà quos exerceri possint, & de earum diuersis speciebus.

Disc. CLXXXII.
Romana libertatis.

An Hebræi Orientales domicilium habẽtes in locis de dominio Turcarum, efficiantur serui Christianorum, à quibus vi bellica in terra, vel mari capiantur; Et quid de ipsismet Christianis subditis infidelium; Et de Christianis apostatis.

Disc. CLXXXIII.
Iannen. seù Mediolanen. locorum montium.

Augmentum, vel diminutio locorum montium sequuta intermedio tempore inter venditionẽ, & translationem, cuius commodo, vel incommodo cedat, an emptoris, vel venditoris.

Disc. CLXXXIV.
Firmana Bulletta.

In qua specie onerum suffragetur possessio exemptionis, etiam in Statu Ecclesiastico, absque eo, quod obstent Constitutiones reuocatoriæ exemptionum.

Disc. CLXXXV.
Romana Montis Ceræ.

De eadem materia, de qua suprà *disc.* 148. & 177. idest de potestate Principis tollendi ius tertij, & præsertim de suspensione, vel remotione hypothecarũ, aliorumq; vinculorũ à bonis assignatis, pro erectione Montis baronalis.

Disc. CLXXXVI.
Romana Supplementi.

An officia vacabilia in prohibitorijs, veniant sub genere contractuum vitalitiorum, quos illa persona prohibita sit facere ob præiudicium tertij.

Disc. CLXXXVII.
Romana Palatij.

De Fiscalibus Regni Neapolitani, eorumque natura, & qualitate, & quomodo transeant de vno in alterum, siuè quomodo amittantur; Et incidentèr de pacto resolutiuo, an sit transmissibile ad hæredes, vel potiùs personale.

Disc. CLXXXVIII.
Romana Officij Cursoratus.

An, & quando reseruatarius officij dicendus sit dominus, vel potiùs creditor; Et de effectibus exindè resultantibus pro augmento, vel diminutione valoris, cuius commodo, vel incõmodo cedat.

Disc. CLXXXIX.
Spoletana, seù Reatina Collectæ.

An, & ad quæ onera teneantur Forenses pro bonis, quæ in territorio possident.

Disc. CXC.
Assisien. Collectarum.

An, & quando castrum, quod aliàs sit de districtu Ciuitatis, alteri concedatur in feudum proprium, vel improprium, siuè in baroniam cum iurisdictione, & imperio, dicatur ab eadem Ciuitate omninò dismembratum, etiam ad effectum collectarum, aliorumque publicorum onerum.

Disc. CXCI.
Taurinen.

De eadem materia confiscationis, de qua *disc.* 160. & 161. An scilicèt per delinquentem in Fisci præiudicium, bona donari, vel aliàs alienari possint; Et an donatarius, vel alter possessor bonorũ, siuè delinquentis creditores, alijque interessati admittendi veniant ad exculpationem, vel defensionem Inquisiti absentis, & contumacis; Et quid cessante interesse.

Disc.

INDEX CAVSARVM

Quæ continentur in hoc Supplemento Tit. de Regalibus ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

A

C

F

I

M

N


P

R

Proxe-



SVPPLE-



SVPPLEMENTVM THEATRI




LIB. II. DE REGALIBVS,

AD RVBR. ET DISC. I.

SVMMARIVM.

1 *De Regalium origine, introductione, & distinctione in genere remissiuè.*
2 *De præsumpta, vel implicita donatione pretij erogati in emptione officij.*
3 *De quæstionibus inter hæredem verum, & putatiuum.*
4 *De testamento, de quo agitur in discursu.*



SVPER ijs, quæ Regalium in genere, originem, vel introductionem, ac naturam, diuersasque species concer-
1 nunt, videnda sunt, quę infrà *in principio Summæ, seù Compendij* insinuantur, ac etiam aliquid incidentèr habetur *sub tit. de feud. disc.2.*

Ea verò, quæ huius discursus particularem concernunt materiam, super præ-
2 sumpta, vel implicita donatione pretij erogati in emptionem officij in alterius persona; Quamuis in dubio pro simplici iuris præsumptione ab hîc recensita distinctione, regulam accipiant; Nihilominùs dicenda potiùs est quæstio facti, & voluntatis, quàm iuris ex facti circumstantijs principalitèr decidenda, vt etiam aduertitur *infrà disc.24.*

In idē conferentibus ijs, quæ habētur *sub tit. de feud. disc.75. & 113.* super puncto præsumptæ, vel implicitæ donationis fauore filiorum, & descendentium, aliorumque compræhensorum in inuestitura feudali, vel emphiteotica acquisita titulo oneroso, & ex causa correspectiua, cum in omnibus eadem procedere videantur.

Alia verò in discursu contenta, super quæstionibus, inter hæredem verum, & putatiuum ad istam Regalium materiam
3 non pertinent, sed illam percutiunt hæredis, & hæreditatis, ideòque in sua peculiari sede agitur *sub tit. de Hærede.*

Et de hoc vltimo testamento, cuius ratio habita non fuit fauore secundi te-
4 stamentarij, qui erat etiam ab intestato suc-

successor, substinendo primum testamentum ad fauorem extranei, contrà omnem æquitatem, ac probabilitatem, agitur *sub tit. de Testam. disc.7.*

Ad Disc. II.

SVMMARIVM.

1 *De statu causæ.*
2 *De alio casu controuersiæ.*
3 *Quale pretium solui debeat in emptione coacta.*
4 *Quale sit hodie pretium Clericatuum Cameræ.*



CAVSA contenta in hoc discursu adhùc pendet in Sac. Consilio in eodem statu, cum istius domus
1 infortunia recensita *sub tit. de feud. disc.118. & sub tit. de Cred. disc.13. & 151.* Omnia fauorabilia, & proficua silere fecerint, odiosis veró, & præiudicialibus, velocissimam dederint cursitationem, talis est mundanarum rerum vicissitudo; Sed quo magis ad huius controuersiæ casum reflectere occasio præbet, eo magis crescit admiratio, vt id in quæstione positum sit, tanquàm diuturnam habuerit, ac habeat litem, cui tám magna dos attributa fuerit, cum re vera sit disputatione indigna, etiam coram exiguæ Villæ pedaneo Iudice.

Quo verò ad pretium officiorum in genere, & præsertim Clericatuum Cameræ; hoc medio tempore, in forma
2 potiùs extraiudicia'i, coram tribus Cardinalibus arbitris ex voluntario compromisso, disputatio habita fuit super illo augmento scutorum sex mille auri, quod sequutum fuit sub Pontificatu Alexandri Septimi, vt in discursu insinuatur, quoniàm cum Clemens IX. immediatus successor, Clericatus sub eo vacatos concessisset pro consueto pretio antiquo scut. 36. mil. auri, sine dicto augmento, atque in fine eiusdem Pontificatus, ille, qui Clericatum obtinuerat sub Alexandro cum præfato augmento, occasione suæ assumptionis ad maius munus Thesaurarij Generalis, illum resignasset alteri Prælato ab eodem Clemēte nominato, iuxtà stylum; Hinc orta est controuersia super dicto augmento, an esset soluendum nec nè, atque rationabilitèr quidèm, & fundatè iuxtá meum sensum, fauore resignantis prodijt laudum pro solutione illius integri pretij, quod ipse soluerat, ex conclusione, de qua pluriès *sub tit. de seruit.* in materia Retractus, ac etiam *sub tit. de Emphit. disc.12.* & alibi, quod scilicèt, cum ista
3 sit species venditionis necessariæ, & per quandam similitudinem retractus, retrahens teneatur possessori rei retractæ reficere totum, etiam expensas extrinsecas.

Cessat autém hodie ista quæstio, dum ex Clem. X. successoris decreto generali
4 præfinitum est pretium Clericatus cum dicto augmento, sine cuius distinctione, pretium ordinarium est quadraginta duorum mille auri.

Ad Disc. III.

IN præcisis terminis huius discursus, super præuentiua scilicèt concessione facta per Magistratum Ciuitatis, officij adhuc non vacati, extat moderna *consult.64. Rotæ*, qui testatur ita decisum, quamuis in eo casu aliquæ particulares accederent circumstantiæ super defectu potestatis, quæ rem faciunt magis claram, super qua dictus Scriptor insistit; Ex duabus autèm rationibus, illa voti captandæ mortis, generalitèr videtur leuis, & fortè contemptibilis, multó veró magis vbi accedat consensus possessoris officij, ex ijs, quæ in hac mareria habentur *sub tit. de Emphyteusi disc.1. & 2.* Ideóque remanet solùm firma, & considerabilis in subditis: altera ratio supplantationis successoris, super quo, vltra deducta *in hoc disc.* & in supra allegatis *disc.1. & 2. de Emphyt.* pleniùs, magisque ex professo agitur *sub tit. de Pens. disc.1.* & licèt contra ibi deducta, plura deducantur per quendam scribentem apud *Torre de pact. fut. succ. in fine operis ante decisiones Rotæ ibi registratas*; Adhuc tamèn veriùs, ac firmum esse videtur id, quod *in d. disc.1. de Pens.* firmatur, vt in eius Annotatione aduertitur.

Ad

Ad Disc. IV.

SVPER contentis in hoc discursu, & in pluribus alijs sequentibus, concernentibus materiam concursus creditorum, inter eos, qui habeant reseruationem decreti,& illos,qui non habeant, hoc medio tempore defuit occasio disputandi in his præcisis terminis officiorum; benè tamen ad rem faciunt ea, quæ super concursu in bonis iurisdictionalibus, & alijs, alienari, vel obligari prohibitis, absque alterius licentia, vel assensu, habentur postmodùm disputata *sub tit. de Cred. disc.*13. *&* 151. & conferunt, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.*78. *& sub tit. de Emphyt. disc.*58. cum omnia huiusmodi bona, vel iura pari passu ambulare videantur, ideóque ea, quæ in vno huiusmodi bonorum genere dicuntur, generalitèr alijs similis naturæ, vel qualitatis congruere videntur, cum eædem intrant rationes.

Ad Disc. VI.

DE ista regula de viginti, quæ percutit materiam beneficialem, agitur præsertim *sub tit. de Benefic. disc.*34. Reflectendo autèm denuò ad casum præsentis controuersiæ,an scilicèt eadem regula locum habeat in resignationibus huiusmodi officiorum; Adhuc probabilior videtur negatiua, ex pluribus rationibus, de quibus etiam in discursu; Primò nempè ex ratione, seù regula generali, quod in exorbitantibus non datur extensio de casu ad casum, ex ijs, quæ in materia statutorum habentur pluriès *sub tit. de Successs.* Secundò, ob adeò frequentèr insinuatam distinctionem personarũ formalium in vna, eademque persona materiali Papæ, pro diuersitate respectuum, quod scilicèt alia sit persona Summi Pontificis, & Episcopi Ecclesiæ vniuersalis; Alia verò sit persona Principis tẽporalis Status Ecclesiastici, ideóque cum regula de viginti edatur in materia beneficiali per Papam, iuxtà primam personam, ista veró officia venalia saltèm pro maiori parte, præsertim popularia, & non prælatitia, neque spectantia ad negotia Datariæ, & Cancellariæ, pertineant ad alteram personam Principis temporalis, vt præcisè erat in casu, de quo in discursu, idcircò vna lex connexionem non habet cum altera.

Et tertiò fortiùs, ob diuersitatem rationis, quoniàm dicta regula procedit in beneficijs vniuersi Orbis Cattolici, etiam remotarum Regionum, & super quarum prouisione, vel resignatione defertur assertionibus partium, vndè propterea de facili Papa decipi potest; Secus autèm in præsenti, in quo agitur de Officijs in ipsamet Vrbe, in qua sunt præsentes illi, qui resignationes facere volunt, & quod magis est, non defertur partium assertionibus, sed per officiales, & deputatos visitatur, & recognoscitur status personę, iuxtà modum in discursu enunciatum,& per consequens longè diuersa est ratio, rectèque dici potest, quod Dataria imputat eius officialibus, si benè non implent suas partes; Atque ad id conferre videntur ea, quæ habentur infrà *hoc eod. tit. disc.*69. in materia fraudatæ gabellæ circà differentiam inter casum, in quo Gabellarius sequatur fidem deferentis merces, eorumque attestationibus deferat, & casum, quo ipsi Gabellarij, vel eorum ministri reuoluant sarcinas, cum similibus.

Ad Disc. VII.

DE facultate creditoris vendendi pignus, habetur actum *sub tit. de Cred. disc.*22. Et de periculo vacationis huiusmodi officiorum, quæ remanent in alicuius hæreditate *sub tit. de fideic. disc.*192. & de imputatione, vel collatione, agitur infrà *disc.*150. *& tit. de legitim. & detraction. disc.*15.



Ad Disc. VIII. & IX.

Contenta in his discursibus, re verà non pertinent ad istam materiam Regalium, neq; peculiariter peculiarem naturam officiorum, sed cadunt sub generali, & indifferenti materia obligationis causatiuæ, an, & quando cesset, cessante causa, de quo agitur etiam infrà *disc.*98. *& tit. de feud. disc.*47. *&* 57. *de Cens. disc.* 28. *de Empt. & vendit. disc.* 23. *&* 39. *de Credito disc.*71. *& de fideic. disc.*175.

Et de materia nouationis, agitur infrà *disc.*23. *&* 33. *tit de Dote disc.*28. *&* 159. & pluriès *tit. de Cred.* præsertim *disc.*67.

Ad Disc. X. & XI.

SVPER puncto, de quo principalitér agitur in his discursibus, an scilicét eadem potioritas, vel anterioritas, pro sorte, competat pro fructibus, vel vsuris, agitur pluriès in sua materia *sub tit. de Cred. disc.*5. *&* 6. 14. 19. 37. *& in alijs.*

Et de fructibus dotalibus, an habeant idem priuilegium, eandemque potioritatem aduersus creditores Baronis in bonis fideicommissarijs, quando fideicommissum destruitur in vim Bullæ Baronũ, habetur *sub tit. de feud. disc.*79. *& sub tit. de Dote disc.*145.

An autém damna, & interesse, vel fructus recompensatiui huiusmodi vacabilium, seu aliàs periculo subiectorum, debeantur ob eandem rationem, cum considerationibus, de quibus in his discursibus habetur *sub tit. de Societ. Offic. disc.*4. 9. *&* 11. & incidentér *tit. de Legat. disc.*31. & apud *Ciriac. contr.* 259. vbi de fructibus animalium.

Et de altero puncto, an assensus præstitus super obligatione feudi, suffragetur etiam quoad fructus, vlterà hic deducta, *de Marin. ad Reuerter. decis.*290.

Ad. Disc. XII.

CIRCA concursum creditorum, qui diuersis temporibus mutuarunt in eandem causam, agitur in sua peculiari materia *sub tit. de Cred. disc.*3. *&* 4. Neque super alijs discursibus sequentibus in hac materia officiorum vacabilium, occasio dedit hoc medio tempore, disputare, vel aliud adnotare; Potissimè quia est materia finita, quæ circà iàm adnotata, vt plurimum circumfertur, cum ea sola variatione, quæ resultat à diuersis facti circumstantijs, ex quibus in omnibus ferè alijs materijs, forensium controuersiarum decisiones hodie pendere videntur; Ideòque ex iam deductis, rectè desumi valent regulæ, seù Theoricæ generales; Sed punctus est applicandi congruè actiua passiuis: in hoc certa regula statui non potest, dum totum pendet ex singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, ad quas principalitér per Iudices, & consulentes est reflectendum.

An autèm maior pars creditorum cogere possit minorem ad præstandum consensum in resignatione officij, ad quod emendum omnes pecuniam crediderint, etiam quod agatur de reductione Societatum, habetur *sub tit. de Cred. in Supplemento in vna Romana Resignationis Officij pro Creditoribus Antonij de Blanchis.*

Ad Disc. XXIV. Cum plur. seqq.

Ad vniuersam materiam locorum Montium.

SVMMARIVM.

1 *De implicita donatione emendo loca montium in faciem alterius.*
2 *De securitate ementis loca Montium.*
3 *De valutatione locorum Montium vinculatorum.*
4 *De fructibus locorum vacabilium.*

5 *De*

5 *De euictione praestanda in venditione locorum vinculatorum.*

1 SVPER puncto particulari contento in hoc discursu 24. implicitae scilicèt donationis, quae inesse dicitur, quando per vnum emuntur cum sua pecunia loca Montium in faciem, vel in personā alterius, est actum supra *in Annot. ad disc.* 1. occasione agendi de eodem puncto circà emptiones officiorum, cum intrent ijdem termini.

2 Quaestiones autèm magis frequentes, quae in hac peculiari materia contingere solent, percutiunt libertatem, & quando tertius possessor reddatur tutus ab hypothecis, alijsque vinculis, & oneribus, quinimò etiam à iure dominij prioris possessoris, vltrà deducta in his discursibus, distinguendo plures casus pro materiae dilucidatione, aduertitur *infrà in Rom. locorū Montiū de Insitinianis disc.* 163.

3 De valutatione autèm locorum Montium vinculatorū, iuxtà deducta *disc.* 30. *& seq.* quando praesertim agatur de venditione iuris possessoris ad vitam, quomodo scilicèt vita hominis aestimetur, plené agitur *sub tit. de Donat. disc.* 54. & de contentis *disc.* 32. super pacto redimendi, an causet vsuram, in sua materia *sub tit. de Vsuris*.

4 Et de contentis in *disc.* 35. super fructibus locorum Montium vacabilium exactis per virum, conferunt deducta *sub tit. de Dote disc.* 148. *& disc.* 168. *num.* 42.

5 Ad casum, de quo *disc.* 37. an, & adquid teneatur venditor locorum Montium vinculatorum, quatenùs ab emptore auocentur per alium, agitur in specie cum eodem Aluaro venditore infrà *disc.* 164. vbi etiam declarantur ea, quae habentur supra *disc.* 31. an scilicèt, & quando eidem venditori, ex nouo iure superuento, liceat venire contra factum proprium, & reuocare alienationem non restituto pretio.

Ad Disc. XLII.

CONtenta in hoc discursu circà competentiam fori, cadunt sub sua peculiari sede, sub *tit. de iurisdict. & for. compet.* ac etiam *disc.* 3. *de Iudic.* In hac tamèn speciali materia locorum Montium, quae in iure non est cognita, & quae localis dici potest in Curia, dum adest Congregatio particularis, de qua coniuncta cum altera Baronum fit sermo *in relatione Curiae disc.* 28. certa regula desuper statui non potest, cum totum pendeat à Constitutionibus, vel Chirographis Pontificijs particularibus, ac etiam ab obseruantia, tanquàm optima interprete.

De materia verò alterationis monetae, vltrà insinuata infrà *disc.* 42. agitur plenius *disc.* 126. *& seq. tit. de Cred. disc.* 140. *& tit. de Pens. disc.* 34. *& seq.*

Ad Disc. XLIV. & XLV. & CXXV.

1 DE materia publicae Annonae, de qua agitur in his duobus discursibus, agitur quoque infrà *disc.* 125. vbi de eius regimine, ad quem de iure pertineat, & aliquid insinuatur *in Relatione Curiae disc.* 40. vbi de Congregatione, seù de Praefecto Annonae, de quo etiam *Sanfelic. decis.* 290.

2 Quo verò ad punctū, de quo principalitèr in his discursibus disputatur, an scilicè pro frumento, quod emitur, vel explanatur pro seruitio Annonae publicae, debeantur gabellae, aliaque vectigalia; vera, nimiumque rationabilis videtur distinctio, de qua in his discursibus, inter illud scilicèt frumentum, quod publici officiales emunt, vt reuendant, vel explanent, in sola ratione oeconomica, seù administratoria, & illud frumentum, quod ipse Princeps, vel Respublica, pro leuamine populorum distribuat gratis omninó, vel diminuto pretio, ex rationibus ibi ponderatis.

Super priuilegijs autèm, & fauoribus publi-

3 publicæ annonæ antiquioribus relatis, plura colligunt *Rouit. consf.73. lib.2.* & *Sanfelic. d. decis.290.* & alij relati in his discursibus, ac etiam cum aliqua eruditione *Amayd. in l. vnic. C. vt nemini liceat, in empt. specier. lib.10.* & aliqua aduertit *Mastrill. de confiscat. quæst.18. num.1. & seqq.*

Et in specie propositionis insinuatæ
4 supra *hoc eod. tit. disc.133. in fine, & disc. 159. num.14.* quod scilicèt denegari, seù impediri possunt tractæ, quamuis essent concessæ Appaltatoribus, vel alijs, ex causa onerosa, & correspectiua in forma contractus, quando id præiudicare possit Annonæ, ac inducere valeat penuriam in Regione, cum semper huiusmodi cōcessiones sub se contineant hanc implicitam conditionem, quatenùs scilicèt victualia exuberent vsum proprium, *Reuertex. ibique de Marin. in add. decis.425.* & aduertitur infrà *disc.148. num.30. Roccus de officijs §. 7. de tractis num.20. add. ad Reuit. super pragm. in Rubr. de extraction. Cobell. ad Bull. Boni Regim. cap.50. nu.29. & seqq.*

Hinc sequitur, quod isto casu non potest Appaltator, vel alter contrahens prætendere rigorosam refectionem interesse
5 pretij quanti plurimi, etiam ratione lucri amissi, eo modo, quo prætendi potest, quando impedimentum prouenit à facto voluntario, & culposo locatoris, qui promissa non impleat; Minusque è conuersó dici potest casus omninó fortuitus, qui pro remissione pensionis regulandus veniat ad terminos *tex. in cap. propter sterilitatem cum concordan.* sed erit iusta causa, quæ excuset quidem locatorem ab interesse extrinseco, illum verò obligat ad refectionem interesse intrinseci, idest ad remissionem pensionis, pro ea rata, quæ verisimilitér in huiusmodi tracta, debita proportione conuenta fuit, nisi conuentio alitèr suadeat, iuxtá distinctiones, de quibus pluriès *hoc eod. tit.* & præsertim *d. disc.159.* vbi recensentur alij præcedentes.

Et in specie solutionis pretij frumenti habiti, ex necessitate annonæ ab Appaltatoribus fiscalibus, qui illud ad maius lucrum, ex iure tractarum alibi vendere destinauerant, cùm hac distinctione agit *Mastrill. decis.257.* vbi plura de materia.

Cadit itèm in hac materia annonæ quæstio, an Ciues, vel Mercatores cogi
6 valeant, etiam inuiti ad venditionem frumenti, aliorumque victualium, etiam pro minori pretio, quod Princeps, vel Magistratus taxent; Et quoad primum punctum coactionis in genere, quotiés iusta causa publicæ annonæ itá suadeat, videntur magis communitér Doctores concordare, atquè videtur vbique receptum, vt etiam aduertitur in his discursibus, & alibi, & patet apud proximè allegatos.

Difficultas veró est in secunda parte diminutionis pretij; Quamuis etenim à pluribus id quoque firmetur, ex plenè relatis *per Giurb. obser.1. Mastrill. de confiscat. d. quæst.18. add. ad Franch. decis.91.* qui referunt *Mexiam de taxa panis, & alios,* contrarium tamèn ex professo substinet *Amayda in d. l. vnic. C. vt nemini liceat in emptione specierum lib.10.*

In hoc autém erroneum videtur, itá generalitèr, & in abstracto examinare quæstionem, siuè, vnam, vel alteram opinionem sequi, cum solis generalitatibus, quæ per vtriusque sequaces ponderari solent, cum veriùs videatur, deci-
7 cisionem pendere á facti circumstantijs, ac debitis distinctionibus; Vbi etenim certi pretij taxa iustum habeat motiuum reprimendi dardanarias, vel monopolia Mercatorum, seù virorum potentium qui habentes frumentum, aliaque victualia, indebité attentis facti circumstantijs, populum suffocare satagunt, illúque compellere ad emendum victualia, pro iniusto, nimiumque alterato pretio, & tunc rectè procedat prima opinio; Vbi verò pretium cariùs, pro locorum, & temporum qualitate, alijsque circumstantijs sit iustum, & currens, quia nempè tanti in eodem loco, alijsque conuicinis frumentum, aliaque victualia communitér vendantur, vndè propterea reductio, seù diminutio fiat ex solo motiuo subleuandi populum è maiori pressura, & tunc procedat secunda opinio; Ex ea nimium congrua ratione, quod istæ partes leuandi populum in tēpore penurioso pertinent ad Principem, vel ad Rempublicam, cum publicis redditibus, in quibus consistunt fructus dotis huius polytici matrimonij, in his discursibus aduertitur, idquè solùm ergá pauperes, non autém

autem diuites, vel benè prouisos; Atque vbi publici redditus, vtpotè alijs indigentijs destinati, desupèr erogari non possint, id faciendum est cum collectis, & contributionibus omnium pro rata virium, & iuxtà Regionum qualitates, & mores, non autem ità tollendis aliquibus, id, quod suum est, iuxtà ponderationes, de quibus infrà *hoc eodem titulo disc.148.* occasione agendi de venditionibus, vel concessionibus Ciuitatum, & locorum, quæ ex causa onerosa prouocarunt ad demanium; Itá etenim duo dignoscuntur inconuenientię. Primò nempè quod diuites, & idonei Ciues, qui non indigent hoc beneficio, vel subsidio, locupletarentur de alieno, imó etiam exteri, & transeuntes, seù viatores. Et secundó, quod illud pauperum subsidium, seù leuamen, quod erogandum est ex redditibus publicis, vel ex vniuersalibus contributionibus, & collectis, ità præstaretur per aliquos particulares tantùm, contra omnes Iustitiæ, & æquitatis regulas, & rationes, ideóque cum hac distinctione ista quæstio terminanda videtur.

Ad Disc. XLVI. Cum plur. seqq.

SVMMARIVM.

1 *De vectigalibus in genere, & quæ sub eorum nomine veniant.*
2 *De impositione vectigalium, & de regalibus.*
3 *De exemptionibus, & franchitijs.*
4 *De modo collectandi.*
5 *De defalchis.*

Ex hoc discursu vsque ad 104. inclusiué, agitur de materia Vectigalium, sub quorum genere, iuxtà communem practicum vsum loquendi, veniunt non
1 non solùm ea, quæ propriè sunt vectigalia, sub nomine Dohanæ, vulgó explicari solita, sed etiam Gabellæ, Collectæ, Datia, contributiones, & similia onera publica, super quibus, pro frequentiori praxi, tres controuersiarum species cadere solent. Primò nempè, super facultate
2 te indicendi huiusmodi onera, cum regularitèr id fit de Regalibus, vt aduertitur *tit. de feudis disc.63. & 64.* & alibi, ideòque, neque per Communitates sine Principis licentia imponi possunt; Verùm desupèr certa regula generalis, vbique applicabilis statui non potest, ob diuersas Regionum, & Principatuum leges, vel consuetudines; Secundó super ex-
3 ceptionibus, & franchitijs, præsertim Ecclesiasticorum, & aliorum, & de his vltrà deducta in supra allegatis discursibus *hoc tit.* agitur *in Miscellan. Ecclesiast. lib.14 disc.2. cum plur. seqq.* vbi reassumitur penè vniuersa materia Immunitatis realis, idcòque ibi videri potest, cum recenseatur etiam deducta in hoc titulo; Et ter-
4 tió super modo collectandi, vel exigendi hæc onera, atque paritèr in hoc certa regula statui non potest, cum totum pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantijs.

Reliqua veró in his discursibus contenta super defalchis, quæ per Appaltatores vectigalium, & gabellarum peti so-
5 lent, & de quo etiã agitur infrá *disc.159.* percutiũt potiùs materiam locationis, & conductionis, in cuius peculiari sede, seù titulo, de hoc quoque agitur.

Super ijs autem, quæ habentur in *hoc disc.46. num.2.* super actibus facultatiuis fauore piæ causæ, habetur infrá *sub tit. de Decimis, Oblationibus, & Eleemosinis.*

Ad Disc. XLVII.

De operatione, & effectibus centenariæ possessionis, & an, & quando illi obstet initium vitiosum, quod resultet ex productione tituli, ad quem tanquám meliorem, possessor se restrinxisse censeatur, videnda sunt deducta *sub tit. de Alien. & contract. prohib. disc.3.*

Et circà consecutiones reuocatorias franchitiarum, & exemptionum, illis exceptis, quæ concessæ fuerint ex causa onerosa, & contractu correspectiuo, conferunt, quæ habentur *sub titulo de feudis disc.63.* vbi de illis gabellis, vel oneribus, quæ sub istis Constitutionibus non cadunt.

Ad Disc. XLIX.

Super puncto concernente naturam contractus, & quando censeri debeat emptionis, & venditionis, vel permutationis ad effectum retractus, de quo frequentiùs agi solet, conferunt, quæ habentur sub *tit. de seruitut.* vbi agitur de hac materia retractuum *disc.73. & 76.*

Ad Disc. L. & seqq.

Super materia immunitatis Ecclesiasticæ, siuè exemptionis realis Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum, vt supra insinuatum est, agitur *in Miscell. Ecclesiast. in libro 14. disc. 2. cum plur. seqq.* cum quibus præsentes discursus connectendi veniunt pro aliqua notitia materiæ.

Præsertim verò circà distinctionem, de qua hoc *disc.50. & 51.* trium specierum onerum, personalium scilicèt, mixtorum, & realium, vt ad hanc vltimam speciem teneantur Ecclesiastici, alijque exempti, ad quos transierint bona possessa per non exemptos; In vna Pennen disputata coram A.C. an onus, quod in Regno Neapolitano nuncupatur *bonatenentia*, super quo particularem edidit tractatum *Marotta post eius disceptationes* dicendum esset tale, vt propterea etiam Clerici successores ex titulo vniuersali, vel particulari ad id teneantur.

Pro affirmatiua ponderabã ea, quæ in hoc proposito deducuntur per *Marott. d. tract. cap.5.* ac etiã tres species onerũ, quę supportantur in Regno, quod scilicèt, alia sunt illa, quæ imponuntur pro oneribus communitatiuis ordinarijs, putà pro Medicis, Chirurghis, Hospitalibus, Horologijs, & alijs huiusmodi; Alia quæ etiam pro oneribus communitatiuis, sed extraordinarijs, putà pro transitu, vel Hospitatione militum, pro persequutione bannitorum, & malefactorum, ac etiam pro illis taxis, & contributionibus extraordinarijs, quæ fiunt pro donatiuis, per Regnum fieri solitis Regi, & similibus; Et demùm alia sunt onera fixa in summa vniformi, quæ ibi dicuntur fiscalia soluenda Regi, ad certam taxam tot carolenorum pro foculari, & sic quod ista species onerum dicenda esset realis, vndè propterea bonatenentia soluitur per Neapolitanos, & Barones, vt per *Rouit. pragm.4. de Immun. Neap. num.2. cum alijs per Marott. d. tract. de Bonat. cap.*6. *nu.*1.

In contrarium tamèn ponderabam, quod id rectè procederet, quando istud onus vniformitèr solueretur, tanquàm merè reale in summa inalterabili, putà ad rationem tot granorum, vel tot carolenorum, pro quolibet iugere, seù modio terræ, siuè in aliqua quota fructuum fixa, & inalterabili, secus autèm stante praxi Regni, quod teneantur quidèm Cõmunitates soluere Regi hæc fiscalia, ad rationem certam tot carolenorum, pro foculari, sed exactio à Ciuibus, & Incolis fit difformitèr, dum alicubi per Gabellas super victualibus, præsertim super farina, seù molitura tritici, alijsque frugibus, iuxtà qualitatem Regionum, & alicubi per collectas personales, seù per capitationem, & alibi per æs, & libram, & per consequens dici non potest onus merè reale, iuxtà dictam tertiam speciem.

Ad Disc. LXI.

De iure priuatiuo habendi furnos, habetur infrà *disc.144. & 145.* vbi de Molendinis, & similibus.

Et de propositionibus, de quibus etiã supra *disc.53. & 54.* quod scilicèt exẽptio siuè immunitas præseruare debet à damno personas immunes, vt pro solutione gabellæ, vel alterius oneris, nullum patiatur detrimentum, neque diminutionẽ intrinseci, & naturalis pretij suorum bonorũ, & victualium, perindè ac si quoad eos nullæ in rerum natura adessent gabellæ, sed viueretur, vt in primæuis temporibus, ante illarum introductionem, & vsum, non autèm, vt personæ exemptę exigere possint ad proprium lucrum illud extrinsecum augumentum pretij, quod subditi impositoribus gabellæ persoluũt proprio Principi, vel propriæ Ciuitati, pro publicis oneribus, quoniàm ità est mani-

manifesta contrectatio rei alienæ, inuito domino, & locupletatio cum aliena iactura, vt pleniùs aduertitur *in Miscell. Ecclesiast. disc. 5. & 6.*

Ad Disc. LXIV. & seqq.

IN materia defalchi competentis Appaltatori gabellarum, & vectigalium cum pluribus distinctionibus, videnda sunt deducta inferiùs *disc. 159. & tit. de Locat. disc. 1. & seqq.*

Ad Disc. LXVIII.

DE hoc puncto, an acquauita dicatur merx, vel vinum, agitur etiam suprà *disc. 53.* occasione agendi, an Clericis, & Religiosis licitum sit ex vino recollecto in eorum vineis, vel prædijs conficere acquauitam ad effectum vendendi, adeòvt dici valeat mercatura prohibita, ad quod conferunt etiam deducta *sub tit. de Regular. disc. 60.*

Ad Disc. LXXI.

SVper casu contento in isto discursu, (& quæ vlteriorem prosequutionē non habuit) habetur votum impressum inter decisiones Rotæ par. 12. rec. decis. 414. Ideòque combinando rationes hinc indè deductas, iudicium efformari poterit, cuinam iustitia assistat.

Ad Disc. LXXII. & XCIV.

DE hac materia Districtus Vrbis agitur quoque *sub tit. de præeminent. disc. 1. in Miscellan. Eccles. disc. 1. in relat. Curiæ disc. 2. & alibi pluriès*; & conferunt, quæ habentur infrà *in annot. ad disc. 144. & 145.* circa differentiam territorij, & agri, vel districtus.

Ad Disc. LXXIV.

CAusa contenta in hoc discursu, pluriès passa est variationes tàm in Camera, quàm in Signatura Gratiæ; Reverà tamen tantam disputationis dotem non merebatur, cùm penderet á puncto nudi facti potiùs, quàm iuris, circà quantitatem scilicèt materiæ gabellabilis, quæ adhibetur in huius aquarelli compositione, vt fieret proportio ad materiā saponis, eiusque gabellam, vndè propterè variationes resolutionum prouenerunt potiùs à vario iudicio peritorum, ac etiam á variationibus testium super his circumstantijs facti.

Ad Disc. LXXVII.

SVper hoc puncto, an scilicèt forenses possint collectari ad maiorem rationem, quàm collectentur ciues, scripsi in Congregatione Boni Regiminis pro forensibus possidentibus bona in Territorio Thiferni, quod vulgó dicitur Ciuitas Castelli, de tempore tamèn, quo causa erat adeò vulnerata cum duabus vel tribus resolutionibus fauore Communitatis contrà forenses, quod dici posset mortua, ideòque obtineri non potuit recessus à iam resolutis; Talisque frequentior est conditio Aduocatorum in Curia, quod vt plurimum non vocantur nisi ad causam mortuam, vel grauitér vulneratam, seù aliàs in malo statu constitutam, vndè propterea nimium difficile est, eam reponere in bono statu.

Vltrà igitur fundamenta in hoc discursu contenta, & alia plené deducta per elaboratum amicum meum *Conciol. alleg. 28.* Dicebam, quod forenses collectari non possunt pro oneribus communitatiuis, dum illa supportant in propria patria

Ad Disc. XLIX.

SVper puncto concernente naturam contractus, & quando censeri debeat emptionis, & venditionis, vel permutationis ad effectum retractus, de quo frequentiùs agi solet, conferunt, quæ habentur sub *tit. de seruitut.* vbi agitur de hac materia retractuum *disc.73. & 76.*

Ad Disc. L. & seqq.

SVper materia immunitatis Ecclesiasticæ, siuè exemptionis realis Clericorum, & personarum Ecclesiasticarum, vt supra insinuatum est, agitur *in Miscell. Ecclesiast. in libro 14. disc. 2. cum plur. seqq.* cum quibus præsentes discursus connectendi veniunt pro aliqua notitia materiæ.

Præsertim verò circà distinctionem, de qua hoc *disc. 50. & 51.* trium specierum onerum, personalium scilicèt, mistorum, & realium, vt ad hanc vltimam speciem teneantur Ecclesiastici, alijque exempti, ad quos transierint bona possessa per non exemptos; In vna Penneñ. disputata eorum A.C. an onus, quod in Regno Neapolitano nuncupatur *bonatenentia*, super quo particularem edidit tractatum *Marotta post eius disceptationes* dicendum esset tale, vt propterea etiam Clerici successores ex titulo vniuersali, vel particulari ad id teneantur.

Pro affirmatiua ponderabã ea, quæ in hoc proposito deducuntur per *Marott. d. tract. cap. 5.* ac etiã tres species onerũ, quę supportantur in Regno, quod scilicèt, alia sunt illa, quæ imponuntur pro oneribus communitatiuis ordinarijs, putà pro Medicis, Chirurghis, Hospitalibus, Horologijs, & alijs huiusmodi; Alia quæ etiam pro oneribus communitatiuis, sed extraordinarijs, putà pro transitu, vel Hospitatione militum, pro persequutione bannitorum, & malefactorum, ac etiam pro illis taxis, & contributionibus extraordinarijs, quæ fiunt pro donatiuis, per Regnum fieri solitis Regi, & similibus; Et demùm alia sunt onera fixa in summa vniformi; quæ ibi dicuntur fiscalia soluenda Regi, ad certam taxam tot carolenorum pro foculari, & sic quod ista species onerum dicenda esset realis, vndè propterea bonatenentia soluitur per Neapolitanos, & Barones, vt per *Rouit. pragm. 4. de Immun. Neap. num. 2. cum alijs per Marott. d. tract. de Bonat. cap. 16. nu. 1.*

In contrarium tamèn ponderabam, quod id rectè procederet, quando istud onus vniformitèr solueretur, tanquàm merè reale in summa inalterabili, putà ad rationem tot granorum, vel tot carolenorum, pro quolibet iugere, seú modio terræ, siuè in aliqua quota fructuum fixa, & inalterabili, secus autèm stante praxi Regni, quod tenentur quidèm Cõmunitates soluere Regi hæc fiscalia, ad rationem certam tot carolenorum, pro foculari, sed exactio à Ciuibus, & Incolis fit difformitèr, dum alicubi per Gabellas super victualibus, præsertim super farina, seù molitura tritici, alijsque frugibus, iuxtà qualitatem Regionum, & alicubi per collectas personales, seù per capitationem, & alibi per æs, & libram, & per consequens dici non potest onus merè reale, iuxtà dictam tertiam speciem.

Ad Disc. LXI.

DE iure priuatiuo habendi furnos, habetur infrà *disc. 144. & 145.* vbi de Molendinis, & similibus.

Et de propositionibus, de quibus etiã supra *disc. 53. & 54.* quod scilicèt exẽptio siuè immunitas præseruare debet à damno personas immunes, vt pro solutione gabellæ, vel alterius oneris, nullum patiatur detrimentum, neque diminutionẽ intrinseci, & naturalis pretij suorum bonorũ, & victualium, perindè ac si quoad eos nullæ in rerum natura adessent gabellæ, sed viueretur, vt in primæuis temporibus, ante illarum introductionem, & vsum, non autèm, vt personæ exemptę exigere possint ad proprium lucrum illud extrinsecum augumentum pretij, quod subditi impositoribus gabellæ persoluũt proprio Principi, vel propriæ Ciuitati, pro publicis oneribus, quoniàm ità est mani-

manifesta contrectatio rei alienæ, inuito domino, & locupletatio cum aliena iactura, vt pleniùs aduertitur *in Miscell. Ecclesiast. disc.5. & 6.*

Ad Disc. LXIV. & seqq.

IN materia defalchi competentis Appaltatori gabellarum, & vectigalium cum pluribus distinctionibus, videnda sunt deducta inferiùs *disc. 159. & tit. de Locat. disc.1. & seqq.*

Ad Disc. LXVIII.

DE hoc puncto, an acquauita dicatur merx, vel vinum, agitur etiam suprà *disc.53.* occasione agendi, an Clericis, & Religiosis licitum sit ex vino recollecto in eorum vineis, vel prædijs conficere acquauitam ad effectum vendendi, adeòvt dici valeat mercatura prohibita, ad quod conferunt etiam deducta *sub tit. de Regular. disc.60.*

Ad Disc. LXXI.

SVper casu contento in isto discursu, (& quæ vlteriorem prosequutionē non habuit) habetur votum impressum *inter decisiones Rotæ par.12. rec. decis.414.* Ideòque combinando rationes hinc indè deductas, iudicium efformari poterit, cuinam iustitia assistat.

Ad Disc. LXXII. & XCIV.

DE hac materia Districtus Vrbis agitur quoque *sub tit. de præeminent. disc. 1. in Miscellan. Eccles. disc. 1. in relat. Curiæ disc.2. & alibi pluriès*; & conferunt, quæ habentur infrà *in annot. ad disc. 144. & 145.* circa differentiam territorij, & agri, vel districtus.

Ad Disc. LXXIV.

CAusa contenta in hoc discursu, pluriès passa est variationes tàm in Camera, quàm in Signatura Gratiæ; Reverà tamen tantam disputationis dotem non merebatur, cùm penderet à puncto nudi facti potiùs, quàm iuris, circà quantitatem scilicèt materiæ gabellabilis, quæ adhibetur in huius aquarelli compositione, vt fieret proportio ad materiā saponis, eiusque gabellam, vndè propterea variationes resolutionum prouenerunt potiùs à vario iudicio peritorum, ac etiam à variationibus testium super his circumstantijs facti.

Ad Disc. LXXVII.

SVper hoc puncto, an scilicèt forenses possint collectari ad maiorem rationem, quàm collectentur ciues, scripsi in Congregatione Boni Regiminis pro forensibus possidentibus bona in Territorio Thiferni, quod vulgò dicitur Ciuitas Castelli, de tempore tamèn, quo causa erat adeò vulnerata cum duabus vel tribus resolutionibus fauore Communitatis contrà forenses, quod dici posset mortua, ideòque obtineri non potuit recessus à iam resolutis; Talisque frequentior est conditio Aduocatorum in Curia, quod vt plurimum non vocantur nisi ad causam mortuam, vel grauitér vulneratam, seù aliàs in malo statu constitutam, vndè propterea nimium difficile est, eam reponere in bono statu.

Vltrà igitur fundamenta in hoc discursu contenta, & alia plenè deducta per elaboratum amicum meum *Conciol. alleg.28.* Dicebam, quod forenses collectari non possunt pro oneribus communitatiuis, dum illa supportant in propria patria

patria, ideóque iustum non est, vt duplex onus pro eodem patrimonio ferre debeant; Potissimè intrà eundem Principatum, quidquid sit respectu bonorum existentium in diuersis Principatibus independentibus, cùm tunc quemadmodū quot sunt Principatus, tot censentur esse imperia, vel mundi, ita censentur tot patrimonia omninó diuersa, in quorum singulis, possessor consideratur tanquam diuersus homo, vt nimium frequentèr insinuatur, præsertim infrà *in Romana Confiscationis disc. 161. & tit. de iurisdict. disc. 90. & tit. de Hæred. disc. 3. & alibi*, vndè propterea forensium collecta intrat solùm pro oneribus Cameralibus.

Ista verò onera sunt in hoc Principatu potiùs realia, quàm personalia, vel mixta, vndè propterea in eis non datur exemptio, quamuis clausa sit in corpore iuris communis, nimiúmque fauorabilis esset, vt est illa patris duodecim filiorū, vel illa Clericorum, & Ecclesiarum, (nisi obseruantia eis suffragetur;) Minùsque illa, quam ex statuto Vrbis obtinent Ciues Romani intrà districtum, vt aduertitur *disc. 35. de Seruitut.* Idque comprobatur ex eo, quod quādo Paulus Tertius, vel respectiuè Paulus Quartus istud onus imposuit, mandauit mensurari totum territorium status Ecclesiastici, adeò vt Communitates in hoc onerum specie, gerant potiùs personam administratoris, nomine Cameræ, etsi Communitas sit diues, non per hoc ciues, & incolæ, vel exteri possidentes bona in territorio, ab hac solutione excusantur; Idcóque nulla dignosci videtur differentia inter ciues, & exteros, siuè inter priuilegiatos, & non priuilegiatos, cum non spectetur qualitas possessoris, sed qualitas ipsorum bonorum, exindèque resultat, quod dictæ resolutiones probabili videantur carere fundamento; Atque eatenùs essent sustentabiles, quatenùs, iuxtà distinctionē, de qua *in annot. ad disc. 1. de Seruit.* istud statutum esset valdè antiquum, & conditum de tempore, quo iuxtà antiquos mores, pleræque Ciuitates, in his præsertim Regionibus, libertatem sibi vsurpauerant, atque pro Republica se gerebant, vndé propterea condebant leges, etiam iuri communi contrarias, atque ita inhabilitare poterant forenses ad obtinendum, & possidendum bona in territorio, quodque ista esset conditio adiecta dispensationi, siué habilitationi forensium; Id autem per scribentes pro forensibus in facto negabatur, præsupponendo, quod esset statutum modernum; & de casu, vt forenses possint, ac debeant plus grauari, quàm subditi, habetur infrà *disc. 203.*

Ad Disc. LXXVIII. LXXIX. & CXII.

Contenta in his discursibus super facultatibus appaltatorum, circà finem appaltus remittendo gabellam in totum, vel in parte, siué alia faciendi ea, quæ præiudicare possent appaltatori successori; reverà continent quæstionem potiùs facti, quàm iuris, ex singulorum casuum circumstantijs decidendam; ideóque non de facili admittunt regulam certam, & generalem, atque error est procedere cum solis generalitatibus, cum totum pendeat à bona, vel mala fide; Istaque potissimum regulanda venit á stylo, seù consuetudine appaltus, quoniam si appaltator in fine sui appaltus, id agat, quia idem passus sit á prædecessore, adeòvt pro naturali cōsuetudine appaltuum, pluriès enunciata, præsertim infrà *disc. 107.* habendi scilicet primos annos ex ista causa potiùs steriles, & damnosos, compensandos cum vltimis annis ex eadem causa lucrosis, & vberibus, ita proprium damnum compensare voluerit; tunc iustum non esset, vt illi denegaretur huiusmodi compensatio; secùs autem cessante hac ratione, quæ propterea materiam, seù quæstionē regulare debet.

Ad Disc. LXXX. & LXXXVII.

Ad materiam huius discursus, vt in eodem quoque aduertitur, conferunt ea, quæ habentur *lib. 1. de Feud. disc. 83.*

disc.83. in proposito legum, & edictorũ Regni, vel Principatus, an comprehendant Ciuitates, vel Prouincias de nouo additas; Ac etiam circá modum additamenti, conferunt distinctiones deductæ *disc.29. de Præm.* an scilicèt sit per viam reuersionis, vel omnimodæ incorporationis, tanquam per speciem alluuionis, vt omnes partes constituant vnum, & idem corpus, vel potiùs per alteram speciem vnionis, per quam quælibet Prouincia, vel pars constituit suum corpus distinctum, ex ibi ponderatis.

Ad Disc. LXXXI.

DE additione in diem, de qua agitur in præsenti discursu, videnda sunt ea, quæ habentur *sub tit. de Locat. & Conduct. disc.46.*

Et de altero assumpto, quod Vectigalia, aliaque iura Regalia assignata huic Hospitali, non amittant naturam, seù qualitatem Regalium, eamque retineant perindè, ac si essent penès ipsam Cameram, habetur infrà *in Romana Gabellæ lignorum pro eodem Hospitali disc.174.* vbi declaratur conclusio, quod iura Regalia penés priuatos, desinant esse Regalia, atque efficiantur bona priuata, & indifferentia.

Ad Disc. LXXXIV.

DE materia bonorum extradotaliũ, eorumque fructuum, vltrà deducta suprà *disc.35.* particulariter, magisque ex professo agitur *sub tit. de Dote disc.168.*

Ad Disc. XCIV. & XCV.

AD contenta in his discursibus conferunt ea, quæ ad materiam pascuorum, & iuris pascendi habentur pluriés *sub tit. de Seruit. & præsertim disc.35. cum seqq.*

Ad Disc. XCVI.

DE ista materia filij familias, quando habendus veniat pro patre familias, agitur *sub tit. de Alien. & Contract. prohib. disc. 37.*

Ad Disc. CV. & CXVI.

IN his discursibus, occasione diuersarum quæstionum, agitur de materia Salis, & Salinarum, de qua etiam agitur infrà *disc. 158. & 159.* ac etiam infrà *In Placentina Salis disc.168.* cum re verà omnia videantur coincidere in idẽ, ac propterea procedi non potest cum solis generalitatibus, cùm totum pendeat ex facti circumstantijs, pro diuersis legibus, & stylis Regionum, vel Principatuum.

Ad Disc. CXVIII.

COntenta in hoc discursu percutere videntur potiùs materiam emptionis, & venditionis, quando scilicèt periculum sit emptoris, vel venditoris, ideóque videndum in sua sede *sub tit. de Empt. & Vend. disc. 1. 6. & 8.*

Ad Disc. CXXIII.

VIdenda sunt ea, quæ habentur infrà *disc.160.*

Ad

Ad Disc. CXXIV.

AD hanc materiam participationis pœnarum, de qua alijs relatis,habetur apud *Mastrill. decis.* 12. *Farinac. cons.*107. & 148.*lib.* 2. *Larrea alleg.* 37. de pœnis scilicèt incursis, & declaratis de tempore vnius officialis, exactis autem de tempore alterius, habentur in hoc Statu Ecclesiastico Constitutiones 93. Sixti V. 5. Clementis VIII., & 88. Pauli V. ex quibus quæstio decisa remanere videtur, quod scilicèt in participatione, seù repartitione, attendi debeat tempus, in quo incameratio cum effectu sequatur, quasi quod istud sit præmium, quod ex pecunijs, vel bonis iam obtentis fiscus præbeat officialibus, alijsque participantibus, tanquam per speciem admissionis ad conuiuium, seù ad mensam, vt in ea accumbant illi officiales, qui reperiuntur de tempore,quo cibi sunt iam præparati, non autem illi, qui erant officiales de tempore, quo apertum fuit ius ad cibos assequendos, cum potiùs id videatur importare quandam præparationem futuri conuiuij, cuius tempus attendendum venit.

Quare in hoc proposito, quæstio cadere videtur in casu, quo pœna iam declarata, & cognita sit, sed fiscus, vel eius officiales concesserint reo, qui pœnam passus est, vel alteri, qui eam soluere debet, aliquam dilationem ad soluendū, & de hoc agitur apud *Farinac. d. cons.* 107. *lib.* 2. vbi quod tunc habetur pro iā incamerata ad fauorem primi officialis, dum dilatio non percutit substantiam, neque isto casu intrat ratio incertitudinis, quod scilicèt priùs incertum esset, an pœna effectum sortiri deberet, nec nè, ob gratiam Principis, vel ob aliud accidens, ob quod licèt de iure incursa sit, potest effectum non sortiri.

Ideòque in casus contingentia, in vna *Romana Centesima*, inter prædecessorem, & successorem in officio substituti Commissarij Cameræ,dicebam, consultus pro veritate circa participationem emolumenti resultantis ab incameratione quarumdam secretariarum montium, quod si Camera effectiuè obtinuerat secretarias, eas tamen pro eius commoditate distulisset vendere ad aliquod tempus, intrà quod sequuta erat mutatio officialium, quod tunc pro primo officiali respondendum esset, cum tali casu pœna esset iam consumata, & exacta in ipsis bonis, quæ Camera poterat non vendere, sed pro se retinere, ideòque eius voluntaria dilatio in vendendo,non debebat præiudicare officiali; Secùs è conuersò; dando in hoc exemplū confiscationis, de qua infrà *disc.* 161. quod scilicèt cum illa consisteret in Castro, ac etiam in casalibus, quæ Camera poterat vendere, vel pro se retinere, si determinasset retinere, & posteà mutato consilio ex interuallo vendidisset, & pretium in pecunia recepisset, illudque incamerasset, tunc dicendum non est, vt attendi debeat istud vltimum tempus, sed potiùs primum, quoniam tunc verè, & effectiuè pœna exacta fuit; Cum præsupposito tamen, quod actus sit iam perfectus, & consumatus, adeò vt nulla vigeat dubietas, vel incertitudo circa substantiam, sed sit solùm circa exactionem, & in sola ratione dilationis; secùs autem si adhuc vigeret dubietas circà substantiam; adeò vt res adhuc esset in pendulo, quia nempè à sētentia lata super incameratione, vel super incursu pęnæ,pēderet appellatio,vel recursus, vndè propterea licet fiscus ex eius priuilegio obtinuerit in possessorio, ob denegationem appellationis suspensiuæ, nihilominùs rationabilitèr abstinuerit à venditione, & ab effectiua incameratione, ob dubietatem, quòd in gradu appellationis, condemnatio retractari possit,atq; tunc intrare videntur ea, quæ habentur fauore illius officialis, qui reperiatur de tempore, quo effectiua incameratio sequatur, idest, quod actus sit perfectus.

Ad hanc materiam quoque conferre videntur ea,quæ habētur *decis.*322.*par.*4. *recent. tom.*2.*repetit.apud Coccin.dec.*1839. in proposito participationis munerum, & emolumentorum, quæ solui solent per nouitèr promotos ad Cardinalatum, familiaribus Papæ, occasione susceptionis pilei, vel receptionis bireti, quod eis absentibus vltrà montes, per vnum ex familiaribus trāsmittitur,an scilicèt debeātur familiaribus illius Pōtificis, qui creauit Cardinales, vel potiùs familiaribus Pōtificis successoris,ac regnantis de tempo-

pote

pote, quo fiat effectiua distributio massæ ex huiusmodi muneribus conflatæ.

Ad Disc. CXXV.

DE contentis in hoc discursu ad materiam annonæ, actum est suprà *in Annot. ad disc. 44. & 45.*

Ad Disc. CXXVI. & seq.

DE hac materia monetarum, earũque alteratione, cuius damno, vel commodo cedat, agitur *sub tit. de Credito disc. 140. tit. de Benef. disc. 89. & tit. de Pension. disc. 34. & seq.* vbi videndum est; Et in specie de hac inferiori moneta Insulæ Meleuitanæ *in Miscell. Ecclesiast. lib. 14. disc. 4.* vbi quod cussio monetæ inferioris materiæ, cuius pretium intrinsecum, & naturale, ipsius monetæ valori non respondeat, sit species occultæ gabellæ, quæ ita insensibilitèr exigitur à subditis, eo modo, quo exigitur cum pretio extrinseco, & alterato salis, aliorumque victualium, quorum ius priuatiuum Princeps habeat; Et de legatorum, aliarumque dispositionum interpretatione, de qua scilicèt specie monetæ, vel scutorum intellectum sit *sub tit. de Legat. disc. 40. & in eius Supplemento,* vbi paritèr videndum est.

Ad Disc. CXXIX.

AD contenta in hoc discursu super securitate ementis in portibus, vel publicis emporijs, conferunt, quæ habentur *sub tit. de Empt. & Vend. disc. 13. & 42.* ac etiam *sub tit. de Credito disc. 22.*

Et de emente rem furtiuam, an, & quando ex equitatiua exceptione de vtili in rem verso, seú negotiorum gestorũ repetat pretium ab ipso solutum, conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de Vsur. disc. 5. & d. disc. 13. de Empt. & Vend.*

Ad Disc. CXXXI. & CXXXII.

IN materia nundinarum, iuxtà ea, quæ in his discursibus habentur super cõclusione, vt nundinæ sint de Regalibus, pluriés in facti contingentia, præsertim in vna *Recanaten.* dicere consueui, quod Regalia consistunt in illis qualitatibus, quæ verè, & propriè contradistingunt nundinas publicas, & solemnes, ab alijs nundinis priuatis, quas ad differentiam vulgò appellamus *Mercatus*, iuxtà distinctionem, de qua in his discursibus, & in auctoritatibus ibi relatis; Circà immunitatem scilicèt à Dohanis, alijsque vectigalibus, ac etiam circa alia priuilegia, quæ præter, vel contrá dispositionem iuris competere solent emptoribus, & venditoribus, alijsque negotiatoribus, vt ad constituendam primam speciem nundinarum publicarum, cũ prædictis, & alijs priuilegijs, requiratur priuilegium Principis, quodque id sit de Regalibus, cum illa iurisdictione, & summaria cognitione causarum, de qua plené agit *Maran. in specul. seù prax. verb. vt iudicium mercatorum,* & aduertitur *tit. de Iudic disc. 42.* recensendo processus, seù causas executiuas; Secùs autem pro secunda specie mercati priuati, occasione alicuius festiuitatis, vel alterius concursus populi, cùm tunc eatenùs non liceat facere priuata auctoritate hos mercatus sinè licentia Gubernatoris, vel alterius iudicis ordinarij loci sæcularis, vel respectiuè Ecclesiastici, iuxtá qualitatem dierum feriatorum, & non feriatorum, in quibus illi fiant, vel vtriusque etiam in diebus feriatis, quatenùs ad alios effectus dicta licentia requiratur superioris, scilicèt, Ecclesiastici ob contrectationes in die festiuo, & sæcularis ob prohibitas adunantias, ex quibus inconuenientia resultare possunt, iuxtà ea, quæ de conuenticulis in iure disponnntur, sed hoc non est de Regalibus, cùm pertineat ad quẽcumque iudicem inferiorem ordinarium loci;

loci; Ideòque magna differentia est inter vnam speciem, & alteram; Est benè verum, quod ista dici meretur vna ex materijs incapacibus regulę certę, & generalis, dum Regionum, seù Principatuum leges, vel styli, quibus principaliter deferendum venit, nimiam diuersitatem habere videntur; Ac propterea intrat consuetus error procedendi cum generalitatibus, vel attendendi auctoritates, & doctrinas in sola littera, earumque aritmetico cumulo, vel consarcinatione, non distinguendo loca, & tempora, aliasque circumstantias, cum quarum præsupposito, diuersarum Regionum scriptores loquuntur, quoniam stant benè simul, quod omnes benè loquantur, & tamen quod malè aliqua applicentur.

Ad Disc. CXXXIII.

DE hac materia tractarū, vt quamuis concessæ sint, non solùm ex gratia, & titulo lucratiuo, sed etiam ex contractu oneroso, & correspectiuo, vt in præsenti, prohiberi tamen possit earum vsus, vel exercitium, quando ratio annonæ, seù alia iusta causa id exigat, cadente solùm controuersia super refectione, an debeat esse maior, vel minor, habetur actum suprà *in annot. ad disc. 44. & 45.* occasione agendi de annona.

In casibus autem cōtrauentionis, quod scilicèt victualia, aliaque prohibita extrahantur extrà principatum, vel extrà prouinciam, siué extrà priuatum territorium loci, iuxtà varias leges, vel stylos Principatuum, vel Præsidatuum, plures disputari solent quæstiones, & præsertim an possit procedi per inquisitionem, vel sit opus, vt capiantur in fragranti, ac etiam quomodo in hac materia procedendum sit cum Clericis, & personis ecclesiasticis, & de his agunt *Ronit. & Nouar. super pragm. de extract. Mansin. in eius tract. de Contrabann.* & nupèr *Rocch. in eius tract. de offic.* cui officiorum materia deseruit solùm pro titulo, cum re verà tota circumferatur super ista materia contrabannorum; Adhùc tamen desupèr certa regula generalis statui non potest, proindèque dignoscitur in hoc idem consuetus error procedendi cum generalitatibus, siuè quidquid scriptum reperitur, indefinitè applicandi quibuscumque casibus, cum totum pendeat à legibus, & stylis particularibus Principatuum, seù guberniorum.

Ad Disc. CXXXIV.

SVb die 16. Iunij 1670. proposita causa, iuxtà præmissa resolutio prodijt, concessaque noua audientia, non audiui amplius actum, forsan concordia, causæ finem dedit, si defensores non mutauit.

Ad Disc. CXXXV. & CXLII.

AGitur in his discursibus de materia publicarum platearum, quæ contradistinguntur à vijs publicis ob diuersitatem vsus, quoniam quæstiones viarum percutiunt libertatem transitus, iuxtà casus, de quibus *in duobus discursibus proximè sequentibus*, istæ verò quæstiones platearum, in quibus ex Principis concessione habeatur aliquod ius priuatiuum in tota platea, vel in aliqua eius parte, præcipuus punctus non est in vsu situs materialis, sed in iure vendendi, siuè in iure prohibendi, ne alij vendant absque eius licentia, & permissione, pro qua præmium obtineatur.

Hinc propositio in quæstione disputata coram Iudice particularitèr deputato per Cardinalem Protectorem Hospitalis S. Sixti, quod habet hoc ius in platea Iudæorum, siuè ante Ghettum, & Dominos domorum adiacentium; Cùm isti prætenderent posse concedere, seù locare situs existentes subtùs stillicidia, quasi quod ista essent iuris priuati, atq; Scribentes pro dictis Dominis, desupèr allegarent deducta á me *d. disc. 142.* Dicebam, scribens pro Hospitali, quod quidquid sit de hoc puncto, an scilicèt spatiū existens sub stillicidio, seù tecto se protendente super platea publica, esset iuris publi-

publici, vel priuati; Admisso etiam quod dicendum veniret iuris priuati, ad hunc effectum, vt scilicèt alter, inuito ipsius domus domino, non possit illum occupare, siuè ibi bona vendere; Eo modo, quo est iuris priuati sine dubio externa pars murorum domus respondentium in via, seù platea, & quæ partes deseruire solent pro venditione victualium, aliorumque bonorum, iuxtà ponderationes, de quibus *d. disc.* 142. & *sub tit. de locat. disc.* 29. non tamen exindè inferri potest, vt licitū sit ipsis dominis, vel illis, quibus ipsi cōcedant, ibidem tenere exposita victualia, aliave bona, pro quorum venditione, priuatiua facta sit plateæ concessio à Principe, nisi quatenus agatur de rebus concernentibus vsum illius domus, vel priuati ædificij, iuxtà easdem ponderationes, de quibus *in his discursibus* 135. *&* 142. *& d. disc.* 29. *de locato*. Et sic quod illi, qui in huiusmodi stillicidijs, vel spatijs, victualia, aliave bona vēdere volunt, duplici indigeant licentia, seù facultate, adeòvt vna sinè altera, sufficere non videatur, nisi quatenùs antiqua, & pacifica obseruantia contrarium doceat; Domini scilicèt Plateæ, siuè habentis istam concessionem iuris prohibendi pro facultate vendendi in ea platea, sinè distinctione, an in vno, vel in altero loco; Et domini domus, vel stillicidij, qui prohibere post occupationem illius situs, & ne ipso inuito, venditores ibi morentur, dum ita vtrique consultum remanet; Neque habentis ius plateæ interest, an venditores pro obtinenda maiori commoditate illius situs sub stillicidio, seù tecto protendente, vel pro commoditate murorum, soluant etiam recognitionem domorum dominis, atque ita in hac facti specie iudicatum fuit, dando manutentionem vtrique parti.

Ad Disc. CXXXVI.

ISta causa adhuc pendet in eodem statu; vt in discursu, & ad hanc materiam viarum, conferunt ea, quæ habentur *discursib. seqq. & tit. de Seruitute disc.* 23.

Ad Disc. CXLIII. cum duobus seqq.

SVper concernentibus istam materiā iuris priuatiui habendi in loco furnos, & molendina, vel Hospitia, vltrà insinuata *lib.* 1. *de feud. disc.* 3. & in alijs, vt suprà *disc.* 61. agitur etiam infrà *in Fanen. Molendini disc.* 167.

Ad Disc. CXLVI

AD hanc materiam angariarum, & perangariarum, aliorumque seruitiorum, videnda sunt, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 51. *&* 65. & de hoc eodē Castro, eiusque Domino, agitur quoque *sub tit. de Seruit. disc.* 36.

Ad Disc. CXLVII.

DE contentis in hoc discursu, agitur incidentèr *sub tit. de Dote disc.* 160. ac etiam *sub tit. de emphyt.* quando scilicèt ea, quæ existunt sub solo, spectent ad emphyteutam, vel ad dominum directum *& sub tit. de Emptione disc.* 44.

Ad Disc. CXLVIII.

SVper ista facultate tollendi ius tertij, eique præiudicandi, incidentèr agitur pluriès in omni ferè materia, & præsertim *in Relatione Curiæ disc.* 2. occasione agendi de potestate Papæ, *& tit. de fideic.* occasione agendi de derogationibus fideicommissorum, de quibus etiam *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum*, *eodemque tit. de feud. in annotat. ad disc.* 9. *& in alijs*, circà facultatem immutandi naturam feudi, & in eo erigendi primogenituram, & *sub tit. de Credito*, occasione agendi de priuilegijs, quæ con-

cedi solent in erectionibus montium, tollendo, vel suspendendo hypothecas anteriores, & *sub tit. de legitima*, occasione statutorum tollentium legitimam matri, cum similibus.

Quidquid enim sit de foro interno, de quo ex totiès protestatis, meum non est agere; Quatenùs pertinet ad forum externum, ea, quæ per Doctores in hoc pōderari solent, circa iustam causam publicæ vtilitatis, vel necessitatis, percutiunt diuersos effectus, vnum scilicet moniti ipsorum Principum, eorumque Consiliariorum, vt ab istius facultatibus exercitio sine iusta causa abstineant; Ad alterum iudicibus pro regulando defectu subsequùtionis, vel obreptionis, aut intentionis; Et alterum, vt idem Princeps, vel eius successor, facilior reddatur ad reuocandum id, quod ita gestum est, dū his seclusis, in ijs, quæ percutiunt ius positiuum, vanum hodiè videtur in foro, & in Tribunalibus ipsiusmet Principis disputare de potestate.

Ad Disc. CXLIX.

SVper ista quæstione disputata in Congregatione Immunitatis *sub die 26. Augusti 1669.* plenis, & concordibus votis, prodijt resolutio, iuxtà præmissa ad fauorem Ecclesiæ, adeò vt ministri Cameræ Ducalis acquieuerint, (quod sciam;) Et quamuis inter multos scribentes pro Camera, quidam moralis relatus *in discursu num. 5.* edito isto Regalium volumine, visoque isto discursu, pro defensione (vt ipse dicebat) suę distinctionis, nimium copiosum, & elaboratum ediderit Responsum impressum, in specie contra hunc discursum, quod per vniuersam ferè Italiam distribuit, & præsertim mihi in Curia idem auctor; Quinimò illud cum nimia vrbanitate transmisit, nimiūmque probabile est, quod illud, quod inter alia eius opera publicæ luci sit daturus (si hùc vsque non dedit;) Attamèn assumere nolui prouinciam ei replicandi, retinendo propositum insinuatum in proœmio huius Supplementi, quòd scilicèt, cùm meum institutum non fuerit, ad propriam inanem gloriam, vel ostentationem; istos publicæ luci edere labores, minùsque proprias mordicus substinere opiniones, sed solùm veritati, & iustitiæ inseruire, illasque eo, quo fieri potest modo inquirere ad publicam vtilitatem, ac posteritatis instructionem; Hinc proindè eidem cum debita vrbanitatis correspondentia, respondi, clarum fuisse. vt pro eodem à me desiderato fine, ità melius veritas criticaretur, insinuando tamen, quod si credebat meliorem esse propriam opinionem, curarer illam canonizari ab eadem Congregatione, mediante recessu à resolutis.

Reflectendo autem denuò ad casum, non obstantibus multis eiusdem scribentis ponderationibus, adhùc probabilis, benèque fundata visa est resolutio, cùm responsiones in eadem scriptura contentæ non elidant solida fundamenta, quibus resolutio est innixa, præterquam vbi intraret illa ratio, de qua in his terminis habetur *sub tit. de feud. disc. 72.*

Quamuis verò pertinet ad casus incidentèr in discursu insinuatos super successione Collegij, vel Congregationis, siuè Hospitalis, in exclusionem fisci; Vera, nimiumque probabilis videtur distinctio, paritèr insinuata, an scilicèt mors in Hospitali proueniat accidentalitèr, quia nēpè ad illud accesserit infirmus, gratia curationis, vel potiùs sequuta sit ob continuam moram, & addictionem pro tempore vitæ, vt contingit in Hospitali senū, & mendicantium Vrbis sub nomine Sancti Sixti, de quo agitur suprà *disc. 79. 80. & 81.* siuè sunt Horphanotrophia, & similia Hospitalia, vel Collegia, quæ recipiunt pueros, & puellas orphanas, vel dispersas, cum similibus, cùm tunc Hospitale dicatur esse loco parentis; Istoque casu intrat successio in exclusionem fisci, non autem coniunctorum; Nullatenùs autém in primo modo solùm accidentali, qui non inducit mutationem domicilij, iuxta ea, quæ habentur *sub tit. de Paroch. disc. 23. & 38.* cum isto casu ex quadam consuetudine generali, Hospitale succedere soleat in illis pecunijs, & vestibus quas secum ferunt.

Eademque distinctio adhibenda videtur in Collegijs, & Congregationibus, quod scilicèt ad hunc effectum non sit considerabilis accidentalis adscriptio alicui Collegio, vel Congregationi occasione

sione professionis, vel artis, siue ex causa deuotionis, sed quando sit addictio formalis pro toto tempore vitæ, vt (ex:gr:) sunt Præsbyteri Congregationis Oratorij S.Philippi Nerij, vel sunt illæ mulieres, quæ in figura Monialium viuunt in Conseruatorijs, iuxtà casum, de quo *sub tit. de iurisd. disc. 45. & sub tit. de Regal. disc. 50. & alibi*; siuè sunt milites illarum Ecclesiasticarum militiarum, in quibus professio Regularis non emittatur, iuxtà casum de quo *tit. de Iurisd. disc. 92.* ad quod conferunt, & quæ in proposito militum, vel seruientium alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, seù Religioni habentur *sub eod. tit. de Iurisdict. disc. 4. & 33. cum similibus*.

Ad Disc. CL.

Super hac eadem causa, occasione agendi de puncto collationis, vel imputationis, agitur *sub tit. de hærede disc. 32*. Et de eadem materia imputationis *lib. 1. de feudis in annot. ad disc. 19. & tit. de Legitima disc. 13. 15. 18. 20. 23. & 24.* & magis ad rem *sub tit. de fideicom. disc. 191.* qui est in causa *Bononien. separationis bonorum* in hoc discursu allegata.

Quamuis autem præsens causa adhuc pendeat coram arbitris, sub aliquo tractatu concordiæ, adhuc tamen ad eam pro veritate reflectendo, persistendum videtur in eodem sensu, quod scilicét circa primum punctum, sufficiens probatio accedat, quod pecunia erogata in acquisitionem huius officij, prouenirer à patre, dum eius magna quantitas, ac etiã status, & qualitas patris, ac ætas, & qualitas filij, ad euidentiam id comprobare videntur; E conuersò autem, quod dum pater in vita nihil declarauit, nec dispo-suit, ac etiam ob aliquam subsequutam obseruantiam fratrum, & cohæredum, adesse censeatur illa donatio, de qua suprà *disc. 1. 24. & alibi*.

Prætereà, vbi etiam in hoc proposito procedendum esset cum formalitatibus iuris ciuilis, cum quibus *Bald.* & alij nostri maiores processerunt, iuxtà insinuata *sub tit. de feud. in hoc Suppl. disc. 131.* in proposito patris acquirentis pro se, & filijs feudum ex causa onerosa, constituẽdo scilicèt differentiam inter filios in potestate, & extraneos, vel filios sui iuris, ob prohibitionem donationis inter patrem, & filium in potestate, congruerent ea, quæ habentur de extraneis, vel de filijs, qui non sint in potestate, stante Clericatu, ob quem cessat prohibitio iuris ciuilis, dum quidquid in filium Clericum obuenit, sortitur naturam peculij, quasi castrensis, ex deductis occasione vsusfructus legalis *sub tit de seruit. disc. 61.* & occasione facultatis testandi, *sub tit. de Testam. disc. 34*.

Verùm quia (vt *loc. cit. de feudis* aduertitur) ista consideratio parum probabilis videtur, quodque totum faciat expressa, vel præsumpta voluntas patris; Hinc proindé ad hanc rem probabilius adaptari videntur ea, quæ habentur *d. disc. 191. de fideicom.* & in alijs locis ibidẽ citatis, pro regulatione voluntatis, in exclusionem imputationis, & inclusionẽ donationis, ex causa scilicèt correspectiua, & onerosa, quam secum fert status Prælaturæ, qui videtur importare quandam necessitatem maiorum sumptuum, maiorisque incommodi, & laboris; Quinimò magis quàm primogenitura, vel feudum, cum titulo, seù dignitate, quoniam hæc dimitti possunt, atque ita eximi à dictis oneribus, quod nõ est ita practicabile in Prælatura; Vel quia non pendeat à libera voluntate Prælati, ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de Benef.* super resignatione beneficij ob quasi cotractum, qui iniri dicitur cum Papa in concessione, ac respectiuè susceptione Prælaturæ; Vel quia, vbi contingat illam dimitti extrà occasionem mutandi statum in longe meliùs, sed ex causa, quod in eo statu se sustentare non possit, tunc est nimium præiudiciale decori, & existimationi, & per consequens reputatur status nẽcessarius, si non ex necessitate præcisa, attamẽn ex morali, seù causatiua, quæ inesse dicitur in ijs, quæ obligant ex ratione conuenientiæ, seù dedecoris, iuxtà *decis. 677. Franchi*, cum alijs *sub tit. de Dote disc. 78. & 79.* Et per consequens combinando simul occasionem, & subsequutam obseruantiam patris non disponendi in contrarium, ita videbatur, quod nimia probabilitas huic parti assisteret.

Ad Disc. CLI.

DE contentis in hoc discursu ad materiam librorum, eorumque exhibitionis, habetur actum *sub tit. de Iudic. disc.*28. *&* 30. *& in decis.*32. *&* 102. *par.* 10. *recent.*

Ad Disc. CLII. & CLIII.

DE materia fraudatæ gabellæ, habetur etiam actum suprà *disc.* 69. 88. *&* 89.

Ad Disc. CLIV.

AN debeatur gabella de fideicommissaria, seù mediata successione videnda sunt, quæ laté super consimili statuto scribit Manzius *Lucen. consult.* 18.

Ad Disc. CLV.

AD hanc materiam videnda sunt ea, quæ habentur *in annot. disc.*54.

Ad Disc. CLVI.

DE hac gabella passus, seù pedagij, vltrà hic relatos, latè agit *Moles in decis.* §.14. Et an ista debeatur de cadauere, habetur infrà *disc.*166.

Et de requisitis in cōcordijs, quæ fiant per Communitates, habetur in specie duarum Communitatum, actum *sub tit. de alien. & contr. prohib. disc.*24.

Ad Disc. CLVII.

SVper contentis in hoc discursu super modo computandi annum pro diuisione fructuum, conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de Pension. disc.* 24. *& seqq. & sub tit. de Dote disc.*160.

Ad Disc. CLVIII. & CLIX.

AD hanc materiam Salis, & defalchi videnda sunt ea, quæ habentur suprà in suis respectiuè sedibus, nempè *disc.*65. *& seq.* & 105. *cum seqq.*

Ad Disc. CLX.

AD materiam confiscationis conferunt ea, quæ habentur infrà *in Romana Incamerationis disc.* 161. & suprà *disc.*123.



DISC.

DISC. CLXI.

Romana Incamerationis.

Pro Cornelio Frangipanio cum Camera Apostolica.

Casus resolutus vt infrà.

An Confiscatio intret in bonis subiectis fideicommisso, & quando.

Et de propositione, quod quilibet confiscat in suo territorio, quando, & quomodo procedat.

Et de probatione delicti ad hunc effectum confiscationis, an sufficiat sententia sine actis.

Cùm Discursus ob motiuorum pluralitatem, pluriumque articulorum examen sit prolixus, idcircò post facti seriem, pro maiori commoditate, diuiditur in tres articulos.

Primo nempè, An, & quando quilibet confiscare possit bona in eius territorio existentia, pro delicto extrà idem territoriū patrato, *à num.* 5. *ad* 41.

Secundo, An stante fideicommisso, intret, nec nè confiscatio; *à num.* 42. *ad* 63.

Tertio, An sola sententia sine actis probet ad hunc effectū confiscationis, *à num.* 64. *ad finem.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De resolutionibus, & statu causa.*
3 *De punctis, vel inspectionibus causa.*
4 *Quod sit insistendum priùs in facto, quàm in articulis iuris.*

ARTICVLVS I.

5 *De conclusione, quod quilibet confiscat in suo, & de theorica, seù distinctione Bartoli.*
6 *Damnatur stylus cumulandi doctrinas in confuso, non distinguendo diuersos casus, in quibus loquuntur.*
7 *De confiscatione, qua contingat in vna Prouincia, seù Ciuitate, an acquirat bona in alia Prouincia, vel Ciuitate eiusdem Principatus.*
8 *De distinctione fiscorum in Statu Ecclesiastico.*
9 *Quare isto casu confiscantur bona extrà territorium.*
10 *De diuisione fisci inter plures Ciuitates.*
11 *De historia introductionis regalium.*
12 *De distinctione iuris communis, & particularis in eodem Principatu.*
13 *Doctores sunt intelligendi iuxtà auctorites, quas allegant.*
14 *De pluribus bursis fiscalibus minoribus Baronum, & Domicellorum in eadem Prouincia, an adsit bursa Principis.*
15 *De fisco feudorum regalium, seù Principatuum subordinatorum alteri Principi maiori Domino directo.*
16 *De pluribus Principatibus, & Regnis cum fiscis distinctis, possessis ab eodem Principe.*
17 *De confiscatione hareditaria, vel successoria sine delicto, ob defectum legitimi haredis.*
18 *De confiscatione ob lasam maiestatem diuinam.*
19 *De casu praciso quastionis super confiscatione ex crimine lasa maiestatis humana in bonis ex Principatu.*
20 *De distinctione Peregrini, & istius Doctoris laudibus.*
21 *De eadem distinctione, & de Auctoribus illam repetentibus.*
22 *De illis, qui adducuntur in contrarium, qui declarantur.*
23 *De bona consideratione, vel monitione circa modum attendendi doctrinas, eisque deferendi.*
24 *De aliquibus animaduersionibus modernorum, ad quas antiquiores non cogitarunt.*
25 *De rationibus comprobantibus idem, de quo suprà num.* 20. *&* 21.
26 *Quod ius ciuile dicatur impropriè commune, sed in quolibet Principatu sit illius ius particulare respectiuè, & de historia legali.*
27 *De Extrauaganti Friderici II. Imperatoris super punitione rebellium, & criminis lasa maiestatis.*
28 *Quare ius ciuile dicatur ius commune.*
29 *De distinctione inter condemnationem contumacialem contra absentem, & veram contra prasentem effectum sortitam.*

30 *An*

30 *An hodiè dentur serui pœna, & quando.*

31 *An, & quando vnus, & idem sit eodem tēpore seruus, & liber, vel testabilis, & intestabilis.*

32 *Quilibet Princeps est Imperator in suo Principatu, & quot sunt Principatus, tot sunt imperia, vel tot sunt mundi.*

33 *De rationibus, ob quas ad hunc effectum reputetur, tanquam vnus, & idem Principatus, siuè quod intret confiscatio in bonis alterius Principatus.*

34 *Imperium, & Regnum Hungariæ sunt inter se diuersa.*

35 *Qui propriè dicantur confederati, & an confederatio attendatur ad hunc effectum.*

36 *An Regnum Hungariæ sit de iuribus Sedis Apostolicæ.*

37 *De amicitia, & confederatione cum infidelibus, quando sapiat hæresim, vel apostasiam.*

38 *De causis fidei, ad quem pertineat cognoscere.*

39 *Concluditur super assumpto, quod quilibet confiscat in suo.*

40 *De obseruantia super eodem.*

41 *De absurdis, & inconuenientibus, quæ aliàs resultarent.*

ARTICVLVS II.

42 *Confiscatio etiam ex crimine lesæ maiestatis, non intrat in fidcicommissis.*

43 *De limitatione in Maioratibus Hispaniæ.*

44 *De motiuo resolutionis pro confiscatione, non obstante fideicommisso, & examinatur resolutio.*

45 *In Hispania non habetur vsus feudorum, sed maioratuum.*

46 *De diuersis speciebus dictorum maioratuum, & num. 51.*

47 *De prohibitione alienationis magis ducta, ac etiam confiscationis in eis.*

48 *De origine, vel causa introductionis confiscationis in eis.*

49 *De ratione dictæ introductionis.*

50 *In qua specie maioratuum ista introductio procedat.*

51 *De alia distinctione plurium specierum maioratuum.*

52 *In quibus speciebus dicta introductio procedat, & de rationibus differentiæ.*

53 *Datur simile in fundationibus beneficiorum de iure patronatus.*

54 *De rationibus, ob quas assumptum, de quo num. 43. non applicatur.*

55 *Quando leges locales attendi debeant in alio loco.*

56 *Clausula præseruatiua* sine præiudicio, *nihil dat, nec tollit, sed solùm conseruat id, quod iam inest.*

57 *De eadem clausula solùm præseruante, & conseruante id, quod obtinetur.*

58 *De interpretatione voluntatis adijcientis clausulam præseruatiuam confiscationis, quomodo intelligi debeat.*

59 *De simili in materia licentiæ concessæ super alienatione iure patronatus.*

60 *Consideratur an clausula adiecta sit in illa gratia speciali, vel sit generalis.*

61 *De conclusione, quòd licentia, vel assensus habet vim nouæ inuestituræ, & de effectibus præiudicialibus concedenti, quādo purè concedatur.*

62 *De declaratione eiusdem præseruatiuæ confiscationis ex causa de futuro, & quando verificetur.*

63 *An præseruatiua importet conditionem resolutiuam.*

ARTICVLVS III.

64 *Sententia non probat, neque essequutionem meretur, si non iustificatur ex actis.*

65 *De distinctione diuersarum specierum exequutorum.*

66 *De eadem conclusione, de qua num. 64. in criminalibus.*

67 *Declaratur eadem conclusio ad effectum exequendi, non autem ad effectum probandi, vt ad hunc effectum sufficiat.*

68 *De alia declaratione dictæ conclusionis, vbi acta haberi non possunt.*

69 *De declaratione, de qua num. 67. quomodo, & quando procedat.*

70 *De ponderatione circa præiudicium principalis condemnati, vel tertij.*

71 *De alijs ponderationibus, vt sententia sine iustificationibus non probet, neque attendatur.*

72 *De alia declaratione, de qua num. 68.*

73 *De consil. 27. Spada.*

74 *De differentia inter casum criminis lesæ maiestatis humanæ, vel diuinæ.*

75 *Conclusio in causa.*

76 *De alijs punctis disputatis remissiuè,*

DISC.

DISC. CLXI.



CVPIENS Marius, vltimus de antiqua, & praeclara Frangipaniorum Romana familia, istam conseruare in eadem Vrbe per veritatem, seù per
1 fictionem respectiuè; Hinc in testamento condito de anno 1638. in Castro Nemi, & aliquibus Tenutis, seù Casalibus notabilis valoris, ac etiam in Palatio Vrbis, alijsque bonis, perpetuam ordinauit primogenituram masculinam, ad quā primò vocauit Marchiones Frangipanios de Croatia: Secundò Comites Frangipanios de Prouincia fori Iulij; Tertiò familiā Fliſchiam Ianuensem, & demùm, cum quodam ordine inter eas Romanas familias nobiles de Astallis, & de Maximis; Cumque morti proximus de anno 1654. ob Constitutionem medio tempore magis rigorosām ęditam ab Innocentio Decimo super incapacitate forensiū, suspicaretur de prædictę dispositionis inualiditate respectu dictarum familiarum forensium, hinc alterum condidit testamentum, in quo, instituto hærede liberè Cardinali Antonio Barberino, istum rogauit, vt quatenùs ei placeret, de bonis disponeret eodem modo, quo ipse fecerat in dicto priori testamento; Quare Cardinalis, vt fidem ab amico in eo habitam, exactissimè impleret, indultum obtinuit ab Alexandro Septimo, super prædictorum forensium habilitatione, & capacitate, non obstantibus Apostolicis Constitutionibus, pro quarum tamén remotione, tantùm illud concedere Pontifex professus est, adiecta clausula præseruatiua, quæ generalitèr apponi solet, in omnibus huiusmodi indultis, & licentijs alienandi, præsertim Castra, & bona iurisdictionalia, vt scilicèt concessum intelligatur sine aliquo præiudicio iurium Cameræ, in casu deuolutionis, caducitatis, vel confiscationis, & alijs quibusuis, tàm de præsenti, quàm de præterito, & de futuro, & absquè aliqua alteratione inuestiturarum, & concessionum, adeóut ad præfatum solum effectum remotionis obstaculi Constitutionum, huiusmodi licentia cōcessa censeretur, iuxta verba pleniùs registrata in voto desupèr ędito per Iudicem primæ instantiæ, iàm impresso *inter decisiones Rotæ par. 14. decisione vltima*, dictæque licentiæ vigore, donationem fecit eisdem familijs, cum eisdem vinculis, dispositionibus, & ordinationibus contentis in præfato testamento Marij eius auctoris de anno 1638. absque aliqua immutatione, præterquam illa contenta in posteriori testamento anni 1654. ordinis per priùs, & per posteriùs inter dictas familias Romanas de Astallis, & de maximis.

Cùmque pro consueta punitione eorum, qui ex spiritu ambitionis, vel auaritiæ, post mortem viuere volūt, atque huius Mundi bona caduca, efficere cupiunt perpetua, cum infelici electione ab initio, successionem obtinuisset Marchio Franciscus Francipanius de Croatia, qui spreto Testatoris desiderio, ac præcepto, eum licentia Apostolica sub varijs prætextibus obtenta, in illis partibus motam trahendo de crimine læsæ Maiestatis, in persona Regis Hungheriæ proprij Domini naturalis, qui etiam ex electione est Imperator, capite plexus fuisset, vndè propterea nullo alio de illa familia superstite, successio aperta fuit ad fauorem Comitis Cornelij de alia familia Frangipania fori Iulij; Hine contra istū Cameræ Cōmissarius corā Thesautario Generali eum speciali commissione, seù delegatione Clementis X. iudicium instituit super prædictorum bonorum confiscatione, atque admissis ad causam illis de Astallis paritèr vocatis, vt supra, ac etiam illis de Mattheijs prætendentibus se vocatos ad quoddam antiquum fideicommissum ordinatum á Maioribus dicti Matij, prodijt sententia ad fauorem eiusdem Comitis Frangipanij in Palatio Vr-
2 bis, eum omnibus mobilibus, alijsque bonis, etiam stabilibus existentibus intrà ambitum quatuor milliarium, quorum forenses sunt eapaces ad præscriptum d. Constitutionis Innocentij, ad fauorem autém Cameræ, pro confiscatione in pręfato Castro Nemi, alijsque bonis vltrà dictum ambitum quatuor milliarium, atquè doctus quidèm, & ingeniosus Iudex, qui ad purpuram postmodùm euectus fuit, pro eius consuetudine, de qua etiam suprà *disc. 71.* euius causæ votum est registratū inter *decisiones Rotæ par. 12. decis. 414.* copiosum, & elaboratum, multisque auctoritatibus refectum, edidit votum, vt suprà registratum *decis. finali par. 14.*

*par.*14. *recent.* in quo etiam verba præcisa testamentorum, & donationum registrantur, in gradu verò appellationis deputata fuit sub eodem Clemente Congregatio particularis octo Prælatorum, qui pro maiori parte fuerunt in voto pro infirmatione sententiæ, sed non prodijt resolutio, eo quia ad formam commissionis, illa dici non poterat conclusa, penequè dissoluta dicta Congregatione, ob promotionem, ac respectiuè mortem aliquorũ, visum est Innocentio XI. successori, obseruari debere ordinem benè regulatum, vt causæ appellationis à Thesaurario cognoscantur in Tribunali Cameræ, cui proindè causa commissa fuit, atque in hoc statu pendet adhùc indecisa, dum hæc sunt sub Prælo.

Vltrà igitur prætensiones, & motiua prædictorum de Astallis, & de Mattheys, super quibus Ego non scripsi; Quatenùs pertinet ad controuersiam cum Camera, super confiscatione, an illa intraret, nec nè, Tres erant puncti; Primò nempè, in quo consistebat iudicij fundamentum,
3 an scilicèt sufficientèr constaret de dicto præsupposito crimine læsæ Maiestatis, ob quod cõfiscatio prætendebatur iuxtà dispositionem textus *in l. quisquis C. ad leg. Iul. Maiestat. & in Auth. bona damnatorum, C. de bon. proscriptor.* dum ex parte Cameralium dabatur solùm quædam copia impressa, sed non authentica sententiæ, cum aliquibus iustificationibus, super illius exequutione in persona dicti Marchionis, cum eius capitis obtruncatione; Secundò, posita sufficienti iustificatione delicti patrato in Regno Hungariæ, an locus esset præfatæ confiscationi huiusmodi bonorum existentium in hoc diuerso Principatu Status Ecclesiastici, quamuis essent libera, nullique fideicommissi vinculo obnoxia; Et tertiò posito etiam, quod in bonis liberis delinquentis confiscatio intraret, quid dicendum esset stante arctissimo fideicommisso ordinato, non solùm in casu mortis, sed etiam expresè in casu delicti, etiam vtriusque læsæ Maiestatis Diuinæ, & humanæ.

Quamuis autem bonus ordo exigeret, vt de primo puncto esset priùs agendum
4 cum in eo consistat iudicij fundamentũ, quoniàm non constito sufficientèr de delicto, inanes remanent labores, super aliorum duorum disputatione; Isteque ordo adhiberetur in causæ defensione, præsertim coram dicta Congregatione deputata, dum semper erroneum est, assumere inspectiones iuris, quotiès, ex solo facto, quæstio dirimi potest; Nihilominùs in huiusmodi adnotationibus, quæ ad publicam vtilitatem, pro aliorum casuum decisionibus æternitati dicantur, diuersus adhibetur ordo, examinando scilicèt priùs secundum, & tertium punctum, vtpotè magis generales, ac altioris indaginis, de primo autem breuiori in fine agitur.

Articulus Primus.

An intret confiscatio in bonis extrà territorium, vt quilibet confiscare possit in suo.

QVatenùs itaque pertinet ad secundum punctũ super assumpto, quod per ora forensium communitèr volitare solet, atque à me quoque, inci-
5 dentèr tamen, & atticulo non discusso, insinuatur suprà *hoc eodem titulo disc.* 148. *num.* 46. *& disc.* 149. *num.* 21. vt etiam aduertitur *in d. vot. nu.* 11. *& seqq.* Communis est traditio illorum, qui scripserunt post *Bartolum*, qui plenè deducuntur in eodem voto, quos propterea superfluum est transcribere, cum ibi commodè videri valeant, insequendo traditionem, seù distinctionem eiusdem *Bartoli in l.* 1. *C. de Sum. Trinit. num.* 50. *&* 51. vbi explicando, seù conciliando dicta antiquiorum, super hoc articulo, distinctiónem adhibet, quod, aut confiscatio à Iudice diuersi territorij prouenit ex illius loci, vel territorij lege particulari, & tunc Iudex, vel Dominus alterius territorij non confiscat bona in suo existentia; Aut prouenit ex dispositione iuris, quod in vtroque loco, vel territorio vigeat, & sit commune, & tunc intret; Et, per cõsequens, cum pro crimine læsæ Maiestatis intret confiscatio, ex dispositione iuris cõmunis, vt in supra allegatis iuribus; Hinc scribentes pro Camera inferebant planum esse, quod huic confiscationi locus esset, vt aduertitur in *in eodem voto d. num.* 11. *& seqq.* vbi recensentur ea, quæ per multos scribentes

tes in Curia, & extrà, pro Camera deducebantur, inter quos fuit *Pratus*, qui Responsum desupèr editum registrauit *in tertio Tomo suarum disceptat. cap. finali*, atque cum hac distinctione pertranseunt omnes cumulatiuè in eodem Voto, & latè præ cęteris prosequitur *Bellon. iun. de iur. accresc. cap. 10. quæst. 3.* & inter quos Moderniores Criminalistæ in Magistro agnoscere solent, & meritò doctum *Bossium in praxi tit. de bonorum publicatione num. 62.* qui dictam Theoricam reassumit.

Quia verò per scribentes in contrarijs auctoritates desupèr pro consueto verò damnabili pragmaticorum more in confuso cumulabantur, quasi quod tanquàm per speciem electionis, vel præsentationis, aut alterius actus Comitialis, tota
6 vis esset in numero maiori aritmethico Scriptorum, multaque etiam inculcabatur aduersus distinctionem *Peregrini*, & sequacium, in qua ego etiam in sensu veritatis insistebam, vt patet ex relatis in eodem *Voto nu. 16. & seqq.* Hinc ad eruendam veritatem, & æquiuoca tollenda, adhibebam consuetum stylum, qui ex frequenter insinuatis, mihi videtur sacra anchora, seù saluberrima medicina omnium controuersiarum forensium, distinguendi scilicèt plures casus, inter se diuersos, de quibus agunt DD. vt ità eorum auctoritates congruè applicari valeant, atque euirentur æquiuoca.

Distinguendo itaque plures casus; Primus est, proprius, ac præcisus, quem ponit *Bart.* huius Theoricæ auctor, &
7 Magister, vbi scilicèt agatur de vno, eodemque principatu diuiso in Prouincias, vel gubernia, in quorum quolibet adsit particularis, ac separata bursa fiscalis, vt ex quadam antiqua consuetudine, praxis docet in hoc principatu Status Ecclesiastici, quod scilicèt, quamuis vniuersus status immediatus, idest non infeudatus, cum feudo verè regali, redolente principatum absolutũ, sit vnus tantùm principatus sub vno Principe, qualis est Papa, qui in hac parte temporali vnam tantùm personam repræsentat, quamuis diuersam ab alijs personis spiritualibus Papæ, vt Episcopi Vrbis, iuxtà distinctiones, *sub tit. de praemin. disc. 1. sub tit. de regular. disc. 32. & in relatione Curiæ disc. 2.* & alibi, & quamuis in Curia habeat Magistratus, & Officiales fiscales generales, qui fiscum administrant, vt (ex. gr.) sunt Camerarius, & Thesaurarius, ipsumque Tribunal Cameræ, cum Aduocato, & Commissario Cameræ, ac Ratiocinatoribus; Attamèn bursæ, vel exactiones sunt separatæ, etiam quoad pœnas, &
8 confiscationes, quæ annectuntur appaltibus, vel Thesaurarijs diuersarum Prouinciarum, vt docet praxis Thesaurariæ Marchiæ, contradistinctæ à Thesaurarijs, Vmbriæ, Patrimonij Emiliæ, Status Vrbini, Ferrariæ, Bononiæ, Status Auenionens, & Vrbis, adeòut frequentèr audiantur quæstiones super pertinentia eiusdem pœnæ, vel incamerationis inter Thesaurarios, vel fiscos huiusmodi diuersarum Prouinciarum, quia nempè delictum sit cõmissum in vna Prouincia, condemnatio verò sequatur in Vrbe, vel in altera Prouincia, vt patet ex casu, de quo supra *in Perusina disc. 114.* Atque de isto casu propriè agit *Bartol. vbi supra*, dum ponit exemplum in sententia confiscationis lata per Præsidem, seù Iudicem Marchiæ Anconitanæ, an capiat bona delinquentis existentia in Ducatu Romano, & sic de duabus Prouincijs, eiusdem pontificij Principatus, seù status Ecclesiastici.

Quamuis etenim sub Gothorum, & Longobardorum, vel respectiuè Græcorum dominijs, Ducatus Romanus, iuxtà temporum contingentias esset diuersus à Ducatu Spoletano, & à Marchia Anconitana; Attamèn de temporibus *Bartoli* non aderat hæc distinctio, sed ambæ istæ Prouinciæ, vel partes erant de eodem statu Ecclesiastico, ac propterea isto casu *Bartolus* rectè, ac fundatè loquitur, motus ex dispositione textus *in l. 3. Cod. de bon. vacant. lib. 10.* cum quo omnes transeunt, quoniam, vt benè aduertit *Alberic.*
9 *de Rosat. de statut. par. 3. quæst. 2. num. 9.* quemadmodùm tempore Imperij Romani, de quo præfatus Textus loquitur, diuersæ erant Prouinciæ sub Præsidibus, vel Proconsulibus, quarum quælibet habebat proprium fiscũ distinctum, adeòut vnus cum altero non connecteret, neque se ingereret in bonis existentibus in proprio territorio, vel in propria Prouincia; Nihilominùs vnum, & idem erat Imperium, ac Territorium, atque vnus, & idem erat Imperator, vel Princeps, &

per

per consequens erat vnus, & idem fiscus habitualis, quamuis eius exercitium, vel administratio, seù fruitio, ex concessione explicita, vel implicita Imperatoris; pertineret ad diuersos Præsides, vel ad diuersas Ciuitates.

Iuxtà exemplum positum quoque ab *Alberico de Rosatis, vbi supra*, & de quo
10 disputant antiqui Scriptores ante *Bartol.* relati *per eundē Albericum, & per Io: Andr. in addit. ad Speculat. par. 3. de accusat. §. 6. in addit. magn. vers. Nicolaus de Mattarellis &c. & Ancharan. in cap. cum secundum leges de haeretic. num. 6.* quos referunt *Barbat. cons. 70. num. 41. lib. 4. Nell. de bannit. par. 1. secundi tempor. num. 17.* exemplificando scilicèt in Ciuitatibus Italiæ, & præsertim Lombardiæ, pro illo iure fisci, aliorumque Regalium, quod diuersis Ciuitatibus, ex concessione Im-
11 peratoris in pace Constantiæ, competebat, iuxtà regalium historiam recensitā, supra *in Annot. ad disc. 1.*

Ità namque re verà vnus est fiscus habitualis, quamuis plures sint eiusdem fisci bursæ, & administrationes, iuxta exemplum ab eodem *Alberico*, alijsque Doctoribus tradi solitum de vno pupillo habente plura, ac diuersa patrimonia, in diuersis Ciuitatibus, vel Prouincijs, sub diuersis tutoribus, quoniàm licèt administrationes sunt inter se distinctæ, attamén re vera, vna est persona pupilli; Vnumque est patrimonium habituale; Istumque casum propriè percutiunt omnes illi DD. qui simpliciter sequuntur prædictam distinctionem *Bartoli*.

Istoque casu, quod agatur de vno, eodemq; Principatu, verificatur etiā distinctio iuris particularis, & iuris cōmunis
12 quāuis istud posteriùs esset quoque particulare; Putà (exemplificando etiam in hoc Principatu Status Ecclesiastici) quod Legatio Bononiæ, Ferrariæ, Emiliæ, & Status Vrbini, ac Prouinciæ Marchiæ habebant suas Constitutiones particulares, quæ non vigent in Vrbe, vel in alijs Prouincijs, adsit verò ius particulare istius Principatus, quod dicitur omnibus eius Prouincijs commune, vt sunt Constitutiones Apostolicæ editæ super hoc Principatu temporali, siuè sint bannimenta generalia status Ecclesiastici, pro ijs Prouincijs, & Partibus, quæ non sint exceptuatæ; Quoniàm si confiscatio prouenit (ex gr.) in Prouincia Marchiæ, in vim Constitutionis Ægidianæ, vel Carpensis, vel in Ciuitate Bononiæ, ex vi Constitutionis Iustinianæ; siuè ex decretis Ducalibus Ferrariæ, vel Vrbini, tunc non capiet bona aliarum Prouinciarum eiusdem status Ecclesiastici, secus autem si in vim alicuius Constitutionis Apostolicæ, siuè in vim bannimentorum generalium, quę locum delicti, & condemnationis æquè complectantur, præscindendo etiam à iure magis communi ciuili, & Canonico, istoque casu quæstio verè, & propriè non cadit super existentia confiscationis in genere respectu delinquētis, qui in vniuerso Principatu reputatur vnus, & idem delinquens, & seruus pœnæ, ac si esset vnum, & idem territoriū, sed cadit inter ipsas diuersas bursas fiscales, eo quia administrarot, vel vtilitarius bursæ fiscalis, loci patrati delicti, vel condemnationis, prætenderet confiscare omnia bona, etiam existentia in alijs Prouincijs, & territorijs, atque isto casu recepta est d. propositio, quod quilibet confiscat in suo, cum sit propriè ille, de quo loquitur *Bartol.* atque loquuntur omnes alij, qui illum simplici-
13 tèr referunt, & sequuntur, qui ita sunt intelligendi, & applicandi, ex receptissima propositione, quod DD. sunt intelligendi, iuxtà auctoritates, quas allegāt, ex relatis *disc. 35. de iudic.* & alibi.

Alter casus est præcedenti nimium similis (cum modica differentia), vbi scilicèt quæstio paritèr fit in eodem Princi-
14 patu, quinimò in eadem Prouincia, in qua vnica tantùm sit bursa fiscalis ipsius Principis, adsint tamén de consuetudine, vel priuilegio aliæ bursæ fiscales inferiores, & subordinatæ, nempè, quia in eodem Principatu, seù in eadem vnius parte, vel Prouincia adsit fiscus Principis, & adsint Barones, vel Domicelli, qui ex priuilegio, vel consuetudine, habeant quoque in eorum feudo, vel dominio iura fisci, & confiscationis, vndè proptereà intret eadem quæstio, an vnus cōfiscare valeat in alieno, vel potiùs quilibet confiscare debeat in suo, & de isto casu latè agitur per *Rotam apud Merlin. decis. 125. repetit. decis. 449. par. 5. recent. & de Marin. resol. 35. lib. 1.* & cum cuius Rotalis Decisionis auctoritate, Ego obitèr aliud agendo, & non gustato articulo

lo pertransij *locis citatis*, super dicta propositione, quod quilibet confiscat in suo (vndè propterea semper, ac in dies magis edocemur, ac monemur, quàm magnus error sit in sola litera, cęcaue fide deferre Doctoribus obitèr loquentibus, articulo non discusso, eosque in calculo ponere.

Tertius est casus, quando Principatus sint quidèm distincti, adeòut quilibet
15 habeat suũ fiscum habitualem, & generalem, sed vnus Principatus habeat ab alio dependentiam, vt sunt illi principatus sępiùs enunciati, *sub tit. de feudis*, & alibi; qui constituuntur ex feudis regalibus, & veræ dignitatis, vt (ex. gr.) sunt in Italia feuda Ecclesiæ Romanæ, Regni Neapolitani,& Ducatuum Parmę, & Placentiæ, & feuda Imperialia Ducatuum Mediolani, Mantuæ, Rhegij, Mutinæ, & Senarum, & alia plura inferioris Spheræ, atque est feudum Insulæ Meleuitanæ, quia est membrum Regni Siciliæ citrà, cum similibus; Istoque casu dignoscitur consueta varietas opinionum, vt patet ex relatis *per Bellon. iun. d. cap.10. par.3.* Atque casus decidendus videtur cum distinctione, an lęsio Maiestatis vnius, sit talis qualitatis, quod influat in præiudicium, ac læsionem Maiestatis alterius, vt isto casu intret opinio affirmatiua, secus autèm vbi id non verificetur, cum tunc veriùs sit oppositum, iuxtà eam obseruantiam, quæ ponderatur infrà *num.40.& 41.* idquè maturè examinare neglectum fuit, vtpotè extrà casum quæstionis, solùmque insinuatur ad eundem effectum, de quo supra in alijs, segregandi scilicèt auctoritates, quæ istum casum percutiant.

Quartus casus est, vbi agatur de diuersis Regnis, vel Principatibus, quæ
16 tamèn ex diuersis titulis possideantur ab vno, eodemque Principe, cuius vnica persona materialis repręsentet plures diuersas personas formales, iuxtà illam fictionem, de qua in his terminis Regnorum, & Principatuum habetur *tit. de praemin. disc. 29. & alibi pluriès*; Vt (ex. gr.) docet praxis, de qua eodem *disc.29.* in Rege Hispaniarum possidente ibi enunciata Regna, & Principatus, inter se diuersa, cum omnimoda independentia; Et tunc si cõfiscatio proueniat ab aliquo crimine priuato indifferenti, dicendum venit idem, quod infrà in vltimo casu, vt confiscatio non cadat, in bonis extrà territorium; Si verò proueniat ex isto crimine læsæ Maiestatis humanæ, & tunc intrat distinctio, an ea sit circà ipsam indiuiduam personam materialem Principis, adeòut quoad ipsam omnia Regna, & dominia ità constituant vnum,& idem corpus, vt isto casu intret confiscatio in vniuersa eius ditione; Ad instàr eorum, quæ habemus in pluribus Ecclesijs, vel Diœcesibus, æquè principalitèr vnitis, quod licèt ad alios effectus habeantur pro omninò distinctis, ac diuersis, ex deductis *sub tit. de praemin. disc.7. & sub tit. de benefic. disc.15.& alibi pluriès*, attamèn quoad personam Episcopi, omnes habentur pro vnica; Si verò idem crimen non percutiat directè,& immediatè personam Principis, percutiat autèm illum statum, siuè illud dominium tantùm pro illius amissione, seù mutatione, & licèt in huiusmodi causis, nullam, vel modicam partem habere videantur legales propositiones, vel auctoritates, cum alia lex politica, vel ratio status, illas regulet, ex insinuatis *sub tit. de Dote disc. 146. & alibi*; Attamèn adhùc iuridicè dici posse videtur idem, quod proximè suprà, dum lædi dicitur ipsa Corona, siuè ipsa Monarchia, de cuius scissura, vel deturpatione agitur; Secus autèm, vbi idem crimen proueniat, ob offensionem personæ alicuius supremi Magistratus, ex odio, & causa priuata, non autèm ex causa status, iuxtà casum, qui de recenti contigit in homicidio Proregis Regni Sardineæ, cum similibus, cum tunc de stricta iuris censura, dicendum videatur idem, quod infrà in vltimo casu; Adhùc tamèn ex eadem lege, vel ratione status de facto seruari consueuit contrarium, quasi quod ità dicatur læsa, vel saltèm spreta eadem Maiestas ipsius Principis, vel ipsius Coronæ.

Quintus est casus, vbi agatur de Regnis, & dominijs, tàm formalitèr, quàm materialitèr diuisis, & independentibus,
17 cum proprio, ac discreto Principe; Agatur tamèn de altera specie confiscationis minus odibilis, & non pœnalis, sed hæreditariæ, vel successoriæ, bonorum scilicèt vacantium, ob defectum legitimi hæredis, iuxtà quæstionem disputatam *supra disc.149.* & tunc rectè intrat dicta propo-

propositio, quod quilibet confiscat in suo, iuxtà terminos dicti Textus *in l. 3. C. de bon. vacant. lib.* 10. dum isto casu, quæstio non est inter fiscum, & legitimũ, vel testamentarium hæredem morientis, super substantia confiscationis, & an illa intret, nec nè, sed ea vbique intrante, ob defectũ hæredis, quæstio solùm est inter plures fiscos de pertinentia, quia nempè ille fiscus, in cuius territorio viuebat, ac obijt persona, prætendat gerere figuram, vel personam hæredis vniuersalis, repræsentantis ipsam personam defuncti, quam bona sequi debent, atque adhiberi solet distinctio inter bona, quæ circumscribantur, vel nõ circumscribantur loco, ex deductis *d. disc.* 149. *hoc eod. titulo*; Sed quidquid sit de isto casu, ille extraneus erat à nostra quæstione, & per consequens intrat idem, quod in alijs præcedentibus, quod scilicèt auctoritates illum percutientes, extraneæ remaneant, atque segregari mereantur.

Sextus est casus, illius confiscationis, quæ ex vtroque iure, ciuili, & canonico,
18 proueniat ob crimen læsæ Maiestatis diuinæ, ratione hæresis, vel Apostasiæ à fide; Et tunc paritèr intrat idem, quod in casu proximè præcedenti, quod scilicèt in vniuerso Orbe Catholico, nulla cadit quæstio super substantia confiscationis omnium bonorum, vbicumque sita sint, dum vbique idem delinquens est æqualitèr criminosus, atque vbicunque reperiatur, absque distinctione principatuum, & territoriorũ, est pariformitèr punibilis, dum quoad Deum, cuius Maiestas læsa est, totus Mundus est vnus principatus, vnumque territorium, vndè propterea cadit solùm eadem quæstio pertinentiæ, inter plures fiscos in eodem territorio, vel principatu existentes, & præsertim inter fiscum Ecclesiasticum, & sęcularem, iuxtà quæstionem disputatam *per Fagnan. in cap. vergente de hæretic. num.* 3. *& seqq. & num.* 16. super quo locus relinquitur veritati, siuè obseruantiæ, vtporè extrà opportunitatem quæstionis; Et per consequens intrat idem, quod suprà dictum est, vt scilicèt omnes auctoritates, quæ percutiunt istam speciem confiscationis, segregari quoq; mereantur, tanquàm penitùs extraneæ, diuersamque rationem habentes.

Septimus demùm est casus præcisus nostræ quæstionis, vbi scilicèt agatur de
19 confiscatione ex crimine læsæ Maiestatis humanæ vnius Principis, bona verò sint in alio principatu diuerso, & independenti, vt in præsenti, quod læsa fuisset Maiestas Regis Hungariæ, naturalis, seù originarij Domini delinquentis, bona verò essent in Vrbe, eiusque districtu de dominio Papæ.

Ad hanc autèm distinctionem nemo descendit ex antiquioribus scribentibus post *Barthol.* dum omnes processerunt pro consueto Legistarum more, cum dicta theorica, seù distinctione in genere, non descendendo ad hanc speciem; Ad eam verò omnium primus descendit *Pe-*
20 *regrinus de iure fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 138. *vers. sed hic subsistendum*, Hic etenim magnus, & profundus Iurisconsultus in omnibus materijs, exceptis beneficialibus, alijsque spiritualibus (quarum coniunctio cum prophanis, peculiaris, ac singularis est professorum Romanæ Curiæ, ex rationibus insinuatis *in relatione Curiæ disc.* 146.) vt ostendunt eius opera in consilijs, & in decisionibus, ac etiam in tot alijs tractatibus, illo præsertim fideicommissorum, ex peculiari munere Aduocati fiscalis illius Prouinciæ, erat in his materijs fiscalibus versatissimus, vt docet dictus eius tractatus *de iure fisci*, qui apud omnes fiscales adhibendo illum modum loquendi, qui adhiberi solet per Legistas, habetur tanquàm liber Euangelij, ac propterea est minister fiscalis, qui loquitur contra fiscum, quod est nimium claræ veritatis argumentum, ipseque firmat, quod confiscatio non intrat in bonis extrà territorium, vel principatum, non solùm ob defectum iurisdictionis, sed etiam ex alia magis conuincenti ratione, quod scilicèt extrà principatum illius, cuius Maiestas læsa est, ille delinquens est homo integer, suum habens hæredem, cum alijs motiuis, & considerationibus apud eum de facili videndis.

Eandem distinctionem latiùs reassumit ac more fundatissimi Doctoris expendit *Bellon. iun. d. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 69.
21 *& seqq.* & sequuntur quotquot DD. postmodùm scripserunt vsque ad hæc tempora nemine contradicente; Quamuis enim in dicto voto deducatur Modernus *Antonell. de Loc. Legal. lib.* 3. *cap. final. quæst.* 1. *nu.* 1. *& seqq.* Nihilominus commendan-

mẽdando quidèm labores iſtius ſcriptoris; qui in ſua inferiori collectoria Sphera, Reipublicæ quoque proficuus eſt recenſendus, vt etiam ſunt alij Collectores; Attamèn in hoc propoſito recenſeri non meretur inter DD. dum articulum non examinat, ſed collectorio more ita incidentèr loquitur, procedendo cum antiquiorum traditionibus, atque ad has diſtinctiones nõ reflectendo, eodem modo, quo dici poteſt de meipſo ſupra *diſc.148.num.46. & 149.num.21.* quod ſcilicèt incidentèr aliud agendo, non diſcuſſo particularitèr articulo, id inſinuatur, procedendo cum *dicta deciſione 125. Merlin. repetit. deciſ.149. par.5. recent.* quæ benè examinata percutit ſecundum caſum ſupradiſtinctum, omninò diuerſum.

Præfatam verò *Peregrini* magiſtralem diſtinctionem, ac theoricam, vltrà *Bellonum*, qui latè, & ex profeſſo illam examinat, & firmat, ſequuntur etiam *Alfer. de offic. fiſcal. gloſ.20. num.119. Montan. de Regal. tit. bona contrahent. incert. nupt. num.16. Guazin. de confiſcat. limit.13. concluſ.16. num.13.* vbi etiam amicus meus doctus huius Curiæ Aduocatus *Maſſinius in addit. quaſt.43. num.19. Bottiglier. de ſucceſſ. ab inteſt. theorem.110. num.3. verſ. alij tamen, Noguerol. allegat.12. num.53. & ſeqq.* & alij abſque contradicente, qui more Doctoris, iſtam diſtinctionem, eiuſq; rationes, & fundamenta expendat; Vndè properteà, loquendo etiam pro abhorrito, parùmque commendabili ſtylo merè pragmatico, procedendi cum ſolis auctoritatibus, duæ intrant propoſitiones, quæ per ora pragmaticorum volitare ſolent; Primò nempè, quod Doctoribus diſtinguentibus magis deferendum eſt, illique maioris recenſentur auctoritatis, quam ſimplicitèr, & in abſtracto loquentes, iſtudque eſt aſſumptum veriſſimum à Iudicibus præ oculis ſemper habendum; Et ſecundò, quod auctoritates punctuales ſine contradictore, vbi præſertim ſint plures grauium Doctorum, & quod magis eſt, bonis rationibus munitæ, haberi debent, tanquàm pro caſu legis, ex relatis ſuper vtroque aſſumpto *diſc.35. de iudic. & alibi pluriès*.

Aduerſus hanc diſtinctionem ſcribentes in contrarium prætendebant adeſſe ſpecialẽ auctoritatem, recenſitã quoque
22 in eodem voto, quę percutiat caſum præ-

a *Suppl. Theat. Lib.2. de Regal.*

ciſum confiſcationis factę in terris Imperij, vt capiant etiam bona in terris Eccleſiæ, iſtaque eſt doctrina *Butrij in cap. poſtulaſti num.9. de foro compet.* eamque nimiũ magnificabant, atque magnũ apud aliquos plauſũ habuiſſe (quoniàm ea, quæ ſperamus, & cupimus facilè credimus); Verùm dicebam, quod iſta doctrina (vt aliqui ex noſtris, pro eorum loquendi vſu dicere ſolent) ad rem noſtram non valet, nec quidèm vnum obulum; Tùm quia, vbi doctrinam pragmatico more attendere velimus ad literam, ſtante quod loquitur de ſententia confiſcationis in terris Imperij, non adaptatur ad rem, quoniàm licèt caſus accidentalitèr præbeat, quod iſte Rex Hungariæ reperiretur etiam ex electione Imperator eo modo, quo Imperium habere conſueuerunt Carolus Magnus, & Ludouicus Pius, qui erant etiam Reges Franchorũ, ac etiam Duces Bauariæ, & Reges vtriuſque Siciliæ, alijque Principes, attamèn nil cõmune habet Imperium cum Regno prædicto, iuxtà eandem diſtinctionem, de qua *d. diſc.29. de præminent. diſc.90. de iuriſdict. & alibi*.

Tùm etiam quia *Butr.* more repetentis, loquentis in ſcholis, ad inſtruendos ſcholares, atque more Scholaſticorum in abſtracto examinat eandem theoricam, ſeù diſtinctionem *Bartol.* promiſcuè loquendo de vtraque læſa Maieſtate, non reflectit ad notabilem differentiam, inter vnam, & alteram ſpeciem, quod vna ſcilicèt eſt vniuerſalis in toto Orbe, abſq; diſtinctione principatuum, & territoriorum; Altera veró eſt particularis vnius Principis, ſeù principatus, ſed pertranſit cum eadem theorica, ſeù diſtinctione, quam tamen cum æquiuoco, & malè exemplificat diuerſo modo ab illo, quem, vt ſupra exemplificauit *Bartol.* qui re vera loquitur de diuerſis burſis vnius fiſci, vel vnius principatus; Vndè meritó *Bellon. & Montan. & tot alij*, qui vt ſupra poſt *Peregrin.* ſcripſerunt, illumque ſequuntur, nullam de hac auctoritate mentionem, vel rationem habent.

Deducebant quoque ijdem ſcribentes plures alias auctoritates in idem, nempè *Imol. conſil.35. num.23. & ſeqq.* Vbi de confiſcatione in Ciuitate Venetiarum, pro crimine in Marchionatu Ferrarieſi, *Alexandr. conſ.31. num.2. & ſeqq. lib.1.*

vbi de Mutina, & Bononia, *Isernia tit. quæ sint Regalia nu.45.* cum quo tanquàm relatore aliud agendo pertransit obitèr *Capit. Latr. consult.131. num.21. & seqq.* vbi de confiscatione bonorum in Gallia, pro crimine patrato in Insula Siciliæ, *Chassan. ad consuet. Burgund. in rubr.2.* vbi paritèr de diuersis principatibus; Et mihi obijciebant proprios locos, de quibus supra nempè *disc.148. & 160.* vbi de confiscatione bonorum in Vrbe pro condemnatione sequuta in Ciuitate Ianuensi.

Sed paritèr istas auctoritates nil ad rem facere dicebam, quoniam in casu *Imolæ*, iuxtà facti seriem ab eo enarratã, agitur de prætensione, quam Marchio Ferrariæ deducebat in Senatu Veneto contra reum, qui ad eam Ciuitatem confugerat, pro traditione personæ in vim capitulationum, principalitèr verò instabat pro consignatione pecuniarũ, aliorumque mobilium, ibi existentium, penès eandem personam, quam sequi deberent, dum supponebatur, quod essent bona propria eiusdem Marchionis sibi furto ablata per delinquentem; Et sic erat quæstio priuata, de cuius decisione non constat, neque fiscus Venetus hanc prætensionem habebat, vndè propterea hæc auctoritas potiùs retorquetur: *Alexander cons.31.* loquitur de casu supra exemplificato successionis in bonis vacantibus, habente diuersam rationem, dum non agebatur de confiscatione odibili, & pœnali, sed de altera fauorabili, & successoria, in qua longè diuersa ratio viget, vt supra; Et vlteriùs, attentis temporibus *Alexandri*, quando adhuc non prodierat apud Historicos celebre laudum Caroli Quinti, quod prodijt sub Clemente Septimo, apud DD. subditos Papæ, qualis erat *Alexander*, pro constanti supponebatur, quod Mutina esset de eodem Statu Ecclesiastico, de quo erat Bononia, ideòque intraret etiam doctrina *Bart.*

Isernia loquitur de confiscatione, ex crimine hæresis, atque optimè de more, tanquàm profundus Doctor ponderat rationem superiùs assignatam, quod scilicèt istud est crimen vniuersale in toto Mundo, absque distinctione territoriorum, & principatuum, ideòque delinquens potest vbique puniri in persona; Deindè verò agit de prætensione Regis Galliarum, ex quadam consuetudine, vel lege particulari Regionis, confiscandi bona in eius dominijs existentia homicidarum, vbicumque homicidium commissum esset, & sic extrà casum quæstionis; neque *Capic. Latr.* istam quæstionem disputat, sed aliud agendo, obitèr dictam *Isernia* auctoritatem refert; Et *Chassan.* loquitur de pluribus principatibus, vel dominijs in eadem Gallia, & eiusdem Regis.

De me ipso iam dixi, quod obitèr, non examinato articulo, loquutus fui, transeũdo cum *decis.125. Merlini*, quæ vt supra percutit casum longè diuersum; Et quatenùs pertinet ad confiscationem sequutam in Ciuitate Ianuæ, per quam Officiales Datariæ prætendebant effecta esse propria quædam officia venalia, possessa per condemnatum; Vltrà peculiarem rationem, quod ageretur de officijs eiusdẽ Datariæ, quæ vacationem ob mortem criminosam prætendebat, tanquàm per speciem expirationis concessionis, reuerà de hoc articulo nullo pacto disputatum fuit, sed solùm de altero fideicommissi, & legitimę respectiuè, ex deductis præsertim supra *disc.160. num.1. cum pluribus seqq.*

Cum etenim de Curiæ stylo enunciato in eiusdem Curiæ relatione *disc.146.*
23 & alibi, causarum Patroni incipiant, & prosequantur iudicia, deindèque in limine recurrant ad operam Aduocatorũ, super illis punctis, ad quos eis videatur difficultatem à Iudice restringi, ac propterea in informatione facti, ageretur solùm de dicto puncto fideicommissi, & legitimæ respectiuè, non aduertendo ad hunc articulum, an intraret, nec nè confiscatio; Hinc proindè scripsi super ijs, super quibus fui requisitus, atque neque Ego ad id aduerti, cum materia tanquàm nimium rara, tunc mihi re verà esset noua; Istaque experientia, quam frequentèr in meis laboribus agnosco, magis me docuit, siuè confirmauit in sensu geniali, parùm deferendi DD. auctoritatibus in sola litera, non expendendo, an ex professo, & maturè examinato articulo, vel potiùs incidentèr, seù collectorio more loquantur; Ac etiam non ponderando, eorum rationes, & fundamenta, aliasuè facti circumstantias; Et cum altera ponderatione, an essent doctrinæ venales,

nales, ad causæ opportunitatem, cùm alijs ponderationibus, de quibus *dis. 35. de Iudic.* vbi de modo attendendi auctoritates.

Quamplures verò aliæ auctoritates Citramontanorum, & Vltramontanorum, quæ collectorio more deducebantur per scribentes, relatæ etiam *in d. voto nu. 12.* vel percutiunt dictum diuersum casum, ex causa hæresis, vt præsertim est casus, de quo agit *Spada cons. 27. lib. 1.* vel quod sunt Doctores generalitèr loquentes, iuxtà theoricam, seù distinctionem *Bartoli*, non reflectendo ad dictam distinctionem, ad quam re verà primus omnium cogitauit *Peregr. vbi supra*.

Ac propterea, cùm deindè per seculum, & vltrà postquàm hic Auctor scripsit, alij scribentes etiam graues concorditèr hanc sententiam, vtpotè benè fundatam sequuti sint, absque eo, quod anti-
24 quiores ad id cogitauerint, iuxtà pluriès consimiles modernorum distinctiones, & obseruationes, ad quas antiquiores non cogitarunt, vt præsertim in quæstione, de qua *sub tit. de Credito disc. 31. & sub tit. de Testamen. disc. 42. & 43. & tit. de Dote disc. 95. & 96.* cum plerisque alijs similibus; Idcircò examinando punctum per auctoritates, pro non confiscatione, veritas omninò assistere videtur.

Clariùs verò, eandem veritatem, huic opinioni in exclusionem confiscationis bonorum extrà illum principatum assiste-
25 re dicebam, ponderatis rationibus; Illa præsertim, quod si iste reus, postquàm iam inquisitus, & condemnatus erat, in ipso actu, quo ducebatur ad supplicium, amicorum ope, è manibus Iustitiæ aufugisset, atque ad Vrbem accessisset, vtiq; hic capite plecti non potuisset, neque aliàs puniri; Et per consequens non videtur, quomodo eius bona possent confiscari, dum ipse integer, ac ingenuus homo, in hoc principatu dominij, & possessionis, & commercij capax erat, atque liberam testandi, & disponendi facultatem habebat, cum alijs rationibus latè expensis *per Bellon. inn. vbi suprà*.

Aduertebam quoque, quod neque verificaretur distinctio *Bartoli*, super condemnatione, quæ sequatur ex iure
26 communi, vel iure particulari respectiuè, dum clarum æquiuocum est dicere, quod idem ius ciuile contentum *in d. l. quisquis, & in Auth. bona damnatorum*, æquè vigeat in Vrbe, & Statu Ecclesiastico, ac in dicto Regno Hungariæ, ex eiusdem Legislatoris auctoritate, eo modo, quo de tempore, quo dictæ leges conditæ fuerunt, ex Imperiali auctoritate vigebant in toto illo Mundo, qui tunc subiacebat Imperio Romano; Id enim pro meo iudicio, continet vnam ex consuetis nostrorum leguleicis simplicitatibus, dum etiam ius ciuile Romanorum contentum in Digestis, & in Codice, & quod ad differentiam statutorum, aliarumque legum, & pragmaticarum, merè localium, dicimus commune, re verà est particulare cuiuslibet principatus, ex proprij Principis, vel Domini particulari, & discreta auctoritate, non autem ex illa auctoritate antiqui Legislatoris, quæ vtrique Principatui, vel Prouinciæ comunis esset, vt erat de tempore Imperij Romani; Atque in hoc versatur æquiuocum.

Ad id autèm comprobandum, reassumebam totiès insinuatam, & inculcatam historiam legalem, quam tamen semper opportunè, ac vtilitèr repetere congruit,
27 & de qua pleniùs, magisque distinctè *sub tit. de feruit. disc. 1. & in eius annotationibus*, vbi de pluribus æquiuocis Germanorum, à quibus, cum eisdem æquiuocis totum mutuabant aliqui ex scribentibus pro Camera; Ex ibi etenim deductis, quorum repetitio omittitur, dum commodè citato loco videri possunt, patet quod leges Romanorum, quæ continentur in corpore iuris ciuilis, nempè, in Digestis, in Codice, in Authenticis, & in Institutionibus, in quolibet principatu, in quo receptæ sint, ac seruentur, habent vim legum, non ex auctoritate *Iustiniani*, sed ex implicita, vel explicita ordinatione illius Principis, & ex vsu populorum, dum aliqui Principes, vel Populi illas non receperunt, neque seruant, vt præsertim in Italia docet praxis in Ciuitate Venetiarum, & sic ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de Dote disc. 102. cum pluribus seqq. & sub tit. de Credito disc. 116.* de pacificentibus, vt seruari cum eis debeat aliqua lex, vel consuetudo, à qua sint exempti, siuè iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. de Testam.* & sub altero *de Fideicommissis*, de ordinante fidei-

fideicommissum, vel aliam dispositionem
relatiuè ad testamẽtum alicuius eius ma-
ioris, vel alterius, cum similibus; Quam-
uis etenim Germani id referant auctori-
tati Imperiali, non quidem illi Iustiniani
Imperatoris Constantinopolitani, qui
dictas leges compilauit, in prædicta, quã
habemus forma, easque vbique seruari
mandauit, sed alterius Imperatoris Ger-
maniæ, nempè Lotharij; Attamèn vt
eodem *disc. 1. de seruitut.* aduertitur, id
rectè procedit in illis partibus, quæ præ-
fato Imperio subiacent immediatè, vel
saltèm mediatè; In illis autèm, quæ
Imperatorem non recognoscunt, id ma-
nifestè fabulæ speciem redolet.

Atque ad id clariùs, ac ad euidentiam
probandum in indiuiduo *d. l. quisquis ad*
leg. Iul. Maiestat. & in Authent. bona dam-
natorum, siuè in corpore vnde sumitur;
28 Ponderabam, quod idem Fridericus Im-
perator, qui occasione pacis Constantiæ,
cum Ciuitatibus Lombardiæ, introdu-
xit vsum regalium, iuxtà historiam recẽ-
sitam *d. disc. 2. de feudis*, & reassumptam
suprà *in annotatione ad disc. 1. siuè ad hu-*
ius tit. de Regalibus rubricam; Et quæ
conuentio dedit ansam quæstioni inter
antiquiores disputatæ, cum nimia varie-
tate opinionum relatarum *per Anchar. &*
Io. Andr. & alios, de quibus supra, quas
conciliare curauit *Bartol.* cum superiùs
examinata distinctione, quæ hodiè re-
cepta videtur pro lege; Dictus inquam
Imperator Fridericus legem, seù Consti-
tutionem particularem edidit in specie
super isto crimine læsæ Maiestatis huma-
næ, vt patet *in extrauag. qui sint rebelles*
inserta in aliquibus voluminibus Authẽ-
ticorum, in quibus etiam sunt insertæ le-
ges feudales, aliæque extrauagantes si-
miles, præscribendo modum punitionis
istius criminis, nulla prædictarum legum
ciuilium habita mentione, quam facere
cœperunt postea Doctores, & præsertim
Baldus in Commentarijs eiusdem extraua-
gantis; Ergò fabulosum est dicere, quod
ius contentum *in d. l. quisquis, & in auth.*
bona damnatorum, dicatur ius omnibus
populis, & principatibus comune, per-
indè ac si esset diuinum, vel naturale;
Quoniàm, vt præmissum est, totum præ-
dictum ius ciuile dicimus comune per
modum loquendi, ad differentiam statu-
28 torum localium, siuè etiam ad differen-
tiam Constitutionum, & Pragmaticarum
particularium cuiuslibet principatus, ex
eo quod dictarum legum vsus, esset plu-
ribus Regnis, & principatibus comunis,
idest, quod in eo conuenirent, atque
vniformem haberent vsum, sed in quo-
libet ex proprij Principis auctoritate,
vel permissione.

Ad euitandum autèm fortissimum, ac
insolubile argumentum *Peregrin.* latiùs
reassumptum *per Bellon. Iun. vbi supra*,
cum quibus alij communitèr pertran-
seunt, quod scilicèt hodiè non dentur
29 serui pœnæ, ex dispositione textus in
Auth. Sed hodie C. de donat. inter vir. &
uxor. quodque iste reus extrà illum prin-
cipatum esset homo ingenuus, & inte-
ger, retinens tàm libertatem in persona,
quàm etiam capacitatem dominij, &
possessionis bonorum, cum eorum libe-
ra dispositione; scribentes pro Camera
insistebant super distinctione originalitèr
tradita *per Bald. in eadem l. 1. C. de Summa*
Trinit. n. 100. vt scilicèt idprocedat in il-
la confiscatione, quę sequatur per condẽ-
nationem fictam, seù contumacialẽ, con-
tra bannitũ, cum tunc intret defectus iu-
risdictionis, vel iuris territorialis, quodq;
sententia suũ territoriũ non egrediatur,
iuxtà primam rationem *Peregrini*. Secus
autem vbi agatur de condemnatione ve-
ra, contra præsentem, contra quem de
facto exequutioni demandata sit per ca-
pitis truncationem, seù aliam speciem
mortis, cum tunc confiscatio bonorum
existentium extrà principatum, vel ter-
ritorium, non proueniat ex ratione iu-
risdictionis eius, qui sententiam con-
demnatoriam protulit, eiusdemque sen-
tentiæ vigore, sed in ratione bonorum
vacantium, ob incapacitatem Domini,
& possessoris, qui ita effectus est seruus
pœnæ, vbique ob rationem considera-
tam à *Bartolo*, & alijs, quod vna, & ea-
dem persona indiuidua non potest eodẽ
tempore esse diuersæ naturæ, vt sit libe-
ra, & serua, vt de prædicta distinctione
habetur in eodem *voto num.* 14.

Et hinc plerique inferunt, quod dispo-
sitio *d. auth. sed hodiè*, intelligenda veniat
30 in ijs damnatis, qui naturalitèr non mo-
riuntur, sed adhuc viuunt, vt sunt dam-
nati in metallum, vel deportati in Insu-
lam, siuè damnati ad triremes, &c. secùs
autèm vbi agitur de damnatis ad mortẽ,

dum

dum istorum respectu, iura antiqua remanent incorrecta, multas in id allegando auctoritates, quæ habentur etiam relatæ *in d. voto num. 27. & seqq.*

Verum & id continet æquiuocū, quod alijs de quibus suprà, est clariùs; Siquidem ista quæstio super dispositione *d. auth. sed hodiè*, & an hodiè verificetur antiqua vera seruitus pœnæ, nec nè, procedebat intrà limites Romani Imperij; Et nihilominùs, etiam intrà eos verius est, magisque communitèr receptum, vt etiam in damnatis ad mortem, cum subsequuta exequutione, non detur hæc seruitus, dum intestabilitas, vbi intrat confiscatio bonorum, prouenit potiùs à defectu materiæ, quoniam stante generali confiscatione, nil remanet, de quo testari, & disponere; sectis autem extrà dictū Imperium, extrà quod Romani, illas partes appellabant partes hostium, quoniam iuxtà ea, quæ habemus in eisdem legibus in materia seruorum, & ingenuorum, siuè in materia legis Corneliæ, & postliminij, passim datur iste concursus libertatis, &
31 seruitutis in eadē persona, pro diuersitate respectuum, seù locorum, quód scilicèt ille, qui reverà apud hostes erat in seruitute, apud nos habebatur pro libero, & è conuersò, cum illis tamen fictionibus quæ quādam superstitionem redolebant; Atque etiam hodiè docet notoria praxis inter Christianos, & Turcas, inter quos, vtpotè sequaces diuersæ fidei, & Religionis, datur vsus veræ seruitutis, quoniam illi infideles, qui apud nos sunt serui, in imperio Turcarum sunt ingenui, & liberi, & è conuersò, nostri qui sunt infidelium serui, apud nos habentur pro ingenuis, & liberis, vt benè in specie id aduertit *Alberic. de Rosat. de statut. d. par. 3. quæst. 2. num. 9.*

Hinc meritò dicta consideratio *Bartol.* in specie reprobatur, & quodammodò irridetur apud *Paul. de Castr. cons. 319. num. 4. lib. 1.* quem sequuntur alij plenè reassumpti per *Bellon. iun. vbi suprà*, quoniam concursus incompatibilis diuersarum personarum, vel qualitatum, intelligitur eodem respectu, siuè ad eundem effectum, & in eodem loco respectiuè, vt passim videmus in casibus, de quibus *sub tit. de Dote, disc. 102. cum seqq. & præsertim 106. & in decisionibus ibi relatis*, quod eadem persona in vno loco, ac respectu bonorum in eo existentium, esset testabilis, & in altero est intestabilis; Atque de facto etiam docet praxis in Religiosis professis, qui in partibus Catholicorum assimilantur seruis, eorumque iure censetur, ideóque sunt omninò intestabiles, & incapaces dominij, & possessionis, ex deductis *tit. de testam. disc. 9. & 35. & seq.* & tamen si apostatentur, atque trāseant ad partes hæreticorum, vel infidelium, siuè scismaticorum, apud eos habentur, tanquam liberi, & testabiles, tanquam in Orbe, vel in Imperio diuerso.

Hic autèm hodiè est generalitèr ca-
32 sus in singulis quibusque Principatibus diuersis, ac independentibus, quoniam cum theoricè, & practicè receptissimum, atque absolutum sit, quod quilibet Princeps supremus dicitur Imperator, & Monarcha in suo Principatu, ibique tanta sit eius potestas, quanta erat illa Imperatoris in Imperio Romano; Hinc proindè sequitur, quod tot sunt Imperia, vel tot sunt mundi inter se diuersi, quot sunt Principatus; Et per consequens non datur verificatio distinctionis *Bartoli* super iure communi.

Deducebant ijdem scribentes pro Camera, ad euitandum hoc verè insolubile argumentum, quod resultat à diuersitate
33 Principatuum, tres, pro meo iudicio, claras leuitates, quas mirandum videtur, quod iudiciosus, ac nimium perspicacis ingenij Iudex primæ instantiæ deduxerit in præfato voto *ex num. 33. ad 38.* Primò nempè quod Papa, & Imperator sunt inter se confœderati; Secundò, quod hoc Regnum Hungariæ dicatur de iuribus Beati Petri, & Ecclesiæ Romanæ, vtpotè ab ea receptum à S. Stephano, qui vt eius S. Legenda testatur, Regium, & Christianum nomen inuexit; Et tertiò, quod cum istud crimen læsæ maiestatis proprij Regis complicaret confœderationem cum Imperatore, seù Tyranno Turcarum, ita adesse diceretur alterum crimen læsæ maiestatis diuinæ, quód indubitantèr ex iam admissis suprà, est vbique punibile, ideòque complectitur omnia bona vbicumque existentia.

Super istis motiuis dicebam (etiam in sensu veritatis) quod essent leuia, discursu indigna, illa etenim singularitèr examinando; Quatenùs pertinet ad primum motiuum confœderationis, duas dabam respon-

responsiones; Primò nempè, quòd Imperium nil commune habet cum Regno Hungariæ, vndè propterea acta Concilij
34 Tridentini docent, quod Ferdinandus Primus Caroli V. germanus frater, & hodierni Imperatoris atauus, diuersos ad Concilium misit Oratores, alios scilicèt nomine Imperij, & tanquam Imperator, & alios tanquam Rex Hungariæ, cum diuersis locis, & tractatibus, vndè propterea inter hunc Oratorem Regis Hungariæ, & Oratorem Regis Lusitaniæ, habitæ fuerunt controuersiæ præcedentiæ, de quibus apud *Card. Pallauicin. in histor. Concil. tom. 2. lib. 15. c. 20. & 21.* Ideòq; posita etiam confęderatione cum Imperatore, nihil ad rem.

Et secundò, quoniam, vt sæpiùs aduertitur, præsertim *sub tit. de praeminent. disc. 1. & in miscellan. Eccles. disc. 1. & in relat. Curię disc. 2. & alibi*; in Papa plures ac discretæ personæ materiales considerantur, & præsertim duæ in ratione magis publica; Vna scilicèt Papæ, idest Episcopi Ecclesiæ vniuersalis, & Vicarij Christi; & altera Principis temporalis Status Ecclesiastici, tam mediati, quàm immediati in Italia, & in Gallia, ideòque duplicem habet fiscum, vnum scilicèt Pontificium, ad quem pertinent spolia Clericorum, decimæ papales, emolumenta Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, aliaque iura pertinentia ad Pontificatum seù ad Principatum spiritualē, inter quæ iuxtà vnam opinionem suprà recensitam, pertinent etiam confiscationes, quæ vbique locorum fiant de bonis hæreticorū, seù aliàs ex causa criminis læsæ maiestatis diuinæ, vbi contraria consuetudo aliud non suadeat; Et alterum fiscum laicalem in spectantibus ad dictum Principatum temporalem.

Illa itaque confederatio, quæ generalitèr supponenda est, & esse debet inter
35 Papam, & omnes Reges, ac Principes Catholicos, magis verò, ac peculiaritèr cum Imperatore, ob iuramentum, quod ipse præstat, quando recipit à Papa coronam, vel confirmationem suæ electionis, respicit primam personam Papæ vti Papæ, pro conseruatione, defensione, & propagatione Catholicæ fidei, & Ecclesiæ Romanæ aduersùs infideles, & hæreticos, ac scismaticos, aliosque eiusdem Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ infensos; iuxtà illam speciem confęderationis, & defensionis, quæ legitur inter Imperatorem Henricum Primum, cognomento Pium, quem Ecclesia in Cathalogo Sanctorum descriptum habet aduersus Græcos, in Apulia molestias inferentes Benedicto, cum similibus; Et quæ confęderatio, vt præmissum est, præsupponenda quoque venit, atque adesse debet inter Papam, & omnes alios Principes Catholicos; Verùm id nil commune habet, cum cuiuslibet istorum Principatibus, & finibus temporalibus, quorum respectu, ex præmissis, tot sunt mundi diuersi, quot sunt Principatus; Neque ex illa generica, & remota confęderatione, quæ inesse dicitur in amicitia inter Principes, resultare dicitur cōmunio, vel confusio principatuum, siuè quod ille, qui lædit maiestatem vnius, efficiatur quoque reus maiestatis alterius.

In ea etenim quæstione, an amicus inimici Domini, ipsum Dominum offendat, atque ob id felloniam, seù rebellionem contrahat; Et è conuersò, an idem effectus sequatur ob inimicitiam, seù offensionem illius, qui sit amicus, & confęderatus Domini, procedit in feudatarijs, ob formam iuramenti fidelitatis, quando tamen amicitia, vel confęderatio influit ad conseruationem principatus ipsius Domini, ex ijs, quæ obitèr insinuantur suprà *disc. 118. & tit. de feud. disc. 58.* siuè generalitèr, respectu quorumcumque subditorum, in illa confęderatione omnimoda, quæ per speciem vnionis, vel societatis, fiat inter plures Respublicas, vel Ciuitates, quæ ita collegiatiuo quodam more, tanquam tot membra, ęqualitèr cōcurrant ad efformandum vnum corpus politicum, siuè vnum principatum, cuius vnus, & idem sit fiscus habitualis, diuiso solùm exercitio, seù commoditate, iuxtà insinuatum exemplum, quo Iuristæ vti solent, confęderationis Ciuitatum Lombardiæ aduersùs dictum Imperatorem Fridericum pro conseruatione pacis Cōstantiæ, ex insinuatis *d. disc. 2. de Feud.* ac etiam suprà *hoc tit. disc. 51. & in annotat. ad disc. 1.* Atque nostris temporibus docet praxis in Ciuitatibus, vel Prouincijs confęderatis Hollandiæ, siuè in Ciuitatibus, & Prouincijs, vulgò Cantoni, constituentibus vnam Rempublicā, cum similibus; Ac propterea, cùm ista confi-

confiscatio prætenderetur per fiscum sæcularem principatus temporalis, in quo Papa non consideratur, tanquam Papa, sed tanquam Princeps temporalis, non videtur ad quod propositum ista consęderatio remaneat considerabilis.

Quo verò ad alterum fundamentum, quod Regnum Hungariæ sit de iuribus
36 Sancti Petri, & Sedis Apostolicæ, à qua Sanctus Stephanus primus Rex Christianus titulum regium accepit, seque, & regnum Sanctæ Sedi submisit; Aduertebam, quod inanis videbatur labor leguleicus aliquorum ex dictis scribentibus pro Camera, qui curarunt id expiscari à quibusdam vltramontanis Scriptoribus, relatis etiam *in voto num.* 35. dum id legitur in Breuiario Romano in lectionibus, in die commemorationis eiusdem Sancti, ideòque magis authenticum testimonium desiderari non poterat.

Dicebam tamen, quod ista est quædam dependentia, quam omnia Regna habere debent à Summo Pontifice, tanquã Christi Vicario, iuxtà illam Pontificis potestatem habitualem in toto Orbe, de qua *in Relatione Curiæ disc.* 2. magis particulariter agnita per illos, qui Regnum, vel Principatum assequuti sunt ex concessione Sedis Apostolicæ, & Papæ vti Papæ, & Christi Vicarij, ex motiuo fidei, & Religionis, ad reprimendos infideles, vel hæreticos, aut scismaticos, iuxtà tot cõcessiones, & recognitiones respectiuè, quæ leguntur in annalibus, & historijs Ecclesiasticis, & quarum aliquæ referuntur *d. disc.* 2. *in Relatione Curiæ*; sed quoties non est formalis recognitio in feudum per omnes successores continuata, atque per tot sæcula intermissa, vt est illa Regni Neapolitani; tunc nullatenùs inferri potest, quod tale Regnum dici valeat membrum status temporalis immediati, vel mediati, ad hunc effectum confiscationis, quo prætendatur, non in ratione pontificia, sed in ratione principatus merè temporalis, vt suprà, potissimè quia Stephanus non obtinuit à Papa Regni dominium, quod iam eo inferiori titulo obtinuerat, sed titulum, & nomen regium.

Ponderabam quoque in idem, ea, quæ apud Chronistas habentur de gestis sub Pontificatu Pauli Quarti, circà receptionem iuramenti, & obedientiæ à Ferdinando Primo Imperatore electo per celebrem dimissionem Imperij, aliorumque Regnorum, factam per Carolum V. eius germanum fratrem, quod scilicèt, cum Ferdinandus potiùs ad effugiendum odiũ & inimicitiam Principum, & Ciuitatum protestantium Germaniæ, quàm ex defectu suæ magnæ pietatis, & religionis, aliquam haberet repugnantiam præstandi iuramentum, & obedientiam in forma consueta; idcircò cogitatum fuit, an huiusmodi actus ab eodem Ferdinando gerendus esset, tanquam à Rege Hungariæ, ratione dictæ subiectionis Sancti Stephani; Atque ex vtraque parte, Pontificis, & Imperatoris, agnitum fuit, quod id contineret quandam impropriationem, ideò que practicatum non fuit; sed quidquid sit de hoc, atque integrum locum veritati desupèr relinquendo, firmum remanet, quod ista est subiectio Papæ, vti Papæ, ratione pontificiæ dignitatis, non autem ratione principatus temporalis Status Ecclesiastici, vt etiam legitur de Regnis Angliæ, & Lusitaniæ, alijsque similibus; Atque hinc patet, quàm magnæ sint simplicitates eorum, qui puro leguleico pragmatico more, auctoritates attendunt in sola litera, non reflectendo ad debitas distinctiones, ideòque omnia inuoluunt, atque mundum replent confusionibus.

Demùm quoad tertium motiuum confæderationis cum hostibus fidei, tres dabam responsiones; Prima scilicèt in facto ex defectu probationis, cum de hoc nulla
37 daretur iustificatio ex deductis infrà in vltimo puncto.

Secundò, quia hæresis speciem redolet illa confæderatio, vel amicitia infidelium, ob quam opes, & auxilium eis præstentur cum militibus, vel cum nauibus, siuè cum pecunijs, & victualibus, armis, & instrumentis bellicis, & alijs, vt ita infideles potentiores efficiantur aduersùs fideles, eosque opprimere valeãt; secùs autem (sicuti in præsenti) intendant Barones, & Magnates alicuius principatus, se subtrahere à dominio, & ab obedientia proprij principis, atque vindicare libertatem, seù altum dominium, ac se efficere supremos, ex hoc solo fine dominij temporalis, absque aliqua alteratione, vel præiudicio fidei, & Religionis; Sed quia timent maiorem potentiam proprij

proprij principis, cui cum eorum solis iuribus resistere non possint, confugiant ad protectionem alterius principis magis potentis, pro defensione, ac protectione siuè alteratione aliqua religionis, iuxtà illas confœderationes, quas Iudas, & Ionata Machabæi fecerunt cum Gentilibus Romanis, vt tueri possent excussionem à iugo seruitutis Græcorum, cum similibus; Atque docet hodierna praxis plurium Catholicorum Principũ, & Catholicarum Republicarum, quod curant obtinere, & conseruare amicitiam huius Imperij Turcarum; Quinimò respectiuè, aliquod tributum ei soluunt, tanquam Principi magnæ potentiæ temporalis, tã ad euitandam eius oppressionem, quàm etiam ad protectionem, & defensionem aduersùs alios, qui eos opprimere vellent; Et hic est casus.

Et tertiò clariùs, quoniam si confiscatio prætendebatur ex diuerso crimine
38 læsæ maiestatis Diuinæ, ita duplex manifestus error dignoscebatur, nullo modo in ipsamet Curia, in faciem Papæ, & Sacræ Congregationis Vniuersalis Inquisitionis præsupponendus; Primò nempè, quod confiscatio fieret vigore sententiæ laicalis Consilij status Imperialis, & sic Iudicis laici, qui est omninò incompetens in causis fidei; Et secundò, quòd confiscatio fieret per Thesaurarium Iudicem primæ instantiæ, potiùs sæcularem, quàm purè Ecclesiasticum, seù in causis prophanis ad Cameram, seù fiscũ spectantibus, vel etiam in illis, quæ spectant ad fiscum Ecclesiasticum. sed ex causa prophana, vt sunt spolia Clericorum, & similia; secùs autem in causis fidei, quarum cognitionem, & competentiam priuatiuam habet dicta Sacra Congregatio Vniuersalis, ex deductis *disc. 14. in Relatione Curiæ*, adeò vt sint incompetentes etiam illi Iudices, & Magistratus, qui sint merè spirituales, & Ecclesiastici, vt sunt Tribunalia, Rotæ, & Vicarij Vrbis, ac etiam ipsæmet aliæ Sacræ Congregationes Cardinalitiæ.

Ex his omnibus itaque, etiam reflectẽdo ad solam veritatem, concludendo,
39 firmum, & constans remanere videtur, quod dicta propositio, quæ per ora vulgi tam legalis, quam non legalis volitat, quod quilibet confiscat in suo, est vera in suis respectiuè casibus, superiùs distinctis, non autem in isto, quodque ista est erronea opinatio, seù traditio vulgi, non distinguentis casus, & circumstantias, ad instar plurium aliarum consimilium vulgarium traditionum, & opinionum, quæ ad trutinam deductæ, nullum penitus habent fundamentum, vt præsertim est illa communis opinatio, quæ vbique per fiscales, siuè per publicanos, & gabellarios habetur de gabella soluenda pro cadaueribus, vt aduertitur *hoc tit. disc. 166.*

Atque hinc manat alter error præsuppositæ obseruantiæ, quoniam stante dicta traditione, seù opinatione vulgi, ac
40 etiam stante, quod huiusmodi casus sunt nimium rari in praxi, quando illi contingunt; Hinc proindè fiscales, huic traditioni innixi, id attentare solent, & quandoque de facto assequuntur, quando boni defensores non inueniantur, eodem modo, quo vbique, ac in dies faciunt publicani, ac Dohanerij, & gabellarij, quamuis illicitè agant, vt habetur *in d. alio voto impresso par. 12. recent. decis. 414. & suprà disc. 71.*

Ex deductis autem apud *Spadam dicto cons. 27. lib. 1.* (in quo Camerales magnũ constituebant fundamentum) ad aliquam obseruantiam inferri non potest ex pluribus; Primò nempè, quoniam in eo casu agitur quoque de crimine læsæ maiestatis diuinæ, pro quo, firmum est intrare confiscationem vbique; Secundò quia est auctoritas Aduocati fiscalis scribentis pro Camera ad causæ opportunitatem, eodem modo, quo in ista causa faciebant scribentes pro eadem camera, ideòque est auctoritas suspecta, non docto de decisione, vt *in disc. 35. de iudicijs n. 76. & alibi pluriès*. Tertiò quia, vbi etiam de decisione doceretur, adhuc esset casus vnicus, qui nõ facit solitum; Et quartò fortiùs, quoniam ille erat casus diuersus, in quo non disputabatur inter fiscum & hæredes delinquentis, super bonis stabilibus, quæ loco circumscribebantur, vndè propterea intraret præsens quæstio (ad quam ne quidem cogitatum fuit) sed erat quæstio inter duos fiscos super pertinentia potiùs, quàm super existentia, vel substantia confiscationis, quæ non erat in controuersia; Cùmque tunc adhuc decisus non esset articulus, an loca montium circumscribantur loco, vel potiùs tan-

tanquā iura incorporalia, haberent speciem nominum debitorum, vt sequerentur personam; Idcircò iuxtà hanc secundam partem prætendebatur per fiscum Regis Galliæ, quod sequerentur personam; Idemque erat casus, qui in Curia circumfertur sub eodem Paulo IV. & circa eadem tempora (etiam per traditionem, absque eo, quod constet de sententia) in locis montium, & iuribus, quæ in Vrbe possidebat alter Gallus Marescialus Conginus.

E conuersò historiæ, in tot motibus Italiæ, aliarumque prouinciarum, docent contrarium, & præsertim in tot notorijs motibus rebellionum, & factionum cum proscriptionibus bonorum, in antiquis Republicis, Ianuensi, Florentina, Senensi, Pisana, &c. quod rebelles se confouebant in Statu Ecclesiastico, in quo bona habebant, & in alijs principatibus adiacentibus, absque eo quod id vnquā practicatum legatur; Quinimò in casu fortiori Baronum Status Ecclesiastici possidentium feuda, & bona in Regno Neapolitano, qui Papæ rebelles in eo Regno se conferebant; Et è conuersò Barones Regni in Vrbe, & Statu Ecclesiastico; Et tamen isto casu aliqua cadit maior dubitandi ratio, iuxtà tertium casum suprà distinctum.

Prout in omnium sensatorum, & politicorum iudicio, prudens consilium reputatur id, quod in praxi frequentèr
41 seruatū habetur, vt nobiles, & magnates, vel diuites vnius principatus, bona acquirere curent in alijs principatibus, ad hoc, vt huiusmodi infortunijs contingentibus, habeant vbi se confouere valeant, quod vtique ita practicabile non esset, vndè persequutio proprij principis quandoque iniusta, causaret omnimodam denudationem bonorum per totum mundum, quodque persona in alijs principatibus esset tuta, & impunibilis, & tamen quod pati deberet confiscationem bonorum, quo nil absurdiùs.

Quarè id, quod ex omnium sensatorū iudicio reputatur prudens consilium habendi bona sparsa in diuersis principatibus, ità remaneret consilium imprudens, & perniciosum, præsertim verò in Baronibus Romanis, in quibus, iuxtà hodiernum rerum statum, cessatis iam Dei gratia, antiquis factionarijs diuisionibus Guelforum, & Giballiuorum, vtpotè in principatu electiuo, & pacifico, non de facili datur casus huius criminis rebellionis formalis, ac læsæ maiestatis veræ, quæ per Doctores dicitur in primo capite, quoniam cùm eorum plerique, feuda, aliaque bona possideant in diuersis alijs principatibus adiacentibus, ità de facili, (quod Deus auertat) dari posset casus, quod contingente aliquo bello in eo principatu inter duos de eius pertinentia contendentes, ipsisque sequentibus illas partes, quas ratio exigat, cum sinistro fortunæ euentu, vndè propterea ab altera parte victrice rebelles declararentur, & tanquam tales, eorum feuda, & bona confiscarentur, & pluriés in Italia contigisse testantur historiæ, ita possent etiam spoliari Castris, & bonis, quæ possident in Vrbe, & Statu Ecclesiastico, & in alijs principatibus; Idemque in Ianuensibus, & alijs industribus nationibus, quæ coguntur habere feuda, & bona allodialia in diuersis regionibus, & principatibus, quoniam ob aliquam contingentiam, de quo suprà in vno principatu, remanerent omninò denudari, quod vtique repugnat vsui communi, cuidam humano discursui, ac etiam libertati commercij, adeòvt istud assumptum videatur in Republica perniciosum, & præiudiciale; Ideòque consulendum veniret dictis Baronibus Romanis, nimium diuitibus in hoc principatu, vt omninò se spoliarent feudis, & bonis, quæ possideut in illis principatibus, in quibus periculum huiusmodi contingentiarum subesse potest, multæque aliæ resultarent inconuenientiæ, & absurda contraria rationi naturali, ac etiam legis dispositioni, & intentioni.

De secundo Articulo.

An posito quod intraret confiscatio in bonis liberis delinquentis, illa intrare possit in bonis subiectis fideicommisso.

STantibus iam firmatis in articulo præcedenti, vt etiam in bonis liberis

tis ipsius Marchionis delinquentis, existentibus in hoc principatu,non intraret confiscatio, inanis vtique labor videtur agere de hoc secundò; Verùm vbi in antecedenti aliqua subesset ratio dubitandi (quod reverà non creditur); Adhuc tamen eandem sententiam, & votum respectiuè agnoscunt certum, hodièque extrà controuersiam receptum est, vt in bonis fideicommisso subiectis, non intret confiscatio, etiam ex his maioribus cri-
42 minibus vtriusque læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ,quamuis ad speciem deducta non essent, multo verò magis, vbi specialis, ac indiuidua dispositio desupèr adest, ex relatis suprà *disc. 160. & in alijs.* vltrà quos ibi relatos plura cumulant *Vermigliol. cons. 51. & 57. Spada cons. 32. 46. & 57. lib. 1. latè Royas de incompatibilis. par. 3. c. 2. nu. 8. & seqq.* apud quos, & alios id firmatur etiam respectu bonorum existentiũ in ipsomet principatu eius, cuius maiestas læsa fuit.

Clariùs verò,ac extrà omnẽ difficultatẽ in fideicommisso extranei, quod per delictum, & mortem possessoris apertum sit ad fauorem alterius substituti, etiam extranei, qui non sit de liberis, & descendentibus ipsius delinquentis, dum in eis intrare non potest illa incapacitas, quæ respectu filiorum, & descendentium resultat ab eadem *l. quisquis C. ad l. Iul. maiest.* de qua *d. disc. 160. hoc eod. tit.* quidquid enim sit de ista incapacitate, cessat hæc difficultas in radice, vbi substitutus est extraneus.

Non negabantur hæc per scribentes pro Camera, & admittuntur in voto,sed insistebatur in eo, quod Castrum iurisdictionale Nemi, ac etiam Casalia, aliave bona existentia extrà ambitum quatuor millium Vrbis ad præscriptum Constitutionum Apostolicarum,essent prohibita transferri, inferentes, qualis erat dictus Marchio Frangipanius de Croatia, ac etiam isti Frangipanij, & Flisci, vndè propterea sine Apostolica licentia non poterat super eis ipsorum fauore ordinari per Cardinalem istud fideicommissum; Cumque licentia desuper concessa contineret expressam præseruationem confiscationum, etiam ex causa de futuro, Hinc inferebant, quod fideicõmisso non obstante de consensu ipsius
43 ordinatoris adiecta fuisset ista lex, siue conditio, subiacerent bona confiscationi, totum fundamentum constituendo ex auctoritatibus Hispanorum, loquentium de illis Maioratibus; nempè *Molina de primogen. lib. 2. cap. 12. num. 56. & seqq. & lib. 4. c. fin. num. 63. Gomez ad l. 4. Tauri num. 61. vers. pulchrum*, *Lopez lib. 6. verb. qua non puduisse quæst. 2. tit. 11. par. 6. Mierez de maiorat. p. 4. q. 23. Sanchez ad præcept. decalog. lib. 2. c. 18. num. 41. & seqq. Molin. Iesuita de iust. & iur. tom. 3. disp. 657. num. 2. & disp. 582. num. 1. Castropalao oper. moral. tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 5. num. 12. Guttier. lib. 2. pract. quæst. 66. Angel. de meliorat. ad l. 11. glos. 2. à nu. 7. ad 13. Royas de incompatib. par. 10. num. 3. c. 2. num. 13.* atque ex hoc motiuo, Iudex protulit sententiam pro Ca-
44 mera super confiscatione scilicet prædictorum bonorum prohibitorum, pro quibus necessaria erat licentia apostolica vltrà ambitum quatuor milliarium, non autem pro alijs infrà eundem ambitum.

Verùm, retento eodem sensu veritatis resolutio non placuit, eaque parum probabilis,atque reuocatione digna visa est,ex fallacia d. motiui in applicatione; Siquidem auctoritates loquuntur in maioratibus Hispaniarum, ex illis legibus, & stylis particularibus, ex quibus non benè infertur ad determinationem causarum in Italia, vbi viuimus cum regulis iuris communis, vt etiam aduertitur *tit. de fideicomm. disc. 7. & in alijs.*

Ad id autem probandum, reassumendo (vt decet) materiam per eius principia; Aduertebam, quod in Hispania non
45 habetur vsus illorum feudorum, quæ iuxtà leges, vel consuetudines feudales regulanda sunt, & quorum vsum habemus in Italia, & in Germania, iuxtà illas diuersas species, de quibus pluriès in sua sede *sub tit. de feud.* Sed etiam illa publica, baronalia, & magnatitia dominia,quæ per illos nobiles,& diuites titulatos,& Barones,etiam magnæ potentiæ obtinentur, Ciuitatum, Oppidorum, & Villarum, ac etiam iurium regalium,quinimò etiam spiritualium, ex concessionibus Apostolicis iuris scilicèt participandi de decimis spiritualibus, vt in sua sede *sub tit. de decimis*, etiam cum titulis, & dignitatibus Ducum, Marchionum, & Comitum, non autem Principum (cum iste

iste sit titulus singularis filij primogeniti Regis, qui futurus est Regnorum successor) obtinentur in natura allodij sub legibus illorum maioratuum, quorum mentio pluriès habetur *d. tit. de fideicom. præsertim disc.* 1. 7. 13. 16. & 170. & *alibi*.

Isti verò maioratus sunt de duplici specie; Vna scilicèt qualificatorum, qualia sunt præmissa redolentia baronalem,
46 seù magnatitiam qualitatem, ad instar nostrorum feudorum, cum titulis, & dignitatibus, alijsque præeminentijs, ex concessionibus, & priuilegijs Regis, & qui faciunt ibi illam figuram, quam apud nos faciunt feuda nobilia dignitatis veræ, vel abusiuæ in forma indiuidua iuris Franchorum; Et altera maioratuum simplicium, seù non qualificatorum, quales sunt illi, qui sine priuilegio regio, ex sola priuata dispositione domini, & possessoris bonorum indifferentium, ac iuris priuati eriguntur, eodem modo, quo in Italia primogenitutas, & maioratus ordinamus, vt etiam aduertitur *d. tit. de fideicom. disc.*201. *& seqq.* Cùm itaque illa bona, tam publica, quàm priuata, quæ huiusmodi maioratibus obnoxia sunt, strictiorem habeant alienandi prohibi-
47 tionem, quàm habeant illa subiecta nostris fideicommissis, & maioratibus, imò magis, quàm ipsamet feuda, ex ijs, quæ habentur *tit. de feud. disc.*49. *d. disc.*7. *de fideicom. & alibi pluriès*, præsertim *disc.*173 *& seqq. eod. tit. de fideicomm.* occasione agendi de transactione facta per grauatum, an præiudicet successoribus vocatis, ac etiam *disc.*145. *de Dote*, occasione agendi de dispositione *Auth. res quæ*, & *alibi pluriès*; Ac propterea eò minùs, iuxtà antiquas leges, & stylos, qui etiam hodiè in viridi obseruantia respectiuè existunt, vt infra, ob possessorum crimina etiam maiora vtriusque læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ, non subiacebant confiscationibus; Hinc proindè, illi præsertim magnates primi ordinis, qui de
48 sãguine regio essent, atque ius in aliquibus ex illis Regnis, vel prouincijs habere prætendunt, ipsamque prætensionem cum protestationibus, & supplicibus libellis, alijsque actibus viuam conseruant, de facili contrà Regem caput erigebant, dum ità cessabat ille timor confiscationis omnium bonorum, & honorum, qui magis coercere solet ab isto crimine perduellionis, seù læsæ maiestatis humanæ, quod magnatibus, & potentibus magis connaturale, vbique esse solet, tanquam effectus spirituum elatorum.

Quarè, vt huic malo occurreretur, occasione illorum motuum Baronum, & Magnatum Coronæ Castellæ, & Legionis, de qua *d. disc.* 29. *de præmin.* qui aduersùs dominationem Caroli V. & Ioannæ eius matris sequuti fuerunt; & in quorum compositione tantò felix, & celeber fuit Adrianus Sextus eiusdem Caroli magister in statu Cardinalitio, quantò infelix fuit in regimine summi pontificatus: ad hanc licentiam in futurum reprimendam, seù coercendam, ædita fuit pragmatica per extensum registrata apud *Molin. de primogen. loco suprà cit.* per quam statuitur, vt huiusmodi maioratibus non obstantibus, ex prædictis criminibus vtriusque maiestatis diuinæ, & humanæ, & ex quibusdam alijs delictis ibi expressis, bona quæ subiacerent maioratibus qualificatis, cum regia scilicèt auctoritate erectis, confiscationi subiacerent; Atque exindè stylus in dicta Corona Castellæ, & Legionis inoleuit, forsan ad aliam Coronam Aragoniæ extensus, quod in regijs priuilegijs, & concessionibus, quæ in futurum in nouis erectionibus conceduntur ad formam eiusdem pragmaticæ, id adijciatur pro lege, & conditione dispositiua, vt scilicèt ea bona in casu præmissorum criminum, confiscationi subiacere deberent, ipsoque iure confiscata intelligerentur.

Rationem huius nouæ legis assignant suprà allegati, alij Hispani auctores, ob
49 quam contrà iuris dispositionem, ille maioratus possessor, qui successoribus independentibus per expressam alienationem, vel dispositionem præiudicare non potest, ità per delictum præiudicet, quodque innocens successor luat pœnas ex crimine prædecessoris, quem in auctorẽ non agnoscit; Quod scilicèt, id prouenire dicitur ex voluntate ipsius primi domini, & ordinatoris maioratus, qui per quandam implicitam donationẽ, ex tunc sub ista conditione criminis per aliquem successorem patrandi, ea bona Regi, vel eius fisco donare voluit ex quadam donatione causatiua, seù correspectiua ad concessionem dignitatum, & honorum, alia-

aliarumque præeminentiarum , exindè resultantium ; Ad instar illius implicitæ donationis , quæ inesse dicitur , quando quis rem suam liberam, & allodialem ab alio recognoscit in feudum, ad effectum obtinendi dignitatem , vel iurisdictionem, aut protectionem , iuxtà casus de quibus *sub tit. de feud. disc.* 54. *& 56. & 63. & in alijs* .

Hinc ipsimet Doctores Hispani superiùs recensiti, qui dictam propositionem
50 supèr confiscatione firmant, benè aduertunt, vt id solùm procedat in dictis maioratibus qualificatis, in quibus vrgeat præfata ratio correspectiuæ concessionis Regiæ, habentis in ventre istam legem, seù conditionem , sub qua quidam quasi contractus inter Regem concedentem, & inter erectorem concessionarium initus videtur; secùs autem vbi agatur de simplicibus , & non qualificatis maioratibus, qui sine hoc regio priuilegio, ex sola priuata dispositione domini bonorum ordinentur, iuxtà nostros maioratus & primogenituras Italiæ; siue quod si regium priuilegium accedat, illud fit ad alium finem, seù effectum, tollendi scilicèt illarum legum obstaculum , & præsertim *l. 27. tauri* super prohibitione, quã parentes habent seruandi inter liberos notabilem inæqualitatem, atque (vt Hispani dicunt) inter eos meliorandi, adeò vt sit priuilegium habilitatiuum personæ inhabilis, tollendo solùm obstaculũ , quod aliàs super potestate habebatur , absque eo, quod Rex det aliquid de suo.

Hinc , vt præ cæteris suprà recensitis, benè præsertim aduertit *Sanchez. ad præ-*
51 *cept. decalog. loco cit.* Quatuor ibi constituuntur maioratuum species; Primò eorum, qui sunt verè, ac directè Regij, cõsistentes in illis Ciuitatibus , Oppidis , Villis, & bonis, quæ in remunerationem seruitiorum , vel ex beneuolentiæ motiuo per Regem in forma nostrorum feudorum, pacti , & prouidentiæ iuris franchorum , concedantur alicui , eiusque descendentibus, in natura maioratus. Secundò , eorum, qui consistunt in illis Ciuitatibus , Oppidis , Villis , & bonis , quæ per aliquem iure liberi allodij possideantur , in eis verò cum regio priuilegio erigatur maioratus qualificatus , vt suprà, cum dignitate , & iurisdictione maiori, alijsque honoribus , & præeminentijs ; Tertiò in illis maioratibus, quæ sine aliquo priuilegio , ex sola priuata dispositione ordinentur in dictis bonis qualificatis, vel non qualificatis; Et quartò in illis, qui etiam non qualificati , sed simplices , sine dignitate , alijsque præeminentijs , quibus potiuntur duæ primæ species , paritèr eriguntur ex priuata dispositione, cum mixtura tamen priuilegij regij, super habilitatione illius, qui aliàs ex illis legibus inhabilis esset , propter obstaculum, seù prohibitionem dictarum legum de non meliorando , ita eis dispensando.

Itaque distinctione sic firmata , concorditer statuunt, vt tam confiscatio, quę
52 resultat á præfata regia pragmatica , quàm altera , quæ oritur à dicta clausula , seù conditione, adijci solita in regio priuilegio, procedant in prima, & secunda specie, non autem in tertia , & quarta; In prima scilicèt, quoniam dum agatur de directa concessione facta per Regem de bonis suis, quæ poterat non concedere , hinc sequitur , vt iustum , & rationabile sit, seruari debere illam legem, quam concedens rei suæ adiecit, atque concessionarius acceptauit; Eodem modo , quo habemus in concessionibus feudorum, etiam in forma pacti, & prouidentiæ , vt per felloniam, vel deficientiam à præstatione seruitij personalis, vel realis possessoris, fiat locus deuolutioni , vel caducitati in præiudicium successorum , quamuis independentium, ex deductis *disc. 5. de feud. & alibi*; Eandemque rationem habeat secunda species ob dictam scilicèt implicitam, præambulam bonorum donationem factam per erectorem Regi , á quo denuò eadem bona correspectiuè ad præeminentias, & dignitates sub tali lege obtineri dicuntur, iuxtá dictum exemplum agnitionis rei suæ in feudum ab alio, vt suprà.

Atque ad id comprobandum aliud exemplum dari potest erectionis beneficiorum de iure patronatus laicali ,
53 quoniam si (ex: gr:) aliquis priuatus suo ære, de explicito , vel implicito consensu ordinarij, ex integro fundat, & dotat Ecclesiam , in ea , eiusque rectoriæ , quæ remaneat in terminis simplicis, & nõ qualificati beneficij, acquirit ius patronatus, & præsentandi, etiam cum exem-

ptione

ptione à reseruationibus, & affectionibus Apostolicis, ex deductis in sua materia *sub tit. de iure patron. disc. 10. & 65.* Sed si idem fundator cupiat erigere beneficium qualificatum cum aliqua dignitate, & prælatura iurisdictionali, alijsque præeminentijs iuxtà casum (ex: gr:) de quo *sub tit. de iurisdict. disc. 8.* vndè propterea desupèr obtineat Apostolicum priuilegium, sine quo id sequi non potest; Tunc si in tali priuilegio Papa adijciat legem, seù clausulam, vt illud beneficiũ in certis casibus subiacere debeat Apostolicis reseruationibus, siué quod ex aliquo facto culposo possessoris beneficij, vel iurispatronatus, Ecclesia fiat libera, tali casu, id sequi dicitur iure contractus correspectiui, & ex volũtate ipsius fundatoris, ideòque successores conqueri non possunt; secùs autem in alijs duabus posterioribus speciebus, in quibus dicta lex, seù correspectiua conuentio non concurrit, minùsque ratio vrget, quia Rex nil concedit.

His itaque sic stantibus, atque applicando ad rem nostram, omnes prædictæ rationes, vel circumstantiæ, quæ consi-
54 derantur in duabus primis speciebus, in hac facti specie cessabant, ideòque præfatum Hispanorum assumptum omninò extraneum erat à casu, quantum distat nox à die, vel Cælum à terra, siué oriens ab occidente, ex multis diuersitatibus, quarum vna sufficeret, multò magis, ac ad euidentiam eis simul iunctis.

Primò nempè, quod in maioratibus Hispaniæ, de quibus solùm, ac limitatè loquuntur præfati Auctores Hispani, id procedit ex prædicta Regia pragmatica, & sic ex lege particulari illorum Regnorum, quorum fines non egreditur; Eatenùs etenim leges particulares alicuius Ciuitatis, vel principatus in alia Ciuitate, vel principatu attenduntur, quatenùs deseruiant pro interpretatione legis communis, vel particularis nimium dubiæ, vel quod sit casus omninò nouus à lege communi, vel particulari regionis non decisus, vndè propterea congruat recurrere ad legem proximæ prouinciæ,
55 vel principatus, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de Seruit. disc. 2. num. 19. & dicto disc. 35. de indic. & alibi pluries*; Sed vbi habemus legem claram, vt in præsenti, quod scilicèt ex delicto possessoris fideicommissi, vel primogenituræ confiscati non possunt bona eidem fideicommisso, vel primogenituræ subiecta, tunc protsùs impropriũ est, vt ad correctionem huius regulæ legalis, attendere debeamus leges, & stylos particulares, & exorbitantes à iure communi.

Ideòque meus intellectus percipere nõ poterat, quare in Italia in antecedenti articulo sperni deberet distinctio, seù consideratio grauissimi Doctoris Itali Peregrini, & quæ á tot grauibus Doctoribus etiam Italis, per sæculum absque contradictore admissa est, solidisque iuris communis rationibus, & fundamentis innixa, vt suprà; Et quod adhærendum esset in materia correctoria odiosa, & exorbitanti traditionibus modernorum Hispanorum, qui pro magna parte sunt morales potiùs, quàm iuristæ, atque loquuntur circà leges particulares, & stylos Hispaniæ.

Secundò clariùs ob aliam maiorem diuersitatem, tam rationis, quàm etiam circumstantiarum facti, quoniam in casu, de quo loquuntur Hispani, facultas confiscandi, quinimò confiscatio, ipso iure sequenda in regio priuilegio adijcitur per viam expressæ, & dispositiuæ conuentionis, tanquam per speciem pacti; In præsenti autem adiecta fuit solùm clausula *sine praiudicio*, quæ nihil dat, vel tollit, sed solùm conseruat, seù præ-
56 seruat id, quod iam existat, vel competat, ex deductis *per Apont. consil. 3. à nu. 1. ad 14. lib. 1. cum alijs sub tit. de feud. disc. 1.* & frequentèr; Ideòque magna differentia est, inter dispositiuam conuentionẽ, & simplicem præseruatiuam.

Tertiò in idem, quoniam (vt dictum est) in casu dicti priuilegij super erectione dicti maioratus qualificati, Rex dat de suo, idest, iuxtà primam speciem dat
57 ipsamet Castra, & loca, aliaque bona dirlogin, & immediatè; Et iuxtá secundã dat etiam de suo, idest dignitatem, nobilitatem, prærogatiuas, & præeminentias, aliave priuilegia; In præsenti autem Papa nihil penitùs dat de suo, sed solùm remouet quoddam impedimentum accidentale; Vndè propterea, procedendo etiam cum eisdem auctoritatibus Hispanorum, verè, & propriè intrat quarta species suprà distincta, vbi scilicèt fiat erectio maioratus non qualificati in bonis

nis liberis,ex priuata dispositione, absq; priuilegio qualificante, accedat autèm licentia dispensatiua, seù remotiua obstaculi accidentalis, quod resultat ex legibus particularibus prohibentibus inæqualitatem, seù meliorationem inter liberos; Et hic videtur casus præcisus, quoniàm nil dando de nouo, solùm occurrit pœnalibus, ac præiudicialibus effectibus, qui resultare possent á lege impeditiua, seù prohibitiua, quatenùs ei non occurratur, eiusque dispensatio non obtineatur:& sic potiùs per speciem præseruatiuæ iuris proprij, nè amittatur, quàm per assequutionem noui iuris; Ad instar illorum indultorum, quæ obtineãtur pro retentione pensionis ecclesiasticę non obstante assumptione status incompatibilis, putà matrimonij, vel professionis inReligione,vel Episcopatus,seù aliàs incompatibili, ex deductis pluriès *sub tit de pensionibus*, cum similibus.

Et quartò quia, retentis etiam dictis fortioribus terminis, conditionis, vel clausulæ dispositiuæ adijci solitæ in priuilegijs maioratuum qualificatorum Hispaniæ, adeòut inesse dicatur dictus cōtractus, vel quasi, inter Principem con-
58 cedentem, & subditum recipientem; Adhuc tamen, ex verisimili vtriusque voluntate, ità conuentum videtur, pro eo casu considerato, & volito per concedentem, & laudato per concessionarium, spectato fine,seù ratione, ob quam ista introductio sequuta fuit, pro fide scilicèt seruanda ergà ipsummet Principem benefactorem, nè aliàs ingratitudo mixta cum perduellione committatur,& sic pro casu illius criminis, quod committatur, lędendo maiestatem ipsiusmet Principis, vel Regis proprij, qui gratiam, seù priuilegium concedit, & qui propterea, acquirere, vel præseruare sibi voluit ius confiscandi bona in suo territorio existentia, super quibus ipse priuilegium,& præeminentias concedat; Non autèm,vt sollicitus esse voluerit de fidelitate seruanda diuerso Principi, qui dum ipso concedente considerato tanquàm Principe seculari, vt suprà, nullam connexionem habeat; Ideòq; clausula apposita in priuilegijs concedi solitis super his maioratibus Hispaniæ,percutit læsionem maiestatis ipsiusmet Regis concedentis, non autem læsionem Regis Galliæ,vel Poloniæ &c. vt est clarus sensus omnium Hispanorum, de quibus supra, ac aliorum; Ac propterea ad rem conferre videntur ea, quæ circà verisimilem voluntatem, vtriusque contrahentis, seù renunciantis, & renunciatarij ad theoricam *Bartholi in l. Qui Romæ §. duo fratres, ff. de verborum obligat. & in l. Gallus ff. de liber. & posthum.* habentur *sub tit. de renunciat. disc.5.& 6.* cum similibus.

Itèm circà dictam tertiam differentiã, ad rem adaptabile videtur idem practicum exemplum superiùs traditum in materia Iurispatronatus, quod scilicèt, si
59 ob aliquam prærogatiuam, & dignitatem, quæ aliàs de iure fundatori non competeret, Papa in priuilegio desupèr concesso, dispositiuè aliquid sibi reseruat sub certa conditione, tunc verificari videtur, etiam ex parte Papæ concedentis acquisitio eius, quod aliàs sibi non competebat correspectiuè ad id, quod de suo concedit, vt superiùs dictū est; Sed si ille, qui iam habet iuspatronatus, ex fundatione, & dotatione legitimè quæsitum, velit illud, cum aliquo titulo particulari transferre in alterum, tunc patronum,quod tamen facere non potest sine consensu Ordinarij, vel Papæ, ex deductis in sua materia *sub tit. de Iurepatron.* vndè propterea Patronus pro validitate dispositionis, & ad euitanda præiudicia aliàs resultantia, ab vno, vel ab altero, obtineat consensum, seù licentiam, in qua adijciatur clausula præseruatiua amplissimè extensa quorūcumque iurium, tàm Ecclesiæ, quàm ipsiusmet concedentis, etiam reseruationum, & affectionum, tunc vtique ista præseruatiua nihil dat de nouo, neque tollit, vel minuit ius patroni, sed solùm conseruat ea iura, quæ competerent, & quatenùs competant, ne per huiusmodi licentias, seù consensus præstationem præiudicatum censeatur, & per consequens prætendi non poterit, quod per huiusmodi præseruatiuam intret reseruatio, vel affectio, quæ aliàs non intraret.

Considerando potissimè, quod ista clausula non est particularis in ista licētia, siuè in isto licentiarum genere tan-
60 tùm, iuxtà dictum casum priuilegiorum Hispaniæ, in maioratuum qualificatorū cre-

erectionibus, sed generalitèr adijci solet in omnibus indultis, & licentijs, quæ conceduntur super alienationibus, vel hypothecis, ac censuum impositionibus, alijsque actibus, super bonis iurisdictionalibus, alijsque prohibitis, ad solum effectum præseruandi præiudicia, quæ aliàs resultarent cum tertio, ex licentia, vel assensu simplicitèr concesso, ideòque inferri nō potest ad hanc specialitatem, vel ad hunc effectum exorbitantem, cum alios producat effectus, in quibus verificatur.

Cùm etenim, ex cōmuni sensu feudistarum, propositionem habeamus receptam, de qua *sub tit. de feudis* pluriès,
61 quod scilicèt assensus habet vim nouæ inuestituræ, quodque tertius, cuius fauore fit alienatio, vel alter actus, principalitèr sequi dicitur fidem ipsius Principis, vel Domini concedentis assensum, á quo suum ius metiri dicitur per occultam extinctionem primæui iuris alienantis, & efformationem noui iuris in eo, cui alienatio fiat; Quod etiam frequentiùs habetur deductum hoc eodem titulo in materia resignationis officiorū, & locorum Montium; Hinc sequitur, quod huiusmodi assensu accedente fauore creditoris, istius ius, & hypotheca durant, etiam post deuolutionem feudi, contra ipsummet Dominum, vndè proptereà non intrat regula textus *in l. lex vectigali, ff. de pignorib.* quod resoluto iure datoris, resoluitur ius acceptoris, ex deductis *disc. 1. de feud. & alibi pluriès*; Vel si de tempore concessionis assensus, ius deuolutionis, vel caducitatis iam competeret, non posset illam Dominus opponere tertio, cuius fauore actus sequutus est, cum iste dicere valeat se fuisse sequutum, potiùs fidem ipsius Domini, qui assensum præstitit, quam illam alterius contrahentis, cum quo aliàs non contraxisset.

Ad hunc igitur effectum, euitandi scilicèt huiusmodi præiudiciales effectus, qui resultare solent ex assensu, vel licentia simplicitèr concessa, prodijt ista cautela adijciendi huiusmodi clausulam præseruatiuam, ex deductis *d. disc. 1. de feudis*, & alibi pluriès, & in voto *nu. 167.* & per consequens ad hunc alium exorbitantem, & inuerisimilem effectum non est trahenda.

Magna vis constituebatur per scribē-
62 tes in contrarium, ac etiam per Iudicē, vt patet ex deductis in voto, in eo quod præfata clausula præseruatiua, nō solùm contineret casum deuolutionis, vel caducitatis, qui sequi solet de natura rei, in feudis, & bonis iurisdictionalibus, quę per Apostolicas Constitutiones, feudali seruituti in aliquibus subiugata videntur, sed deducta etiam fuit ad speciem ipsa confiscatio, tám ex causa de præterito, & de præsenti, quod verificari posset in crimine ipsius Cardinalis donatoris, vel Marij eius auctoris, aliorumque maiorum; quàm etiam ex causa de futuro, quæ non est verificabilis, nisi in successoribus, iuxtà istum casum pręcisum; Verùm istud paritèr videbatur leue fundamentum, ex eadem ponderatione, de qua suprà, quod scilicèt, motiuum esset considerabile, quando ista clausula esset specialis, adiecta huic gratiæ, seù licentiæ, vel huic generi licentiarum tantùm; Secùs autèm dum est formularium generale, adijci solitum in omnibus, & quibuscumque licentijs, etiam occasione contrahendi debita, & hypothecandi bona iurisdictionalia, & alia prohibita, dum isto casu, rectè verificabilis est præseruatiua confiscationis, etiam de futuro, vt scilicèt illa cōtingente, Camera prætendere posset obtinere bona libera, periudè ac si licentia concessa non esset, ità singula singulis congruè referendo, pro illis scilicèt casibus, in quibus præseruatiuæ sint verificabiles; Ac etiam dicebam, quod verificabilis esset casus confiscationis, ex causa de futuro, & ex delicto successorum pro tempore, iuxtá illam scilicèt confiscationem, quæ fideicommisso non obstante inerat durante vita, vel iure possessoris, ex causa receptationis bannitorum ad præscriptum Constitutionis Sixti V. cum similibus, de quibus suprá *disc. 160.* non autèm, vt destruatur etiam fideicommissum restitutorium in casu mortis.

Atque ad hunc effectum obseruabam
63 cadere punctum, super quo *in voto n. 101.* magnus fit allegationum cumulus, an scilicèt huiusmodi clausula præseruatiua, conditionem resolutiuam, quoad omnes, vel quoad illum tantùm, qui contrauenniat, iuxtà quæstionem disputatam à

Ronito consf.1.lib.1. quod etiam expenditur *in dicto voto num.126.* quod scilicèt ita licentia habeatur pro non concessa, nè concedenti resultent præiudicia, quæ aliàs resultarent in iuribus sibi competentibus, non autèm, vt exindè acquiratur nouum ius, quod aliàs non haberetur, atque in hoc cosistit punctus.

Ità etenim sequerctur, quod cum nimia facilitate introduci posset confiscatio in omnibus bonis iurisdictionalibus, & alijs, non obstantibus fideicommissis, alijsque prohibitionibus, quoniàm in dies contingit, vt concedantur huiusmodi licentiæ qualificatę à prædicta clausula, occasione imponendi census, & contrahendi debita, seù faciendi alias alienationes, & contractus, dum generalitèr in omnibus eadem pręseruatiua ab annis circitèr quadraginta citrà apponitur pro formulario: confiscationes autèm in hoc principatu sunt frequentes penè pro omnibus delictis, etiam priuatis, ideòque in vim alicuius ex huiusmodi licentijs, omnia fideicommissa destructa remanerent.

De tertio Articulo.

An sola sententia super condemnatione delinquentis, & confiscatione bonorum, probet delictum sine actis, ad effectum faciendi confiscationem in alio territorio, vel principatu.

SVper isto demùm tertio puncto, seù articulo, qui iuxtà ordinem initio præmissum, quoad huius particularis causæ defensionem, deberet esse primus, vtpotè eradicatiuus occasionis assumendi aliorum articulorum disputationes; Dicebam, quod certa iuris regula est, vt sola sententia, que non iustificetur ex
64 actis nil probet, neque exequutionem mereatur, vt alijs relatis *decis.336. post 2. vol. consil. Farinac. apud Buratt.dec.76. num.2.& 3.& dec.94. num.1.* cum alijs, de quibus *tit. de iudic. disc.36.* & non negant alij, qui in oppositum deducebantur, de quibus infrà.

Multò verò magis, vbi non agitur de exequutione sententiæ facienda ab eodē Iudice, vel Tribunali, à quo lata est, vt est casus, de quo agit *Grammatic. decis.24.* siuè de exequutione facienda per exequutores nudi facti, vt sunt Baricelli, birruarij, & lictores, alijuè similes inferiores Ministri, ad quos non pertinet inquirere de validitate, & iustitia sententię exequendæ, sed iuxtà distin-
65 ctionem, de qua *tit. de iudic. disc.40. & tit. de feud. disc.77.* agitur de exequutore iuris, ideſt de alio Iudice, vel Tribunali, presertim diuersi territorij, vel principatus; Tunc etenim Iudex vnius principatus, vel territorij, nunquàm exequi debèt sententiam alterius Iudicis diuersi territorij, vel principatus absque causæ cognitione, & non visis actis, & iustificationibus; Quinimò id teneatur inter Iudices eiusdem Ciuitatis, vel territorij ex deductis *d.disc.77.de feud.& d.disc.40. de iudic.& disc.22. Miscellan.Eccles.lib.14.*

Et in specie in criminalibus, etiam si adsit explicita confessione, vel accepta-
66 tione condemnati, adhuc sine iustificatione sententiæ, vel delicti, ad exequutionem non est procedendum *Farinac. quæst.11. post num.61. vers. limita rursus,* vbi concordantes.

Non negabant Camerales conclusionem, insistebant veró in pluribus eius limitationibus, totum in his terminis de-
67 sumentes ex Aduocato fiscali: *Spada d. consil.27. lib.1.* vbi procedit in multis *cum d. decis.24. Gramatici*; Primò scilicèt, ac principalitèr, quod ista conclusio procedit, vbi agitur ad effectum exequendi sententiam, in ijs, quæ in ipsa continentur, de quo in præsenti non agebatur, secus autem ad effectum probandi; Siquidèm sententia nullam facit mentionem confiscationis illorum bonorum, quæ essent extrà territorium, seù principatum eius, cuius Maiestas læsa supponitur, ideóque ea deducebatur ad alium diuersum effectū probationis criminis, quo posito non ex ipsa sententia, sed ex dispositione iuris intret confiscatio; Potissimè vbi sententia transitum fecit in iudicatum; Ac etiam quia factū erat notorium.

Et secundò, vt necessaria non sit productio illorum actorum, quæ haberi non possunt, neque dari solent, totum desu-
68 mendo *ex d. consil.27. Spada lib.1.* alias

aucto-

auctoritates magis remotas pro ornatu deducẽdo, inter quas specialis, velproxima esse videtur *dec.123.nu.10.post 2.vol. cons. Farinac. vt in eod. voto n.40. cum seqq.*

Verùm, eodem sensu veritatis quoq; retento, dicebam, quod neque istæ responsiones subsistentiam habebant; Illas etenim expendendo; quatenùs pertinet ad primum, aduertebam, quod ita non
69 est arguere à maiori ad minus, sed potiùs à minori ad maius, quod vtique non datur; Minus etenim est exequi, id, quod iam est iudicatum, quàm probare factum, pro quo alter Iudex prius iudicare, & posteà iudicatum exequi debeat, quoniàm primo casu sententia operatur vnum tantù effectum, exequutionis eius, quod iam est iudicatum, in altero autẽ operatur duos effectus; Vnum scilicèt probationis adeò concludentis delicti, vt Iudex alterius Territorij, cum hac sola probatione ad condemnationem procedere valeat; Et alterum exequutionis eiusdem condemnationis, ideóque in isto secundo casu agitur quoque de exequutione, vt in primò; Sed accedit aliud multò maiùs, idest, quod sententia stet loco processus ità omninó legitimati, & completi, in nouo, ac diuerso iudicio, ità compilato, antequàm incipiat sine citationibus, & sine actis, sed solùm præsuppositiuè, quo nil absurdiùs.

Conclusio etenim, de qua supra, vt sententia sufficiat ad probationem, fraternizat cum altera, de qua *dicto disc.36. de iudicijs, & alibi*, vt scilicèt sufficiat etiam excipiendo, cum eadem tamen limitatione, seù declaratione, quæ in hac secunda intrat, nisi scilicèt exceptio esset talis, quod redoleret exequutionẽ implicitam, ac determinationem negotij principalis; Ideòque conclusio circà probationem, intelligenda venit super aliquo incidenti, putà quod percutiat legitimationem personæ, vel statum personæ, super filiatione, vel descendentia, aut nobilitate, vel ciuica qualitate, siuè puritate sanguinis, cum similibus, ad effectum excipiendi aliquod ius in diuerso iudicio, in quo aliàs obstate posset defectus illius qualitatis, quæ ita per sententiam, quæ transitum fecit in rem iudicatam, canonizata fuit; Dummodò tamen in ea non consistat substantia, vel principale fundamentum actionis, vel iudicij, quoniàm isto casu id continet assumptũ omninó falsum.

Vbi enim quis vellet aduersùs alium in diuerso loco experiri aliquam chimericam prætensionem, ità posset in alio loco, coram Iudice nimium beneuolo, vel iniquo, colludendo cum aliquo figurato oppositore, reportare sententiam, atque cum ea tantùm, nullatenùs iustificata, suam chimeram, exindè resultantẽ, actionem probare, atq; probatione posita experiri, quod repugnat omnibus principijs.

Vt putà, vult aliquis tanquàm hæres creditoris pulsare debitorem hæreditarium in alio foro, vel territorio existentem, in vim obligationis iustificatæ cum publico instrumento, sibi verò obstet exceptio legitimationis personæ, an scilicèt sit hæres, nec nè, & tunc sententia Iudicis, quem innotescat in altero loco, esse competentem, per quam ille declaratur hæres, & legitimus successor, admitti solet ad probationem huius qualitatis, absque alia iustificatione actorum, quotiès suspicio, vel adminiculum contrarium non deducatur.

Sed si coram Iudice alterius territorij, vel principatus, agatur principalitèr de canonizatione, ac pertinentia tituli hæreditarij, ad effectum obtinendi bona defuncti, in eo territorio existentia aduersus possessorem, qui de directo neget illam qualitatem, qua non iustificata, bona ad ipsum possessorem pertineant, putà, quia ille sit legitimus hæres ab intestato; Actor autem, qui se fundat in sententia, veniat ex asserto testamento; Et tunc prorsùs vanum esset asserere, quod sola sententia sine actis probaret testamentum contra tertium in diuerso iudicio, quod agatur in diuerso territorio, vel principatu, vel quod probaret totum id, quod est fundamentum intentionis actoris, & hic est casus.

Multò verò magis, ac citrà principium dubitandi, quotiès hoc diuersum iudi-
70 cium non sit contra eundem principalem condemnatum, qui faciendo transitum in rem iudicatam condemnationem, acceptasse videatur, siuè contra eius heredem, cui obstet factum proprij auctoris, iuxtà vulgarem regulam textus *in l. cum à matre C. de rei vendicat.* cum quibus terminis, vel cum quo præsuppo-
to

to procedit *Spada d. conſ.27.* Sed agitur contra tertium omninò independentem, cui expreſſum, & quantumuis poſitiuum factum prædeceſſoris præiudicare non potuit, ob duplicem legis, & hominis ſtrictiſſimam prohibitionem, dum iſto caſu regula eſt, quod ſententia inter alios lata, alijs non præiudicat, ad vulgarem *text. in l. ſæpè, ff. de re iud. & paſſim, vt d. diſc.36. de iudicijs, & alibi frequenter.*

Ac propterea dicebam, quod punctus non conſiſtebat in eo, an dictus Marchio Franciſcus huiuſmodi bonorum, & fideicommiſſi poſſeſſor, fuerit nec né inqui-
71 ſitus de crimine læſæ Maieſtatis, ob præſuppoſitam coniurationem contra perſonam, vel ſtatum proprij Principis naturalis, & an pro tali inquiſitione paſſus fuerit condemnationem, in ſententia cõtentam, etiam cum eius exequutione, dum iſtud factum, vt nudi facti eſt, non controuertebatur, vtpotè certum, & notorium, atque ad hunc effectum ſuffragatur notorietas, quæ releuet ab onere formalis iuſtificationis; Sed dicebam, quod punctus erat, an eſſet verum id, de quo idem Marchio imputatus, & condemnatus fuit, dum condemnatio prouenire potuit ex iniuria, vel iniquitate Iudicis, ſiué ex impoſturis, & machinationibus, ipſo negligente ſe benè defendere, ac impoſturas, & machinationes iuſtificare, & teſtes repullare, quod ibi fieri non potuerit ob indignationem proprij Principis, vel ob adulationem, ſeù malitiam Conſiliariorum, & Iudicum, etiam vbi Princeps optimam habeat intentionem, quod in alio principatu, vel in eodem ſub diuerſo Principe, vel ſub eodẽ non irato, mutatis miniſtris, ſequi poreſt, ac ſolet, vt in tot caſibus antiquis, & modernis docent hiſtoriæ.

Siué quod (excludendo iniquitatem in Iudicibus, vel oppreſſionem in pijſſimo Principe) id prouenire potuerit ex falſis teſtibus, qui poſteà detegantur tales; Aut quod, non exiſtentibus concludentibus probationibus, ſed ſolùm inditijs ſufficientibus, ad conſtituendum reum, & ad tormenta, ipſe, vel metu tormentorum comminitatorum, vel ex leuitate, & imprudentia, aut ex imperfectione iudicij (cui notorium eſt in Vrbe illum ſubiectum eſſe, adeòut pro penè ſtulto reputaretur) aliquam fecerit confeſſionem illius criminis, de quo innocens eſſet, vel ſaltèm non ità culpoſus, vt huiuſmodi pœnis locus fieret; Et per conſequens, ſi contra ipſummet reum confeſſum, & condemnatum non attenditur coram alio Iudice, pręſertim diuerſi principatus, ſola ſententia ſine actis, ex deductis *apud Farinac. dicta quaeſt.11. num.61.* multò minus contrà tertium, cui confeſſiones, vel negligentia in ſe defendendo, ſine dubio præiudicare non poſſunt, neque tollere ius defenſionis.

Quoverò ad alteram limitationem, quod ſcilicét, ob qualitatem delicti, acta haberi non valeant; Ponderabam in pri-
72 mis, quod in caſu *Spada d. conſ.27.* ſupponitur, quod impedimentum actorum proueniret ab ipſamet parte, quodque propterea in odium impedientis, habenda eſſent pro extantibus, ex ijs, quæ habentur *ſub tit. de iudic. diſc.37.* in his terminis tranſportationis actorum, ac etiam *eodem tit. diſc.9.* in propoſito impedientis, ne citari valeat, vt haberi debeat pro citato, cum ſimilibus; Secus autem in præſenti quod nullum penitùs accedebat impedimentum, ex parte rei conuenti; Et quod magis eſt, non legebatur, quod Camera actrix debitas feciſſet diligentias, ad quas ſaltèm ſine dubio tenebatur, vt dici poſſet in actis iuſtificatum, quod acta iuſtificatiua haberi non poſſent.

Et nihilominùs, quando etiam id iuſtificatum eſſet, adhuc tamen, ceſſante culpoſo, & affectato impedimento alterius Partis, id referendum veniret caſui, de quo Camera actrix conquæratur, dũ reo ſufficit vincere per non ius actoris, eumque repellere, ex defectu probationis ſuæ intentionis, non curando, an à caſu, vel ab alio accidenti proueniat probationum impotentia, ex deductis *diſc.2. & 22. de iudicijs.*


Prætereà, circa dictam auctoritatem *Spadæ conſ.27.* Vltrà reſponſionem ſupe-
73 riùs datam, quod ſcilicèt eſt ſcriptura Aduocati fiſcalis, ex officio ſcribentis ad cauſæ oportunitatem, quodque non conſtat quid deciſum ſit, vndè propterea remaner auctoritas minus legitima, cui deferendum non venit; Potiſſimè dum more ſcribentis, pro Cliente, non autém ad veritatem, admittit omninò reprobum aſſumptum, vt ſententia Iudicis laici attenden-

tendenda veniret in causa hæresis.

Aduertebam quod, quando agatur de causa fidei, in qua prodierit sententia condemnatoria alicuius Inquisitoris, vel
74 alterius Ecclesiastici Iudicis competentis, tunc ad effectum exequutionis, in altero loco contra eundem condemnatum, vel eius hæredem, non adeò necessaria reputatur actorum iustificatio, non solùm ex dicta ratione, quæ non adeò vrget in isto crimine prophano, ob stylũ scilicèt Inquisitionis nõ publicandi acta; Sed etiam ob magnam præsumptionem, quæ assistit, quoniàm Inquisitores Ecclesiastici, procedunt cum magna circumspectione, ac præsupponendi sunt viri religiosi, & probatissimi; Ac etiam frequentiùs, præuia participatione negotij Sacræ Congregationis, eiusque oraculo expectato; Et (quod magis est) quoniàm, vt supra dictum est, in isto crimine non datur discretio Iudicum, & territoriorum, vel principatuum, sed vnus est forus Ecclesiasticus in toto Mundo; Locales autém Inquisitores sunt tot Iudices, & ministri eiusdem Tribunalis.

Concludendo itaque; Ad conuincendum, quod ista prætensa confiscatio non
75 intraret, sufficeret, quod vnum ex his tribus fundamentis, vel punctis, iuxtà præmissa subsisteret, vel quia sententia sine actis non probaret crimen, vel quia non detur confiscatio bonorum diuersi principatus indifferentis, vel quia obstaret fideicommissum, dum vnum solùm etiam motiuorum sufficit; Multò veró magis, dum omnia firma esse videntur.

Super alijs autèm in eodem voto contentis, concernentibus ius familiæ Astalliæ, in exclusionem huius familiæ Fran-
76 gipaniæ, siuè ius illorum de Mattheijs, ex fideicommisso, Ego, ex aliquibus iustis motiuis, non scripsi; Potissimè quia, quoad iura familiæ Astalliæ, iudicabam non necessarium, dum constantér credebam, quod ista confiscatio non intraret.



DISC. CLXII.

Romana Quindenniorum.

Pro Capitulo S. Eustaquij, & Hospitale S. Spiritus, alijsque locis pijs, cum Dataria.

Casus pendet.

An pro officijs venalibus, quæ ex concessionibus Apostolicis possidentur per Ecclesias, & pia loca, aliasque similes manus mortuas, debeantur quindennia, eo modo, quo debentur pro beneficijs vnitis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De introductione quindenniorum in beneficijs vnitis.*
3 *De ratione, ob quam non procedant in officijs venalibus.*
4 *Quando, neque in beneficijs quindennia debeantur.*
5 *De alijs quindennijs in materia emphiteotica.*
6 *An benè isti termini parificentur.*
7 *Quando paritas intret.*
8 *De alia diuersitate inter beneficia, & officia.*
9 *An temporis lapsus obstet in hac materia quindenniorum.*
10 *De obseruantia interpretatiua.*



1 AB antiquo tempore annorum 134. & 112. respectiué, præfatis Capitulo, & Hospitali, ex concessionibus Apostolicis possidẽtibus duos secretariatus Apostolicos, alijsque pijs locis paritér ab antiquo suprá centesimum possidentibus consimilia, vel alia officia venalia; Per Datariæ officiales excitata fuit prætensio super solutione quindéniorum, ad instàr beneficiorum ecclesiasticorũ, quæ penés Ecclesias, vel Monasteria, & Collegia, aliasué manus mortuas vnita sint; Quarè ex parte piorum locorum desupèr consultus, cum præsupposito obseruan-

seruantiæ, quod scilicét nunquàm huiusmodi quindennia soluta fuerint, etiam cum aliquo sensu veritatis, non tamén omninó maturo, ob non visa iura, seù fundamenta dictorũ officialium; Respondi, improbabilem videri huiusmodi prætensionem.

Introductio etenim quindenniorum, iuxtà ea, quæ in hac materia habentur deducta *sub tit. de benefic. disc.* 89. illam
2 habet rationem, quod cum annatistæ, alijque Officiales Cancellariæ, annatarum, aliorumque emolumentorum, quæ per nouitèr prouisos de beneficijs soluũtur pro expeditione literarum, participationem habeant ex causa duplicitèr onerosa; Et secundò, quod pretio mediante, huiusmodi officia obtinẽtur, iuxtà ea, quæ habentur suprà *disc.* 2. Hinc proindè iniustum esset, quod per gratias vnionum, quæ fiunt de beneficijs penès manus mortuas, ità huiusmodi officialibus præiudicetur.

Illa quoque consideratione accedente, quæ habetur in eodem *disc.* 89. *de benefic.* circá solutionem ipsarum annatarũ, quod scilicèt cum prouisi de beneficijs, vel commendis, totum obtineant ex gratia, & liberalitate Papæ, causam meré lucratiuam idcircò fouentes, conquæri non possunt, quod eorum benefactori, & elargitori, aliquam præbeant participationem illorum fructuum, quos ex gratia obtinent, & quæ concedens poterat eis non concedere.

Huiusmodi veró rationes non intrant in hac facti specie, dum hæc officia per istas Ecclesias, vel pia loca obtinentur, ex causa meré onerosa, & correspectiua, loco quorundam casalium, & bonorum;
3 Et per consequens nulla iustitiæ ratio exigit, quod cum ipsemet Papa, non tanquàm Princeps benefactor, sed tanquàm priuatus venditor ex priuato contractu correspectiuo, huiusmodi concessionem fecerit, atque rem tanquàm liberam pleno iure vendiderit, possit seruitutem ad sui, vel suorum officialium fauorem imponere, vel prætendere, dum ità esset obtinere duplex eiusdem rei pretium, seù emolumentum.

Atqué si etiam in beneficijs vnitis Hospitalibus, quę actu hospitalitatem exerceant, vel alijs locis pijs, quæ in opera
4 pietatis integrum redditum erogent, adeòut non agatur de commodo, & vtilitate possessorum, quindennia non debentur, ex deductis apud *Vermigliol. cons.* 476. *& seqq.* (Quod tamén respectu vnionum, quæ factæ sint, puerorum, & Adolescentum Collegijs, moderno tempore per Congregationem particularitèr deputatã sub Clemente Decimo, in exequutionem suæ Constitutionis, vel Motus proprij admissum non fuit, vt *in annot. ad d. disc.* 89. *de benef.*) Multó magis non est soluendum in isto casu, in quo agitur de causa veré onerosa, & correspectiua cum ipsomet Principe, qui istud onus, vel emolumentum in effectu exigit mediantibus eius officialibus, adeòut transitus ad manum mortuam, non prouenìat à facto tertij, quo casu dicere potest, quod id sibi præiudicare nõ debeat, sed agitur de directa, & immediata concessione facta illi manui, quam ipse concedens rectè sciebat esse mortuam.

Ad quod comprobandum deducebã ea, quæ habentur *sub tit. de Emphyt. disc.* 50
5 Super illis quindennijs, quæ ad instar præsentium, solui debent Domino directo, qui patiatur, vt bona emphyteotica remaneant penès manum mortuam, quoniàm id locum habere debet, quando Dominus directus emphyteoticam concessionem fecit priuatæ personæ, bona veró, ex facto emphyteutæ transierint ad manum mortuam, vndè propterea Dominus pati non debet hoc damnum ex facto alieno, siuè quia potest alias id prohibere; Secus autem vbi ab initio directé, ac immediatè ipse talem concessionem faciat, vt scribendo in eodem casu, de quo *d. disc.* 50. comprobat etiam *Caponius controu.* 31.

Est benè verùm, quod *vt eod. tit. de Emphyt. d. disc.* 50. *in fine* aduertitur, non benè isti termini emphyteotici verificẽtur in istis beneficialibus, ob nimium
6 diuersam rationem, circà regulationem temporis, quoniam beneficia Ecclesiastica sunt personalia, & vitalitia, vndè perneceesse faciendę sunt nouæ prouisiones, pro quibus solui debent annatæ, aliaque emolumenta, ideòque meritó, ad tollendam confusionem, quæ otiri posset, ex illa verisimili taxa vitæ hominis, quam facit textus *in l. hæreditatum, ff. ad l. falcid.* inducta est hæc taxa vniformis, compensando vitam breuem, cum lon-

longæua beneficiatorum. Id autèm adaptabile non est ad rem, quoniàm dari potest, vt bona emphyteotica nunquam vendantur, seù aliàs transferantur ad extraneos, obligatos ad solutionem laudemij, sed per secula continuentur in concessionarij posteritate, & descendentia, ideòque ratio non est æqualis.

Hinc proindè sequitur, quod ista moderna introductio, quæ in materia emphyteotica facta est ad instàr, benè procedat in substantia, siué in genere, malè autèm in modo, siué in taxa temporis, vt aduertitur *d.disc.50. de emphit. in fin.*

Tunc autèm similitudo rectè intraret, quando ageretur de illo laudemio, quod
7 per quemlibet nouum successorem, etiā si esset de filijs, & descendentibus, in inuestitura compræhensis soluendum esset, iuxtà ponderationes, quæ in materia feudali habētur *sub tit. de feud. disc. 59.* Non autem in eo laudemio, quod solùm soluendum est per emptorem, vel alium extraneum successorem, in inuestitura non compræhensum; Id etenim continere videtur clarum æquiuocum, atque vnum ex consuetis leguleicis simplicitatibus, quæ á ratione penitùs aberrant.

Ponderabam quoq; in hoc proposito, aliam diuersitatem rationis inter officia,
8 & beneficia, quod scilicèt in istis, Papa egerit personam Papæ, & Principis spiritualis; In illis veró potiùs diuersam personam Principis temporalis, contractantis rem merè temporalem, iuxtà pōderationes, de quibus suprà *disc.2.* vndè propterèa non bené de vno ad aliud infertur, ob rationis diuersitatem, quæ etiam ponderatur suprá *disc.6.* in proposito regulæ de viginti, siué de infirmis resignantibus.

Nimium quoque considerabilem esse dicebam diuturnam obseruantiam suprà centesimum; Quamuis etenim per dictā
9 Congregationem particularem, diuturna obseruantia attenta non fuerit, ob decretum irritans, contentum in Apostolicis Constitutionibus, & ob aliam rationem, quod negligentia illorum officialium, qui huiusmodi quindenniorū exactioni, & administrationi præpositi sunt, præiudicium inferri non debet; Attamen id prouenit, quia in illis casibus, non accedebat centenaria completa, secus autèm ista accedente; Non quidèm in ratione præscriptionis, sed in altera meliori, ratione facultatis allegandi quemcūque titulum meliorem, ex ijs, quæ in hoc proposito habentur deducta *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc. 3.* ideòque allegari posse dicebam specialem conuentionem correspectiuam, & sic non cadentem sub generalibus derogatorijs contentis in Constitutionibus Apostolicis, iuxtà ea, quæ habentur suprà *disc.47.* & in alijs circá Constitutiones reuocatorias franchitiarum, & exemptionum non capientes illas exemptiones, quæ cōcessæ sunt ex causa onerosa, & correspectiua.

Ac demùm quia, cum ex præmissis saltèm dubitabile sit, an Apostolicæ Constitutiones, quæ de huiusmodi quinden-
10 nijs agunt, atque sunt editæ super vnionibus beneficiorum, complectantur nec né huiusmodi officia, iuxtà ea, quæ habentur suprá *d. disc.6.* ad materiam regulæ de viginti, siuè de infirmis resignātibus. Itá hæc diuturna obseruantia attendenda veniret, potiùs in ratione interpretatiua, cui non obstant decretum irritans, nec clausulæ derogatoriæ, procedentes in illa obseruantia, quæ deduceretur tanquàm præscriptiua, qualis datur in casu claro, in quo non intrant termini interpretationis. Ideòque ex his omnibus credebam, probabilitatem huic parti assistere. Casus autem adhuc pendet indecisus.

DISC. CLXIII.

Romana locorum Montium de Iustinianis.

PRO

Hæredibus Lucæ Iustiniani, cum Barone Patriarcha, & alijs.

Casus variè decisus per Rotam.

De libertate locorum Montium penès nouum emptorem, an procedat etiam à dominio tertij, qui indebité fuerit eis spoliatus per subhastationem, seù aliàs cum

eum Iudicis auctoritate, vel potiùs libertas intelligatur de libertate ab hypothecis, alijsque vinculis adiectis per eorum Dominum, & possessorem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum resolutionibus.*
2 *Monitum super auctoritate consulentium, & quæ propriè dicantur consilia.*
3 *De errore procedēdi cum generalitatibus, non benè distinguendo.*
4 *De possessore ex directo Iudicis facto.*
5 *De possessore sequente principalitèr fidem venditoris.*
6 *De libertate locorum Montium ab hypothecis venditoris, qui esset Dominus.*
7 *De acquirente loca Montium ex causa lucratiua.*
8 *De casu præciso quæstionis emptionis locorum Montium per organum Secretarij à non Domino.*
9 *Vbi non habetur decisio particularis, oportet procedere cum similibus.*
10 *Loca Montium exequata sunt officijs venalibus.*
11 *De exteris loquentibus de materia.*
12 *De ratione libertatis locorum Montium.*
13 *De praxi aliorum locorum in materia.*
14 *Assimilantur territorij feudales.*
15 *Quod sit in hoc reflectendum ad bonam, vel malam fidem, & quomodo ista probetur.*
16 *Quod sit procedendum rigorosè cum Secretario.*
17 *De alio casu simili.*
18 *De inconuenientium ratione.*
19 *An in resignatione, vel alia alienatione locorum Montium per minores, vel mulieres, requirantur solemnitates statutaria.*

DISC. CLXIII.



VM Alcides, Scrinium, seù Armarium (vt supponebatur) per ipsum emptum pretio sc. 1700. cum iure redimendi vendidisset pro scutis 400.
1 Vincentio Iustiniano, in Curia Prælato, atque huius defuncti hæres Lucas, illud transtulerit ad Ciuitatem Ianuæ patriã; Eodem Luca quoque defuncto, ad plures annos post mortem, contra ipsum tanquàm adhuc viuentem; Alcides iudicium instituit coram A.C. cum citationibus per edicta in confinibus Status Ecclesiastici, iuxtà stylum enunciatum *sub tit. de iudic. disc. 8.* contra eos, qui morantur in locis, in quibus non fit liber, & tutus accessus, pro citationum exequutione, obtentaque condemnatione, ac successiuè mandato exequutiuo contra hæreditatem Vincentij, pro scutis 1300. pro residuali pretio dictorum scutorum 1700. ac etiam exequatur in persona, & bonis proprijs Lucæ hæredis, processum fuit ad subhastationem tresdecim locorum Montium hæreditariorum eiusdem Lucæ, de quo etiam habetur sub *titulo de fideicommiss. disc. 153.* Eisque deliberatis Ludouico maiori oblatori, iste vna, vel pluribus diebus proximè sequentibus, in cuius faciem, vel personam de mandato Iudicis dicta loca translata fuerunt, ea resignauit Baroni Patriarchæ, & alijs; Quare de his habita notitia per hæredes Lucæ, occasione eis denegatæ consuetæ solutionis fructuum, iudicium instituerunt contra possessores pro dictorum locorum recuperatione, introductaque causa in *Rota coram Ottalora*, & dato dubio, an subhastatio substineatur *sub die 14. Decembris 1665.* negatiua prodijt resolutio, quæ habetur impressa *par. 14. recent. decis. 381.* in cuius fine respondendo priuilegio libertatis locorum Montium, de quo agitur etiam *suprà disc. 26. cum pluribus seqq.* firmatur id procedere in venditionibus, vel resignationibus priuatis, & conuentionalibus, non autèm in alienationibus sequutis iudiciali auctoritate, vt etiam aduertitur *suprà locis citatis*; Obtenta verò per tertios possessores noua audientia, & repropositacausa *coram Taia*, subrogato in locum *Ottalora*, ad præsidatum Granatesi interim assumpti; Alijs pro hac parte in causa scribentibus, dilata fuit resolutio, ob difficultates aduersus decisionem habitas; Cumque in hoc statu præfatis alijs defensoribus Ego adiunctus essem, atque difficultates promouissem, hinc iuxta laudabilem Curiæ stylum habitus fuit congressus, in quo mea sententia fuit, quod resolutio, respectu possessorum, non esset substentabilis, nisi quatenùs in facto eorum mala fides iustificaretur, quodque probabiliùs competeret aliqua

actio

actio contra Secretarium, qui adeó celeritér, non absque aliqua suspicione dictam resignationem admisit; ideóque eram in voto, vt idem Secretarius, vel eius hæres ad causam quoque euocandus esset, edito desupèr discursu super promotis difficultatibus; Sed quoniàm antiquis defensoribus, cōcorditèr visum est disputationem in eo statu prosequi, quodque decisionis supradictum fundamentum esset sustentabile, vtpotè munitum tot decisionibus, & auctoritatibus, in eadem decisione recensitis, idcircò cedendo, (vt decet) voto maioris partis, scripsi quoque ad causæ oportunitatem tanquàm Aduocatus, sed resolutio prodijt 22. *Iunij* 1671. iuxtà votum, confirmando scilicèt decisionem contrà Ludouicum deliberatarium, cum nullitas iudicij esset indubitata; Illam autém reuocando quoad emptores, ac tertios possessores, ob libertatem locorum Montium, & ex eisdem fundamentis iàm à me præuisis, & excitatis, vndè propterea, mihi quamuis in contrarium forsan acriùs, magisque elaboraté scribenti, resolutio probabilis, benèque fundata visa est.

Atque hìc moneri debemus, de eo, quod adeò frequentèr insinuatum est,
2 quantúm scilicèt deferendum veniat illis consulentibus, (qui damnabilitèr quidèm) publicæ luci proferunt sub nomine consiliorum, illas informationes, quas more Aduocati, conductitio more occasio dedit facere ad causæ, & Clientis oportunitatem, cum verè, & proprié illa dici debeant consilia, quorū auctoritati deferendum est, quæ data sint ad veritatem, illam scire cupienti, siuè in figura Assessoris data illiterato Iudici, per modum voti consultiui, ad effectum sententiandi, non autem more simplicis Aduocati frequentèr scribendo, etiam contrà proprium sensum.

Quatenùs itaque pertinet ad hunc punctum libertatis locorum Montium penès tertios emptores; Reassumendo
3 à me scripta super huiusmodi materia in in hoc volumine iam ędito, & cum quibus, penè in omnibus processerunt scribentes in contrarium, ac etiam Rota, vt patet ex vltima decisione desupèr ędita *coram Taia*, dicebam id, quod frequens mea est consuetudo dicendi, clarum scilicèt esse errorem, in hac materia procedere cum solis generalitatibus, siuè auctoritates, & decisiones ęditas occasione aliorum casuum, quibuscumque alijs indefinitè applicare, cum vera, & germana, benè iudicandi, & consulendi forma sit, reflectere ad distinctiones casuum, eorumque singularium particulares, ac indiuiduas circumstantias, ex quibus metienda est congrua doctrinarum, & legum applicatio, dum applicandum non est factum legi, sed lex applicanda est facto; Isteque adeò clarus, sed nimium frequens, & communis error donéc corrigatur, magis, ac magis semper replebit mundum æquiuocis, & confusionibus.

Quarè plures casus desupèr distinguēdo; Primus est, vbi agitur de illo possessore, qui directè, ac immediatè ob-
4 tinuit loca Montium sibi deliberari á Iudice, seù aliàs ab eo in possessionem immitti, nullitèr, vel iniustè, adeòut controuersia sit inter primum possessorem spoliatum, & secundum possessorem à Iudice immissum; Et tunc, si actus est nullus, vel iniustus, priori possessori competit manutentio, vel reintegratio, siuè aliud remedium rei persequutoriū, quoniàm admixta non est auctoritas publica, neque intrat ratio peculiaris, quæ resultat ex huiusmodi iurium natura; Et in his terminis loquuntur *decisiones* 284. *par.*5. *recent. decis.*70. *par.*7. *coram Dunozetto decis.*642. *repetit. apud Posthium de subhastat. dec.*211. *decis.*407. *in fine par.*12. *recent.*

Secundus casus est, vbi quis ex priuata conuentione, emit loca Montium ab intrusiuo possessore, qui verè Dominus non esset, atque venditio, seù resi-
5 gnatio admittitur per Secretarium, sed id prouenit ex priuata conuentione, inter emptorem, & venditorem, adeòut emptor sequatur principalitèr fidem priuatam possessoris, & de isto casu loquitur *decisio* 650. *Canalery*, in cuius casu aderat mala fides positiua, ob inhibitionem factam emptori, ac denunciatam litem, vndè scire debuit, ac potuit, eum non esse Dominum, neque paritèr adaptatur ratio huius libertatis, de qua infrà.

Tertius casus est, vbi quis emit ex priuata etiam conuentione à vero Do-

6 mino, admissa per Secretarium, qui emptorem liberè describat in libris publicis, quæstio autem fit cum creditoribus venditoris, prætendentibus loca Montium esse eis hypothecata; Et tunc resignatarius est tutus ab hypothecis, alijsque vinculis, præterquàm descriptis in literis patentibus, vel ex natura huiusmodi iurium, vt veriùs est, vel ratione commercij, vt firmant *Gratian. discept.* 730. *num.* 48. *Cenc. de cens. quæst.* 29. *num.* 13. *Merlin. de pign. lib.* 2. *quæst.* 14. *num.* 2. 8. *& 29. Rot. decis.* 14. *in fin. post Fenzon. apud Merlin. decis.* 533. *repetit. decis.* 77. *num.* 20. *par.* 6 *rec. Romana locorum Montium* 29. *Nouembris* 1660. *coram Beuilacqua*, edita in casu, de quo suprà *disc.* 27. Et sic cum præsupposito, quod emptor sciat à quo emat, vndè dici valeat, quod eius fidem priuatã sequatur, dum acquisitio prouenit à priuata conuentione inter eos, licèt à publico officiali ad id per Papam deputato (qualis est Secretarius) auctorizata sit, atque de hoc etiam loquitur Constitutio 154. Vrbani Octaui, cuius mentionem facit *in dicta decisione coram Beuilacqua*; Illaque non continet rem nouam, dum etiam anteà idem procedebat, sed prodijt ad maiorem declarationem, ac etiam ad probationem, de qua infrà.

Quartus est casus, quando tertius, ex 7 causa lucratiua, puta legati, obtinet loca Montium à defuncto possessa, siuè obtinet pecuniam, quam directè inuestit in loca Montium, quæ, vno, vel altero modo in sui faciem intestentur, deindéque detegantur creditores hæreditarij, quibus in subsidium de iure competat auocatio pecuniæ solutę, & tunc istud priuilegium non suffragatur, sed datur etiam actio subsidiaria, & de hoc agitur in *Romana Iutri Dotis coram DD. Ghisterio, & Albergato decis.* 43. *num.* 40. *par.* 10. *& decis.* 25. *num.* 5. *& seqq. par.* 11. *recent.* in casu, de quo agitur à me *in tit. de Dote disc.* 129. & iuxtà casum, de quo suprà *disc.* 29.

Quintus demùm casus est noster, vbi iuxtà communem frequentiorem vsum 8 quis, siuè Ciuis, siuè externus, ac siue præsens, siuè absens, sed ignarus quisnam habeat loca Montium venalia, consignet proxenetæ ordinem directum publico Banco, vt soluat pecuniam in genere ei, quem Secretarius eidem Bancherio testetur liberè ad sui fauorem resignasse tot loca Montium, adeò ut emptor sit omninò incertus de persona vendentis, sed sequatur principalitèr, ac omninò solam fidem Secretarij, tanquàm publici officialis, per Papam ad id deputati, talemque resignationem faciat ille, qui nullitèr, vel iniustè à manu Iudicis obtinuerit, atque de Iudicis mandato, Secretarius eum descripserit in libro publico.

In isto casu indiuiduo, ac præciso nullam habemus auctoritatem, vel decisionem, quæ loquatur de locis Montium Vrbis, ideòque oportet examinare casum, cum doctrinis Doctorum, agentium de consimilibus iuribus, quæ habentur 9 cum Principe, seù Republica, vt sunt iura Regia Hispaniarum, fiscalia, vel iura super arrendamentis Regnorum vtriusque Siciliæ, & loca Montium Venetiarum, Ianuæ, & Florentiæ, aliarumque Ciuitatum Italiæ, siuè iuxtà terminos officiorum vacabilium, cum quibus, ac etiam cum terminis resignationis beneficiorũ, procedunt inferiùs allegandi loquentes de præfatis aliarum Ciuitatum locis Mõtium, ac iuribus huiusmodi.

Quodque ista loca Montium, vel iura exequata sint officijs venalibus, eorumq; 10 iure regulanda veniant, expressè, ac literalitèr disponitur per dictam Constitutionem 154. Vrbani VIII. sępiùs enunciatam.

Agit verò præcęteris de his locis Mõ- 11 tium, vel iuribus *Larrea allegat.* 22. *ex num.* 19. *& seqq.* occasione tractandi de resolutione hypothecarum à possessore contractarum, atque adhibet eosdem terminos officiorum venalium, quæ tractantur cum terminis beneficialibus, vel cum terminis feudorum, & de eisdem iuribus *Salgad. in labyr. par.* 2. *cap.* 27. *numer.* 39. *vbi per tot.* agit de officijs, ac etiã *par.* 1. *cap.* 35. *per tot.* vbi cęteri.

Ex deductis autèm per dictos Auctores, constat de vera ratione libertatis huiusmodi iurium penès tertium, in quem cum publica Principis, vel eius 12 officialis auctoritate transferuntur, quod scilicèt istud dicitur quoddam debitum, cum Principe, tanquàm species census redimibilis, vndè quando quis resignat officium, vel ius suum in manu officialis repræ-

repræsentantis ipsum Principem, tunc dictum ius, vel officium extinguitur, & annihilatur, deindéq; Princeps per actum occultum, nouum ius ex integro efformat, & concedit resignatario, qui sequitur fidem publicam ipsius Principis, quẽ in eius directum, ac immediatum auctorem agnoscit, vt pluriès aduertitur suprà *disc.26. & sequentibus*.

Igitur ille, qui cum bona fide, ignarus, an resignatarius sit, Gallus, Hispanus, vel Germanus, seú Indus, cum aliquo priuato non contrahit, neque priuatam fidem vult sequi, sed directè sequitur solam fidem publicam Principis, non potest, nec debet remanere elusus, sed habet in debitorem ipsum Principẽ, cum verè, ac propriè loca Montium aliud non sint, nisi debitum Principis super eius redditibus, tanquàm per speciẽ census, vt suprà.

An autém Princeps, vel officialis, benè, vel malè agat, in extinguendo, vel supprimendo ius antiqui creditoris, & an suum debitum extinguat cum legitimo, vel cum illegitimo creditore, ipsi videant, hoc vnum est tamén, quod nouus acquirens rectè dicere potest, se contraxisse cum Principe, eumque habere in suum debitorem, quem rectè scit habere potestatem id, quod vni concessit, ei auferre, ac alteri dare, dum etiam bona aliena donare, vel concedere potest, atque Domino non remanet aliud ius, nisi agendi contra ipsum Principem, pro reintegratione valoris, *ad Textum in l. benè à Zenone C. de quadrien. præscript.* cum ibi communitèr notatis, de quibus *tit. de Donat. disc. 43. & suprà hoc titulo disc.148.*

Igitur, aut priori possessori iniustè spoliato competit actio contra spoliatorem, vel contra Iudicem, vel contra Principem, eiusque Cameram, aut contra officialem, suum officium malè explentem, & vtatur iure suo; Aut hoc etiam remedio est destitutus, & erit casus fortuitus, qui est sequela dominij.

Talis est praxis inconcussa totius Europæ, in huiusmodi iuribus publicis, seù
13 regalibus super gabellis, vel iuribus cum Principe, vel Republica; Ideóque dum in Curia non haberemus in his terminis casum decisum, recurrendum est ad obseruantiam generalem adiacentium aliorum principatuum, ex deductis *tit. de seruitut. disc.2. num.19. & sæpiùs*.

Sed verè habemus illum decisum per dictam Constitutionẽ 154. Vrbani VIII. quæ expresśé exęquat loca Montium officijs, non quidem in ratione priuilegiariua, sed declaratiua, quia verè eadem est ratio.

Multa enim in huiusnodi iuribus differentibus, atque in libero commercio non existentibus habentur peculiaria,
14 quæ exorbitant à regulis generalibus iuris communis, vt videtur in feudis, & iuribus regalibus, quod ex veriori sententia, vbi Principis auctoritas non accedat, in eis non intrat titulus de separatione bonorum, vndè creditores hæredis cum assensu, vincunt creditores defuncti sine assensu, vt *tit. de feud. disc. 78. & tit. de credito disc.13. & 151.* Ac etiam non intrat titulus *plus valere, quod agitur, &c. & tit. de feud. disc.24. & in alijs*; Vndè propterea si hæc bona emantur de pecunia aliena, cum pacto expresso, vt acquirantur domino pecuniæ, quodque nomen acquirentis sit simulatum; Attamèn si supèr hoc pacto non adsit assensus Principis, id non attenditur, sed dicitur officialis, vel feudatarius, siuè possessor iurium regalium, ille in cuius faciem in libris cantat, vt *decis.100. par.9. rec.* cum similibus, de quibus *d.disc.24. & in alijs de feud.* ideóque regulæ generales, quas habemus indifferentibus, ac existentibus in commercio, nullatenùs congruunt huiusmodi bonis, ac iuribus.

Hinc proindè aduertebam, quod causæ defensio consisteret potiùs in facto,
15 quàm in iure, an scilicét ex facti circumstantijs desumi posset collusio, vel mala fides emptorum, qui rectè scientes, quomodo in resignantem loca montium obuenissent, ità resignantis potiùs fidem sequuti essent, iuxtà secundum casum, de quo suprà *num.5.* sed si cessante huiusmodi circumstantia, processum per eos esset cum bona fide, iuxtà modum recensitum suprà in quinto casu *num.8.* & tunc omninò probabiliùs pro emptoribus respondeti deberet, dum aliàs esset mundum reuoluere, atque istud commercium impedire, ad quod considerabam etiam à simili ponderationes, de quibus suprà *disc. 129.* Ad id autem arguendum aduertebam inspiciendum esse, præsertim

ad pretium, pro quo emptio facta esset, quoniam si fuisset in summa iusta, & communitèr currenti; & tunc magnum resultabat bonæ fidei argumentum, sicuti è conuersò malæ, in casu pretij diminuti, & insoliti, quod reputatur pars periculi ex deductis suprà *disc.30. & seqq.* Et per consequens est quæstio potiùs facti, quàm iuris ex singulorum casuum circumstantijs decidenda.

Putabam tamen de collusione, & mala fide nimiùm suspectum videri Secreta-
16 rium, qui erat in hoc munere vir nimium peritus, & diligens, verisimilitèr non admissurus adeò de recenti in ignoto, vel parùm idoneo deliberatario, talem resignationem liberam, absque eius corruptela, & notabili emolumento; experientia docente in huiusmodi Secretarijs, & officialibus illa miracula, quæ alibi cernuntur in Iudicibus, & Magistratibus, quod scilicèt officio vix præbente emolumentum sufficiens ad substentationem, intrà breue tempus, notabiles parantur diuitiæ, ideòque cum eis nimium rigorosè procedendum videtur, adijciendo præsertim legem, ne huiusmodi deliberatariotum, vel hæredum, & successorum resignationes admitti debeant, nisi post notabile temporis interuallum vnius, vel plurium annorum, cum ita etiam posset quis falsis probationibus se probare hæredem alicuius, qui adhuc viuat, vel etiam defuncti, qui alium hæredem reverá reliquerit, atque sequuta intestatione, posset huiusmodi resignationem facere, absque eo quod domino consultum remaneat.

Idem consultus pro veritate, respondi, in alio casu, in quo loca montium habebant in corpore literarum, vinculum
17 fructuum ad commodum alterius, eius vita durante, dum proprietarius cum falsis testibus deponentibus de morte reseruatarij, obtinuit cum decreto Thesaurarij, vel eius Auditoris deleri vinculum, atque ita resignationem liberam fecit, absque eo, quod reseruatario consultum remaneret ob absentiam, vel inopiam resignantis, & ob assecurationem resignatarij bonæ fidei, vt suprà; Isteque est vnus ex perniciosis effectibus, qui resultant ab vsu propinarum, de quo *tit. de Iudic. disc.39.* quoniam auiditas proprij emolumenti pronos, ac faciles reddit Iudices ad faciendum id, quod aliàs non facerent, vel nonnisi cum maiori circumspectione, & maturitate.

Et quamuis ob huiusmodi libertatem, & emptorum assecurationem, plura resultare possint inconuenientia, & fraudes,
18 præsertim in supplantationem absentiũ, vel hæreditatum iacentium, seù fideicommissariarum; Nihilominùs ex duobus malis, vel inconuenientibus, oportet eligere minus, dum magis præiudicialia Reipublicæ, & libero commercio essent alia inconuenientia contra resignatarios bonæ fidei, ac propptereà, vt primis inconuenientibus occurratur, dandæ videntur opportunæ prouisiones, & ordines secretarijs, atque cum eis rigorosè procedendum ad reficiẽdum de proprio, quando eorum officium non benè exercent.

Ex eadem veró superiùs insinuata distinctione inter illam venditionem, vel aliam alienationem, quæ fiat inter partes ex priuata conuentione, vel etiam sub-
19 hasta ex auctoritate iudicis, cuius factũ dicitur etiam factum partis, & illam quæ fiat mediante resignatione in manibus secretarij, frequentèr consultus etiam pro veritate respondere consueui, resultare decisionem quæstionis, de qua habetur actum *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc.12.* an scilicet in alienationibus locorum montium, quæ fiant per minores, vel mulieres, requirantur solemnitates statutorum 113. & 151. Vrbis, vt primo casu requiratur, non autem posteriori, quodque in hoc sensu, vel cũ dicta distinctione, & cum præsupposito, quod ageretur de prima parte, intelligenda est *decis.679. Seraphin. & decis. 50. par.13. recent.* in quibus id firmatur, cùm aliæ desupèr allegari solitæ, loquantur obitèr, vel ad alios effectus.

Vbi etenim agitur de secunda parte, intrat ratio superiùs assignata, quod scilicèt primus possessor, qui alienat, verè non transfert suum ius in eum, cui fit alienatio, sed potiùs illud refutat, & extinguit in manu Principis, qui nouum ius ex integro efformat fauore resignatarij agnoscentis in eius auctorem ipsum Principem, cuius publicam fidem, non autem priuatam primi possessoris sequi dicitur.

Ita etiam suadente ratione libertatis commer-

commercij, ob cuius conseruationem multa permittuntur, quæ aliàs permittenda non sunt, vt ex: gr: non egrediendo hos terminos solemnitatum statutariarum, habetur, *eod. tit. de alien. & contract. prohib. disc.*34. in muliere, vel minore exercente mercaturam; Ac etiã recepta praxis docet in locationibus, & conductionibus domorum, vel in emptionibus, & venditionibus victualium, & rerum deseruientium ad vsum vestium, vel domus cum similibus, quoniam licèt agatur de contractibus, absque dubio cadentibus sub statuto 151. attamèn ratione subiectæ materiæ, & libertatis commercij non sunt in vsu.

Omnemque difficultatem tollit obseruantia, quæ in omnibus dicitur optima interpres, quoniã cum ab anno 1580 prodierit *d. decis.*679 *Seraphin.* Attamèn in hoc intermedio spatio penè integri sæculi, obseruantia docuit, & docet contrarium, quoniam Secretarius, & Thesaurarius respectiuè passim admittunt resignationes sinè his solemnitatibus; quinimò vbi partes vellent eas seruare, dicti officiales id non admitterent, respondendo, quod eorum sufficere debet auctoritas, non indigens illa alterius Iudicis in hoc inferioris, & incompetentis, in alijs Ciuitatibus, vel Principatibus, præsertim in Veneta, & Ianuensi, adeò exactè id seruatur, vt etiam Capuccini, alijque professi incapaces in communi, & in particulari continuant describi, & reputantur domini cum libera dispositione, vt insinuatur incidentèr *sub tit. de testam. disc.*36 *& alibi*.

DISC. CLXIV.

Romana euictionis locorum montium.

Pro Marco Paulo Tyeri, cum Gaspare Aluero.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Tyeri.

Vendens loca montium vinculata, an, & quando teneatur ad euictionem, vel ad pretij restitutionem ob factũ casum vinculi, si ex facto ipsius venditoris id processit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Sciens vitium rei non agit de euictione, neque ad restitutionem pretij.*
3 *Declaratur quando id procedat, & quando etiam præstetur euictio de natura rei.*
4 *In omni conuentione nunquam venit dolus, vel factum proprium culposum.*
5 *Venditor tenetur de vitijs sibi cognitis.*
6 *Quando cessionarius pensionis præstet euictionem, vel restituat pretium acceptum.*
7 *Dotis restitutio principalitèr spectat ad virum, & fideicommissum est species fideiussoris.*
8 *Declaratur quando idem venditor locorum montium vinculatorum exerceat casum vinculi.*
9 *De differentia inter dotem constituendam, & restituendam.*

DISC. CLXIV.



1 RETENTA facti serie, de qua suprà *disc.* 37. super venditione locorum montium prouenientium ex pretio Casalis subiecti fideicommisso, cum eiusdẽ fideicommissi vinculo translato in pretium; Cùm vxor Gasparis venditoris, pro assecuratione suarum dotium, & lucri, ob vergentiam viri ad inopiam, ex beneficio *Auth. res quæ C. com. de legat.* loca montium ab emptoribus vindicasset, vt insinuatur *in eod. disc.* 37. *in fine*; Hinc ad aliquod tempus, exorta spe, quod molestiæ inferendæ eidem Gaspari, inopia non obstante, parare possent emptoribus aliquam recuperationem pretij, saltèm in parte, præsertim præfatus Thyeri vtriusque Signaturæ Prælatus, vnus ex emptoribus, iudicium contra venditorẽ instituit pro euictione, seù restitutione prætij, atque post aliquas disputationes, obtinuit mandatum, à Signatura quoque canonizatum.

In disputationibus desupèr habitis, scri-

scribentes pro Gaspare reo connento, vim constituebant in dispositione *textus in l. si fundum sciens C. de euict.* cum con-
2 cordantibus plené deductis per *Rot. decis.* 453. 457. *&* 469. *par. 9. recent.* Ac etiam habetur *sub tit. de feud. disc. 44. & sub tit. de empt. & vendit. disc. 10. 11. & 17. & sapiùs, in his terminis suprà disc. 31.* quod scilicèt cum venditor expressè denunciauerit emptori hoc vinculum fideicōmissi, expressum quoque in literis patentibus, adeòvt emptor illius certam habuerit scientiam, ipseq; venditor professus sit vendere eadem loca, talia, qualia, & pro iure sibi competente, cum declaratione nolle teneri nisi de facto proprio, ita de plano intrare dicebant præfati textus regulam, eximentem non solùm à præstatione euictionis, sed etiam à deductione pretij; Quamuis etenim plurium sententia sit, vt præfati textus dispositio procedat solúm respectu euictionis, non autem respectu restitutionis pretij, à qua venditor excusari non debeat, ob inconueniens locupletationis de alieno; Contrarium tamen, præsertim in Rota, & Curia est receptum, quando diuersa conuentio explicita non accedat, vel facti circumstantiæ eam implicité non inducant, iuxtà considerationes, de quibus suprà in his terminis *d. disc. 31.* Et meritò quidem, quoniam ità in contractum censetur deducta illa spes, vel incerta alea, seù euentualitas; Eodem modo, quo docet quotidiana praxis in venditione, seù cessione commoditatis; Idque argui dicebant ex quantitate pretij, quoniam cum pretium intrinsecum locorum montium esset scutorum centū vltrà consuetum augmentum extrinsecū, ista venditio facta erat ad rationem scutorum 25. quodque propterea intraret alia iuris regula, de qua etiam locis citatis, & præsertim *d. disc. 44. de feud.* super exemptione venditoris à præstatione illius euictionis, quæ sequatur de natura rei.

His tamen non obstantibus (etiam cū sensu veritatis) contrarium dicebam veriùs, scribendo pro actore, pro quo iustè prodijt resolutio; Admittebam siquidem dictas theoricas, tanquam veras in gene-
3 re; Dicebam tamen, eas procedere, quādo à casu, seù aliàs citrà factum, & culpam ipsius venditoris, bona vendita auocarentur ab emptore, putà quia per ipsius venditoris mortem, factus esset locus fideicommisso ad fauorem alterius vocati, vel quod ex ignotis iuribus, quæ aliàs quàm ex facto proprio ipsius venditoris, tertio competant super casali vendito, daretur eidem tertio actio super locis montium, tanquam in pretio subrogato; Secùs autem, dum molestiæ veniebant ex eius facto proprio, quod nunquā censetur exceptuatum, dum id ab omni iustitia, & æquitate protsùs est alienum, vt cæteris relatis plené habetur apud *Merlin. decis. 874. num. 5. & seq. decis. 18. num. fin. par. 11. recent. & passim*; semper
4 enim in omni contractu, omnique conuentione, quantumuis ampla, exceptus censetur dolus, siué aliud factum propriū in quo dolus inesse potest, vt in proximè allegatis, & apud *Cels. decis. 78. num. 6. cum seqq. Gregor. & add. decis. 119.* Vndè propterea licèt venditor, quando protestatus est vendere rem pro tali quali, &c. atque vt vulgò dicitur *come vn sacco d'ossa*, ad aliud non teneatur, adhuc tamen tenetur pro vitijs, & defectibus laten-
5 tibus sibi cognitis, quæ non sufficit exprimere sub inuolucro generali verborum ex deductis apud *Surd. decis. 146. num. 4. Gregor. & adden. d. decis. 119. & sub tit. de empt. & vendit. disc. 8.*

Atque ad id bene conferre dicebam, ea, quæ habentur *d. disc. 69. de Pensioni-*
6 *bus*, quod scilicèt cessa commoditate pensionis, si ista cesset per mortem naturalem cedentis, vel per insufficientiam beneficij, aut per alium casum, tunc cedens ad nihil tenetur; sed si cessat ob delictum ipsius cedentis, aut ob alium eius factum voluntarium, putá quia per matrimonium, vel per militiam, vel per professionem in Religione; aut per dimissionem Clericatus, diuersum statum assumat, tunc intrat euictio, cum similibus.

In his autem terminis versari dicebā, quoniam licét emptoribus innotesceret vinculum fideicommissi, quo posito de consequenti intrabat actio prædicta vxo-
7 ris in vim *Auth. res quæ*; Attamèn id principalitèr prouenit ex debito, & facto ipsius venditoris, quoniam nisi dotem vxoris, aliaque eius bona dissipasset, vtique iste casus non daretur; Vbi enim agitur de dote restituenda per ipsum vitum,

tunc

tunc id referri non poteſt caſui, ſed totũ prouenit ex facto, & culpa ipſius viri, dũ ipſe eſt principalis debitor, fideicommiſſum autem dicitur quidam legalis fideiuſſor eiuſdem viri, adeóvt etiam fine ceſſione ſubintret in ius mulieris, cui dos reſtituta eſt, eiuſque actiones exercere valeat pro reintegratione, iuxtà firmata apud *Coccin. deciſ.* 1681. *cum alijs*, de quibus *ſub titul. de dote diſc.* 145. *num.*56.

Neque ad rem facere dicebam *deciſiones* 7. *&* 57. *coram Ninot* in hoc propoſito expenſas etiam ſuprá *d. diſc.* 31.
8 quoniam earum caſus eſt diuerſus, quod ſcilicèt idem venditor, tanquam tertius, vendicabat loca montium cadentia ſub portione alterius venditoris eius fratris, per cuius mortem ius emptoris expirauerat, ideòque euictio proueniebat de natura rei, & à caſu, non autem à facto culpoſo, ſeù aliás voluntario ipſius venditoris, quale dicitur illud, quod ab eius creditoribus prouenit, dum ita hæc venditio redoleret ſpeciem furti, vel truffæ, ſi ille venditor, qui ſcit ſe obæratum eſſe, bonaque vendita obnoxia eius creditoribus, á quibus ad horam illa vendicari poſſunt, etiam à pretij reſtitutione excuſaretur, ac propterea excuſatio reſtringenda eſt ad ſolum caſum.

Ex caſu autèm prouenire diceretur,
9 quando filiæ, & deſcendentes ipſius venditoris ex eodem beneficio *Auth. res quæ*, peterent dotem ſibi conſtitui ex bonis fideicommiſſi, quoniam dici non poteſt culpoſum, quod natura ei fœcunditatem dederit procreando filios, minúſque dici poteſt culpa directa ad caſum, quod ipſe paritér ſe inopem fecerit, vndé propterea eius filiabus apertum ſit præfatum ſubſidiarium beneficium; Ideòque vt aduertitur *eod. diſc.*145. *& in alijs pluriès eod. tit.* magna dignoſcitur differentia inter caſum dotis reſtituendæ, & illum dotis conſtituendæ.

DISC. CLXV.

Interamneñ iuris collectandi.

Pro Ciuitate Interamnæ, cum Caſtro Papiniæ.

Caſus pendet in Camera.

An, & quando Caſtra ſubiecta Ciuitati, dicantur de eius Comitatu, vel territorio, vt propterea conſtituant vnum corpus, atque participare debeant de iuribus, & prouentibus Ciuitatis pro ſupportatione onerum, vel è conuerſó an debeant Caſtra contribuere in oneribus maioribus, quæ ſupportentur per ipſam Ciuitatem.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Comitatenſes dicuntur Ciues in omnibus.*
3 *De eodem, & qualis dicatur propriè Diſtrictus, vel Comitatus.*
4 *De vnico territorio conſtituto ex tota Diæceſi.*
5 *Diſmembratio iuriſdictionis non tollit vnitatem territorij.*
6 *De diſtinctione inter diſtrictum, & agrum.*
7 *De alia diſtinctione inter Comitatum, vel Diſtrictum improprium, & generalem, & proprium, & particularem.*
8 *An Ciuitas poſſit acquirere id, quod ſit de eius Comitatu.*
9 *Stant ſimul, quod Ciuitas ſit de dominio vnius, & Caſtra ſint de dominio alterius.*
10 *De eodem de quo num.*5.
11 *De monito, quod cauſarum deciſiones pendent à circumſtantijs facti.*

DISC. CLXV.

1 DE anno 1525. Ciuitas Interamnæ emit à quibuſdam Domicellis Caſtrum ibi proximum Papiniæ; cùmque poſtmodùm ſub Paulo III. & Paulo IV. impoſitum eſſet ſubſidium triennale, à quo proueniunt onera Cameralia, atque pro

iſtius

istius rigorosa exactione Ciuitas caualcatas ad præfatum Castrum transmisisset, adeóvt Pius V. iurisdictionem illi abstulerit, quam Gregorius XIII. successor reintegrauit, hinc penés continuæ sequutæ fuerunt controuersiæ inter Ciuitatem, & Castrum, & præsertim super modo contribuendi in solutione dictorũ onerum Cameralium, atque per Sacram Congregationem boni Regiminis resolutum fuit, Castrum teneri contribuere pro octaua parte, sed reassumpta causa in Camera, vbi priùs introducta erat, excitata fuit per idem Castrum prætensio, quod onera priùs impleri deberent cum prouentibus gabellarum respicientium totum Comitatum, quodque propterea ad id, quod opus esset pro supplètione, concurrere deberet in dicta octaua parte; Datoque desupér dubio *coram Bichio, An, & qui prouentus proueniant ex gabellis respicientibus totum Comitatum*, sub die 19. Iunij 1673. prodijt resolutio vtrique parti respectiuè fauorabilis, quod scilicèt Castro prętendente, omnes gabellas in notula deductas venire, Ciuitate autem nullas, dictum fuit venire quasdam, & non alias.

In disputatione autem desupér habita, scribentes pro Castro, eiusque Communitate, cum præsupposito, quod illud esset de Comitatu, dicebant eius intentio-
2 nem fundatam esse in iuris regula, quod Comitatenses dicuntur ciues, omnibusque priuilegijs, & fauoribus ciuium potiri debent, eodem modo, quo subiacent oneribus, dum Ciuitas, & Comitatus formant vnum, & idem corpus, vt definit *Bald. cons. 419. n. 1. lib. 1. Aretin. cons. 67. num. 4 Hieron. de Mont. de finib. cap. 7. num. 3. & 5. Crauett. in terminis onerum cons. 972. Galeott. lib. 2. controu. 20. cum concordan. relatis per modern. de Luc. ad Francb. decis. 316. num. 7. Rot. decis. 400. par. 9. rec. & decis. 199. par. 12.* atque super hoc assumpto immorabantur, illud exornando de more scriptorum cum alijs generalitatibus; Reliqua enim consistebant potiùs in facto, super natura, seù qualitate gabellarum, dum scribentes pro Ciuitate nimium insistebant in dicta qualitate, & quænam essent illæ gabellæ, quæ in Ciuitate soluebantur ab antiquo, priusquam istius Castri acquisitio sequuta esset, & quænam posteriores, quasi quod de antiquis priùsquam idem Castrum acquireretur, atque efficeretur de hoc corpore, non deberet participare, sed solùm de alijs postea impositis; scribens ego pro Ciuitate, in hac vltima disputatione, adhibendo stylum Aduocatorum Vrbis, curabam exornare, siuè in iure probare ea, quæ in facto deducebantur cum solitis generalitatibus;

Reflectendo autem ad veritatem, mihi
3 videbatur, quod reverà quæstio esset potiùs facti, & applicationis, quàm iuris; Admittebam siquidem, tanquam veram dictam iuris propositionem pluties suprà insinuatam, & præsertim *disc. 72. & 94. & sub tit. de praeminent.* agendo de ciuilitate, quod scilicèt Ciuitas, & Comitatus constituunt vnum territorium, atque vnum, & idem corpus politicum, seù communitatiuum, eodem modo, quo plura membra vnum constituunt corpus humanum, quasi quod Ciuitas sit caput, & venter, seù reliqua maior pars corporis, Castra veró, seù Villæ sint brachia, & manus, & crura, & pedes; Siuè iuxtà exemplum finium spiritualium vnius
4 Dioecesis, quoniàm licèt intrà eius fines, vltrà locum residentiæ Episcopi, & situationis materialis Ecclesiæ Cathedralis, quamplura existunt Oppida, Castra, & loca inter se omninó distincta, ac etiam sub diuersis Prouincijs, vel dominijs tẽporalibus, omnia tamen constituunt vnũ, & idem corpus, siuè vnum, & idem territorium spirituale; Vel eo modo, quo sequitur, quando Ciuitas, vel alter locus diuisus sit per quarteria, aut per pagos, & Villas, iuxtà aliquarum Regionum vsum insinuatum *sub tit. de iurisdict. disc. 24.*

Idquè verùm non obstante, quod singula Castra, seù Villæ, & loca, intrà ambitum districtus, seù Comitatus, ha-
5 beant inter se fines destitutos, & quandam speciem territorij contradistincti, etiam ab illo Ciuitatis, & cum Constitutione propriarum subalternarum Communitatum, quoniàm id non tollit vnitatem territorij, seù corporis in vniuersum, sed solùm continet quandam diuisionem subalternam respectu vsus, & cõmoditatis, ad tollendas confusiones, pro pascuis, & pro cultura prædiorum, & pro alijs effectibus, eo modo, quo si pro aliquo magno Ouili diuiso in plures turmas,

mas, vel greges, destinarum sit prædium, seù tenuta, vt ad tollendas contentiones inter Pastores, singulis turmis, vel gregibus, aut branchis distribuantur partes, vel fines eiusdem tenutæ, seú prædij, quoniàm id non tollit vnitatem, tàm ouilis, quàm prædij; Vndè propterea,
6 vt in eisdem *disc.72. & 94.* aduertitur, pro ista contradistinctione, recinctus proptius Ciuitatis, contradistinctus à finibus singulorum locorum Comitatus, appellari solet, sub vocabulo agri, potiùs quàm territorij, ac etiam aduertitur infrà *in Fanen. Molendini disc.* 167.

His itaquè constitutis, adeòut in ijs, quæ iuris sunt, nulla adesset discordantia inter scribentes hinc indè in genere, siuè in abstracto: Disputatio restringebatur ad factum, siuè ad applicationem, iuxtá pené generalem hodiernam naturam omnium quæstionum forensium, an scilicèt istud Castrum, dicendum esset de illa specie Comitatus, de qua superiùs allegati, & alij DD. loquuntur, quod scilicèt importet idem territorium constitutiuum eiusdem corporis, vel potiùs esset de illo Comitatu improprio, qui redolet solùm iurisdictionem, vel supe-
7 rioritatem, aut dominium accidentale, aut quodam ius metropolyticum, iuxtà exemplum antiquæ Romæ, quæ iuxtá seriẽ, de qua *disc.32. de præminent. in fin.* & alibi pluriés, vi bellica effecta est domina magnæ partis Orbis, adeòut diceretur caput, & Metropolis Mundi, ideóque omnes Ciuitates, & Prouinciæ dicerentur de eius imperio, & territorio, seú Comitatu in vniuersum, ratione scilicèt iurisdictionis, vel iuris terrendi; Et tamèn non indè inferri poterat ad verum Comitatum, vel territorium, dum 'habebat suum districtum particularem centum milliarium, qui nunc est quadraginta.

Siuè quod, iuxtà hodiernam praxim, Præfectura, vel Præsidatus Ciuitatis, complectatur sub se gubernium, & administrationem quamplurium Ciuitatũ, Oppidorum, vel locorum adiacentium, quæ ita quandam speciem Comitatus præseferre videantur, sed iste est Comitarus improprius ratione iurisdictionis, & iuris Metropolitici, non autèm verè constitutiuus vnius corporis, & territorij, vt (ex. gr.) docet praxis Ciuitatis Perusij, cum similibus, quod scilicèt alia sunt Castra Comitatus, idest districtus, vel territorij particularis ipsius Ciuitatis, & alia sunt Castra, & loca existentia sub eo gubernio.

Applicando itaque ad rem, punctus videtur, an istud Castrum esset de vna, vel altera specie, atque scribendo more Aduocati, dicebam, quod esset solùm de Comitatu improprio, idest iurisdictionali, quoniàm cum ante prædictum an-
8 num 1525. esset de diuerso dominio, diuersumque corpus constitueret, dum ex titulo particulari emptionis obuenit in hanc Ciuitatem, tanquàm penés extraneum, ac priuatum emptorem, hinc proindé dicebam, ita claram resultare probationem, quod non esset de eius territorio, & pertinenrijs, sed quod esset quid distinctum, ex iuris certo principio, quod nemò emit, vel acquirit rem suam, quodque res mea nõ potest denuó effici mea, vndé propterea noua acquisitio probat, quod priùs res non esset sua.

Verùm id nõ videbatur argumentum, quod concluderet, quoniàm, aliud est
9 ius territoriale pro ciuicis prærogatiuis, ac oneribus respectiuè, & aliud est ius territoriale, pro exercitio iurisdictionis, vt docet nimiùm frequens, ac notoria praxis, præsertim in Regno Neapolitano, pro cuius misera conditione, omnia pené loca sunt infeudata, vt insinuatur *dicto disc.32. de præmin. & alibi pluriès*, quoniàm frequentér datur casus, quod Ciuitas sit vnius Domini, vel sit demanialis, & Castra, quæ ibi Casalia dicuntur, sint diuersorum Baronum, vt de aliquibus Casalibus ipsiusmet Regię Ciuitatis Neapolis, habetur apud *Franch. decis.129. Gizzarell. decis.24. vbi adden. Galeott. lib.2. controu.20. Rouit. decis.11.* & alios, apud quos disputatur quæstio, an concessio alicuius Castri, seù Casalis in feudum, importet quandam implicitam dismembrationem territorij ad alios
10 effectus iurisdictionales, illum prẹsertim, an prohibitio, quæ sit bannitis, quibus conceditur saluusconductus sub lege de non conuersando in loco delicti, neque in dicta Regia Ciuitate residentiali Principis, eiusque territorio, complectatur huiusmodi Casalia infeudata, sed hoc non tollit alios effectus ciuicos, neque vnitatem territorij communitatiui, ad alios

alios effectus communitatiuos, tám fauorabiles, quám onerosos, ideòque possunt simul stare, quod istud Castrum esset de eodem Comitatu, & territorio, sed quod ex Apostolica concessione, siuè ex antiqua vsurpatione, aliquis Domicellus haberet eius dominiū iurisdictionale, seú Baronale, quod Ciuitas acquirere potuit, tanquàm per restitutionem antiqui status, atque per quandam speciem recuperationis; Secùs autém vbi ista circumstantia cessante, fuisset omninò noua acquisitio, quodque illud esset extrà suum ambitum, seù Comitatum proprium, quoniām tunc Ciuitas consideratur potiùs in ratione Baronis, vel Domicelli, ità administrantis hanc subditam Communitatem, atque pro meliori administratione, iure cuiusdam communionis exigendo, & respectiuè soluendo eius onera, dum isto casu contributio sine dubio facienda esset ad limites eius iurium, & bonorum absque participatione iurium Ciuitatis.

Hinc itaqué edocemur, quod causarum decisio nō pendet á generalitatibus iuris, vel à formalitate verborum, sed
11 semper á circumstantijs facti, ex quibus pendet applicatio legum, & conclusionum, quoniām ista verba, *Comitatus*, *Districtus*, *Territorium*, & similia, sunt æquiuoca, eaque promiscué, siuè impropriè adhiberi solent, vt præsertim aduertitur suprà *disc.72.*& infrà *in Fanen. disc.167.* & alibi pluriès; Ideóque tota vis est in applicatione desumenda ex circumstantijs facti, siuè ex effectibus, ad quos de hoc agitur, semperque error est immorari in solis generalitatibus, vel in formalitate verborum,& sic quod videndum esset, an re verà ab antiquo istud Castrum esset de huius Ciuitatis Comitatu, seù territorio proprio, vt cum ipsa Ciuitate, alijsque Castris, vnum constitueret corpus, nec né.



DISC. CLXVI.

Romana Gabellæ Cadaueris.

Discursus pro veritate.

An debeatur Gabella, seù aliud vectigal pro extractione, vel introductione, siué transitu cadaueris.

SVMMARIVM.

1 *Casus controuersia.*
2 *Reprobatur traditio super solutione gabellæ pro cadauere.*
3 *De auctoritatibus id reprobantibus.*
4 *De errore aliquorum, super legibus, quæ in id allegantur.*
5 *An, & quando iuxtà leges ciuiles cadaueris translatio fieri possit.*
6 *Quod cadaueribus impedimenta præstari non debeant.*
7 *De rationibus, ob quas gabella solui non debeat pro cadaueribus.*
8 *An gabella pro animalibus debeatur, si ea sunt mortua.*
9 *De rationibus, ob quas fiant funera, & exequiæ.*
10 *Quarè apud Gentiles aliquid soluebatur pro sepulchro.*
11 *Et quarè hodiè Parochis, & Clericis soluuntur emolumenta, pro sepultura, & funeribus.*
12 *Damnatur quidam abusus circa hoc.*
13 *Vnde proueniat opinio, vel traditio, de qua num.2.*
14 *De exitu controuersiæ, aliaque decisione.*

DISC. CLXVI.



EQVVTA immatura morte, nunquam satis laudati Cardinalis Giberti Borromei, in Oppido Neptuni, ad quod pro maritimi aeris salu-
1 britate, opportuno tempore se contulerat, ità expertus lyrici Poetæ dictum, quod in medio Tyberi, quandoque Sardinia est; Eiusque cadauere diligentèr ad Vrbem translato, duplex excitata fuit pretentio super eiusdem cadaueris vecti-

vectigali, vel dohana; Appaltatoris scilicèt dohanæ, aliorumque iurium Cameralium Neptuni, pro extractione, & Dohanerij Vrbis pro eius introductione in Vrbem; Cumque id pené totius Curiæ excitasset curiositatem, ac etiã eiusdem Cardinalis hæredes, veritatem inquirere curauerint; Hine proindè, quæstione ad forum adhuc nõ deducta, à pluribus meum iudicium pro veritate desupèr expetitum fuit.

Respondi itaque, quod licèt ferè per vniuersum Orbem nostri commercij, ista vigere videatur opinio, siué publicanorum prætensio, vt pro cadaueribus de
2 loco ad locum euehendis, quod in illis Principum, & magnatum, aliorumque potentium, frequentiùs, quàm hominum priuatæ fortunæ contingere solet, vectigal, seù passaggium debeatur; Nihilominùs, vana est opinatio, nulli iuris, vel rationis fundamento innixa, siué auctoritates legales, siuè rationes attendamus.

Auctoritatibus etenim attentis, ita
3 inter alios firmant *Florian. in l. ne corpora ff. de Relig. & sump. fun. Ferrett. de Gabell. num. 96. Cuiac. lib. 2. obser. cap. 21. Faber. in l. funeris 37. ff. eod. tit. in fine, Lara de Anniuers. & Cappell. lib. 1. cap. 25. præsertim num. 44. Moles in decis. §. 14. quæst. 4. in princip. Irandius de protest. in apparat. num. 100. cum seqq.* apud quos concordantes.

Omnes autèm in id allegare solent *tex. in l. fin. Cod. de Relig. & sump. funer.* per quem asserunt correctam iuris antiqui dispositionem; Verùm iste videtur
4 quidam communis error, qui deriuat à consueto legistarum vitio, quod scilicèt vnus alterum inconsideratè transcribat, tùm quia ille Tex. de hoc non agit, tùm etiam quia nulla adest antiquior lex, quæ ita disponat.

Ad rem potiùs facere videntur *Tex. in l. 1. & l. si nec dum 10. & l. penul. Cod. eod. tit.* dum in earum prima disponitur ex iusta, vel necessaria causa, permittẽ-
5 dum esse translationem cadaueris de loco ad locum, quæ permittitur etiam *in l. si nec dum*, vbi è conuersó prohibetur, quotiès perpetuæ sepulturæ corpus traditum est; Vndè propterea mos inoleuit, quando id animo habeatur, corpus sepeliendi prouisionalitèr, atque vt vulgò dicitur in forma deposit; *Tex.* autèm *in l. penul.* hanc translationem quodammodó de Regalibus constituit, dum eam sine Augusti licentia fieri prohibet, nulla facta mentione alicuius solutionis vectigalis, vel alterius oneris.

Magis verò id probare videtur *Tex. in d. l. ne corpora ff. eod. tit. de Relig. & sump. fun.* per quod generalitèr disponitur, nè ossa, aut corpora mortuorum detineantur, aut vexarentur, neué prohiberentur, quo minus via publica transferren-
6 tur, quod propriè quæstionem decidere videtur, dum ità præsupponitur impedimentum, quod à vectigalium, & pedagiorum exactoribus fortè in vijs publicis præstabatur; Atque hinc Doctores communitèr Inferunt, vt corpora mortuorum, pro ære alieno, siué ex alia causa detineri non valeant, vel sequestrari, aut aliàs impediri, quo minùs sepulturæ tradantur.

Idem dicendum venit, attenta ratione, cui pro genio semper dignior locus tribuitur; Ex duplici etenim causa, ve-
7 ctigal, seù aliud onus solui debet, vel respectiuè exigi potest. Primò scilicèt, ratione oneris merè personalis, vel tributi, quod iuxtà frequentiorem Iuristarum loquendi vsum, capitationem dicimus, pluriès *hoc tit. insinuatam*, & præsertim *suprà disc. 102.* & hæc species vtique conuenire non potest homini mortuo, qui non est ampliùs homo; Adeò vt nostri cum consuetis frigiditatibus, inferre soleant, quod gabella imposita pro quolibet animali, intelligitur de ani-
8 mali viuente, non autèm de mortuo *Moles decis. d. §. 14. quæst. 4. num. 4. cum alijs supra disc. 62. & 71. num. 13.* vbi tamen aduertitur, quod in hoc attẽdi magis debet substantia veritatis, quàm formalitas verborum, quibus ità inhærere, semper est error.

Aut verò vectigal, seù dohana exigi prætenditur ratione mercimonij, siue introductionis, vel extractionis merciũ, & bonorum, iuxtá ea, quæ de isto onere vectigalis, seù dohanæ, aut portorij, habentur suprà *disc. 65. 67. 68. & in alijs*; Et tunc paritèr nulla ratio suadet hanc solutionem, cum cadauer sit res omninó inutilis, nulliusque existimationis, vndè propterea ex motiuo Religionis, & pietatis, vel ex altero onorificentiæ, vt consuetu-

ſuetudini ſatisfieret, ſiué ob viuentium
9 conſolationem, aut demùm pro illa maiori pietate, qua Chriſtiana Religio ſuggerit pro aliquo animæ defuncti ſuffragio, fiant ea, quæ eum tanto ſumptu, & & quandoque cum exceſſiuo, ac damnabili ſolito luxu, pro Regionum moribus practicantur in defunctorum cadaueribus tumulandis, non autem, quod illi iam annihilato viro id congruat, & per conſequens nulla ſubeſt ratio, ob quam pro ſepultura aliquid ſolui debeat.

Eatenùs etenim, apud antiquos Gentiles aliquam ſolutionem fieri, ſcriptum inuenitur, quatenus iuxtà gentilitatis le-
10 ges, ac mores, ille ager, vel locus, in quem cadauer illatum eſſet, ex puro, ſeù prophano, fieret religioſus, vndè proptereà in commercio eſſe prohibebatur, ex deductis per *Frances de Eccleſia Cathedrali cap.26. num. 136. & 153.* ideòque inuito, vel ignorante domino in alieno prædio cadauer inferri prohibebatur, *per tex. in l. 2. C. eod. tit. de Relig. & ſumpt. fun.* & ſic ob iſtud præiudicium, rectè de eiuſdem poſſeſſionis pretio, vel de æſtimatione illius diminutionis, quam ità patiebatur, conueniri poterat.

Et quamuis hodiè apud Catholicos, ſepulcrorum, vel funerum emolumenta habeantur, etiam neceſſaria, fauore Parocorum, aliorumque Clericorum ſecu-
11 larium, vel Regularium, ex ijs, quæ in materia iuris ſepeliendi, habêtur pluriès *ſub tit. de Paroch.* & præſertim *diſc.22. cum plur. ſeq. diſc.27. cum ſeq. & diſc.38.* ac alibi; Attamèn id prouenit, non ex directa ratione funerum, vel ſepulturæ, ſed ex indirecta ſubrogatione iſtorum emolumentorum loco decimarum, quæ in loco ex conſuetudine non ſoluantur, vel ſi ſoluantur, nõ ſufficiant ad congruã ſubſtentationem eorum, qui curæ animarum, alijſque diuinis, pro populi ſeruitio, ac ſalute ſunt addicti, ex ea ratione, vt qui altari ſeruit, de altare viuat, & nè boui trituranti os claudatur; Et ob quam rationem in aliquorum etiam Sacramentorum, aliorumque diuinorum adminiſtratione, aliqua perſolui emolumenta, moribus probabilitér eſt inductum, dummodò tamén moderatè, atque ad limites dictæ rationis id ſequatur.

Atquè hinc liquet, quàm deteſtabiles, quinimmò ſeuera punitione digni ſint illi abuſus, qui recenſentur *lib.9. tit. de*
12 *Teſtam. diſc.24.* & alibi, præſertim in aliquibus Apuliæ, aliarumque Prouinciarum Regni Neapolitani partibus, quod ſcilicèt moriente aliquo extero, vel etiã ciue diuite, ſub hoc prætextu decimarum perſonalium, vel induſtrialium, per parochos, & forſan etiam per Epiſcopos, & per Capitula, magnæ fiunt extorſiones, repreſalias, faciendo circà ipſa cadauera, iiſque aliàs ſepulturam retardando, vel denegando, quo nil turpiùs, magiſq; ſcandaloſum, dum etiam Gentilium, ac Etnicorum legibus aduerſum eſt, vt de pietate Gentilium in ſepeliendo &c. laté *Frances vbi ſuprà cap.26. ex num.110.* & generalitèr *cap.17. & 26. per tot.* vbi de materia cadauerum, & ſepulturæ, meritòque Sac. Congregatio pluriès improbauit.

Prædictæ autém traditionis, vel communis opinionis rationem, vel originem, diuerſam ſcriptores allegant; Puri ete-
13 uim Iuriſtæ id referunt errori *Gloſæ in l. funeris 37. ff. de Relig. & ſumpt. fun. verbo Veſtiaria*, quod explicat pro vectigalibus, ſed malé, vt aduertit præſertim *Cuiac.* cum quo pertranſit *Faber. vbi ſuprà*; Alij veró hiſtoricè, ſeù eruditè id referunt antiquorum Romanorum moribus, vt per *Beſold. Petr. Greg. Guid. Pancirol. Cuiac.* & alios relatos per *Irand. in dicto tract. de proteſtat. in prælud. ſeù Apparat. num.98.*

Quidquid autém ſit, atqué, ſiué vna, ſiuè altera opinio teneatur, nil ad praxim
14 id refert, cum neutra concludat ſuper huiuſmodi prætenſionis ſubſiſtentia, vt etiam ijdem gabellarij agnouerunt, qui à prætenſionis fomento, ſeù proſequutione abſtinuerunt, eamque ampliùs proſequuti non fuerunt; Idemque ex Alexandro VII. viuæ vocis oraculo, noſtra ætate deciſum fuit, occaſione conſimilis prætenſionis, quæ habebatur per plurium locorum gabellarios, & dohanerios, pro trãſlatione cadaueris Infantis Margheritę de Sabaudia, nimium exemplaris vitæ, quæ in Vrbe decedens, Aſſiſij ſepulturam elegit.

DISC.

DISC. CLXVII.

Faneñ Molendini.

Pro Ciuitate, cum Corbellis.

Casus pendet coram A. C.

De eadem materia, de qua suprà *disc.*144. *&* 145. iuris prohibendi constructionem noui Molendini; Et incidentèr de ijsdem, de quibus *disc.*165. An scilicèt Castra existentia in districtu, veniant sub nomine territorij.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Quilibet potest construere Molendina, neque alter, qui iam habeat, id prohibet, & quando competat prohibitio.*

3 *De verbo territorium, an complectatur solum territorium particulare Ciuitatis, vel etiam totum districtum.*

4 *In flumine publico non possunt constitui Molendina sine licentia Principis.*

5 *Quod decisiones causarum hodie pendeāt ex facto, & de probatione situationis Castrorum in territorio, seù Comitatu.*

6 *Ius priuatiuum, seù prohibendi est de regalibus.*

7 *De eodem, de quo num.*5. *an Castra sint de Comitatu.*

8 *Obseruantia est interpres.*

9 *An aliqua diuisio tollat vnitatem territorij.*

10 *De ratione, ob quam gabellæ, & collectæ diuersimodè exiguntur in Ciuitate, & in Castris, seù Villis.*

11 *Declaratur conclusio, de qua num.*2.

12 *De eodem, & in quibus territorijs loquantur auctoritates, de quibus eodem num.*2.

13 *Declaratur conclusio, de qua num.*4. *circà vsum fluminum, & quæ sint de regalibus.*

14 *Flumina non nauigabilia, an sint Ciuitatis, vel Baronis.*

DISC. CLXVII.



1 POSSIDENTE Ciuitate Fani quædam Molendina ad vsum tritutationis tritici, aliarumque frugum redigendarum ad farinam in fluminibus Metauti, & Arsilæ, impositoque quodam onere super frumento molendo, in vniuersum; Cùm id produxisset controuersiam, cum aliquibus particularibus possidentibus tria molendina in ijsdem fluminibus, hinc Ciuitas, ista molendina emit, ac propterea obtinuit à Clemente Octauo, circa finem decursi sæculi, approbationem dicti onetis impositi super frumento, donèc solueretur pretium dictorum trium molendinorum, nec non concessionem iuris prohibendi constructionem nouorum molendinorum, tàm in dictis fluminibus, quàm alibi in toto territorio, sine tamen præiudicio refectionis iam existentium, approbando quoque in eisdem literis quasdam capitulationes initas inter Ciuitatem, & Comitatenses, atque ita ab eo tempore, vsque ad præsens, spatio circitèr annorum octuaginta seruatū fuit, quod scilicèt alia molendinorum constructio sequuta non est; Cùm autem Corbelli habentes aquas in prædio priuato existente in Castro Cartoceti, molendinum construere vellent; hinc Ciuitas obtinuit ab A. C. inhibitionem, pro obseruantia dictarum literarum Apostolicarum Clementis, super cuius moderatione assumpta desuper disputatione.

Scribentes pro construere volentibus, totum penè desumendo, ex iam deductis suprà *disc.*144. *&* 145. *ex Capie Latr. consult.*106. *alijsque ibi relatis*, insistebant
2 super naturali libertate construendi in suo, non obstante præscriptione, vel possessione prohibendi prætensa per Ciuitatem, ex vulgari regula desumpta, ex dispositione *textus in l. altius, C.de seruit. & aq.* de qua in his terminis locis citatis, & generalitèr *sub tit. de seruitut. disc.*1.*cum pluribus seqq.* & de molendinis *eod. tit. de seruit. disc.*30. quod scilicèt in facultatiuis non datur præscriptio, neque possessio manutenibilis, non præcedente prohibitione, cum subsequuta acquiescentia.

Respondendo autem ad prædictam Apostolicam concessioné dicebant; Primò, quod illa intelligenda esset de territorio in stricta significatione, idest pro-
3 prio, & particulari ipsius Ciuitatis, contradistincto ab illo Castrorum, non autē de toto Comitatu complexiuo territorij Castrorum; Potissimè dum adest formalis contradistinctio inter Ciuitatem, & Castra, cum distinctis finibus, indé proterea pro bonis existentibus intrà eorum limites contradistinctos ab illis Ciuitatis, soluuntur onera Cameralia, & alia cum quadam diuersa forma collectandi, & cum formali communitate diuersa; Atqué exindè inferebant, quod Castra dicerentur de Comitatu, seù districtu Ciuitatis impropriè, ac remotè in sola ratione iurisdictionali, ob subiectionem eidem Gubernatori, non autem de Comitatu proprio, denotante vnum, & idem territorium, atque vnum, & idem corpus, iuxtà distinctiones, de quibus suprà *in Interamnen. iuris collectandi disc.* 165.

Et secundò, quod concessio intelligenda de constructionibus in dictis fluminibus, tanquám publicis, à quibus non
4 licet diuertere aquam sine licentia Principis, cum sint de Regalibus, in id allegando *Mandell. consil.* 505. *num.* 2. *Capic. Latr. dicta consult.* 116. *num.* 17. *Buccier. de Regal. cap.* 2. *num.* 165. *cum seqq. Arnisę, de iure Maiestatis lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 5. *& seqq.* non autem vbi agitur de aqua existente in prædio priuato, quæ dicitur de dominio priuato Domini prædij, qui pro libito illa vti potest, ex ijs, quæ ad istam materiam aquæ nascentis, vel existentis in fundis priuatis, pluriés habentur *eodem tit. de seruitut. disc.* 25. *cum pluribus seqq.*

His tamen non obstantibus, scribens pro Ciuitate (etiam cum sensu veritatis) contrarium dicebam videri probabiliùs; Non negabam siquidém dictas propositiones, seù regulas in suis casibus, sed negabam earum applicationem, iuxtà hodiernam frequentiorem contingentiā
5 in omnibus penè forensibus controuersijs; Imprimis autèm insistebam in facti præsupposito, quod videbatur bases, & fundamentum totius causæ, quod scilicèt istud Castrum, prout pleraque alia adiacentia, essent sine dubio de vero districtu, & Comitatu Ciuitatis, ex pluribus claris demonstrationibus, & præsertim ex publico instrumento, per quod, mediante opera Commissarij Apostolici, ista Castra, quæ se rebellauerant à Ciuitate, denuó illam agnoscūt in superiorem, & matrem, cum expressa declaratione, quod essent de eius territorio, & Comitatu; Ac etiam ex alio instrumēto transactionis super modo distributionis onerum, & collectandi, atq; ex capitulationibus approbatis in ijsdem literis; Accedentibus etiam, allibratione omnium bonorum existentium intrà fines istorum Castrorum in catastro Ciuitatis, & alijs probationibus, & enunciatiuis; Et præsertim, quod Ciuitas specialitér in isto Castro Cartoceti deputat potestatē, cum sola cōfirmatione Gubernatoris Apostolici, ex quibus imò minoribus probari istam qualitatem, alijs relatis firmatur *in Cesenaten. seù Sarcinaten. Emphyteusis* 10. *Iunij* 1642. *Ghislerio*, approbata in eadem causa *dec.* 400. *par.* 9. *& 199. par.* 12. *recent.*

Isto igitur verè certo, & incōtrouertibili præsupposito sic stante, quod scilicèt ista Castra essent de vero, & proprio Comitatu, non ex sola ratione iurisdictionis, & subiectionis eidem gubernio, sed in ratione vnitatis territorij, & constitutionis vnius corporis, iuxtà distinctiones, de quibus suprà *disc.* 72. 94. *&* 165. adeòut Papa loquente de vniuerso territorio, de iure veniant etiā Castra, ex deductis in proximè citatis locis; Itá dicebam fundatam esse intentionem Ciuitatis in prædicta concessione Apostolica, quæ tanquàm expressa, & literalis, non admittebat quæstiones, & argumenta ad vulgarem regulam textus *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3.

Quamuis enim verum sit, iuxtà deducta *d. disc.* 144. *&* 145. & alibi pluriés
6 *hoc eodem tit. & tit. de feud. disc.* 3. vbi etiam in specie molendinorum, quod istud ius priuatiuum, seù prohibendi sit de regalibus, non obtinendum, nisi ex concessione Principis supremi, adeóut Ciuitas subdita, id statuere non valeat, nisi cum proprijs subditis de illorum cōsensu, tanquàm per speciem voluntariæ collectæ, ex deductis *d. disc.* 144. Attamèn ista difficultas dè plano sublata remanebat ex facto, ob existentiam priuilegij Apostolici, quod omnem dubitandi occa-

di occasionem tollit, quotiès, non obstet defectus compræhensionis.

Quatenùs itaquè pertinet ad punctum compræhensionis, ad quem re verá causa restringebatur, an scilicèt illa verba, *in toto territorio*, intelligenda venirent de territorio particulari Ciuitatis, vel de illo totius Comitatus complexiuo Castrorum, quorum territorium esset vnum indiuisibile; Dicebam probabiliùs videri hanc secundam partem, pro compræhensione totius Comitatus, tùm ex regula iuris, de qua in *dictis disc.72. 94. & 165.* tùm etiam,& clariùs ob duplicē
7 facti circumstantiam; Primó nempè ob amplitudinem, & vniuersalitatem huius verbi, *territorij*, dum dicitur *in toto*; Et secundò, quoniàm occasione enunciandi situationem molendinorum emptorum, vt suprà, fit mentio de agro Ciuitatis, sub cuius vocabulo explicari solet recinctus Ciuitatis, contradistinctus à finibus particularibus singulorum Castrorum, vndè propterea adest clara discretiua, inter agrum, & territorium, & per consequens dici non potest, quod sub nomine territorij, iuncto cum dicto verbo denotante vniuersitatem, seù totalitatem, veniret solum ager, iuxtà ea, quæ circá hanc discretiuam loquutionem in iure habemus in omni pené materia, & præsertim sub *tit. de fideicommiss.* in ea quæstione, an sub nomine filiorum veniant descendentes, cum similibus.

Omnemque difficultatem in hoc proposito tolli dicebam, ob sequutam obseruantiam, quæ dicitur optima inter-
8 pres, vbi præsertim habeat verisimilitudinis fomentum, ex ijs, quæ in terminis interpretationis Indulti Apostolici habentur *dec.59. nu.12. par.10. recentior. & frequenter*; Improbabile etenim est, quod tàm diuturno tempore, alterius molendini constructio neglecta fuisset, nisi istud priuilegium coercuisset, vt ponderatur quoque suprà *disc.*145.

Neque hanc territorij vnitatem tollit diuersitas communitatis, seù modi colligendi, & soluendi onera, quoniàm vt
9 aduertitur quoque suprà *in Interamnen. disc.*165. huiusmodi accidentales diuisiones ad certos effectus, non tollunt substantiam vnitatis; Adinstàr eorum, quæ habentur in materia iurispatronatus, seù feudi indiuidui *sub tit. de feudis disc.8. & alibi*, ac etiam *sub tit. de praemin. disc.3. cum duobus seqq.* in vno corpore formalitèr indiuiduo Capituli, quod sit materialitèr diuisum, seù distributum in plures Ecclesias, cum diuersis iuribus, dinersoque modo viuendi, atque passim exemplificant DD. in vna, eademque Ciuitate diuisa per contratas, vel quarteria, quod vna pars supportet aliqua onera, quæ non supportentur per alteram, putá pro constructione, vel refectione pontis, pro vsu, & commoditate vnius partis, quæ solùm contribuat, non autem altera, quæ tali ponte non idigeat, cum similibus.

Atq; frequens videtur iste vsus, quod Ciuitas supportet onera vno modo, & Castra supportent altero; Vt præsertim occasione gabellæ carnis, & exemptionis religiosorum, pro ea carne, quam extrà Ciuitatem in eius Castris, & Villis elemosynalitèr obtineant, de Rearina Ciuitate habetur suprá *disc.*57. ob congruam rationem, quod in Ciuitate, quę muris recincta est, atque cum portis,
10 speciem clausuræ habet, vndè propterea fraudibus magis occurri potest, atque personæ nobiles, & ciuiles viuunt, publica onera cōmodiùs supportantur, mediantibus gabellis super pane, vino, carnibus, alijsque victualibus, dum ita cum maiori facilitate, mediante victualium vsu, à sponte dantibus insensibilitèr exiguntur, nimium verò incommodum, & difficilé est practicare collectas, & contributiones; E' conuerso autem, in Castris, & Villis, seù rusticanis domibus sparsis per Comitatum, vel territorium, id est penè impracticabile; Tùm ob locorum aperturam, ob quam fraudibus occurri non potest; Tùm etiam quia, ob qualitatem Incolarum, magis practicabile, & oportunum est viuere per collectas, seú taxas, & contributiones; Non per hoc tamèn cessat vnitas corporis, & territorij; Quinimò in eadem Ciuitate dignoscitur iste discretiuus modus supportandi publica onera, inter nobiles, & plebeos, vt illi ea supportent per collectas super bonis per æs, & libram, isti autem per collectam personalem, quæ capitatio dicitur, cum similibus.

His autem sic stantibus, atque respondendo ad assumptum, de quo supra, quod

scilicèt in facultatiuis nō detur præscriptio, vel possessio, sine prohibitione, cum
11 subsequuta patientia; Dicebam id rectè procedere, quando possessor, soli possessioni, vel temporis beneficio innitatur; Secus autem, dum accedit titulus explicitus, qui solus, & de per se sufficit, isque euitari prætendatur ratione non compræhensionis, quoniàm tunc possessio temporis considerabilis, attendenda venit in ratione interpretationis magis, quàm in ratione possessionis, atq; aliàs esset de facto eludere, vel circumscribere omnia huiusmodi priuilegia, sub hoc prætextu, & consequentèr, quando ex obseruantiæ, vel possessione, ità constat de priuilegij effectuatione, tunc accedere debet res iudicata in petitorio, quæ illud declaret, atque interim habens priuilegium conseruari debet in eo statu, quisit vniformis priuilegio.

Hinc proindè resultat, extraneas remanere auctoritates, quæ in hac materia
12 habentur, de quibus præsertim apud *Capic. Latr. d. consultat.* 116. cum alijs *d. disc.* 144. *&* 145. cum procedant in dicto altero casu longè diuerso, quod scilicèt ille, qui prætendit istud ius priuatiuum, seù prohibendi, innitatur soli possessioni, & obseruantiæ, potiùs præscriptiuæ, quàm interpretatiuæ; Secùs autem vbi titulus explicitus ad id habilis accedat, possessio autem deducatur, tanquàm effectuatio, & obseruantia interpretatiua, ad elidendam exceptionem non compræhensionis.

Nullius quoque momenti videbatur differentia constituta inter aquas priuatas, & illas fluminum; Tùm quia con-
13 cessio Apostolica in verbis dirimit quæstionem, dum facta mentione fluminum, Metauri, & Arsillæ, existentium in hoc territorio, subiungitur verbum vniuersale, *& alibi*, complexiuum omnium aliarum aquarum; Tùm etiam quia, vt patet ex eodem textu *in cap. vnic. quæ sint regalia*, ea flumina, verè, & propriè dicuntur publica, ex illa publicitate, quæ redolet regaliam, vndè propterea construi non possunt molendina, & alia ędificia, quæ causent diuersionem aquæ, vel impedimentum nauigationis, quando sint nauigabilia, siuè sint etiam parua, sed quod eis constituatur flumen nauigabile, ratione publicæ vtilitatis, ob quam, etiam extrà nauigationem, pro alijs publicis vsibus cessat illa facultas, quæ de iure, dominis prędiorum conceditur, diuertendi aquas priuatas in eis existentes, ex deductis *sub titulo de seruitut. disc.* 31. Secùs autèm vbi agitur de fluminibus non nauigabilibus, quæ dicuntur etiam publica impropria, vel scilicèt ad denotandum vsum publicum Ciuium, & Incolarum, tám pro irrigationibus, quàm etiam pro vsu molendinorum, aliorumque ędificiorum, iuxtà casus, de quibus *dicto tit. de seruit. disc.* 28. *&* 30. Siuè dicuntur publica ad excludendum dominium merè priuatum, atqué ad denotandum dominium publicum habituale, quod sine præiudicio vsus Ciuium, & Incolarum, residere dicitur, vel penès Communitates locorum, vel penès Barones, & Domicellos, iuxtà quæstionem insinuatam, occasione Montium, & forestarum *sub tit. de feud. disc.* 2. & alibi; Et super quo puncto certa regula statui
14 non potest, ac propterea dignoscitur cōsuetus error procedendi cum generalitatibus, vel cum traditionibus DD. in sola litera, nō distinguendo regiones, quoniàm in aliquibus regionibus, vel principatibus, ex consuetudine regula assistit Baronibus, vt ipsorum sint flumina, vt apud *Franch. & add. decis.* 183. *& alijs plenè apud Prat. discept.* 47. *lib.* 1. E' conuerso autèm in alijs regionibus, vel principatibus esse solent Communitatis, vt præsertim patet *d. disc.* 30. *de seruit.*

Clariùs verò in hac facti specie id cōprobari dicebam, ex eisdem literis, ipsaque facti serie, dum plures particulares actu possident molendina antiquiora, quę per priuilegium præseruata fuerunt, ac etiam possidebantur per tres alios, à quibus ipsa Ciuitas emit, vndè propterea concessio Apostolica non fuit pro facultate construendi molendina, quæ requiritur in illis fluminibus publicis, quæ sint de regalibus, sed solum pro iure priuatiuo, & prohibendi.

DISC.

DISC. CLXVIII.

Placentina Introductionis Salis.

Pro Marchione Maluicino Fontana, cum fisco, seù Camera Ducali.

RESPONSVM.

De facultate introducendi salem, illumq; vendendi priuatiuè, An sit de Regalibus, adeòut competere non valeat feudatarijs, & Domicellis inferioribus; Et quatenùs competat, an concessio istius iuris in appaltum sub aliqua pensione, vel mercede, importet nouam impositionem gabellæ, vel abusum eiusdem iuris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Salaria est de regalibus, & non competit Baronibus, & Domicellis subditis.*
3 *De distinctione inter salinas, & salarias, & de iure priuatiuo furnorum, & molendinorum.*
4 *Quod in hoc iure priuatiuo inesse dicatur vectigal, seù gabella, & quomodo.*
5 *Quando id procedat, vel potiùs ius priuatiuum importet bonam administrationem.*
6 *Quando possessio alicuius regalia importet potiùs passiuam exemptionem, seù franchitiam ab onere.*
7 *Quod regalia minora, seù media quandoq; obtineantur per Barones, & Domicellos.*
8 *De eodem, & quando hac iura congruant etiam Domicellis.*
9 *Quid importet ius introducendi, & distribuendi salem, pro certo pretio inalterabili, & non nimium alterato.*
10 *Qod officia, vel appaltus portarum, vel uinis sint de regalibus.*
11 *Vndè proueniant emolumenta, quæ resultare solent à dictis iuribus priuatiuis, absque eo, quod importent vectigal.*
12 *An Dominus teneatur de fraudibus, & culpis appaltatorum, & quando.*

DISC. CLXVIII.



EXISTENTE ab immemorabili tempore Domino Castri Nibiani in possessione priuatiua, introducendi in Castrum, pro vsu Ciuium, & Incolarum, ac
1 aliorum in territorio existentium, salem, vt ibi dicitur, grossum; Cùm modernus Marchio tale ius concessisset in appaltum quibusdam negotiatoribus, sub annua pensione librarum 300. sub lege non alterandi consuetum pretium; Hinc fiscales prætendere ceperunt, quod Marchio dicta facultate abusus fuerit, atque ita quod iura regalia Principis vsurpauerit, implicitè imponendo nouum datium, vel gabellam subditis, siuè ita dando præfatis Appaltatoribus occasionē fraudandi Cameram Ducalem in datio salis, ob distributionem, quæ fieri posset extrà territorium; Ac propterea desupèr ex parte eiusdem Marchionis responsum petitum fuit; Sed quia communicata non fuerunt iura, seù fundamenta, quibus fiscales innitebantur, idcircò maturum iudicium pro veritate nō de facili efformare potui; Cum præsuppositis autem contentis in notula transmissa, loquendo potiùs in abstracto, quàm in concreto, tres efformabam inspectiones. Primò nempè super ipso iure, seù ipsa facultate huius introductionis, & priuatiuæ distributionis, pro certo pretio ab antiqua consuetudine taxato; Secundò super adhùc non practicato modo, concedendi in appaltum istud ius introducendi, & distribuendi pro annua recognitione, an importaret, nec nè dictæ facultatis abusum, vel implicitam impositionem noui oneris, & gabellæ; Et tertiò, quatenùs aliqua exindè innouatio subditis, ac Incolis præiudicialis non sequeretur, sed quod Appaltatores ista occasione fraudes committerent, distribuendo salem extrá Castri territorium in præiudicium appaltus generalis Cameræ Ducalis, an id importaret aliquod ipsius Marchionis delictum punibile.

Quatenùs itaque pertinet ad primum punctum, dicebam, quod licèt istud ius introducendi salem in loco, illumque vendendi, vel distribuendi priuatiuè ad alios, ex quodam communi omniū prin-

2 cipatuum vsu, sit de regalibus, atque registretur *in cap. vnic. qua sint regalia*, ideòque denegetur Baronibus, vel Domicellis subditis, vt docet notoria praxis fortè omnium principatuum nostri Orbis communicabilis, vt patet ex deductis suprà à *disc.* 105. *cum pluribus seqq. ad* 115. *& disc.* 158. *&* 159. in quibus de ista materia salis, & salinarum agitur, ibique allegantur concordantes, & præsertim *Decius cons.* 291. *aliàs* 293. quod in hac materia circumferri solet.

Attamèn iuxtà ibi recensitas distin-
3 ctiones, inter salinas, & & salarias, regalia propriè non consistat in salinis materialibus, in quibus sal fabricatur, nisi istæ quoque ex legibus, vel consuetudine principatus effectæ sint iuris regalis, seù priuatiuè Principis, dum pro regula magis generali, regalia consistit in salaria, idest in iure priuatiuo introducendi, aut distribuendi salem, pro pretio alterato, ex eo quod ista alteratio in effectu continet sub se vectigal, seù collectam, quæ ita à subditis insensibilitèr mediante vsu huius victualis exigitur, eodem modo, quo sequi dicitur in quocumque alio iure priuatiuo vendendi victualia, vel alia humano vsui necessaria, vt occasione iuris priuatiui aperiendi furnos, seù vendendi panem, & similia, habetur suprà *in Velterna disc.* 61. *& alibi*.

Et per consequens id procedit, quando verificatur dicta ratio alterationis pretij intrinseci materiæ, quoniàm in
4 illo extrinseco pretio alterato, vectigal seù onus consistere dicitur, exindèque inferri dicebam, quod vbi in hac facti specie, consuetum antiquum pretium, pro quo distributio fieri consueuit, dicendum veniret solùm intrinsecum, & naturale, idest proportionatum expensis, quæ fiant in fabricatione, vel emptione materiæ, eiusque vectura, & conseruatione, alijsque expensis, tunc verè, & propriè nulla adesse dicitur regalia, cum id solùm importet quandam prouidam œconomicam administrationem, & curam fauore subditorum.

Neque qualitas iuris priuatiui, sola, & de per se redolet per necesse regaliam (vt aliqui malè opinantur) quoniàm, vt
5 præmissum est, eatenùs illa id importat, quatenùs sub se contineat dictum implicitum vectigal, quod inest in pretio ex-trinseco, & alterato, cum in his, vel in similibus materijs, cessante ista circumstantia, ius priuatiuum referendum veniat potiùs rectæ administrationi, quod congruit fieri per vnam manum, seù vnã personam ad tollendas confusiones, siué quod ita non posset benè consuli publicæ necessitati, vel commoditati, iuxtà ponderationes, de quibus occasione cursitationum, seù portus literarum, ac etiã occasione prouisionis, vel appaltus niuis, habentur suprá *disc.* 46. Ac etiam occasione refectionis agerum, vel expurgationis locustarum, & similium, habetur paritèr infrà *disc.* 59. *& sub tit. de seruitut. disc.* 46. cum similibus.

Siuè quod isto casu, verè, & propriè, non esset exercere ius regale, sed potiùs cum prudenti, & œconomica administratione consulere indemnitati subditorum eo modo, quo supra *disc.* 44. *&* 45. *&* 125. habetur de annona.

Aut quod ista facultas non importaret ius regale actiuum, sed potiùs quandam franchitiam, seù passiuam exem-
6 ptionem ab eadem regalia, siuè ab illo onere, quod sub ea inesse dicitur, quod longè differt à iure actiuo, dum istud sine priuilegio explicito supremi Principis, vel illo implicito, quod in vim immemorabilis, vel centenariæ est allegabile obtineri non potest, & tamen de iure, præscriptio exemptionis per solam longissimam possessionem acquiritur, vt supra, hoc eodem titulo aduertitur.

Et nihilominùs, vbi etiam ius regale actiuum inesset, ratione impliciti vectigalis, vel gabellæ, quæ inest in pretio
7 extrinseco alterato; Adhuc tamen istud non de illis regalibus maioribus, quæ pernecesse insunt supremo principatui, à quo diuelli non possint, sed videtur potiùs ius regale medium, seù inferioris ordinis, quod non implicat obtineri etiã per Barones, & Domicellos, iuxtà *decis.* 56. *Franch.* cũ alijs relatis *sub tit. de feud. disc.* 63. *& seqq.* vbi de iure collectandi competente Baronibus, & Domicellis inferioribus; Verùm non videbatur opus assumere hanc prouinciam, quoniàm dum ex hac innouatione pro adeò modico emolumento, Camerales id motiuauerant, signum est, quod priùs nullum exindè reportaretur lucrum, seù emolumentum extrinsecum, sed verè, & pro-

propriè id redoleret dictam prudentem œconomicam administrationem, cum implicita exemptione, vel franchitia à vectigali, seù gabella generali principatus, ita obtinendo quodammodò francum, & pro solo pretio intrinseco illud victuale, quod alij subditi emere coguntur, pro pretio alterato, in quo inest vectigal.

Ad istius autèm iuris, vel facultatis comprobationem, ponderabam adamussim conferre ea, quæ habentur dicto di-
8 *scursu 63. de feud.* quod scilicèt talis facultas non proueniret à noua concessione Principis, sed à retentione facultatis antiquæ, non obstante deditione, dum illud dominium præsupponebatur antiquiùs, quàm esset erectio Ducatus Placentini, eodem modo, quo ponderatur per scribentes in celebri causa status Pallauicini relatos *eodem tit. de feud. disc. 74. in princip.* Vndè propterea quoad dictum ius, seù facultatem introducendi, & distribuendi videbatur, quod nulla caderet ratio dubitandi, quæ, (vt supponebatur,) tota consistebat in secundo puncto innouationis, dandi scilicèt hoc ius in appaltum negotiatoribus, pro dicta annua recognitione, seù responsione librarum 300.

Quatenùs itaque ad hunc secundum punctum pertinet, dicebam (etiam in sensu veritatis) quod cum ista concessio in appaltum, non importaret alteratio-
9 nem pretij consueti, nullum exindè resultaret subditorum grauamen, siuè alieni iuris vsurpatio, hinc proindè non videbatur, vbi nàm fundari posset delictū vsurpationis, vel exercitij iuris regalis; Cum etenim id potiùs importaret prudentem œconomicam administrationem, ex quodam implicito quasi contractu inter dominum, & subditos, ita eos prouidendi de hoc victuali cum vniformi, & non alterato pretio, ità instare dicebam ea, quæ habentur in eisdem terminis pretij salis supra *disc. 110.* quod scilicèt ista esset quædam species partiti, quod fieri solet cum illis negotiatoribus, qui viuanderij appellari solent, manutenendi exercitium, vel milites præsidiarios, aut classem maritimam, de victualibus, alijsque necessarijs, pro certo vniformi inalterabili pretio; Siuè, iuxta illam speciem appaltuum, furnorum, qui fieri solent in aliquibus Ciuitatibus, cum obligatione manutenendi in toto anno pretium vniforme panis venalis, siuè iuxtà casum, de quo *tit. de Canonic. & Capitul. disc. 7.* cum similibus, dum ità emi, ac respectiuè vendi dicitur incerta alea, quæ potest hinc indè se habere ad lucrum, & ad damnum, quoniam dari potest bona occasio emptionis salis in magna quantitate, vt vulgò dicitur, *all'ingrosso*, quodque nullum in eo cōtingat infortunium, vndè propterea iste prouisor vendendo ad minutum in aliquibus annis, possit esse in lucro; Et è conuerso in alijs annis in damno, quia ob sterilitatem salinarum, aliaué accidentia supra in huius materiæ discursibus pluriès enunciata, compellatur cariori pretio salem emere, vel quia ille ex aliquo accidenti pereat, vel aliud patiatur infortunium, ac propterea nil prohibet, quin ista administratio, quæ habet huiusmodi incertam aleam, & quā viro nobili non expediat facere per se ipsum, committatur negotiatoribus in materia magis peritis, qui huiusmodi aleam, seù euentualitatem in se assumant, dando, vel respectiuè recipiendo aliquā recognitionem; Adamussim iuxtà introductionem cursitationum, & postarum, siuè appaltus niuis, & similium, ex ponderatis suprà *disc. 46.* & alibi.

Et quamuis, ex plenè disputatis in *Romana census coram Bichio inter suas decisiones 571. & 606.* pateat, quod officia, vel appaltus sint de regalibus, supremo
10 Principi reseruatis, idque procedere etiam in appaltu niuis, latè comprobare conetur *Ganauer. decis. 16.* cuius contrarium probabiliùs videri in hoc vltimo præsertim casu appaltus niuis ostenditur *d. disc. 46.* Attamen quidquid sit de hoc puncto in genere, siuè in abstracto, admissaque etiam opinione, quod concessiones huiusmodi officiorum, vel appaltuum sint de regalibus, ista regalia consistere dicitur in ipso iure priuatiuo, quod scilicèt dum Princeps supremus, ex originario motiuo publicæ commoditatis, vel vtilitatis, rectæque administrationis Reipublicæ, istam curam, & administrationem in se suscepit, exercendam per eos, quibus ipse committat, non possint alij in hoc se ingerere; Ac propterea admittebam, quod in hoc iure priuatiuo, seù prohibendi consisteret regalia, sed istam in præsenti casu hic Domiecel-

micellus iam habebat, vt supra in prima inspectione; Et per consequens, an illam exerceret per famulos, & ministros, vel per Appaltatores id non facit differre specie, neque aliquam innouationem, seù alterius iuris regalis vsurpationem continet, vt contineret quando exindè resultaret aliqua alteratio illius pretij intrinseci, & naturalis, quod antiqua consuetudo, per supra enunciatum implicitum contractum, vel quasi inter Dominum, & subditos, taxauit, dum illud extrinsecum, seù accidentale pretium alteratum, quod ab hoc iure priuatiuo oritur, redolet aliam regaliam implicitæ collectæ, seú gabellæ, vt suprà.

Neque vim facere videtur, quod exindè notabile emolumentum Princeps, eiusque fiscus, vel Camera penè in om-
11 nibus principatibus hodiè reportare solet, vt docet praxis postarum, seù curfitationum, ac etiam appaltus niuis, vel appaltus Impressoris Cameralis, cum similibus, quoniàm id prouenit potiùs à casu, quod scilicèt illa introductio, quæ de eius tempore, vel initio, potiùs damnosa, & dispendiosa erat, ob excretum hominum luxum, siué ob industriam administratorum pro tempore, effecta sit lucrosa, sed non per hoc inesse dicitur vectigal, seù gabella, dum aliàs, si ità esset, sequeretur, quod pretium portus literarum, vel pretium niuis, vel impressionis illarum scripturarum, quæ per aliū imprimi non possunt, non deberet esse vniforme in exemptis, & immunibus, sicuti est in subditis, & tamen praxis penè vniuersalis docet contrarium, ex præmissa ratione, quod reverà est potiùs lucrum industriæ, vel excrescentiæ huius vsus, quod ita effecta sit lucrosa illa introductio, quę in eius initio erat damnosa, vt ponderatur *d. disc. 46.* Quotiès, (vt præmissum est) non adsit innouatio alteratiua pretij maioris, quod subditi, & alij, quamuis inuiti, soluere cogantur, ex sola ratione iuris priuatiui, seù prohibendi.

Demùm quoad tertiam inspectionem suspicatā, vel possibilis fraudis, quæ resultaret appaltui Ducali, ob distributionem, quæ ita fieri potest, ex industria
12 Appaltatorum in alijs locis conuicinis; Obseruabam adamussim congruere ea, quæ ex celebri *consilio 156. Soccin. lib. 2. & ex cons. 414. Anchar.* & alijs, in specie salis habetur superiùs ponderata *disc. 159.* quod scilicèt ista possibilitas apta esse potest parere in Appaltatoribus actionē, vel exceptionem desalchi, quotiès immutatio proueniat à facto ipsius Locatoris, vel etiam tertij, quem ipse prohibere potest, & non prohibet; Non autèm, quod exercente aliquo ius suum, eo modo, quo excrcere potest, atque concedente solam hanc administrationem in proprio territorio, si ille, cui administratio datur, malè agat, atque sibi præfinitos fines egrediatur, vt ad aliquid teneri debeat ipse dominus, dum iste solùm cogi potest prohibere eius conductori, vel ministro, nè id agat, eiusque culpa atlesse dignoscitur, quando possit prohibere, & non prohibeat, iuxtà dictas auctoritates *Soccini, & Ancharani, cum alys d. disc. 159.*

Ad quod comprobandum, congruit practicum exemplum illius, qui sit solitus colere, & administrare propriam vineam per se ipsum, eiusque famulos, & operarios, quoniàm si mutato consilio, illam concedat alteri, sub nomine locationis, vel coloniæ, isteué conductor, vel colonus, quia sit fur, damnum inferat in vineis vicinis, huic furto commoditatem sibi præbente vinea, quam habet conductam, non exindè inferri poterit, quod locator in aliquo delinquerit, sed solùm poterit ipse cogi, vt puniat, & prohibeat, & quatenùs cum prohibitione, vel punitione non consulatur cogi potest, vt illum remoueat, non autem, vt exindè ipse dicendus veniat criminosus, & punibilis, per solū actum locationis, isteque videbatur casus præcisus; Et per consequens concludendo, nisi aliæ adessent ignotę facti circumstantiæ, mihi videbatur, quod molestiæ essent indebitæ; Incertum tamen est, quid sequutum sit.



DISC.

DISC. CLXIX.

Romana Portæ Sancti Pauli.

PRO

Iuliano, cum Carolo, & Ignatio de Capranica.

Casus decisus per Rotam pro Iuliano.

De eadem materia, de qua suprà *disc. 5.* an officia sint ad vitam, vel transmissibilia ad successores; Et quando omissa mentio litis obstet gratiæ, & aliqua de Constitutionibus reuocatorijs:

SVMMARIVM.

1 *Solent in Vrbe nobiles habere officia meccanica ad vtilitatem.*
2 *Super officijs solent etiam imponi census.*
3 *Facti series.*
4 *Resolutio.*
5 *De generalitatibus super exequutione literarum Apostolicarum, & quòd debeant præsupponi.*
6 *De stylo interlineandi in supplicationibus ea, quæ concedi nolunt.*
7 *Officia de eorum natura sunt personalia, & ad vitam.*
8 *Habens pro se regulam, dicitur habere intentionem fundatam.*
9 *De adminiculis facti, quod concessio esset personalis.*
10 *Quando omissa mentio litis non præiudicet gratiæ.*
11 *De Constitutionibus reuocatorijs concessionum officiorum.*
12 *Quando concessio dicatur ex causa onerosa:*



DISC. CLXIX.



1 CVM ex Vrbis consuetudine enunciata suprà *discursu 2. & disc. 21. & in alijs*, etiam viri nobiles quædam officia mecanica acquirere, ac retinere soleant ad solum emolumētum, exercitio penès famulos, vel conductores residente, illaque soleant etiam esse per-
2 petua, vt propterea super eis imponantur census, vt *disc. 19. de Cens.* Hinc Angelus nobilis Romanus de familia Capranica, de qua agitur *disc. 106. de fideicōmiss.* de anno 1563. ex causa resignationis onerosæ ad fauorem à possessoribus; tanquàm per speciem illius emptionis,
3 de qua in præcedentibus pluriès obtinuit à Pio IV. concessionem officij Custodis Portæ S. Pauli ad eius vitam, vt concedi in præteritum cōsueuerat, deindèque de anno 1565. in gratiam familiaris eiusdem Papæ, intuitu cuiusdam summæ eidem familiari solutæ, obtinuit prorogationem ad vitam Dominici, sed in supplicatione signata per concessum, pro quodam stylo tunc currente, adiecta fuerunt verba denotantia perpetuitatem pro omnibus eius filijs, & descendentibus.

Defuncto verò Angelo, Dominicus officij possessor à Gregorio XIII. de anno 1577. obtinuit aliam prorogationem ad vitam Andreæ filij, contra quem post mortem patris, alij filij, & nepotes respectiuè, prætendentes in vim dictæ secundæ concessionis Pij, eoequale ius habere, litem desupèr introduxerunt in Camera, qua pendente, Andreas de mense Maij 1621. facta litis mentione obtinuit à Gregorio XV. prorogationem in persona Hyacinti filij primogeniti, cum facultate, vt emolumentorum participationem alijs filijs concedere posset, vt in testamento fecit, atque de mense Iunij sequentis eiusdem anni proposita causa in Camera, prodijt resolutio, vt dicta concessio Pij esset ad vitam non autem perpetua, neque vlteriorem progressum lis habuit; Sed de anno 1653. Hyacintus prole carens obtinuit ab Innocentio X. aliam prorogationē in persona Iuliani filij Bartholomæi vnius ex dictis

dictis collitigantibus; Quarè sequuto eius obitu, dicto Iuliano petenti coram Vicegerente literarum Apostolicarum exequutionem, pro adeptione possessionis officij, Carolus, & Ignatius Hyacinti fratres, egrè ferentes amissionem dictæ participationis, se opposuerunt excitando dictam prætensionem perpetuitatis, eorum tamen prætensione non obstante, prodijt sententia super exequu-
4 tione. Commissaq; per Signaturam Iustitiæ causa in Rota *coram Taia*, cū clausula translatiua exequutionis, *parito literis arbitrio*, sub die 15. Martij 1675. Iuliano fauorabilis prodijt resolutio, pro exclusione arbitrij.

Præsuppositis itaque consuetis generalitatibus, super quibus, pro corrupto, inepto quidem stylo moderno, fieri so-
5 let inanis chartarum repletio, quod scilicèt literæ Apostolicæ iustificatæ habeant exequutionem paratam, nō retardandam, per exceptiones dubias, & altioris indaginis, quodque arbitrium reguletur à iure, ideòque non interponendum, nisi quando incontinenti constet de vitio gratiæ, cum similibus cantionibus, quas, vtpotè notorias, & quotidiè decantari solitas, sufficere deberet breuitèr indicare, ac præsupponere, nulla penitùs allegationum dote eis atributa; Punctus erat in obiectis, quæ duo erant; Vnum scilicèt dictæ prætensæ perpetuitatis, & concessionis coequalis fauore omnium, & alterum inualiditatis ob non factam mentionem litis pendentis in Camera; Neutrum tamen in vtraque instantia scribens pro Iuliano, subsistentiam aliquam habere dicebam.

Quatenùs enim pertinet ad primum; Quamuis inter causæ patronos, aliosque scribentes hinc indè, nimium certaretur super formalitate verborum supplicationis, quod scilicèt in aliquibus partibus diceretur pro Dominico ad eius vitam tantùm, in alijs verò diceretur generalitèr pro filijs, & descendentibus, ac scilicèt ista posteriora verba censerentur
6 deleta per quædam signa in forma crucis, cum nolita cassari, seù interlineari, aut aliàs signari soleant, iuxtà stylum, de quo fit mentio *disc.65. de testamen. & disc.36. de benefic. ac etiam disc.9. in relat. Cur. & alibi*, vt probabiliùs videbatur.

Dicebam tamen, opus non esse in hoc principalitèr insistere, cum negari non posset, quin ex huiusmodi contrarietate, dubietas resultaret, idque sufficiens esset, vt pro consueta vitalitia qualitate, ac restrictione ad vitā Dominici, respondendum esset, tàm ex iure, quàm ex facto, eiusque adminiculis, & argumentis.

Ex iure scilicèt, quoniàm regularitèr officia illa præsertim, quæ aliquod in-
7 dustriæ, vel fiduciæ personalis ministerium annexum habent, sunt personalia, & ad summum, ad vitam, cum quandoque etiam manualia esse soleant, ex plenè deductis *per Barbos. in l. quidam tale num.78. ff. solut. matrim. Ciriac. contr.298. num.1. & 2.* cum alijs, de quibus suprà *disc.5. in principio*, vbi ampliatur, id procedere quamuis adesset dictio, *in perpetuū*, super quo pro consueto collectorio more multa colligūtur per ibidē allegatū *Pratū disceptat.18.n.72.vol.2.* Et in indiuiduo huius casus *Spad. cons.146. lib.1.* qui tanquàm Aduocatus Cameræ scripsit in dicta causa de anno 1621.

Illa verò est regulæ legalis frequentèr enunciata operatio, præsertim *disc.22. de iudic.* vt fundet intentionem eius, cui assistit donèc probetur limitatio, quæ non præsumitur, sed per allegantem pro-
8 banda est; Multò igitur magis, vbi eadem regula comprobata remaneat à praxi, vel obseruantia generali Curiæ, de qua suprà *disc.1. cum pluribus seqq.* ac etiā à particularibus huius officij, quod de præterito ita conferri consueuit, itaquoque eius qualitate, seù ministerio exigente, cum quandam administrationis speciem habeat, vt distinguendo aduertitur *d. disc.5.*

Ex facto quoque idem comprobari obseruabam. Primò nempè, quoniàm in mandato de obseruando, quod illicò
9 de anno 1565. expeditum fuit per Camerarium, cum prorogatione ad solam vitam Dominici, ideòque tanquam obseruantia valdè proxima, nimium attendenda est.

Secundò in idem, quoniàm in annotatione in libris Cameræ paritèr ad solā personam Dominici fit restrictio; Tertiò, quia de tempore recenti intrà spatium scilicèt duodecim annorum, & minùs idem Dominicus rectè consciùs qualis esset gratia sibi concessa, prorogationem

ad

ad vitam Adrea obtinuit à Gregorio Decimotertio contra omnem verisimilitudinem, præiudicando alijs filijs, & descendentibus proprijs.

Quartò, ob dictam resolutionem huius Tribunalis, & Cameræ, cum subsequuta acquiescentia; Quintò in idem, quia idem Bartholomæus, qui cum alijs litē in Camera substinebat, vt suprà, curauit obtinere dictam prorogationem ad fauorem eius filij tunc infantis, quibus omnibus simul iunctis, tàm in facto, quā in iure ità res videbatur omninò plana; Adeòut sufficeret hæc obseruantia, quãuis non esset temporis valdè considerabilis, vtpotè interpretatiua, ex deductis *disc.21. de iudic.* multò magis, dum erat per sæculum, & vltrà, adeòut intrarent etiam termini obseruantiæ præscriptiuę; atque ad hunc effectum sufficiebat vltimus status, iuxtà deducta *disc.104. de feud. disc.15. de iurepatr. & sæpiùs sub titulo de benef.*

Quoverò ad alterum obiectum non factæ mentionis litis, tres adhibebantur responsiones; Primò nempè, quod ipsi
10 non essent legitimi contradictores, vtpotè nullum interesse habentes, dum eorum ius non aderat ex dicta concessione, vt suprà, minusque aliquod ius prætendi poterat ex dicta participatione emolumentorum, cum illa non tangat substantiam officij, neque aliquod ius in re, vel ad rem tribuat, aut liberam vacationem impediat, sed solùm contineat grauamen ipsius officialis, vt emolumentorum participationem alteri tribuere debeat, ex ijs, quæ pluriès habentur in præcedentibus, respectu eorum, qui pecunias tribuant ad emptionem officij in persona alterius pro commodo emolumentorum, ac etiam in proposito participationis appaltuum, habetur *disc.27. de locato*, & alibi pluriès.

Secundò, quod lis per silentium triginta annorum, & vltrà, stante præsertim malo iure, tanquam habita pro derelicta de tempore huius gratiæ, dici poterat deserta, ideòque illius mentio facienda non erat, ex ijs, quæ habentur *disc.92. de beneficijs*, & alibi.

Et tertiò, quoniàm iuxtà plenè firmata apud *Bich. decis.286. & 301. & disc.66. de feud.* & alibi pluriès, tunc omissa litis mentio subreptionem causat, quando per illam, aliquod ius alteri quæsitum sit cui gratia præiudicet, secùs autem vbi per nouam gratiam in nihilo collitiganti præiudicetur.

Fortiùs verò, pro exclusione oppositorum procedere dicebatur stante super-
11 uenta de anno 1624. Constitutione 39. Vrbani Octaui reuocatoria huiusmodi concessionem officiorum in perpetuum; Et quamuis in contrarium nimium insisteretur in eo, quod Constitutio reuocat concessiones, ex gratia, non autèm illas, quæ sint ex causa onerosa, & correspectiua, cum tunc iustitiam potiùs redoleant, ex ijs, quæ in proposito consimilium Cōstitutionum reuocatoriarum habentur *disc.4. de feud. & suprà hoc titulo disc.47. & 56.* & alibi; Ac etiam *sub tit. de iurepatron. disc.10. & 65.* & alibi; Attamèn erat leue fundamentum, quoniàm id rectè procedit, quando onus, vel correspectiuitas sit ad fauorem ipsius Cameræ, iuxtà casum, de quo *dicto disc.4. de feud.* ac etiam supra *disc.47.*
12 *& 56.* cum similibus, cùm ità esset violare iustitiam, & æquitatem, obtinendo rem, & pretium; Secùs autem, vbi ex parte Cameræ concessio sit gratuita, quãuis ex parte concessionarij sit onerosa, ob pretium solutum priuato, cui Pontifex gratificari voluerit, cum tunc dicatur etiam pura gratia facta per personam Pontificis, ad cuius commodum re verà cedit, & à quo potiùs gratiatus obtinere dicitur; Ad instàr eorum, quæ *sub tit. de Dote disc.30. & 154.* & alibi, habentur de dote, quæ vni contemplatione alterius detur, vt dotata non à dotante, sed à contemplato potiùs obtinere dicatur, cum similibus.



DISC. CLXX.

Meleuitana Depredationis.

Responsum pro veritate ad petitionem incerti recurrentis.

De represalijs, vel depredatione bonorum, quæ iure belli fiant contra subditos infidelium, vel inimicorum, quamuis ipsi bonorum Domini sint fideles, vel respectiuè bellum non exerceant; Et quod inter subditos Principum Christianorũ, inter quos vigeat bellum.

SVMMARIVM.

1 *Casus controuersia.*
2 *De materia* Tex. in cap. 6. *de Iudeis, super Christianis, qui ope ferunt infidelibus.*
3 *De dominio bonorum, quæ occupentur iure belli.*
4 *Quod ista non sint quæstiones Iuristarum.*
5 *In hac materia non attenditur diuersitas Religionis, sed alia ratio.*
6 *De publica, & generali inimicitia cum Turcis, & prohibito cum eis commercio.*
7 *Quare eorum commercium habeatur in portubus, & emporijs, & quomodo permittendum.*
8 *Quod, quandoque inimicorum subditis prohibeatur commercium, & quare.*
9 *An liceat depredari personas, & bona subditorum Principis inimici.*
10 *De modo intelligendi dubia Doctorum, vel leges.*
11 *De eodem, de quo num. 9. & quid si non sit subditus, sed adhærens.*
12 *Quod in hac materia non debeat procedi cum legibus ciuilibus Digestorum, & Codicis, & de ratione.*
13 *Et cum quibus legibus procedi debeat.*
14 *De legibus Maris, vel nauigationis.*
15 *Distinguuntur species inimicitiæ.*
16 *De depredationibus inter Christianos inimicos iure publico.*
17 *De eisdem iure priuato.*
18 *De depredationibus infidelium, vel eorum subditorum.*
19 *Quid de Christianis subditis Turcarum.*
20 *Quod etiam in pugna inter singulas naues intret ratio belli.*
21 *An depredationi, vel represalijs in Mari obstet ratio violationis libertatis naturalis.*
22 *Quando laicis concedatur cognoscere de statu personarum, an sint fideles, vel infideles, vel Schismatici.*

DISC. CLXX.



VM, vltrà Sacræ Religionis Hierosolymitanę triremium classem, quæ contrà infideles, ad eos coercendum, né fideles infestent, atque in serui-
1 tutem redigant, mare cursitare solet, quamplures adsint in eadem Insula Meleuitana belligeræ naues, quæ ad differentiam aliarum, quæ gratia mercium vehendarum tenentur, piraticæ dicuntur, eandem facientes cursitationem, incertæ belli alcæ expositæ, quod scilicèt cum Turcarum nauibus maritimum ineuntes bellum, capiant, vel capiantur; Contingat autem, aliquas, ex Græciæ, & Armeniæ, aliarumque partium, Tur-
2 carũ imperio subiectarum, naues Schysmaticorum, vel Catholicorum Christianorum Mercatorum reperiri, cum quibus, vtpotè fidelium amicorum non ferentibus vexillum, sinè ob vexilli suspicatam simulationem, pati nolentibus illam visitationem, seù recognitionem; quam leges, vel consuetudines nauigationis permittunt ad effectum recognoscendi, an verè fidelium, vel infidelium sit; Et quatenùs etiam sit fidelium, an in eis infidelium hostium personæ, vel bona adsint pro eorum deprædatione, ac respectiuè seruitute, ideòque contingat haberi pugnam, dictasque naues in propriam reduci potestatem, ac deprædationem, atque ad eam impediendam obijci soleat de ipsorum fideli qualitate, quodque tanquàm Christiani subiacere nòn debeant illis depredationis legibus, quibus infideles hostes subiacent; Hinc proindè ad eas dirimendas quæstiones, quæ desuper oriri solent, plurium Curię Aduocatorum consilium pro veritate expetitum fuit super quatuor dubijs, per hæc præcisa verba conceptis.

Primò

Primò, an depredari possint per triremes, vel pyraticas naues Insulæ Melcuitanæ personæ, & bona Christianorũ Schysmaticorum, quæ reperiũtur in triremibus, vel nauibus Turcarum, quorum sint subditi, vel etiam in nauibus ipsorum Christianorum subditorum, Tyranni Turcarum.

Secundò, ad quem Iudicem pertineat cognoscere de Schysmate.

Tertiò, an Christiani, etiam Catholici, Turcarum subditi, qui voluntariè arma sumunt contra Christianos, possint in persona, & bonis deprędari.

Et quartò super modo probandi dictam voluntariam assumptionem armorum.

Cumque in eadem notula in dubijs data, insinuaretur *Textus in cap. ità quorũdam 6. de Iudeis*, quasi quod ab eius dispositione, vel intelligentia penderet
2 dubiorum resolutio; Hinc inter alios Ego consultus, prius quam ad dubiorum examen descenderem, præmittebam, extraneos esse à casu quæstionis terminos dictæ decretalis, ac propterea, superfluum, inanemque laborem remanere illum aliquorum desupèr respondentium, qui cum perpetuò damnanda, & contemptibili chartarum inutili repletione, deducebant ea, quæ ad eiusdem Textus materiam plenè colligit, elaboratus modernus *Gonzal. in repetit. eiusdẽ Textus*, recensendo decreta quampluriũ generalium, vel nationalium conciliorum, pluresque Summorum Pontificum antiquas, medias, ac etiam modernas Constitutiones.

Omnes etenim percutiunt casum longè diuersum, vbi scilicèt illi Christiani, qui sub Principum Christianorum dominio viuant, ab auaritia excæcati, turpis lucri gratia, mercando, siué ex odio, vel ęmulatione, cum altero Christiano Principe, communibus hostibus infidelibus, opem præstent cum armis, vel nauibus, aut victualibus, adeòut actus sit ex sui natura criminosus, ideòque subiectus tot poenis, quæ in conciliaribus, vel Pontificijs decretis, & legibus continentur, inter quas ista est, vt in seruitutem redigi valeant, atque naues, & bona depredari; Ad praxim deduci non solita dicta poena personali seruituris; Non quidèm ratione consuetudinis, vt Christianus Christianum seruum non faciat, vt aliqui putant, sed potiùs ratione poenæ maioris, cui per dictas leges, ac etiam per illas Principum sęcularium subiacent etiam capitali; Verùm id nil commune habet cum casu quæstionis, dum huiusmodi orientales Catholici, vel Schysmatici Christiani, Turcarum imperio, vel Tyrannidi subditi, cum eis necessarium habent commercium, atque non gratia præstandi opem infidelibus; sed gratia negotiationis, & mercaturæ, in proprijs, vel in illis infidelium nauibus nauigationem ineunt.

His autem, pro æquiuocis tollendis, ità prænotatis; Quatenùs ad præmissa pertinet dubia, vt oportunè in casu præciso quæstionis resoluenda essent, obseruabam, ea quoque malè concepta videri, siué quod tria posteriora essent super-
3 flua, & præsertim, tertium, & quartum, cum tunc respectu bonorum, etiam inter nostri pacifici commercij Catholicos, ius, vel ratio belli, id concedat ex ijs, quæ in hac materia dominij, vel acquisitionis bonorum in conflictu belli, habentur deducta *sub tit. de feud. disc. 58.* quotiès eiusdẽ belli iustitia verificetur, adeòut iusta adsit causa pugnæ; Secus autem, vbi potentioris nauis pugna, contrà aliam excitata, iniusta, & illicita sit, adeòut pyraticum potiùs crimen redoleat, vt in ijs contingit nauibus, quæ sint subditorum eiusdem Principis, vel alterius eius amici, adeòut, liberum inter Prouincias, vel nationes adsit commercium, dum ad effectum, vt ius, vel præmissa belli ratio intret, istius requiritur iustitia, cuius illud est principale requisitum, vt sit publicum, ab eo indictum, qui hoc regale ius habeat publicum indicendi bellum.

Et quamuis istud solùm requisitum non sufficiat, nisi etiam alterum iustæ causæ accedat, nè alias tyrannidis potiùs motiuum habeat; Attamèn, vt aduertitur *d. disc. 58. de feud.* ista inspectio cadit respectu ipsiusmet Principis, vel alterius belli auctoris; Et nihilominùs etiam isto casu nulla, vel nimium rara est praxis,
4 vt in ijs, quæ ad externum pertinent forum, iuridicæ regulæ, vel propositiones huiusmodi quæstiones decidant, cum ea, quæ vltima dicitur ratio rerum, earum potiùs Iudex, ac decisor sit, vt alibi

quoque aduertitur præsertim *sub titulo de Dote disc.146. num.16.*

Prout incongruum aduertebam esse secundum dubium, vel quæsitum super competentia cognoscendi de qualitate Schysmatis, siuè de eiusdem iustificatio-
5 ne, quoniàm in hac materia sola diuersitas religionis absq; publicæ inimicitiæ qualitate, non attendatur, nihilque operetur, & per consequens vbi etiam notoriè Schysmatici, quinimò Hæretici sint, & quod magis est etiam infideles, qui sub Christiani Principis amici dominio viuant, atque pacificum habeant commercium; Quinimò, & ipsimet Turcæ, seù alij Maomettanæ Settæ sequaces ad pacificum admissi commerciū, huiusmodi non subiacent licitis depredationibus, adeòut illæ, quæ sequantur illicitæ, & pyraticæ potiùs censendæ sint, ex ijs, quæ apud inferiùs allegandos communitèr firmantur, & per consequens non videbatur adquid huiusmodi iurisdictionis, vel competentiæ assumeretur quæstio, quam vnicè ad primum mihi videbatur quæsitum restringi.

Quatenùs itaque ad illud pertinet, cùm duplici pertractandum esse inspectione, obseruabam. Primò nempè pragmatico, seù leguleico stylo per doctrinas, & auctoritates; Et secundò, cum altero magis geniali, longèque meliori ratiocinatiuo.

Primò itaque pragmatico, seù doctrinali stylo attento, tanquàm absoluta, & notoria præsupponenda est publica ini-
6 micitia, quę generalitèr viget inter Christianos, & Turcas, magis verò quoad istam Religionem, cuius peculiare institutum est, militandi contra huiusmodi infideles, cum quibus, eorumque Principe generalitèr omnibus Christianis prohibitum est commercium, iuxtà decreta conciliaria, & canones, ac pontificias Constitutiones, de quibus suprà, & plenè habetur apud *Borell. de præstantia Regis Catholici c.32.n.178.& seqq.* vbi generalitèr de iustitia belli cum Turcis.

Et quamuis in aliquibus portubus, vel emporijs huiusmodi infidelium commercium habeatur, non tamen id præmissam tollit genericam inimicitiam, seù hostili-
7 tatem; Tùm quia commercij libertas non prouenit ab amicitia, vel qualitate personarum, quotiès specialis conuentio non accedat, sed prouenit à qualitate loci, vt scilicèt tanquàm in quodam asilo omnes tuti sint, iuxtà ea, quæ de publicis portubus, eorumque securitate habentur suprà *disc.129.* Tùm etiam quia interdictio commercij est, nè Christiani infidelibus opem ferant, atque fruges, vel merces, & arma eis tribuant, & nè ità potentiores fiant, non autem, vt ipsi infideles pro nostro seruitio, & commoditate ad nostras deferunt regiones ea, quibus caremus, iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. de Dote disc.23. & 143. num.31. & 38. cum seqq.* Quotiès tamèn personale commercium aliquam in fide, vel moribus labem inferre non possit, siuè quod polytica ratio status non prohibita, etiā in portubus commercium ratione explorationis propriarum virium, & status rerum, vel ratione exhauriendi à principatu pecunias, cum venditionibus mercium, iuxtà ea, quæ generalitèr etiam inter ipsosmet Christianos Catholicos de prohibitione commercij in proprijs portubus, vel emporijs, alijsque locis sub-
8 ditorum Principis inimici, habentur apud *Larr. allegat. fiscal. 17. & seqq.* & alios pluriès in præcedentibus recensitos, hoc eodem *tit. & præsertim disc.159.* vbi de dictis allegationibus *Larrea*, occasione agendi de materia defalchi, quod per dohanarum & vectigalium Appaltatores prætendi solet, ob huiusmodi commercij interdictionem.

Posito itaque inimicitia, seù hostilitate inter Principes, absque distinctione fidelium, vel infidelium, disputant DD.
9 an liceat represaliare, seù depredari personas, & bona subditorum Principis inimici, etiam extrà aciem Castrorum, vel conflictum belli; Atque in hoc omnes agnoscere videntur iu primum auctorem, seù antesignanum *Innocentium in cap.olim il primo num.9. de restit. spoliat.* vbi proposita quæstione, affirmatiuam ponit, deindèque subiungit, quod aliqui dubitant, seù negant, quotiès id sequatur extrà Castrorum aciem, & belli conflictum; Atquè exindè nostri, pro consueta leguleica, verèque contemptibili ineptia disputant, quam ex his huiusmodi opinionibus ipse *Innocentius* tenear; Aliqui etenim opinantur, vt teneat posteriorem, ex magis communitèr recepta propositione pluriès insinuata, quod Doctor cense-

censetur tenere eam opinionem, quam vltimo loco refert; Alij verò volunt, quod ipse pro suo sensu in prima parte id affirmet, solùmque deindè referat dubitantes absque eo, quod ad adhęsionem inferri possit, quasi quod ageretur de lege indncente auctoritatem necessariam, quodque ab vno, vel altero dicto, vel sensu vnius Doctoris, pendere debeat
10 veritas, & iustitia rerum, quo nil ineptiùs; Vndè propthereà, iuxtá dictum Conciuis Horatij, risum, ac bilem, eodem tempore promouēt huiusmodi simplicitates, quæ nimium frequentes dignoscuntur in magnis quęstionibus, quas nostri assumere solent super interpretatione ambigui dicti alicuius Doctoris, qui subobscurè loquutus fuerit, vt præsertim apud Regnicolas feudistas dignoscitur super doctrinis, vel traditionibus *Andr. de Isern.* de quo dici solet, quod non disputatur, an benè, vel malè dixerit, sed an dixerit.

Vt enim aduertitur *sub titulo de iudic. disc.35. & alibi*, in authenticis, & obligatorijs legibus, quæ necessariam faciūt auctoritatem, vbi ambiguæ sint, atque plurium intellectuum sint capaces, tunc tolerabiles videntur huiusmodi quæstiones, non tamen commendabiles, quoniám stante quæstione adeó controuersa, præsertim inter interni fori professores, an lex sit solus effectus potestatis legislatoris, non curata ratione, vel potiùs sit effectus mixtus, potestatis, & rationis, vt proptereà vtriusque requisiti copulatiuus accedere debeat concursus; Quando etiam ea tenenda sit opinio, quam meritò externus forus magis recepit, vt sit effectus potestatis, quodque proptereá legis virtus, vel operatio sit, vt quamuis dura seruari debeat, cum subditis tribuenda non veniat licentia, inquirendi de rationabilitate, vel irrationabilitate legum proprij Principis, vel Superioris, atque itá Iudices se constituendo, sub prætextu irrationabilitatis, eas spernere, vel non seruare; Attamèn in Doctorum non necessarijs, sed probabilibus traditionibus, stultitiæ, vel bestialitatis species videtur, adeò mordicùs in litera, vel in vna, siuè altera eorum dicti interpretatione ad limites verborum, vel ordinis scribendi insistere, & an ex duabus relatis opinionibus vnam, vel alteram teneat, dum isto casu, in quo necessaria deficiat legis auctoritas, rationes, & principia iuris potiùs attendi debeant, *vt d. disc.35. de iudic.* aduertitur.

Et nihilominùs, vbi etiam cum ista ineptia procedendum esset, aduertebam, quod magis cōmunitèr receptum est, vt sensus *Innocentij* sit iuxtà primam partem
11 affirmatiuam sui dicti, ex ijs, quæ alijs relatis plenè firmant in eodem casu scribentes *Lanar. cons.*84. *& Apont. cons.*93. *lib.1. idem Apont. in tract. de potest. Proregis*, (vbi magis quám in consilijs attendi debet) *tit. de triremib. num.*12. *Loffred. cons.*45. *num.*4. *Conarr. in regul. peccatum par.*2. *§.* 9. *sub num.*4. *vers. hinc denique*, *& §.* 10. *num.*2. *cum seqq.* qui per modernos, & præsertim morales reputari videtur in materia magister, atque laté prosequuntur, & comprobant *Mastrill. decis.*254. *ex num.*41. *& Castill.* pro more penè transcribendo *decis.*107.*lib.*2.*Reuerter. dec.*76. *ibique de Marin. in add. Rocch. de officijs, seù Magistrat. tit. de præda bonorū §.* 2. & plenè Magister meus *Arias de Mesa lib.*2. *var. cap.* 23. *vbi num.*21. *cum seqq.* benè assumit materiam represaliarum, iuxtá earum diuersas species, ac potestatem eas faciendi, vel indicendi, atque cum ijs procedere vidētur *Castropal.* & alij morales, quorum vnum dixisse sufficit, vt reliqui de more transcribendo sequantur; In ijs tamen, quæ externum percutiunt forum, non multum eorum curata auctoritate, vbi illam forensium habemus; Eam pro interno foro, vt decet venerando, inter quos *Diana par.*11. *tract.*3. *resol.*1. multa colligit in ista materia, præsertim circà capturam personarum.

Quinimò quod magis est, non desunt volentes, vt etiam id procedat in personis, vel bonis eorum, qui non sint subditi Principis inimici, ei tamèn adhæreant, atque secum habeant commerciū, vt in specie bonorum cuiusdam Ianuensis existentium in triremibus, vel nauibus Regis Gallorum depredatis, vel milites Regis Aragonensis, ex eadem auctoritate *Innocentij*, & sequacium; *Grammatic. consil. ciuil.* 24. *num.*6. cum quo pertransit *Constant. in l. vnic. C. de Class. lib.*11. *num.*134.

Hactenùs agendo de articulo cum solo pragmatico stylo, iuxtà primam inspectionem,

ctionem, in parte scilicèt doctrinali, & cum solis auctoritatibus, & traditionibus in litera; Assumendo veró alteram longè meliorem inspectionem ratiocinatiuam, quam cessante lege clara, & expressa, omninó attendi debere obseruabam; Prorsùs improbabile videtur in hac materia procedere, cum ijs, quæ di-
12 sposita legitur in legibus ciuilibus Digestorum, vel Codicis, vt plerique faciunt in illatū legum litera, vel interpretatione, aut inductione principalitèr immorando, siuè in ijs primorum glossatorum, & interpretum traditionibus, quæ excusabilitèr ab eis datæ fuerunt in scholis, & Cathedris, vt scholares instituerent.

In illo siquidém septem circitér sęculorum spatio, quod intercessit inter prædictarum legum compilationem, quæ de Iustiniani Imperatoris facta fuit in Græcia, & earundem legum casualem inuentionem pluriés recensitam, & præsertim *tit. de seruitut. disc.1.* Magna in hac præsertim nostra occidentali Europa sequuta fuit, legum, & morum immutatio; Magnaque etiam viget differentiæ ratio inter ea tempora, in quibus leges Digestorum, præsertim, ac etiam aliquæ Codicis, Romæ conditæ fuerunt, quando Romanum Imperium, iuxtà Romanorum prætensionem, in toto Orbe vnum constituebat Principatum, adeóut omnes illi, qui alios in Nauibus deferrent vexillos, quam illos Populi, vel Imperij Romani, pro hostibus, vel rebellibus haberentur, & tempora nostra, in quibus habetur tanta diuisio Principatuum independentium, adeòut quilibet Princeps prætendat esse Imperator in suo principatu, in quo tantam habent potestatem, quantam Imperator in suo imperio, vndè propterea, vt etiam aduertitur suprà *disc.161.* & alibi pluriés, tot sunt Mundi diuersi, quot sunt principatus.

Isto etenim rerum statu attento, procedendum est cum scriptis, vel non scriptis legibus cuiuslibet Principatus,
13 quæ sine dubio præualent dictis legibus ciuilibus, quæ apud nos, potiùs ex populorum vsu, ipsorumque Principum tacito consensu, quám ex auctoritate per Iustinianum Imperatorem illis attributa, vim legum habent, ac propterea in subsidium attendendæ sunt, quando propriæ deficiunt leges.

Potissimè veró, & clariùs in hac materia nauigationis, de qua præfatæ leges non multùm agunt, eaque magis regulatur à quadam recepta consuetudine
14 nauigantium, siuè ab illis conuentionibus, quæ per aliquas nationes habitæ fuerunt, & ab alijs postmodùm acceptatæ vulgo nuncupatæ, *il Consolato del Mare* de tempore, quo viuebatur sine dictis legibus, dum earum inuentio adhuc sequuta non erat, atque respectiuè adhuc non erant communitèr receptæ, vt occasione agendi de Consolatu in materia assecurationis, aduertitur *sub tit. de Credito disc.106. & seqq.*

Quarè pertractando materiam, vt decet iuxtà currentium temporum leges, vel mores, aduertebam, distinguendum
15 esse inter illam inimicitiam accidentalem, quæ ratione belli habeatur inter Principes Christianos Catholicos, & respectiuè hæreticos, vt (ex:gr:) in eodem genere catholicorum, iuxtà præsentes contingentias contingit inter Reges, Catholicum, & Christianissimum; Et in eodem genere hæreticorum inter Anglos, & Olandienses, cum similibus; Et alteram inimicitiam naturalem, ac fixam, communem, & generalem inter Christianos, & Turcas, vt suprà.

Quatenùs enim pertinet ad primam speciem, distinguendum videtur inter casum, in quo represaliæ, vel deprædationes personarum, & bonorum subditorum Principis inimici, fiant á Nauibus, & militibus eiusdem Principis, in ratione publica, & illas, quæ è conuersò fiant ab eiusdem subditis priuatis, qui priuato iure hanc piraticam artem exerceant, per quandam speciem mercaturę, & negotiationis.

Primó etenim casu, ex quadam communi consuetudine, quam asserit, vel
16 præsupponit *Aponte d. cons.63. num.18.* receptum videtur, vt quilibet ex Principibus, inter se inimicis, subditos proprij inimici insequatur, eisque commercium prohibere, vel impedire curet, ex eiusdem belli, vel publicæ inimicitiæ, aut status ratione, ad eneruandum scilicèt, vel debilitandum vires ipsius Principis inimici, dum Principum potentia á subditorum diuitijs, ac industrijs, in

magna

magna parte prouenit; Adeòut, iuxtà notoriam praxim impediatur etiam terrestre commercium, gratia simplicis itinerationis, pro qua oportet obtinere assecurationes, & saluos conductus; Multò verò magis vbi deprædatio sequatur in ea parte maris, quæ sit sub ipsius Principis iurisdictione, cum tunc intret altera ratio violationis interdictionis commercij, quæ iuxtà solitum sequuta sit.

Vbi verò casus contingat inter priuatos, qui ad priuatam vtilitatem, ex præ-
17 missa industriæ, & mercaturæ ratione, istam exerceant piraticam artem; Et tunc altera intrat distinctio, an id fiat, de eiusdem proprij Principis licentia, & auctoritate sub eius vexillo, iuxtà frequentiorem praxim, cum obligatione cõtribuendi publico ęrario aliquam deprędationum portionem, iuxtà diuersas locorum consuetudines; Vel potiùs, omninò priuato iure id fiat; Vt scilicèt primo casu procedat idem, quod supra in ipsomet Principe dictum est, ex vulgato legali axiomate, quod omnia nostra facimus, quibus nostram impartimur auctoritatem; In altero autèm, actus dicendus veniat illicitus, & eriminosus, quoniàm sicutì, si aliqui Galli priuato iure disrobarent, atque grassationem committerent in personis, & bonis Hispanorum, aliorumque subditorum Regis Hispaniarum, dicendi essent latrones, & grassatores, neque inimicitia, vel bellum inter eorum Principes, crimen excusaret; Itá paritèr in ista grassatione, quæ piratico more in mari sequatur, dum grauiùs potiùs delictum ex quodam communi vsu reputari videtur; Nisi absquè necessitate obtinendi particularem licentiam, & facultatem à proprio Principe, istius generica licentia, vel permissio accedat, cùm tunc idem importet.

In altero verò casu inimicitiæ naturalis, ac generalis, non solùm inter Principes, sed etiam inter priuatos, qualis est illa inter Christianos, & Turcas; Et tunc, absque dicta distinctione, inter ius
18 publicum, & priuatum, deprędatio licita est, ob licentiam generalem, quæ ab omnibus Principibus Christianis attributa videtur persequendi, & deprędandi infideles, tàm ratione hostilitatis, quàm etiam ex alteræ seruandi æqualitatem, dum ipsi infideles magis huic piraticę ar-

Suppl. Theat. lib. 2. de Regal.

ti incumbunt, vt Christianorum personas, ac bona deprędentur, & per consequens ad rem nostram magis de plano intrat præfata theorica *Innocentij*, quam superiùs allegati Auctores, & alij indefinitè recipiunt etiã inter ipsosmet Christianos.

Neque hanc facultatem adimere debet qualitas personarum, quæ sint communis hostis subditæ, quia nempè essent etiam Christiani, quoniàm, vt initio in-
19 sinuatum est, vis non consistit in diuersitate Religionis, sed consistit in publica inimicitia dominantium, & in interdictione commercij; Qualitas autèm Religionis operatur exemptionem à formali captiuitate, quodque solùm capti detineri valeant in ratione carcerum donèc redimantur.

Itèm quia magna exinde resultaret inæqualitas, inter Christianos, & Turcas, in Christianorum præiudicium, & fraudem; Siquidèm ita ijdem Turcæ, qui hanc piraticam artem exercere velint, subditos Christianos in nauibus secum habere affectarent, illos fingendo merciũ, aliorumque bonorum dominos, vt contingente succumbentia, bonorum iacturam, ac deprędationem non paterentur; Siuè quod ijdem mali Christiani Schysmatici Turcarum subditi, qui æquè, & fortè magis, inimici sunt Catholicorum, eandem piraticam artem, Turcarum ad instàr, & cum eorum auctoritate licitè, ac impunè exercerent, & per consequens eo ipso, quod Christiani Turcarum subditi in proprijs nauibus, magis verò in illis eorundem Turcarum, nauigationem assumunt, scire debent, huic periculo expositos esse.

In huiusmodi itèm deprędationibus, quas priuatæ naues faciant, ex beneficio victoriæ, quam pugna præbeat, intrare quoque videtur illa acquisitionis domi-
20 nij ratio, quam ius belli tribuat, iuxtà deducta *dicto disc. 58. de feud.* cùm eadem videatur ratio, seù proportio, inter illum belli conflictum, qui habeatur inter terrestres exercitus, vel maritimas classes, speciem exercitus maritimi constituentes, & inter pugnas, quæ habentur inter huiusmodi piraticas naues; Quotiès tamen pugnæ initium, seù occasio, iusta, & licita sit, ex præmissa ratione inimicitiæ Principum, vel Nationum, & diuer-

 sitate

sitate vexillorum, Sed ex iusto motiuo se opponendi illis recognitionibus, quas leges, vel consuetudines nauigationis fieri posse concedunt; Huiusmodi etenim iusta causa cessante, pugna ex parte initiantis, dicenda potiùs esset iniusta oppressio, & ex parte agressi, dicenda veniret iusta defensio; Sed datâ pugnæ iusta causa, intrat ratio illius quasi contractus, super incerta alea, qui inter inuicem pugnantes iniri videtur, vt scilicèt, quemadmodum nauis victa, succumbentiam, ac deprędationem passa est, ità victoriam quoque habere poterat, atque deprędationem facere; Ideòque inter Christianos consideratione digna videtur illa circumstantia, an deprædatio, cum ista æquali incerta alea sequuta sit, vel potiùs cum naui nimium potentiori, & sine pugna, vel oppositione, vt vulgò dicitur manu salua, cum tunc intret dicta altera ratio publicæ inimicitiæ, non autem ista, quæ resultat à dicto quasi cōtractu inter inuicem pugnantes.

Et quamuis super præmissa interdictione commercij, & nauigationis, cum iure
21 represaliarum, ac deprędationum, aliqui Historicorum, vel eruditorum, Academicorum more potiùs quàm forensium Iurisconsultorum more, de iure, vel ratione belli scribētes, vt præsertim est *Hugo Grotius*, hanc Principum denegent potestatem, quasi quod nauigationis libertas manet à iure naturæ, cui Principes derogare non possunt; Attamen commendatione quidem dignæ sunt huiusmodi ponderationes, ratione acuminis ingenij, atque scholis, & Academijs congruæ ad ingeniorum exercitationem, & exercitium, praxi verò sunt penitùs incongruæ; Siquidèm, vt occasione derogandi vltimis voluntatibus, & fideicommissis, aut legitimæ filiorum, & similibus, quæ per aliquos iuris naturæ dicuntur, vel gentium, iste est quidam loquendi vsus, vt ità distinguantur ea, quæ per ius ciuile Romanorum omninò de nouo introducta fuerunt, non autem, vt à natura, vel gentibus omnibus ordinatas habeamus eas leges, quas violare non liceat, cum nullibi istæ leges habeantur scriptæ, illudque solùm ius naturæ præcisè obligatorium inter nos Christianos dicitur, cui derogari non potest per humanam potestatem, quod in sacra noui, seù veteris testamenti scriptum legitur, quod diuinum appellatur, promiscuè appellari quoque solitum naturale.

Illud namque dicendum esset ius naturæ, vel gentium, quod absque Religionum, & sectarum, vel Nationum differentia, omnes ità afficiat, quod vbiq; eius violatio illicita reputetur; Et per cōsequens, eum Turcæ, Persæ, Scythæ, Indi, & aliæ similes Nationes nostras irrideant, ac spernant leges, atque non cognoscant legitimam, vel testamenta, & fideicommissa, aliasque vltimas voluntates, nisi prout eorum mores concedant, idcircò istæ considerationes inter fabulas collocari merentur, atque consuetas legistarum continent simplicitates.

Hinc proindè opus non erat respondere super secundo quæsito, ad quem scilicèt spectaret cognoscere de Schysmatica qualitate, dum ista in proposito, in
22 nulla est consideratione, vt suprà; Verùm, vbi de hoc puncto agendum esset, obseruabam cadere easdem distinctiones, quæ habētur in materia cognitionis clericatus *sub tit. de iurisdictione disc.* 64. ac etiam in materia cognitionis vsurarum, vel sacrilegij, cum similibus; Quod scilicèt, aut agitur de ista cognitione de iure, ac principalitèr, ad effectum declarandi illam personam ream læsæ Maiestatis diuinæ, ac punibilem, & tunc id priuatiuè pertineat ad Episcopos, & Inquisitores fidei, nullarenùs autem laicalis potestas in hoc se ingerere valeat, vtpotè in materia merè spirituali, & ecclesiastica; Aut verò incidentèr, & de facto ad propriam instructionē pro alijs effectibus, & tunc secus, præsertim verò in huiusmodi contingentijs, in quibus more militari procedi solet; Ac propterea in præmissis omnibus concludendum videtur, vt magis communitèr nauigationis receptæ consuetudines attendi debeant.



DISC.

DISC. CLXXI.

Cracouien Nauigij.

PRO

Collegio Societatis IESV.

CVM

PP. *Tynecensibus Ordinis S. Benedicti.*

Casus disputatus in Rota, resolutus pro Collegio.

An, & quando in iuribus regalibus competant remedia possessoria sine titulo habito à Principe supremo, vel potiùs iste sit necessarius; Et ad quos effectus flumina nauigabilia dicantur de regalibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *De extremis spolij, & num.6.*
4 *Flumina nauigabilia sunt de regalibus.*
5 *In regalibus, quæ obtineri non possunt sine titulo non suffragatur sola possessio, ideòque non intrant remedia possessoria.*
6 *De eodem, de quo num.3.*
7 *De errore scribentium immorandi in rebus certis, & non controuersis.*
8 *Declaratur conclusio, de qua num.3. vbi possessio est temporis considerabilis.*
9 *De virtute centenaria allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.*
10 *De alia declaratione conclusionis, de qua num.5. vbi agatur cum priuato.*
11 *Quando iuris assistentia, & resistentia in his obstet.*
12 *An iura regalia penès priuatum sint talia*
13 *Quando in iudicio reintegrationis obstet exceptio dominij, seu proprietatis.*
14 *Ad quos effectus flumina nauigabilia dicantur de regalibus.*
15 *Quod aqua non possint diuerti à flumine sine concessione Principis.*
16 *De differentia inter vsum, & dominium in vijs, & fluminibus.*
17 *De regalis tenendis per Aduocatos, & Consulentes.*
18 *De editione cap. vnic. quæ sint regalia, qua occasione processerit, & ex qua ratione, vel auctoritate attendatur.*
19 *Regalia ignota in iure communi, & quomodo ab eo explicentur, & de nomine, vel titulo Imperatoris.*
20 *De nomine, seu vocabulo Principis, & Principatus.*
21 *De Regno Poloniæ, quod non subiaceat Imperatori.*
22 *De errore pragmaticorum super applicatione doctrinarum.*

DISC. CLXXI.



POSSIDENTE Collegio Societatis IESV Cracouiæ, ex donatione euiusdam Nobilis Viri tenimentum in Oppido Opatouieck; propè flumen
1 Vistlæ, vna cum nauigio in eodem flumine; Cùm Patres Tynecenses Ordinis S. Benedicti, ex consimili donationis, vel alio titulo habito, ab alio nobili, forsan fratre, vel coniuncto auctoris Collegij possiderent in eadem contrata, & propè idem flumen aliud tenimentum, ad quod potiùs dictum nauigium, siuè ius illud retinendi, spectare prætenderent, atque de facto, ab eius possessione Collegij ministros, vel Conductores expulissent; Hinc introducta causa coram Ordinario, per istum in possessorio retinendæ fuit pronũciatum pro dd. PP. Tynecensibus; In gradu veró appellationis, Nuncius Apostolicus, in altero possessorio reintegrandæ pronunciauit fauore Collegij; Istaque sententia confirmata fuit in altera instantia in Curia per Auditorem Cameræ; Introductaq; causa per appellationem in Rota *coram Rondanino*, atque pro huius Tribunalis stylo
2 dato dubio ex integro, *An eidem Collegio concedenda sit reintegratio*, sub die 26. *Ianuarij* 1674. affirmatiua prodijt resolutio, atque in hoc statu causa pendet.

In hac itaque disputatione habita in Rota, in qua solùm pro Collegio scripsi, duæ erant inspectiones; Vna scilicèt facti super iustificatione huius iudicij, & præ-
3 sertim primi, quod perfectam, & concluden-

cludentem exigit probationem, dum alterum leuiori probatione est contentum, ex deductis *sub tit. de iudic. disc.* 44.

Et altera iuris super puncto in quo alterius Partis defensores insistebant, quod
4 scilicèt cum ageretur de flumine nauigabili, quod est de regalibus, iuxtà expressam dispositionem *cap. vnic. quæ sint regalia, cum concord. per Peregr. de iur. fisc. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 19. *&* 20. *Rosenthal. de feud. cap.* 20. *conclus.* 23. *Monsan. de Regal. verb. flumina, & alij communitèr*. Idcircò inferebant ad regulam, quod iura re-
5 galia, quæ sine Principis concessione, vel titulo possideri non possunt, sola possessio non suffragatur, sed necessaria est tituli iustificatio, iuxtà auctoritates relatas suprà *disc.* 14. *num.* 2. *&* 8. vndè scribentes, tacito Auctore, totum desumebant.

Super prima inspectione, scribens pro Collegio, præsuppositiuè pro stylo, habebam me relatiuè ad deducta per causæ Patronum in informatione facti, cuius reverà potiùs, quàm iuris erat quæstio,
6 cùm in iure non dubitetur de necessitate iustificationis duorum extremorum; Primi scilicèt antecedentis possessionis illius, qui dicit se spoliatum; Et alterius actualis possessionis illius, contra quem petitur reintegratio cum superius insinuata distinctione, quod scilicèt, primum extremum perfectam, & concludentem exigit probationem; Alterum verò leuiori contenta est, etiam illa præsumpta, quæ ex litis sustentatione resultat, ex insinuatis, *disc.* 44. *de indic.*

Ac propterea contemptibilis, & nauseatiuus, perpetuòque damnandus est stylus illorum Consulentium, vel Scribentium in iure, qui cum inani chartarum
7 repletione, desupèr immorari solent, atque allegationum cumulos faciunt, cum sint principia certa, & præsupponenda, totaque vis consistat in facto, siuè in applicatione, an scilicet ex testibus, vel documentis resultet, nec ne, sufficiens probatio, quæ certam iuris regulam non habet, sed remissa est Iudicis arbitrio ex facti circumstantijs regulando, ex insinuatis *d. tit. de iudic. disc.* 44.

Quatenùs itaque pertinet ad alteram inspectionem iuris; Pro causæ necessitate, vel opportunitate, etiam disiunctiuè, seù alternatiuè, duo dicebam sufficere fundamenta; multò magis ea simul iuncta considerando; Primò nempè, quod admisso etiam præsupposito, vt ageretur de iure regali, quodque contentio esset cum ipsius supremi Principis Camera, vel Fi-
8 sco, adhuc tamen dicta conclusio procedit in possessione recenti, seù breui, quæ ita vitiosa, & intrusiua præsumitur, secùs autem, vbi ea sit diuturna, & temporis valdè considerabilis, quoniam tunc, licèt quando sit minor centenaria, vel saltèm quadragenaria, cum titulo colorato, & cum fama priuilegij, in petitorio reputari non soleat sufficiens; Attamén in possessorio reintegrandæ, vel retinendæ, receptum est, eam esse sufficientem, vt alijs relatis *Capic. decis.* 209. *num.* 18. *Capic. Latr. consult.* 68. *num.* 23. *Rota in celebri Hostien. litoris maris decis.* 27. *cum seqq. & decis.* 33. *cum seqq. par.* 1. *diuers. cum concordan. decis.* 85. *par.* 7. *recent. Add. ad Gregor. decis.* 370. *Add ad Buratt. decis.* 131. *& frequenter*.

Multò verò magis vbi adesset centenaria, & vltrà, vt in præsenti in facto sup-
9 ponebatur, coniungendo etiam possessionem Auctoris, quam ad hunc effectum coniungi debere absolutum, ac receptum est, dum ita etiam in petitorio cessat necessitas iustificationis tituli ex recepta, nimiumque frequenter in omni ferè materia insinuata conclusione, præsertim *sub tit. de feud. disc.* 3. *& hoc eod. tit. disc.* 47. *& in alijs, & sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 3. quod scilicèt centenarius possessor allegare potest quemcumque titulum de mundo meliorem, vt etiam eadem conclusio expenditur *sub tit. de iurisdict. disc.* 96. *&* 97. illamque in proposito huiusmodi iurium regalium latè præ cæteris expendit *Capoblanch. de Baron. prag. prima num.* 213. *& seqq.*

Cadente solùm difficultate examinata *d. disc.* 47. *hoc eod. tit. & disc.* 3. *de alienat. & contract.* ac etiam *d. disc.* 96. *&* 97. *de iurisdict. & alibi*, quando scilicèt constaret de initio infecto, vel resoluto, cum quatitate tamen restrictiua, & exclusiua possibilitatis alterius tituli melioris, ex ijs, quæ locis citatis deducta habentur.

Et secundò, quod eadem conclusio, vt in iuribus regalibus, sola possessio sine
10 titulo non sufficiat, procedit, vbi quæstio sit cum ipso supremo Principe, vel Republica habente iuris assistentiam super priuatiua competentia iurium regalium, vndè

vndè propterea verificetur copulatiuus concursus duorum requisitorum de quibus *in c. ad decimas de restitut. spol. in 6.* vbi videtur sedes materiæ eum ibi notatis iuxtà collectaneas *Barbosa*, & aliorum modernorum Collectorum ibidem; Assistentiæ scilicèt iuris in eo, contra quē reintegratio petatur, & resistentiæ in eo, qui illam petat iuxtà eiusdem textus
11 exemplum, in laico prætendente possidere decimas spirituales contra Parochum particularem, siué vniuersalem, qualis in plerisque partibus, & præsertim in Hispania solet esse Episcopus ex deductis in sua materia *sub tit. de decim. disc. 1. cum seqq.* & sic quod adsit assistentia in Parocho, & resistentia in laico possessore huiusmodi spiritualium iurium, incapace sine priuilegio Apostolico, quotiés tamen certum sit agi de decimis, vel iuribus spiritualibus; secùs autem vbi possibilitas vigeat, quod illæ possint esse decimæ temporales, cum tunc ista possibilitas sufficiat in possessorio, vt aduertitur *eod. tit. de decim. disc. 6.* Idemque ad instar, & ex paritate rationis, procedit etiam in illis iuribus prophanis, quorum priuati regularitér sunt incapaces, absque supremi Principis concessione.

Secùs autem vbi contentio sit cum altero priuato ex triplici ratione; Primò nempè ex conclusione, de qua plenè suprá *disc. 81.* vbi de eius declarationibus,
12 quod scilicèt iura regalia, eatenùs sunt talia, eorumque naturam, & priuilegia habent, quatenùs sint penès supremum Principem, vel Rempublicam, secùs autem, vbi penès priuatum, penès quem desinunt esse talia.

Secundò, quod ita in priuato cessat supradictus copulatiuus concursus assistentiæ, & resistentiæ respectiuè, vt concurrat quando sit quæstio inter Principem, & priuatum.

Et tertiò, quod ita patet huiusmodi iura esse solita concedi personis priuatis, atque ab eis possideri; Quemadmodum enim obtineri possunt ab ipsis collitigantibus ità á nostris, præsertim dum agitur in solo possessorio.

Quamuis autem præmissa sufficerent; Ac etiam, quod in hoc priuilegiato iudicio spolij, seù reintegrationis non admittitur exceptio dominij, vel boni iuris in
13 petitorio, nisi de illo constet incontinenti per confessionem partis, vel rem iudicatam, aut publicum instrumentum clarum, adeòvt nulla cadat dubietas, vel cōtraria possibilitas, quæ sola superfit ex deductis apud *Bich. decis. 179. num. 18. cum seqq. decis. 73. num. fin. par. 10. recent. & frequentèr*, ac etiam habetur *d. disc. 44. de iudic.*

Attamén ad superabundantiam dicebam, quod admisso etiam, vt dispositio *d. cap. vnic. quæ sint regalia*, recepta sit, atque locum habeat in Regno Poloniæ; Adhuc tamen clarum videbatur æquiuocum recensere inter iura regalia istud nauigium, de quo erat quæstio; Siquidem
14 dicuntur de regalibus ipsa flumina nauigabilia, ad excludendum in Baronibus, vel Communitatibus, aut priuatis illud priuatum ius, vel dominium, quod datur in aquis, & riuulis, aut paruis fluminibus, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de seruitut.* ad materiam aquarum, ac etiam apud *Ann. sigul. 35. Franch. & add. decis. 183. Capoblanc. de Baron. pragm. 8. par. 2.*

Secùs verò ad effectum vsus nauigationis, quoniam iste dicitur publicus, & cōmunis omnibus ex illo iure, quod impropriè, & per quandā contradistinctionem à mero iure ciuili dicitur naturæ, vt idem *Peregrin. de iur. fisci lib. 1. tit. 1. num. 19. Montan. vbi suprà num. 5. Capoblan. d. pragm. 8. par. 2. num. 25. & passim.*

Atque tunc in hoc proposito intraret ius regale, quando in hac retentione nauigij prætenderetur ius priuatiuum, vt alter in eodem flumine, illud habere non posset, iuxtá ea, quæ ad materiam iuris prohibendi habetur suprá *disc. 142. & seq. & in alijs*, & de iure priuatiuo piscandi in flumine *sub tit. de feud. disc. 40.*

Et quamuis *tex. in l. 1. §. ait Prætor ff. de aqua quotid. & æstiua* disponat, vt è flumine publico aquæ diuerti non valeāt
15 sinè concessione Principis; Attamèn id respicit diuersum effectum, ne scilicèt priuatis licitum reddatur diuertere aquam à flumine publico in præiudicium nauigationis, quæ ita impedita remaneret, vel magis incommoda redderetur, vel quod aliàs publico vsui præiudicaretur; Ac etiam quia est de sui natura illicitum, & intrinsecè malum, vt ea quæ sunt pluribus communia, sibi appropriare liceat, atque facere sua; Huiusmodi etenim iura publica, omnibus communia, in dominio,

nio, siuè in protectione respectiuè, sunt
16 Principis, vel Ciuitatis; Ad instar eorum quæ habentur suprà *disc.* 136. de vijs publicis, quæ sunt omnibus communes, quoad vsum, ideóque nullius quoad dominium priuatum, Principis autem, vel Ciuitatis, quoad dominium, vel protectionem; Ideóque stant simul, quod priuata libera pateat facultas vtendi illa via ad vsum destinatum, & tamen quod ea in parte occupari non possit, minùsque in eadem fieri id, quod eidem publico vsui aliquod præstat impedimentum, cum similibus.

Item ad superabundantiam, ita cumulando motiua, seù motiuando totum id,
17 quod motiuari potest, ex pluriès insinuatis Aduocatorum, & Consulentium regulis, deducendi scilicèt omnia deducibilia strictò tamen, & quo breuiori fieri potest stylo ob ingeniorum varietatem, iuxtà dapiferi parabolam; Considerabam, quod non benè supponebatur, in hoc Regno, seù Regione procertò istud ius regale, quasi quod *d.cap.vnic.quæ sint regalia*, esset lex talis naturæ, quod ad instar aliarum legum in corpore digestorum, & Codicis omnibus communis esset, atque vbique eandem haberet vim, non constito de non vsu, qui non præsumitur ex insinuatis *sub tit. de seruit.disc.*1. *& alibi*.

Siquidem, vt aduertitur *sub tit. de feud. disc.* 2. *& supra in annotat. ad hanc rubric. vel disc.* 1. Istud *cap.vnic.* continet solùm
18 quandam conuentionem initã inter Fridericum II. Imperatorem, & Ciuitates confœderatas Lombardiæ, ob quandam Italiæ, illarumque præsertim eius partiũ consuetudinem, vt aduertit *Montan. de Regal. d. verb. flumina nauigabilia num.* 2. *vers. easdem consuetudines*; Idque potiùs in exclusionem iurium regalium ipsius supremi Principis, ità scilicèt explicando ea regalia minora, quæ competere deberent Ciuitatibus, per quandam speciem limitationum, per quas firmata fuit in reliquis regula generali fauore Imperatoris, tanquam Principis supremi, cuius respectu considerantur alia regalia maioris sphęræ, quorum omninò incapaces sunt priuati, imò etiam dictæ Ciuitates subditæ, adeòvt neque ab ipso Principe concedi possint, vt poté pernecessè annexa imperio, vel supremo Principatui, eiusque Coronæ, á qua auelli non possunt, vt etiam insinuatur *sub tit. de dote disc.*146. *circa princ. & alibi*; Tractu verò temporis apud Italos, ac etiam apud Germanos, ex illa eadem consuetudine, ex qua receptæ sunt consuetudines feudales, vt poté insertæ in aliquibus Authenticorum voluminibus, ista quoque conuentio transijt in quandam speciem legis, potissimé in Germania, & in aliquibus Italiæ partibus, in quibus vigeret auctoritas Imperatoris Germaniæ, qualis præfatus Fridericus erat.

In corpore siquidem iuris ciuilis, iste regalium terminus non legitur ob abhor-
19 rescentiam apud Romanos, post expulsionem Tarquinij Superbi septimi, & vltimi Regis, vindicatamque libertatem nominis regij, adeòvt quando Romana Respublica denuó in seruitutem recidit, cum mutatione regiminis, ex Aristocratico, in Monarchicum, Princeps supremus, quamuis factis, ac reipsà regiam haberet iurisdictionem, ac potestatem, inferiorem tamen potiùs assumpsit nomen, vel titulum Imperatoris, dum congruebat supremo Duci militum, qui Regis potiùs est subditus, ac minister, deindéque ob Romani Imperij magnam potentiam, & amplitudinem, iste titulus adeò magnam sortitus sit fortunam, & maiestatem, vt Regum superioritatem, atque creationem redoleret; Ita eo tempore explicando hæc iura publica, in quibus Reipublicæ, vel Principatus dos consistit sub nomine, vel termino iurium fisci.

Quinimò, neque cognitus erat terminus Principis, vel Principatus, eo modo quo nunc in vsu est, denotando scilicèt
20 supremam, ac absolutam Regiam potestatem, cum tunc iste Principis terminus, aliud non denotaret, nisi quandam prioritatem ordinis, quod scilicèt inter Reipublicæ Senatores esset primus, vt etiam hodiè Grammatici, seù puræ linguæ latinæ professores, in eodem sensu, atque in eadem significatione istud adhibent terminum, explicando illum, qui inter alios sit primus, quamuis non dominus, neque superior; Puta (ex:gr:) in Collegio Cardinalium, iuxtá eorum diuersos ordines, explicando antiquiorem, seù primum Præsbyterum, vel primum Diaconum, & sic paritèr in alijs Collegijs, vel Vniuersitatibus, quod nosse Iuristis congruit, ac etiam

etiam ipsismet Grammaticis ad euitanda, vel tollenda æquiuoca super huius termini, seù vocabuli intelligentia, vel significatione, cum ea varia sit, iuxtà subiectam materiam, de qua agatur, vel spectato effectu, ad quem iste terminus, vel vocabulum adhibeatur.

Cum itaque istud Poloniæ Regnum, quod reverà Reipublicæ liberæ prætogatiua potitur, sibi eligendo primum
21 Magistratum, vel regulatorem ad vitam, absque iure successorio, eo modo quo etiam ad vitam, eundem primum Magistratum, vel Regulatorem, sibi eligit nostra Itala Veneta Respublica, in qua Italicæ libertatis, & antiquæ maiestatis adhuc aliqua conseruatur species, vel imago, cum sola differentia tituli, quod iste est Ducalis, ille veró Regius; Istaque Respublica plenam, ac omnimodam profiteatur præscripsisse libertatem, ac exemptionem ab antiquo Romano Imperio, nullatenùs veró agnoscat Imperatorem Occidentis, vel Germaniæ.

Hinc proindè ad rem, ad hoc vt intrēt termini *d. cap. vnic. quæ sint regalia*, probandum esse dicebam, quod ex consue-
22 tudine in ea Regione, vel Republica, id quoque receptum esset; Ac propterea consueta leguleica dignoscitur simplicitas *Bartoli*, aliorumque antiquorum Italorum Scriptorum traditiones proditas pro nostræ Italiæ moribus, alijs Prouincijs, & Regionibus indefinité applicare, non constito, quod ibi quoque in moribus receptum sit; Quemadmodùm è conuerso eundem dignosci errorem, eandemque simplicitatem leguleicam aduertitur, *sub tit. de fideicom. disc. 1. & 7. & in alijs pluriès*, applicando scilicèt Italiæ primogenijs, & maioratibus auctoritates, ac traditiones Hispanorum loquentium de illis maioratibus; Ac etiam *sub tit. de feud.* pluriés super consimili errore illorum, qui traditiones (ex:gr:) feudistarum Regnorum vtriusque Siciliæ indefinitè applicant omnibus feudis regulādis iuxtà leges, vel consuetudines feudales cōmunes, non reflectendo ad circumstantiā, quod illæ proueniant à legibus, vel consuetudinibus particularibus, cum similibus; Atque quòd peiùs est, eadem ineptia non solùm operatur, vt ad id non applicetur, sed vt potiùs huiusmodi ponderationes damnentur tanquam ratiocinia ex ingenij acumine, quo nil ineptiùs, & contemptibiliùs.

DISC. CLXXII.

Romana Proxenetici.

Pro mercatoribus Riparum, cum Collegio Proxenetarum.

Casus disputatus in Camera, & pendet, vt infrà:

De iure priuatiuo concesso aliquibus personis exercendi in Ciuitate, vel in Emporio artē proxeneticam super contractatione mercium, an importet etiam ius coactiuum, vt propterea mercatores, alijque contractare volentes, teneantur eorundem Proxenetarum operam adhibere.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quando confirmatio sit in forma specifica, vel communi.*
3 *Ius priuatiuum, vel coactiuum est de regalibus, & non conceditur nisi à Principe.*
4 *De clausula sublata, & decreto irritanti.*
5 *Princeps non potest, vel non debet tollere, vel minuere concessiones ex causa onerosa.*
6 *De commendabili vsu proxenetarum.*
7 *De abusu modernorum in scribendo.*
8 *Ad quid deseruiat, confirmationem esse in forma specifica, vel communi.*
9 *Quando confirmatio importet ampliationem, vel nouam concessionem.*
10 *De argumento discretiuo.*
11 *Quando non obstent clausula, de quibus num. 4.*
12 *De bannimentis Camerarij, ad quid attendantur.*
13 *Quæ iura regalia concedi possint, vel soleant.*
14 *Ex stylo arguitur voluntas.*
15 *De puncto in quo consistat causa.*
16 *Seruitus non præsumitur, ideòque pro libertate*

bertate sufficit eam negare.
17 *Non debent extendi onera, & seruitutes, & quod ius coadiuuandi sit maius, quã priuatiuum.*
18 *Quando ius priuatiuum habeat annexum ius coactiuum.*
19 *An Proxenetæ teneantur de approbatione.*
20 *De fide præstanda proxenetis.*
21 *De his officijs proxenetarum.*

DISC. CLXXII.



1 VARIIS proditis priuilegijs, & prouisionibus Apostolicis ad fauorem Proxenetarum Ripalium, sub Pio Quarto, Gregorio Decimo tertio, Sixto Quinto, & demùm Paulo Quinto de anno 1609. Postmodùm idē Pontifex Paulus de anno 1611. nouas statuit reformationes, præsertim circà numerum à quadraginta ad vigintiquinque reducendo, ac etiam quod essent officia venalia vacabilia, habentia ius priuatiuum in proxeneticæ artis exercitio cum quadã massa communi emolumentorum, alijsque prouisionibus ad rem non facientibus. Nupèr autèm obtenta per istud Collegium præfatæ vltimæ concessionis Pauli V. cõfirmatione à Clemente X. cum noua cõcessione, vel declaratione, quod eorum ius priuatiuum restrictum non esset ad illam Ripam magnam, propè Portam Portuensem, quæ pro maritimo mercimonio deseruit, sed etiam alteram complecteretur Ripam minorem, quæ vulgò Ripetta nuncupatur, propè portam Populi, è conspectu Ecclesiæ S.Rocchi, pro mercibus, quæ ex parte superiori fluminis euehuntur; Istius confirmationis vigore, pretensionem excitarunt Proxenetæ super iure coactiuo contra mercatores, & negotiantes, quod scilicèt in omni negotiatione, eos euocare tenerentur, atque consuetam mercedem soluere, quamuis inuicem contractantes, directè, ac per se ipsos paciscendo, concordes essent, curando desupèr pro litterarum Apostolicarum exequutione expediri consueta Cardinalis Camerarij bannimenta, in quibus id contineretur; Quarè desupèr exorta lite in Camera *coram Caualerio*, datoque dubio, an hæc priuilegia comprehensa essent in præfata moderna Clementis confirmatione, de mense Martij 1674. prodijt resolutio, iuxtà istius Partis votum, comprehensa, scilicet, esse sola priuilegia contenta in præfata vltima cedula Pauli V. reseruato videre, an, & quæ ista priuilegia sint; Atque in hoc statu causa pendet.

In disputatione itaque desupèr habita, scribentes pro Collegio Proxenetarum, magnum faciebant, verè inutilem, ac superfluum conclusionum cumulum, cum copioso allegationum apparatu, in plerisque à casu quæstionis extraneis; Primò
2 nempè, quod dicta moderna Confirmatio Clementis, esset ex certa scientia, & in forma specifica, dum habebat insertum tenorem dictarum literarum Pauli de verbo ad verbum, qui est verus modus dignoscendi, quod confirmatio esset in forma specifica, & ex certa scientia, vt etiam pluriès sub diuersis materijs aduertitur, cum sit conclusio vera, & recepta.

Secundò nimium insistebatur in potestate Pontificis, tanquam supremi Principis, concedendi hoc ius tam priuatiuũ,
3 quàm coactiuum, quoniam ambo sunt de regalibus, ideòque nonnisi per supremum Principem concedi possunt, sed de istius potestate non est dubitandum, vbi constet de voluntate, super qua solùm quæstiones cadunt, vt etiam in hac materia iuris priuatiui, vel coactiui aduertitur suprà *disc. 44. & seqq. & in alys*, ac etiam *disc.* 148. vbi generalitèr de materia potestatis Principis tollendi ius tertij.

Fortiùs verò id procedere dicebant ex eo, quod istæ postremæ literæ Clementis, ac etiam præcedentis Pauli erant
4 munitæ consuetis clausulis præiudicialibus, nempè decreto irritanti, & clausula sublata, & quod de obreptione, vel subreptione dari non posset, dum istæ claudunt os, & ligant manus Iudici, & Parti, vt quidquam in contrarium deduci non possit, vt paritèr sub pluribus materijs aduertitur, & præsertim *sub tit. de iudic. disc.* 20. Potissimè verò fauore illorum, qui huiusmodi officium obtinebant ex causa
5 onerosa, ideòque Princeps non posset, vel non debeat eis præiudicare, deducendo desupèr cumulata per *Noguerol alleg. 5. ex num.* 28. *& Grat. discept.* 891. *ex n.* 32. *per tot. & suprà d. disc.* 148.

Et demùm nimiùm insistebatur in probando

bando, quod introductio, atque vsus proxenetarum esset res nimium commendabilis, atque Reipublicæ proficua, pro cō-
6 mercij facilitate, ac libertate; atque, vt ità exteri negotiatores, qui merces vehunt, non decipiantur, neque opprimantur à mercatorum monopolijs *ex collect. per Bracch. de proxenet. par. 2. nu. 11. cum seqq. Hartman. Pistor. quæst. iur. lib. 3. quæst. 3. num. 24. Marquard. de iur. mercat. lib. 1. cap. 8. num. 51. & seqq. Zacch. de Salar. quæst. 83. num. 3. & seqq.*

Scribens è conuersò pro mercatoribus contendentibus de eorum libertate, & ne cogi deberent pati hanc seruitutem necessariæ euocationis proxenetarum, etiam quando concordes essent; Dicebam quod omnia præmissa inanem, ac superfluum continerent laborem, vtpotè extranea, vel inutilia à casu quæstionis, ideóque pro academicis discursibus, vel Tyronum instructionibus essent congrua, forensi autem disputationi omninò incongrua; & nihilominùs, adeò iste irrepsit abusus dā-
7 nabilis, ignaro vulgo placitus, quod per scribentes magni fiant conclusionum, & auctoritatum apparatus, in ijs, quæ sint extranea à præcisò quæstionis puncto, iste autem intactus, vel nimium leuitèr actus remaneat, ita abundando in superfluis, & deficiendo in necessarijs.

Nil etenim referre dicebam ad effectum quæstionis, an confirmatio esset in forma communi, vel specifica, quoniam
8 ista inspectio cadit ad effectum maioris, vel minoris operationis, vt scilicèt quando est in forma communi non sit operatiua in ijs, quæ sint iuri contraria, eo modo, quo operatiua est, quando fit in forma specifica, vt sub diuersis materijs pluriès aduertitur, præsertim verò *sub tit. de success. ab intestat.* vbi est magis peculiaris statutorum sedes; sed siuè vno, siuè altero modo, id non alterat confirmationis naturam, quæ est, vt ad limites confirmati restringatur, ac intelligenda sit, neque plus de nouo concedat, sed solùm operetur effectum reualidatiuum, siue quod cōfirmato maius robur tribuat, ad instar iuramenti, vel pacti, seù clausulæ exequutiuæ cum similibus.

In hoc enim proposito maioris operationis confirmationis, quæstio cadere so-
9 let, quando accedat amplitudo verborū, vel nullitas actus, vt proptereà confirmatio redolere valeat nouam concessionem ex integro, iuxtà insinuata *sub tit. de feud. disc. 4. 5. & 60. & alibi pluriès*, & præsertim *sub tit. de iudic. disc. 37.* occasione agendi de confirmatione Ægidianæ, *cum similibus*.

Id autem in hac facti specie prætendi non poterat, ideóque ista non cadebat
10 quæstio, quoniam non solùm nulla aderant verba, vel clausulæ, quæ id suaderent, sed potiùs constabat de contraria voluntate, cuius clarā probationē, seù demonstrationem resultare obseruabam ex discretiuo modo loquendi, respectu Ripettæ, vt suprà, dum in hac parte non cōtentus Pontifex, verbis confirmatiuis, & approbatiuis, adiecit etiam alia verba denotantia declarationem, nouamque concessionem, ideóque dicebam, quod clarè intraret argumentum discretiuæ, quod scilicèt, vbi voluit dixit, &c. ad vulgarem *text. in l. vnic. §. sin autem C. de caduc. tollen.*

Nullatenùs item ex hac parte impugnabatur potestas concedendi vtrumque ius priuatiuum, & coactiuum, minùsque ipsa confirmatio dicebatur infecta; Et per consequens extranea, & inutilia erāt, quæ deducebantur super potestate, ac etiam super virtute, & operatione dictarum clausularum præiudicialium, dum istę solùm obstant, quando directè impugne-
11 tur gratia, vel concessio, secùs autem quando allegetur non compręhensio, cum impugnare, vel contrauenire non dicatur, qui non compręhensionem allegat ex deductis *decis. 247. par. 11. recent. & passim*, atque aduertitur *d. disc. 20. de iudic.*

Impugnationem autem potestatis deducebam, circa bannimenta Camerarij,
12 quoniam, vt aduertitur etiam *disc. 174. & alibi*, ista bannimenta, vbi præsertim sint plura, & continuata per tempus notabile, suumque effectum, & obseruantiam habuerint, nimium considerabilia sunt pro interpretatione pontificiæ concessionis, quæ ambigua sit, siuè pro vno ex adminiculis, & præsumptionibus probationis præsumptiuæ eiusdem concessionis, de qua non pateat, non autem pro ampliatione, vel extensione ad casus in concessione non compręhensos, quoniam Camerarius est solùm exequutor huiusmodi Pontificiarum concessionum, quarum obseruantiam cum eius bannimentis mandat;

dat; Præsertim verò vbi agitur de gabellis, vel de huiusmodi iuribus priuatiuis, ac similibus, quæ vtpotè regalia supremo tantùm Principi reseruata sunt.

Et magis vbi agatur de illorum concessione alicui priuato, quoniam tunc longè maior incompatibilitas,ac potestatis defectus intrat in huiusmodi magistratibus, vel in Baronibus, & Domicellis, ac similibus.

Longa siquidèm dignoscitur differentia, inter capacitatem obtinendi, & exercendi hæc iura regalia ad propriam vti-
13 litatem; Putà habendi ius priuatiuum in molendinis, furnis, ac macellis, & similibus; Aut imponendi, & exigendi vectigalia, & pedagia; Et potestatem ea concedendi alijs; Primo etenim casu, faciliùs eorum praxis datur in Baronibus, & Domicellis, vel Magistratibus, quamuis Principe inferioribus, ex eiusdem Principis explicito, vel implicito priuilegio, quod concedi solet; In altero autē videtur, quod sit de magis annexis Coronæ, & quæ non possunt concedi,vel quod non solent; Et per consequens, quod vbi etiam non intret ille defectus potestatis, qui considerari solet in ijs, quæ important formalem scissuram, vel deturpationem Coronæ, iuxtà deducta *sub tit. de dote disc.*146. *& alibi*; Attamèn ex insolito
14 resultat probatio voluntaris,quæ ex consuetudine, vel stylo in Principe regulari solet, ex deductis apud *Greg. & add. decis.* 150. atque frequentèr insinuatur sub diuersis materijs,occasione agendi de obreptione, & subreptione, vel defectu intentionis.

Euagatoria quoque, atque extranea à casu quæstionis, dicebam esse ea, quæ cū inutili chartarum repletione copiosè deducebantur super commendabili vsu proxenetarum; Siquidem quæstio non erat
15 super hoc vsu, etiam priuatiuo, dum iste non impugnabatur, stantibus Apostolicis concessionibus, ac propterea admittebatur,quod quando mercatores,alijque negotiantes adhibere velint in mercitū contractationibus, alijsque negotijs operam proxenetarum, teneātur euocare,istosque habere in officium, neque alij, quamuis in arte periti, adhiberi possint; sed punctus controuersiæ erat, an exindè inferri posset ad prætensum ius coactiuum, vt scilicèt etiam nolentes mercatores, & negotiantes, atque sinè proxenetarum mediatione inter se concordes, tenerentur inuiti, proxenetas adhibere, siuè consuetam mercedem absque ministerio eis soluere, atque super hoc puncto strictè, & præcisè immorari debere dicebam, & tamen ille remanebat penè intactus, iuxtà insinuātam modernorum frequentem consuetudinem.

In hoc autem dicebam, quod nulla cadebat iuris quæstio, sed illa erat nudi facti, ideóque decidenda cum sola lectura prædictarum literarum Pauli, absque librorum apertura, dum totum pendebat à voluntate Papæ,an concedere voluerit; Donec autem per alteram id expresśè nō probaretur clarè, & concludentèr fund-
16 ta erat huius partis intentio, quoniam cū id redoleat formalem exorbitantem seruitutem; Hinc proindè ille,qui allegat libertatem, cui ius assistit, obtinere debet eum sola propositione actionis, vel exceptionis negatoriæ, eo ipso, quod altera Pars concludentèr non probat seruitutē, ex plenè deductis *decis.* 101. *par.* 4. *rec. tom.*2. *decis.*398. *par.*14. & frequentèr de sua materia *sub tit. de seruit.*

Non debent etenim multiplicari onera, & seruitutes, neque eorum extensio admittenda est, quamuis rationis identitas accedat, iuxtà nimium vulgaria, &
17 frequentia axiomata quotidiè per ora forensiū volitare solita; Multò verò magis, vbi maioritas rationis, vel exorbitantia accedat, quoniam quando alicuius professoris opera, vel ministerium iam adhibendum est, tunc necessitas adhibendi potiùs vnas, quam alias personas, est quidem exorbitans, vtpotè redolens restrictionem naturalis libertatis, ac etiam quia sub se continere solet quandam implicitam gabellam, quam secum ferre solet ius priuatiuum, ex pluriès insinuatis in præcedentibus, sed adeò magnam non continet exorbitantiam, cum solùm importet quandam prælationem, iuxtà ponderationes,de quibus suprà *disc.*44. *&* 45. *& alibi*, sed cogere ad id, quod aliàs nullo modo faciendum esset, est multò magis exorbitans, longèque maiorem importat seruitutem.

Quamuis etenim ius priuatiuum, quā-
18 doque annexum, seù consequutiuum habeat ius coactiuum; Attamèn id procedit in ijs, quæ pernecesśè facienda sunt,

iuxtà

iuxtà exemplum, de quo suprà *d. disc.44. & 45.* quod scilicèt ius priuatiuum molendinorum, & furnorum, ac similium, habeat annexum, seù consequentiuum ius coactiuum, in necessariam consequentiã, ob necessitatem istius vsus; Secùs veró vbi ista necessitas non vrgeat, vt in præsenti, dum etiam sine opera proxenetarum, directè inter se concorditér negotiatores perficere possunt negotia.

Ad quod comprobandum, deducebam practicum exemplum Notariorum Cameræ, vel alterius Tribunalis, habentium Notariatum in officium, quod scilicèt si Partes acta contentiosa, vel voluntaria, publica facere volunt, adhibendo auctoritatem publici Notarij, tunc adhibere debent vnum ex huiusmodi Notarijs, neque possunt assumere alios benè visos ratione iuris priuatiui, quod importat solùm quandam prælationem, quoniam licet id, aliquod importet damnum, vel onus, ob gratuitam operam, siue cum minori mercede, quæ à beneuolo Notario ad libitum eligendo obtineretur; Attàmèn non videtur magna exorbitantia, sicuti esset illa iuris coactiui, quod scilicet concordantibus partibus super conuentione, inire scripturam priuatam, cogi deberent facere publicum instrumentum per vnum ex his Notarijs, cum similibus; Et hic erat casus ad quem controuersia restringebatur, atque super eo strictè, & præcisè scribendum erat; reliqua verò cõtinebant inutiles, ac damnabiles euagationes.

De huiusmodi proxenetarum materia,
19 an scilicèt ipsi teneantur tanquam fideiussores, vel assecuratores eorum, quibus eorum mediatione accedente, mercatores credunt merces, habetur *sub tit. de credit. disc.87.*

Et de fide præstanda eorum attestatio-
20 nibus, vel libris, & de differentia inter proxenetam, & mediatorem, habetur *sub tit. de dote disc.27. & alibi*; Atque de huiusmodi officijs, quæ dicuntur, portiones
21 Ripæ, quod eorum sint capaces etiam mulieres, vel infantes in habitu, pro emolumentis, iniuncto exercitio alijs eiusdem Collegij, siué ab eo approbandis, habetur suprà *disc. 6.*

DISC. CLXXIII.

Farsen̄ Gabellæ Macinatus.

Pro Monasterio Farfen. cum Appaltatore Gabellæ.

Casus disputatus coram Thesaurario, resolutus vt infrà, & pendet in Camera.

An, & quando pro eadem re duplex gabella solui debeat; Et in specie, an debeatur pro illo frumento, quod soluitur pro molitura gabellæ macinatus, quæ per accedentes ad molendum iam soluta sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De exemptione Congregationum S. Benedicti.*
3 *De eadem re non debet solui duplex gabella.*
4 *Declaratur, quando id procedat.*
5 *Non debet solui redecima.*
6 *De ratione, ob quam moderni nesciunt ratiocinari.*
7 *De eadem conclusione, de qua num. 3. & 4.*
8 *Quando immunitas sit realis.*
9 *Et quando pro eadem re pluriès exigatur gabella.*
10 *Qualis propriè sit gabella macinatus.*
11 *An à molitura Ecclesiastici sint exempti.*
12 *De qua rata frumenti solui non debeat ista gabella.*
13 *De rationibus, ob quas solui non debeat gabella pro frumento moliture.*
14 *Quod Ecclesiastici possint laicis concedere eorum franchitias.*
15 *Quando in hac materia deferendum sit obseruantia.*

DISC. CLXXIII.



1 POSSIDENTE Monasterio molendinum ad vsū frumenti, quædam parua portio eiusdem frumenti, quod ad illud molendū asportatur, solui solet pro mercede molituræ; cumque aliqua huiusmodi paruarum portionum notabili cumulata massa, vel quantitate, eam idem Monasterium pro eius, vel seruientium, & laboratorū vsu moleret in eodem molendino; Hinc Appaltator gabellæ macinarus prætensionem excitauit super solutione gabellæ pro istius frumenti molitura, quare super hoc, & super alia gabella secundi iulij in alio frumento: introducta lite coram Thesaurario, prodijt sententia vtrique parti fauorabilis, Appaltatori scilicét pro solutione gabellæ alterius frumenti, Monasterio verò, ne teneatur pro dicto frumento retracto ex molendino, dum pro eo iam soluta fuit, sed reverá partium acquiescentia, pender causa in gradu appellationis in Camera.

Ille punctus in quo Monasterium succubuit, erat potiùs facti, quàm iuris super inclusione scilicét huius gabellæ in quadam concordia, seù compositione inita cum eodem Vrbano Octauo impositore per omnes Congregationes Benedictinas, mediante solutione scutorum centū mille, & quatenùs dicta compositio illam non comprehenderet, an suffragarentur

2 priuilegia concessa ex causa onerosa per B. Pium Quintum, aliosque Pontifices, de quibus agitur suprà *disc.* 56. adeóvt non obstarent pluriès enunciatæ Constitutiones reuocatoriæ, vtpotè excipientes exceptiones concessas ex causa onerosa merè correspectiua, examinanda in plena Camera.

Quo veró ad alium punctum, scribendo tanquam Aduocatus pro Monasterio, deducebam regulam, de qua suprà *disc.* 68 *num.* 12. *& disc.* 97. *num.* 11. in quibus cōcordantes allegantur, quod scilicét pro vna, & eadem re, duplex onus, vel du-

3 plex gabella præstari non debet, ac proptereà vbi semel pro isto frumento soluta est, illud in quamcunque speciem conuertatur, alteri non debeat oneri subiacere; Potissimé verò vbi agatur de eadē gabella, quæ respiciat vnum, eundemque finem, vsus scilicét panis, vt agendo de ista gabella molituræ, aduertitur suprà *disc.* 54. *&* 155. ac etiam *in Miscellan. Ecclesiastic. lib.* 14. *disc.* 5.

Tunc etenim non implicat, vt pro eadem re, duplicata gabella solui debeat, quando ambæ essent diuersæ, diuersosq;

4 haberent fines, vel diuersos respicerent effectus, vt ponderatur suprà *d. disc.* 68. & magis *disc.* 74. Putá (ad rem) si in loco adesset gabella imposita frumento introducendo in Ciuitatem, in ipso actu introductionis, in portu, vel ponte, vel in alio loco, non curato quid de frumento deindè agatur, & an ad vsum panis reducatur in eodem loco, vel extrahatur à Ciuitate, vel Prouincia, seù Principatu, siuè an corrumpatur, & pereat, vel detur pullis, &c Alia veró sit ista gabella macinatus pro eiusdem frumenti molitura, quoniam tunc solutio vnius, nil commune habet cū altera, & per consequens verè, & propriè dici non potest illud prohibitum eiusdem rei duplex onus, quod percutit casum, in quo idem onus duplicet ex eadem causa, vel pro eodem fine, seù effectu.

Atque ad idem ponderabam receptam

5 regulam, de qua *sub tit. de decim. disc.* 18. vbi concordando super prohibita solutione redecimæ, vt scilicét de illis, pro quibus decima iam accepta sit, alteram decimā Parochus, vel alter decimator exigere non valeat.

Quamuis autem scribentes in contrarium pro gabellario, super hoc puncto nimium leuitèr petransirent eum aliquibus

6 generalitatibus, idque ex ratione insinuata *in Relat. Curia lib.* 15. *disc.* 46. *& alibi*, quod scilicét tota modernorum eruditio, vel scientia, pro frequentiori vsu, reducitur ad traditiones, & doctrinas in repertorijs adnotatas, absque parte scientifica principiorum, vndè proptereà, quando casus non præbeat inuenire decisiones vel doctrinas punctuales, aliud dicere nesciunt.

Attamen de tempore, quo causa disputabatur, ea mihi aliquam difficultatē inferebat, ex eadem ratione, seù conside-

7 ratione, de qua in his similibus, nimiumque proximis terminis habetur *d. disc.* 18. *de decim.* quod scilicét, quamuis pro frumento de tempore recollectæ per domi-

num,

num, vel colonum in area soluta sit decima, adhuc tamen pro eodem frumento decimator posset alteram decimam exigere á domino molendini, quoniam ita est exigere decimam de fructibus, & emolumentis molendini, accidentalitèr consistentibus in frumento, quod soluatur loco pecuniæ pro mercede moliturę.

Siquidem, vt etiam aduertitur suprà *d. disc. 54. & 155. hoc tit. & disc. 5. Miscellan. Eccles.* ista non est gabella meré realis imposita ipsi merci, adeóvt ista semel ingabellata, per quascumque ma-
8 nus transeat, atque plures eius contractationes fiant, sint immunes, per immunitatem realem eis impressam, vt (ex: gr:) contingit in dohana, quæ pro mercibus setici, vel lanæ, aut similibus, vel pro vino, & alijs soluitur, in introductione in portum, vel in Ciuitatem, iuxtà deducta suprà *disc. 63. cum plur. seqq.* quoniam tunc si post introductionem, & solutioné dohanæ, pluriès earum contractationes sequantur in Ciuitate, atque per plures manus transeant, alia dohana soluenda non est; secùs autem si gabella non respiceret ipsam rem, eiusque introductioné, sed respiciat contractum, quoniam si pro contractu inito super vna re, soluta sit gabella, prohibitum est, eam pluriès exi-
9 gere pro diuersis contractibus, qui deindé super eadem re fiant, ex ijs, quæ in materia gabellæ contractuum habéntur suprà *disc. 49.* atque in Vrbe, in qua ista gabella generalis contractuum non habetur, docet etiam praxis in gabella plani, seù equorum, de qua suprà *disc. 72.* quoniam pro eodem equo soluitur gabella totiès quotiès illum vendi contingat, ad instar eorum, quæ habemus in materia emphytheotica super solutione laudemij, dum isti termini passim parificantur.

Applicando itaque ad rem, vt aduertitur in superiùs allegatis *discursibus 54. & 155. hoc tit. & disc. 5. in Miscellan. Ecclesiast.* ista gabella molituræ, seù fari-
10 næ, dici non potest realis, imposita ipsi frumento, (vt malé opinatum fuit quando prodijt resolutio Sacræ Congregationis Immunitatis, quod etiam absentes illius franchitiæ gaudere deberent) sed est imposita personis, ratione, vel occasione vsus panis, & per consequens non soluitur ratione frumenti, vel aliarum frugum, minùsque ratione ipsius molituræ,
11 pro qua solùm soluitur merx molendinario, & á qua neque Ecclesiastici sunt exempti, nisi in ea maiori extrinseca, seù accidentali mercede, quæ soluatur ratione iuris priuatiui, cui Ecclesiastici nõ subiaceant, *ex insinuatis d. disc. 5. in Miscellan.* sed soluitur pro fine, seú effectu conuersionis in vsum panis, & sic pro actu diuerso, in quo Dominus molendini consideratur tanquam diuersa persona, dum illud frumentum ex molendino perceptum, poterat non molere, sed alijs vendere, siuè in alium vsum conuertere.

Et quamuis ita gabellarius duplicatã obtineat gabellam, vnam scilicèt à molitoribus, & alteram à molendinario; Attamén quoad istum, videtur exceptio de iure tertij, qui sibi imputet cur sol-
12 uit gabellam pro ista portione, pro qua de iure non teneretur ex dictà ratione, quod ista gabella respicit effectum vsus; Vndé propreteà si molere volentes triticum pro eorum vsu, adducerent ad molendinum in vno sacculo iustam mensuram tritici molendi, & in alio paruo sacculo, illam portionem, quæ danda est molendinario, videretur, quod de ista portione, cuius vsum molentes habituri non sunt, gabella soluenda non esset, sed solùm gabellarius exigere posset à molendinario redditionem rationis, ne moleret in fraudem, propterea si molentes eam indebité soluunt, ac remittere volunt gabellario, de hoc ad molendinariũ non pertinet.

E' conuersò autem fauore huius partis vrgere videbatur consideratio, quod si molendinarius loco accipiendi suam
13 mercedem in aliqua modica portione frumenti, priusquam molatur, illam percipiat in farina, posset istam ad vsum panis conuertere absque alia gabella, dum farina est iam ingabellata, ideòque vsus percipiendi in frumento gratia maioris commoditatis causare non debeat præiudicium duplicati oneris.

Retorqueti etiam videtur supradicta ratio, vel consideratio, quod scilicét ista gabella imposita non est tritico materiali, neque actui molituræ, sed imposita est personis ratione vsus huius victualis, & per consequens ita ab omnibus per-

fontis loci pro rata vsus obtinetur gabella integra, quoniam illi de populo, qui accedunt ad molendinum, si soluerent mercedem molituræ in pecunia, atque, ad domum asportarent integram quantitatem frumenti redacti ad farinam, haberent illam maiorem vsum, vndè propterea ob hanc diminutionem coguntur denuò molere illud plus, atque denuò gabellam soluere, iuxtà ponderationes, de quibus *d. disc. 5. Miscell. Eccles.* occa-
14 sione agendi de facultate Ecclesiasticorum vendendi, vel concedendi laicis, eorum bullettas, seù franchitias, dum ita nil gabellario deperit, ex quo Ecclesiastici coguntur emere panem ingabellatum sic à pari.

Ex his autem negari non posse, ponderabam, quin casus esset dubius, & per
15 consequens, vt nimium deferendum esset obseruantiæ; Potissimè dum illa erat longissima annorum triginta, quæ in hac materia gabellarum regulariter sufficit, etiam præscriptiua pro exemptione gabellæ, aliàs debitæ, *ex deductis pluriès in præcedentibus*; Quamuis enim in hoc Principatu non sit practicabilis ista species præscriptionis, ob tot Constitutiones reuocatorias continentes decretum irritans, quod impedit quamcumque præscriptionem, eiusque initio se opponit, ex adeò frequentèr insinuatis in omni materia; Attamèn saltèm attendenda venit, tanquam interpretatiua, quæ licèt non indigeat temporis decursu, vt præscriptiua, maioris tamen ponderis est, quando sit longissima, ideòque probabilis visa est resolutio.

DISC. CLXXIV.

Romana Gabellæ lignorum.

Pro Hospitali Mendicantium Sancti Sixti cum mercatoribus lignorum.

Causa pendet in Camera.

An, & quando regalia penès priuatos retineant suam naturam, vt possideri non possint sine titulo, quodque sola possessio non sufficiat; Et de interpretatione concessionis gabellæ, quid comprehendat; Et de bannimentis Camerarij in Vrbe.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *In regalibus non suffragatur possessio sine titulo.*
3 *Possessio non suffragatur vbi constat de titulo infecto.*
4 *An sit deferendum bannimentis Camerarij.*
5 *Gabella odibiles, ideòque non extendenda.*
6 *Quod quæstio esset in applicatione.*
7 *Quando locus pius non habeatur iure priuati.*
8 *Princeps tenetur subuenire pauperibus.*
9 *Quando possessio sit manutenibilis etiam in regalibus, aliisque prohibitis.*
10 *An, & quando bannimenta Camerarij attendi debeant.*
11 *In quo propriè gabella, de qua agitur, consistat.*
12 *Quod soluatur etiam pro lignis, quæ introducuntur per terram.*
13 *De differentia in solutione dohana inter introductionem per nauigationem, vel per terram.*

DISC. CLXXIV.



RETENTA facti serie, de qua suprà *disc. 81.* supèr
1 erectione istius Hospitalis facta per Sixtum Quintũ, & concessione sibi ab eodem Pontifice facta de gabella lignorũ; Cùm à moderno tempore inoleuerit vsus quarumdam cymbarum, siue instrumentorum nauigationis pro vehendis lignis per flumen, quæ *Chioua*, seù *Media Chioua* nuncupantur, de quibus priuilegium, seù bulla concessionis non loquitur, curatum verò esset per Hospitalis administratores, in bannimentis à Camerario pro tempore renouatis, vt ista noua instrumenta quoque describerentur, atque consuetum esset pro gabella exigi iulios quinque pro qualibet Chioua, & duos cum

cum dimidio pro media Chioua; Hinc prætensionem excitarunt mercatores lignorum, ad huiusmodi solutionem non teneri; Introductaque causa coram Præside dohanarum; decreta fuit hospitali manutentio in quasi possessione exigendi; interpositaque appellatione ad Cameram, atque dato solito dubio, An, & quomodo esset inhibendum, prodijt resolutio hospitali fauorabilis, super exclusione appellationis suspensiuæ, cum consueto huius Tribunalis rescripto *ad deuolutiuã tantùm*; Concessa verò appellanti noua audientia, in repropositione ob votorum discordantiam, dilata fuit resolutio, quæ pendet.

Dubitandi rationem aliquibus præbebat sæpiùs insinuata conclusio, quod
1 in ijs, quæ sunt de regalibus, vt præsertim est sine dubio istud ius imponendi, & exigendi gabellas, non intrat solita huius interdicti possessorij propositio, quod quærendum non sit de titulo, vel de bonõ iure, sed sufficiat sola possessio de facto, ex insinuatis, præsertim *disc. 44. de iudic. & alibi pluriès*, sed doceri debeat de titulo, ob vehementem iuris resistentiam in priuatis possidendi hæc iura sine priuilegio Principis.

Potissimè verò vbi possessio nõ sit diuturna, & temporis valdè considerabilis, quõ casu solet ipsa propositio limitari, ex insinuatis suprà *disc. 138. & 146.*

Et fortiùs vbi in continenti constat de malo iure, atque de infecta, seù intrusi-
3 ua possessione, contrà, vel præter titulũ, ad quem possessio restricta sit, cùm tunc possessio, quantumuis antiqua non suffragetur, ex deductis suprà *disc. 47. & in tit. de alienat. & contract. probib. disc. 1. & 3. & alibi pluriès*, quoniam illa præsumptio quæ à temporis antiquitate resultat excluditur per contrariam probationem.

Cùm etenim eadem bannimenta Camerarij, quorũ vigore aliquæ exceptiones ortæ fuerant, relationem haberent ad dictam bullam Sixti V. cuius vigore in omnibns appaltibus, alijsque actibus semper hospitalis administratores istam gabellam possidere professi sunt, adeóvt incontrouertibilis esset restrictio ad hunc titulum, tanquam vnicum, absque eo, quod intrare posset sæpiùs insinuata possibilitas, vel facultas allegandi alium titulum meliorem, ita de plano præmissa procedere dicebant scribentes pro mercatoribus, ac etiam illi Iudices, qui dubitabant, dum ex eiusdem bullæ, seù priuilegij tenore incontinenti constabat de incompetentia iuris exigendi gabellam, ex huiusmodi specie cymbarum, vel instrumentorum, quorum nulla mentio habebatur, sed ea solùm fiebat de quibusdam alijs cymbarum speciebus, ad quas proindè concessio restricta dicebatur.

Cùmque aliqui scribentes pro hospitali, & præsertim causæ Patronus insisterent in bannimentis Camerarij, in quibus
4 pro continuatione antiqui styli adijci solet clausula, *hábito Sanctissimi viuæ vocis oraculo*, quodque propterea ita adesset Pontificis concessio; Hinc proindè ijdem scribentes pro appellantibus, cum consueto moderno superfluo allegationum cumulo, nimium in hoc se diffundebant ad probandum, quod huiusmodi clausula, *super viuæ vocis oraculo*, quæ antiquitùs in Cardinalibus, alijsque Magistratibus latiùs patebat, per modernas Constitutiones nimiùm moderata fuerit, atque restricta ad ea negotia particularia, in quibus pro qualitate officij, & ipsorũ negotiorum solet fieri verbum cum Papa, atque ab eo particulare viuæ vocis oraculum haberi, secùs autem in huiusmodi bannimentis, alijsque generalibus prouisionibus, in quibus id ex quodam stylo Notariorum adijci solet; Et per consequens cum iste Magistratus, quamuis sit nimium qualificatus, atque de maioribus, & primarijs, in hoc tamen gerat partes exequutoris pro obseruantia concessionum, & prouisionum pontificiarum; Idcircó facere non potest concessionem illorum iurium, quæ sunt de regalibus, & solo Principi reseruatis.

Ac vlteriùs, non solùm adesse dicebatur defectus potestatis, sed etiam ille voluntatis, dum bannimentorum tenor ostendebat, quod voluntas non erat aliquid de nouo concedendi, sed tantùm demandandi exequutionem; & obseruantiam eorum, quæ iam concessa sunt, & competant.

Nimiùm quoque ijdem scribentes cũ eodem consueto magno allegationum cumulo superfluo, vel inutili, in ijs, quæ certa sunt, ac præsupponenda veniunt,
5 iuxtà scribentium præcepta insinuata *in Relatione Curiæ disc. 46.* se diffundebant in odibi-

odibilitate gabellarum,& onerum,quod-
que propterea earum concessiones ex-
tensionem, seu fauorabilem interpreta-
tionem non admittant, sed ad præcisos
verborum limites restrictionem habere
debeant, iuxtà genericam omnium odi-
bilium, & exorbitantium naturam.

His tamen non obstantibus, scribens
pro hospitali,etiam cum aliquo sensu ve-
ritatis, contrarium dicebam probabiliùs
esse, quodque iustè, ac fundatè dicta ma-
6 nutentio concessa fuisset, ideóque meri-
tó reiecta appellatio suspensiua, iuxtà
istius iudicij priuilegium, de quo *dicto
disc.* 44. *& alibi pluriès*; Non quidem
negando, vel impugnando omnes præ-
missas conclusiones, quas admittebam
tanquam veras, quodque propterea ina-
nis labor esset, eas cum tot allegationi-
bus comprobare, adhibendo consuetam
ineptiam inducendi multos testes ad
probandam lucem Solis meridiani æsti-
ui; sed quod pro frequentiori, penèque
generali forensium quæstionum consue-
tudine, fallacia consisteret in applica-
tione, tam de iure, quàm de facto.

De facto scilicèt, super minus vero
præsupposito, quod ageretur de priuata
persona contendente de possessione, ac
pertinentia iurium regalium,cum potiùs
7 ista exactio fieri, & continuari dicatur
per ipsummet supremum Principem, cu-
ius vice, & nomine huius hospitalis ad-
ministratores, tanquam eius ministri ap-
plicant emolumēta huic pio operi, quod
Principi ex debito officij incumbit, eo-
dem modo, quo ministri Camerales, vel
militares, aliarum gabellarum, aliorum-
que publicorum onerum redditus, & e-
molumenta erogant in stipendia militum,
& officialium, aliasque publicas impen-
sas, dum Princeps dicitur pater paupe-
8 rum, eorumque indigentiæ in subsidium
consulere tenetur, vt agendo in specie de
isto hospitali, istaque gabella, latiùs ad-
uertitur in suprà *alleg. disc.* 81. Et gene-
ralitèr de ista Principis obligatione ergá
pauperes, occasione agendi de publica
annona, aduertitur suprà *disc.* 44. *& seq.
&* 125. Et consequentèr, quod æquiuo-
cum dignosceretur in facti præsupposito,
quo corruente, mole sua corruerent om-
nes præfatæ iuris conclusiones, dum
procedunt cum hoc præsupposito, quod
ageretur de persona priuata, quæ ad pri-
uatam vtilitatem huiusmodi iura publi-
ca, & regalia obtinere prætendat.

In iure quoque, applicationis falla-
ciam adesse dicebam, quoniam præmis-
sa omnia rectè procedunt, quando in
priuato (quatenùs admitteretur, quod
eius iure, hoc hospitale censendum esset)
9 nullus adesset titulus, adeóvt in sola pos-
sessione se fundaret, vel adesset titulus,
de cuius infectione incontinenti consta-
ret, aut quod eo valido, & legitimo exi-
stente, attamèn id, quod possideatur cla-
rè sit contrà, vel præter illum; secùs au-
tem vbi, vel clarum sit, vel saltèm pro-
babilitèr dubium, quod idem legitimus
titulus comprehendat illam speciem
exactionis, de qua sit quæstio; tunc ete-
nim possessio non habet illam iuris resi-
stentiam, vel malam præsumptionem,
quam habet deficiente titulo, & quando
ex illa tantùm ius possessoris deducatur;
sed potiùs attendenda venit tanquam
obseruantia interpretatiua tituli, seu pri-
uilegij dubij; Et per consequens, pen-
dente quæstione super tali interpreta-
tione, vel comprehensione, possessio iux-
tà eius regularem naturam est manute-
nenda, cùm tunc cesset illa ratio, cui re-
gulæ generalis limitatio specialis, de
qua suprà, innixa est, dum potiús posses-
sio ipsius tituli fomentum habet.

Ad instar eorum, quæ habemus in ma-
teria decreti irritantis, quod scilicèt
quamuis, vbi illud obstet, non competat
hoc remedium possessorium, ex ea ratio-
ne, quod possessio est infecta, & habenda
pro non extante; Attamèn vbi aliquod
cadat dubium super dicti decreti ob-
stantia, vel cōprehensione, interim pos-
sessori deneganda non est manutentio, ex
insinuatis *d. disc.* 81. *&* 44. *de iudic. &
alibi*; Ita paritèr non competunt reme-
dia possessoria illi, qui possedit ex titulo,
vel causa iam resoluta, vt habetur in
possidente causa feudi, vel emphyteusis,
& simili, & tamèn si id non sit omninò
clarum, sed aliquam recipiat dubitatio-
nem, quæ examen, vel discussionem exi-
gat, interim manutenceri debet, vt plu-
riès *sub tit. de emphyt. cum similibus*. Et
in specie possessionis huiusmodi iurium,
quæ obtineri nō possunt sine priuilegio,
quod si de illo per possessorem doceatur,
è conuersò autem doceatur de reuoca-
tione, tunc vbi ista aliquam dubitatio-
nem

nem habere potest, interim possessor est manutenendus, ex deductis *disc. 2. de praemin. & alibi*; Ex ea congrua ratione, quod in possessorio sufficit color tituli, de cuius viribus videndum est in petitorio.

Fortiùs verò vbi interpretatio, quae ab obseruantia, vel possessione resultat referri non valeat ad potentialem vsurpationem, cuius praesumptio ex qualitate personae, vel regionis cadat, iuxtá ponderationes, de quibus *sub tit. de feud. disc. 65*. Multóque magis, vbi non sit possessio merè priuata, quae intrusiua dici valeat, sed fomentum habeat auctoritatis superioris, qui titulo, vel priuilegio eandem dederit interpretationem, vt in

10 praesenti, ob superiús enunciata bannimenta Camerarij, circà quae dicebam idem, quod habetur suprà *disc. 172.* quod scilicèt quamuis non habeat potestatem indicendi, vel augendi gabellas, aliaque iura regalia concedendi, illis exceptis, quae in eius facultatibus leguntur, siue in quorum possessione existat, vt (ex:gr:) sunt concessiones aliquorum locorum publicorum ad vsum, vel ad aedificium, ex insinuatis suprà *disc. 142. & sub tit. de seruit. disc. 5. & alibi*; Attamèn negari non potest, quin tanquam huiusmodi priuilegiorum, & concessionum exequutor, dicendus veniat legitimus interpres, quodque possessio, quae cum eius auctoritate sequuta est, bonam, non autem malam habeat praesumptionem.

Praetereà aduertebam, quod etiam in bono iure, iustitia hospitali assisteret, quoniam licet pontificia concessio loquetur de quibusdam speciebus cymbarum, & instrumentorum, cum quibus ligna per flumen ad Vrbem euehuntur;

11 Attamén gabella non est imposita ratione nauigationis, adeóvt dici valeat, quod dispositio loquens de vna specie, non conueniat alteri, ob prohibitam extensionem, & ad instar eorũ, quae circà hanc distinctionem specierum nauium, vel cymbarum in proposito assecurationum habentur *sub tit. de credit. disc. 106. & seqq.* sed imposita est lignis, seù veriùs personis occasione vsus lignorum, iuxtà ea, quae de dohana, vel alia gabella introductionis habentur suprà *disc. 63. cum plurib. seqq.* Ac etiam in proposito gabellae macinatus, vel aliorum victualium insinuatur *disc. praeced.* vbi alij referuntur, & per consequens attendatur qualitas mercis gabellabilis, quomodocunque introducatur; vndè propterea cymbarum species, de quibus pontificia concessio loquitur, stant demonstratiuè, non autẽ taxatiuè, ex eo, quod illae tunc solùm in vsu essent, dum inuentio, vel introductio huiusmodi instrumentorum est recens; Aliàs etenim esset dare inconueniens, quod lex diceretur imposita potiùs verbis, quàm rebus, nimiumque lata, & facilis aperiretur via fraudandi istam gabellam, eamque inanem reddendi, dum posset fieri introductio in longè maiori quantitate cum triremibus, alijsque magnis nauibus belligeris, vel mercantilibus, quando ob inundationes, vel aquarum copias, flumen esset earum capax, dum de istis concessio non loquitur, tanquam de specie impropria, & insolita, quod vtique absonum est dicere.

Quodque dicta gabella imposita non esset cymbis, vel instrumentis, cum quibus ligna vehuntur, ac in Vrbem introducuntur, sed ipsi mercimonio, pro quo etiam soluitur dohana, tanquam de merce; Clarè comprobati dicebam ex antiqua, & inconcussa obseruantia, quod ea-

12 dem gabella exigatur in portis Ciuitatis ad proportionem quantitatis lignorum, pro illis quae introducuntur super dorso iumentorum, vel in curribus, & plaustris, ijs exceptis, quae in proprijs vineis, vel praedijs incisa introducantur pro vsu proprio domestico; Idque rationabilitèr, quoniam aliàs ad fraudandum gabellam possent ligna in cymbis, alijsque instrumentis nauigationis introduci ad loca proxima extrà Vrbem, ibique exonerari, atque fieri introductio per terram animalibus, & plaustris, vel curribus.

Ad instar eius, quod praxis docet circà solutionem dohanae, quoniam maior quota soluitur in dohana Ripae, pro illis

13 quae cum maritima nauigatione introducuntur, quàm in dohana terrestri, ex probabili fortè motiuo maioris sumptus, qui in hac specie introductionis fieri debet per introductores, quoniam si merces, quae per mare vehuntur, exonerentur in proximis litoribus, ex quibus cum iumentis, vel curribus, & plaustribus per terram introducuntur in dohana existente in Ciuitate, non autem in Ripa,

Ripa, adhuc tamen exigitur dohana ripalis, quoniàm ius est in effectu, vel substantia, non autem in formalitate verborum, semper in omni materia damnabili.

DISC. CLXXV.

Romana Appaltus, vel defalchi.

PRO

Barbarinis, cum Camera Populi Romani.

Casus disputatus coram Camerario.

De eadem materia, de qua suprà *disc. 159.* An scilicèt, & quando Appaltatoribus gabellarum, & vectigalium competat defalcum, ob fraudes, & contrabanna, ex eo, quod Locator, vel eius Officiales illis aliquam dederint causam, siué negligant ea impedire, atque oportunas tradere prouisiones.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Non petitur defalcum pro causa iam praeexistente, & cognita, & num. 15.*
3 *De eodem, vt non competat pro casu, qui possit praeuideri.*
4 *Quod pro fraudibus, & contrabandis non competat defalchum.*
5 *Exceptnatio aliquorum casuum, in quibus competere debeat defalcum, statuit regulam in contrarium in alijs casibus.*
6 *Quando dicatur damnum intolerabile remissione dignum, & de compensatione anni sterilis, cum fertili.*
7 *Quomodo ista materia regulari debeat, & quod sit error procedere cum generalitatibus.*
8 *De distinctione casuum, vel specierum quaestionum in hac materia.*
9 *De interesse, ac damnorum refectione facienda per conductorem locatori.*
10 *De casu conuerso refectionis damnorum, & interesse, ad quam locator teneatur ex eius facto voluntario ergà conductorem cum distinctione inter factum culposum, & non culposum.*
11 *De damno proueniente à culpa, vel facto tertij, quando locator de illo teneatur, nec nè.*
12 *Quando perit, vel deficit rei substantia indefinitè fit defalcum, nō curata qualitate damni.*
13 *Quando dicatur perire, vel deficere substantia rei.*
14 *De deficentia voluntatis, vel praesuppositi, quae aequipolleat deficientiae substantiae.*
15 *De eadem conclusione, de qua num. 2.*
16 *Quando non obstante scientia, seù praeuisione casus, debeatur defalcum.*
17 *In damno casuali, quando illud dicatur magnum, & intolerabile, remissione dignum.*
18 *Posito damno intolerabili, an defalcum competat pro toto, vel solùm in eo, quod excedat ratam, ex qua resultat intolerabilitas.*
19 *De compensatione anni sterilis, cum fertili, eiusque modo.*
20 *De conuentione, per quam conductor suscipiat in se casus, & renunciet defalco, & quando etiam hoc non obstante debeatur.*
21 *Quando istud pactum censendum sit pro adiecto.*
22 *De casu conuerso, quod fiat pactum super defalco in aliquibus casibus, quomodo tale pactum intelligi debeat.*
23 *Quomodo in huiusmodi quaestionibus procedi debeat.*
24 *De casu praeciso controuersiae, & qui termini in eo intrent.*

DISC. CLXXV.



VSCEPTO per Barbarinos negotiatores Ianuenses de anno 1660. appaltu gabellae vini, quae gabella studij nuncupatur, iuxtà seriem
1 ad aliud propositū enarratam *sub tit. de locat. disc. 26.* Inter alia capitula desupèr pro stylo confecta, fuit illud, quod vbi per milites in Vrbe morari solitos, pro custodia Papae, vel Ciuitatis, aut per familiares, & ministros Oratorum, Regum, & Principum, aliosque exemptos, & priuilegiatos, fraudes, vel praeiudicia committerentur, tunc teneren-

nerentur Conseruatores Populi, alijque Officiales Camerales de hoc certiorati huiusmodi fraudibus, & præiudicijs occurrere, atque oportunas capere prouisiones; quodque aliàs defalcum de eo, quod interest fieri deberet, sola denunciationis obligatione ipsis Appaltatoribus iniuncta; Cùmque familiares, & ministri aliquorum Oratorum Principum, ac etiam aliquorum Cardinalium, nec non milites, in diuersis temporibus, de facto vinum sine bulletta, vel gabella vendidissent, absque eo, quod manu, vel potestate sua id impedire potuissent Appaltatores, qui tamen ad Capitulorum præscriptum suo tempore præmissas fecerunt denunciationes, ac interpellationes; Hinc proindè finito appaltu, occasione solutionis residualis summæ census, vel pensionis orta est consueta, penèq; connaturalis quæstio defalchi coram Camerario.

In disputationibus itaque desupèr habitis, maius, præcipuumque fundamentum scribentium pro Camera Populi, cōsistebat in indiuiduali *decis.60. Canaler.*
2 vbi agendo in specie de ista gabella, & de consimili petitione defalchi petita per Appaltatores, ex consimili causa quarundam franchitiarū deciditur, quod cum de tempore suscepti appaltus, illæ franchitiæ iam adessent, atque verisimilitèr innotescerent, non poterat ex eari causa defalcum prætendi; Potissimè stante retroacta obseruantia, dum appaltus censentur facti iuxtà solitum, vt etiam pluriès in præcedentibus aduertitur; Atq; ad idem faciunt ea, quæ ad materiam *tex. in l. si fundum sciens, C. de euict.* habentur *in tit. de empt. & vendit. disc. 10. 11. & 17.* in emptore non agente ad euictionem pro sibi iam cognitis defectibus ac iuribus alienis.

Deduecendo quoq; conclusionem firmatam apud *Coccin. decis.422.* vt scilicèt
3 non competat defalcum pro eo damno, quod præuideatur, vel præuideri debuerit; In idem deducendo resolutionem Congregationis Computorum *in Ferra-*
4 *rien.* de qua suprà *disc.159.* quoniā fraudes, & contrabanna sunt connaturalia gabellarum, ideòque Appaltatores id rectè sciunt, vel scire, ac præuidere debent, eaque videntur pars pretij.

Fortiùs verò, ob aliquorum casuum expressionem, quibus exceptis conuentum est, vt defalcum prætendi non va-
5 leat, ex causa scilicèt belli diuini, vel humani, vel absentiæ Papæ, eiusque Curiæ ab Vrbe, ideòque omnes alios in se susceperint, ex ijs, quæ apud fiscalem *Larream alleg.17. & seqq.* habentur, ac alios deductos *d. disc.159. & in alijs, hoc tit. & disc.1. de locat.*

In eo quoque insistendo, quod non iustificaretur damnum intolerabile, quale solùm dicitur, quando adsit læsio vl-
6 trà dimidiam, quod scilicèt fructus, qui percipiantur, non sufficiant ad medietatem pensionis, iuxtà opinionem, quam inter plures, Romana Curia sequitur dictam *decisionem receptam 422. Coccini*, & suprà *disc. 65.* Et nihilominùs, data etiam in vno, vel aliquibus annis ista damni specie, adhuc tamen neque id sufficiat, vt in illis aliorum præcedentiū vel subsequentium vberiorum, ac vtiliū annorum compensatio, seù peræquatio fiat, iuxtà pluriès in præcedentibus insinuata *hoc eodem tit.* & præsertim *disc.65. ac etiam sub tit. de locat. disc.1. & in alijs.*

Scribens è conuerso pro Appaltatori-
7 bus dicebam, idem, quod dicitur *disc. præcedenti*, nimiumque frequentèr, in omni penè materia, semper tamen vtilitèr, & oportunè, mea est dicendi consuetudo, manifestum scilicèt errorem esse in huiusmodi quæstionibus decidendis, cum præmissis, vel similibus conclusionibus indefinitè in omni casu procedere, dum illæ, pro singulorum respectiuè casuum qualitate, omnes quidèm verè sunt, sed non omnibus casibus congruunt, ac propterea totum consistit in
8 applicatione, ex singulorū casuum qualitate, & circumstantijs regulanda, ideòque reassumendo aliàs deducta *disc.64. & seqq. & 159. hoc tit. & d. disc.1. de locat.* & alibi, aduertebam, quod generalitèr quatuor distinguendi sunt casus, vel species; Primò nempè, quando damnum proueniat ex facto ipsiusmet Conductoris, vel illorum famulorum, siuè ministrorum, & officialium, quos ipse operi præposuerit, adeòut de iure, factum istorum, habendum sit pro proprio, iuxtà deducta *d. tit. de locat. disc. 7. & seqq.* Secundò, vbi proueniat facto Locatoris, vel suorum officialium, seù ministrorum, vt suprà; Tertiò, vbi facto tertij; Et quartò,

vbi

vbi à casu fortuito.

In primo casu, certum est, quod defalcum non competat, eodem modo, quo habemus in emptione, & venditio-
9 ne, vt præstanda non sit euictio, quæ sequatur ex facto emptoris; Distinctione cadente inter factum culposum,& excusabile, pro excusatione aliorum damnorum, & interesse, ad quæ Locator actione locati, & conducti, vel ex altera legis Aquiliæ contra ipsum agere valeat, ex deductis in præfata sua sede *sub tit. de locat. & conduct. d. disc.7.& seqq.* Cum præsupposito tamen, quod factum sit tale, vt dici mereatur voluntarium, secùs autem, vbi ita necessarium sit, vt potiùs cadat sub quarta specie casus fortuiti, vt frequentiùs contingit in facto locatoris, vt infrà.

In secundo autem casu, in quo agatur de facto ipsius locatoris,vel eorum,quorum factum habendum est etiam pro pro-
10 prio, vt suprà, iuxtà totiès insinuatam receptam theoricam *Bartol. in l.si vno §. item cum quidam, ff. locat. & in quæst. 4. qua incipit publicanus*, distinctio est, an factum sit ita voluntarium,quod dici valeat culposum, ob violationem fidei, super obseruantia, & implemento contractus, ac præstatione debitæ patientiæ, quia nempè, nulla accedente necessitate præcisa, vel causatiua ad emulationem, siuè ad lucrum, aut ad alterius complacentiam &c. aliqua fiat innouatio præiudicialis; Et tunc dicatur factum merè voluntarium, ex quo resultat, non solùm remissio pensionis, sed etiam refectio omnimoda eius, quod interest conductoris, etiam ratione lucri amissi, vt in indiuiduo istius gabellæ firmatur in *decisione 285,post Pacific. de Saluian.* quàuis in eo casu incongrua videatur applicatio.

Aut verò damnum,siuè innouatio proueniat á facto voluntario locatoris, qui volens, potuisset illud non facere, vel differre, siuè aliàs necessitati consulere; Attamen iusta accedat causa, quæ si non præcisam, saltèm interpretatiuam necessitatem redoleat; Vt (ex:gr:) contingit in ipsius gabellæ suppressione, vel diminutione, aut alia alteratione, iuxtà casum, de quo *in dicta decis.285. post Pacific.* & suprà *in Romana redditionis rationis disc.86.* siuè casum, de quo suprà *d. disc.159.* quando motiuum diuersitatis Prouinciæ non obstaret; Vel è conuerso quia eadem gabella augeretur,vel fierent nouæ impositiones aliarum gabellarum præiudicialium; Aut quod fieret mutatio monetarum, cum similibus, iuxtà *cons.50.Eugen.lib.1.Ann. allegat.21. Marcian. sen. consil. 7. cum alijs relatis suprà disc.107. & d. disc.159. & in alijs*; Et tunc excusabitur quidem locator ab illa refectione damnorum, & interesse, etiam lucri amissi, quæ intrat in casu facti merè voluntarij, & culposi, sed tamen locus est remissioni pensionis, pro rata damni, tale quale illud sit, neglecta distinctione intolerabilitatis,vel compensationis cum anno vbere, cùm tunc congruat potiùs praxis tenta *in d. disc.86.* quod scilicèt conductor induat pro eo anno, vel tempore personam administratoris, ne sit in lucro de alieno,non autè,vt sit in damno.

Aut verò factum locatoris, vel eius officialium, & ministrorum proueniat à tali causa, quæ dici mereatur potiùs necessaria, pro recta Reipublicæ,vel Principatus administratione, vt formidatis damnis, & præiudicijs occurratur, vt (ex:gr:) contingit in casibus, de quibus agunt *Camil. de Medic. cons.23. & 141. Menoch. cons.671. Larrea d. allegat.17.& seqq. & alij*; Quia nempé, ob timorem pestis prohibeantur aliquæ nundinæ,siuè prohibeatur commercium maritimum, vel terrestre aliquarum Ciuitatum, vel nationum, vel quod eadem prohibitio sequatur ex causa belli, vel inimicitiæ cum alio Principe, vel populo, cum similibus; Et tunc cessante pacto, de quo infrà,quidquid dicant *Cammill.de Medic. d. cons.23. & 141. & alij*, probabiliùs videtur, vt sub quarta specie potiùs huiusmodi casus cadat; Circumspectè tamen tractando cum aliqua maiori æquitate, quàm vbi agatur de sterilitatibus, alijsq; naturalibus accidentibus.

In tertio verò casu, in quo damnum prouenit á facto tertij, intrat quoque
11 distinctio, an sit tertius, quem ipse locator oportuné coercere, seu prohibere valeat, nec nè; Si etenim non possit, tunc paritèr sub sequenti quarta specie collocandus venit, vt sunt (ex: gr:) irruentiæ hostium, vel bannitorum, & piratarum, cum similibus; Siué factum alicuius tertij ità potentis, qui de facto prohi-

prohibere non possit; Si autèm locator prohibere potest, & negligit; Et tunc in sensu aliquorum Doctorum, & præsertim *Soccin. in celebri totiès enunciato consilio* 156. *& Ancharan. cons.* 414. & aliorum de quibus *d. disc.* 159. videtur, quod sit idem, ac factum proprium culposum; quasi quod paria sint impedimenta præstari à se ipso, ac à tertio, quem ipse prohiberi possit; Verùm erroneum videtur ità indefinitè id firmare, cum potiùs eadem intret distinctio, de qua suprà, an scilicèt negligentia habeat, nec né aliquod iustum motiuum, vel è conuerso dici valeat culposa, cum ità culpa intret in omittendo, ac in committendo. Isto etenim posteriori casu rectè intrant ea, quæ allegati volunt, secus autèm in primo, in quo iustum motiuum, quod à congruentiæ ratione, vel à prudentialibus motiuis proueniat, excusabit quidē à culpa, vt propterea contra locatorem non intret rigor, de quo suprà in casu facti culposi, pro omnimoda refectione eius, quod interest, sed non per hoc è conuerso intrabunt ea, quæ habentur in defalco, ex damno casuali, de quo infrà, & sic, vt iuxtà secundam partem casus præcedentis fiat locus remissioni pensionis ad ratam damni, quale quale illud fit, quamuis ad metam intolerabilitatis non ascendat; Putà (ad rem), quod damnum proueniat à ministris, & familiaribus Oratorum Principum, siuè Magnatuum, & potentium personarum, qui de stricta iuris censura, iustitia mediante, coerceri, ac prohiberi possent, sed ex prudentialibus motiuis non expediat.

Demùm in quarto casu, quod scilicèt damnum, absque alicuius facto proueniat à mero casu fortuito; Et tunc eodem retento præsupposito, quod nullum accedat pactum, ideóque in solo puncto iuris quæstio sit; Ea inprimis distinctio cadit, an rei substantia in toto, vel in parte perierit, vel potiùs ea salua adhuc existente, damnum sit in fructibus, vel prouentibus; In primo etenim casu peremptionis substantiæ, absque distinctio-
12 ne, an damnum sit magnum, & intolerabile, nec nè, & an vbertas compenset sterilitatem, cum alijs distinctionibus, de quibus infrà, locus est defalco pro pro rata, vel proportione deficientiæ, qualis qualis illa sit, iuxtà pluriès in præcedentibus insinuata, & præsertim *disc.* 64. *& seqq. &* 105. *& seqq. &* 159. *& d. tit. de locat. & conduct. disc.* 1. *& seqq. &* 42. dum in hoc scribentes sunt concordes.

Adhuc tamen magna inter ipsos dissceordantia dignoscitur, vndè propterea punctus inuolutus esse videtur super ap-
13 plicatione, seù verificatione istius primæ partis, quando scilicèt substantia deficere dicatur, nec nè; Siquidèm plerique volunt, quod quamuis in ipsa proprietate, siuè in ipso habituali iure, aut in ipsa causa fructuum, & emolumentorum productiua, nullum accidens contingat, illud veró sequatur in ea occasione, qua mediante fructus, alioquin inutiles, efficiantur vtiles, adhuc substantia deficere dicatur; Putà (ex: gr:) iuxtà assumptum, de quo apud *Surd. cons.* 507. & suprà *disc.* 105. *& seqq.* quod scilicèt in salaria, vel in salinis deficere dicatur substantia appaltus, ob mortalitatem hominum, & animalium, in quorum vsu consistit valor, seú pretium salis, aliàs inutilis; Vel iuxtà casum, de quo *disc.* 134. super impedimento commercij, sine quo inutiles sint pisces lacus, vel similes fructus; aut super impedimento cursitationum, siue super impedimento Tribunalium, in appaltu Cancellariæ, vel Notariatus, vt *tit. de locat. disc.* 2. *&* 3. cum similibus; Veriùs tamen est oppositum, quoniàm in istis, vel similibus casibus, damnum dicitur potiùs esse in fructibus, quorum perfectio, vel exitatio impedita, vel diminuta sit, cum damnum in rei substātia, propriè dicatur illud, per quod tollatur, vel impediatur ipsa causa productiua; Putà, quia in rebus soli, fundus, vel rei proprietas perierit, vel infructuosus redditus sit, ob aquarum inundationes, habentes causam permanentem, putà, iuxtà casum, de quo suprà *disc.* 108. in deuastatione ipsarum salinarum, vel in vrbanis ex ruina, cum similibus accidentibus: Et in incorporalibus, quia sublatum, vel impeditum sit ipsum ius percipiendi, putà, quia concesso appaltu salariæ, seù vectigalium, aut postarum, aliorumuè similium iurium aliquarum Prouinciarum, vel Ciuitatum, aliqua Prouincia, vel Ciuitas dismembretur, vel aliàs occupata sit, dum in ea parte deficit causa productiua, siuè ipsum

ius habituale; Vel quod illud officium, quod exerceatur, vel exerceri possit per totam Ciuitatem, siuè in vniuerso causarum genere, restringatur ad certam contratam, vel ad certum genus causarum, vel personarum, cum in partibus dismébratis, vel prohibitis, deficiat substantia, idest ius habituale, seù causa productiua, non autem effectus; Secus autem, vbi ipso iure habituali adhuc competente, & non alterato, impedimentũ commercij, vel aliud accidens impediat exercitium, quod redundat in diminutionem fructuum, & emolumentorum, iuxtà casus, de quibus *tit. de locat. disc. 2. & 3.*

Et licèt quandoq; illud accidens, quod importat quandam mutationem status rerum, atque reverà percutit potiùs diminutionem fructuum, vel prouentuum,
14 haberi soleat pro cessatione, vel diminutione substantiæ, iuxtà celebre, nimiumque frequentèr insinuatum casum *Ancharani cons. 402.* de appaltatore vectigalium Ciuitatis Pistorij, de tempore, quo Pontifex Alexander Tertius, cum eius Curia ibi residebat, ob eiusdem Papæ, & Curiæ discessum; Attamen id ità dicitur per quandam impropriėtatě, dum idem ius habituale exigẽdi victualia in ea Ciuitate, saluum remanebat, atque per hanc immutationem, solum effectum fuit minus fructiferum, accidentalitèr, adeòut si Curia rediisset, illud suum maiorem effectum produxisset; Adhibetur tamen iste terminus, ad denotandum defectum voluntatis appaltatoris, tanquàm ex cessante præsupposito; eodem modo, quo (ex: gr:) appaltus dohanarum suscipiuntur pro maiori emptione, intuitu aliquarum nundinarũ, quæ prohibeantur, iuxtà casum, de quo agit *dictus Camill. de Medic. dicto cons. 23.* Siuè in Vrbe intuitu anni sancti, vel Iubilei, iuxtà ponderationes, de quibus suprà *disc. 65.* Si contingat ex aliquo accidenti portam sanctam non aperiri, atq; iubileum non indici, quoniam ius habituale exigendi dohanas mercium, est idē, atque diminutio exindè potiùs resultet in fructibus, & prouentibus, sed cessat illud præsuppositum, quod fuit causa maioris pensionis, & sine quo, ea tanti conuenta non esset, vndè substantiæ defectus potiùs fit in voluntate, quam in ipsa re, vel iure; Et per consequens clarus dignoscitur nostrorum error, qui ad præmissas casuum, vel terminorum distinctiones non reflectendo, materiam in hoc adeò inuoluunt cum generalitatibus, vel cum confusione doctrinarum, & decisionum, quæ diuersos casus percutiunt.

Vbi verò damnum non fit in substantia, vel in fructibus, tunc consideratur
15 in primis, an casus existeret, vel imminerer, seù alias præuideri potuerit, ac debuerit, cùm tunc etiamsi damnum esset intolerabile, locus non fit defalco, vt supra *num. 2.* Idque ex ea congrua ratione, quod illud periculum imminens, vel præuisum, sit pars pretij ità diminuti; Vndè propterea appaltator, seù conductor incertam aleam emisse videatur, ad instar censuum, aliorumque contractuũ vitalitiorum, de quibus præsertim *sub tit. de donation. disc. 54. & sub tit. de empt. & vendit. disc. 1.* Siuè ad instar emptionis locorum montium vinculatorum, ex deductis supra *disc. 30. & seqq. cum similibus;* Iuxta exemplum positum apud *Coccin. d. decis. 422.* de conducente casale, vel prædium propè flumen, cuius inundationibus de sui natura subiaceat, vndè propterea locari soleat minus, quã locentur similia casalia, huic periculo nõ subiecta; Idemque in appaltibus vectigalium, vel dohanarum de tempore, quo bellum iam vigeat, vel indictum sit, aut quod iam rupta sit pax, siuè quando pestis grassetur, vel inceperit, in eodem loco, vel in aliis, cum quibus haberi solet commercium, cuius prohibitio præuideri potuerit, ac debuerit, cum similibus.

Et nihilominùs, etiam in istis, vel similibus casibus, erroneum videtur procedere, cum hac generalitate, non re-
16 flectendo ad circumstantias facti, & præsertim ad pretium, seù pensionem, an scilicèt casus, vel periculi imminentia, seù præuisio fuerit causa diminutionis pretij intrinseci, vel consueti, quod aliàs, secluso hoc accidenti, vel eius timore, conueniri debuisset, dum tunc intrat dicta ratio susceptionis aleæ, & quod casus sit pars pretij; Secùs autem si imprudens conductor à locatore deceptus, vel aliàs ex eius imprudentia, non præuidendo id, quod præuidere debebat, suscipiat appaltum pro pretio cõsueto temporis pacifici,

cifici, & non accidentalis, quoniam tunc, si non intrant verè, & propriæ termini remissionis pensionis, iuxtà dispositionem regalium iurium *in l. licet*, *& in cap. potuit*, *& cap. propter sterilitates*, intrant tamen termini læsionis, vel alij doli veri, vel præsumpti; Praxis etenim frequentèr docet, quod ministri, & officiales fiscales, vel Camerales, ad captandam gratiam Principis, vel supremi Magistratus, quod etiam in malis, & accidentalibus temporibus, cum eorum diligentijs fecerint consuetos appaltus absque diminutione, cum vanis, minusque veris assertionibus, vel promissionibus, & quandoque etiam cùm minis, alijsque malis actibus, personas imprudentes, vel inexpertas, aut ambitiosas ad id inducere solent, ideóque rei veritas attendenda est, cum dicta conclusio fundata sit in præsumptione iuris, quæ per contrariam probarionem, vel veritatem cessare debet; Atque pretium sit magnum voluntatis argumentum, ex frequentèr in omni materia insinuatis.

Seclusa veró dicta circumstantia, præexistentiæ, vel præuisionis casus, vndè propterea casus sit verè improuisus, vel fortuitus, tunc intrat inspectio super qualitate damni, an illud sit intolerabile
17 nec nè, atque super hoc variæ habentur opiniones; In Curia tamen, (vt supra insinuatum est) inter priuatos, & non priuilegiatos illa recepta videtur, vt esse debeat vltrà dimidiam, iuxtá terminos *textus in l. 2. C. de rescind. vendit.* qui in hoc proposito adhiberi solent; Ac proptereà eis retentis in Vrbe ad præscriptū statuti, sufficere deberet, quod sit vltra tertiam; In fisco autèm, vel in Ciuitate, alijsque priuilegiatis, in quibus attenditur solùm sexta, debeat ista sufficere, ex deductis supra *disc. 64. & sequ.*

Atque posito, quod damnum ad hanc respectiuè metam ascendat, vndè proptereà intolerabile, atque remissione dignum dici mereatur, adhuc duæ aliæ intrant inspectiones; Vna scilicèt, an re-
18 missio, vel defalcus fieri debeat solùm in ea parte, quæ desit ad supplendam medietatem, vel tertiam, aut sextam respectiuè, vel potiùs in toto, adeòut illa deficentia locum aperiat ad defalcum, vel ad refectionem totius damni, vt veriùs esse firmatur supra *disc. 66.*

Et altera super compensatione annorum vtilium, & vberiorum, cum sterili-
19 bus, vel accidentalibus, atque ad hunc effectum plures cadunt quæstiones, an attendantur solùm anni proximi, vel omnium annorum totius appaltus, fieri debeat peræquatio, iuxtá ea, quæ habentur supra *d. disc. 65. 105. 107. 134. & 159. & in alijs*; Vbi etiam aduertitur ad æquiuocum nostrorum, non distinguendi illos casus damni, vel infructuositatis, qui proueniant à vitio Cœli, vel Naturę, quæ vnius anni infęcunditatem, cum alterius anni fęcunditate compensare solet, & illos, qui proueniant à peste, vel bello, vel alio accidenti, cui dicta ratio suppletionis, vel compensationis non congruat, ex ibi deductis.

Hactenùs quoad illas defalchi, vel restauri quæstiones, quas agi contingat, ex sola dispositione iuris, nullo pacto, vel partium conuentione accedente; Vbi verò conuentio accedat, & tunc duplex intrat inspectio; Vna scilicèt, quando pactum sit defalchi exclusiuum, quia nempè conductor, siuè appaltator promittat conuentæ pensionis solutionem absque vlla exceptionis defalchi, cui expressè renunciauerit, aut quod super illo se remittat voluntati, vel arbitrio locatoris, aut quod de illo conueniat in certis casibus, putá (exempli gratia) iuxtá frequentiorem Vrbis consuetudinem, ex causa belli diuini, vel humani, vel absentiæ Papæ, eiusque Curiæ, cum tunc istorum, aliorumque ciuilium casuum exceptio firmet regulam generalem in contrarium; Et altera inspectio est è conuerso, quando generalirèr in omni casu infortunij, siuè in ijs, qui iam contigerint, adsit pactum affirmatiuum defalchi.

In prima specie conuentionis, plana est regula negatiua, tùm ex generali axiomate, quod quilibet potest proprio
20 fauori renunciare; Tùm fortiùs ob superiùs insinuatam rationem, quod scilicèt casuum, vel periculi susceptio, speciem conuentionis aleæ continet, quæ vtrique damnum, & commodum æquè inferre potest, cum intrinseci, & maioris pretij diminutione, tanquàm per speciem assecurationis, iuxtà ea, quæ de contractu trino, vel similibus assecurationibus habentur *sub tit. de vsur: disc. 1. & seqq.* vel iuxtà illam refectionum, alia-

rumq; expensarum susceptionem, quam in se faciat conductor, cum similibus.

Adhuc tamen, ista regula exempta non est ab aliquibus limitationibus, illa præsertim, quæ *ex decis.139.& 145.Millin.* & alijs habetur supra *d.disc.159.* quando scilicèt cōtingat casus omninò insolitus, vel in magno excessu, & præter solitum, adeòut sit verisimilitèr incogitatus; Siuè vbi facti circumstantiæ ita suadeant obseruantiam huius pacti, præseferre magnā iniustitiam, magnamque læsionem, iuxtà generalem conclusionem frequentèr sub pluribus materijs insinuatam, & præsertim *sub tit. de decim. disc. 3.* & infrà *sub tit. de emphyt. disc.54.* quod scilicèt contractus, quamuis ab initio, & in sua ordinatione licito, si tractu temporis efficiatur nimium iniustus, & inæqualis, reduci debeat ad iustitiam, & æqualitatem.

Clariùs veró, vbi facti circumstantiæ suadeant, quod huiusmodi pactum studiosè adiectum non sit, ex particulari conuentione inter contrahentes sub dicto requisito diminutionis pretij, eique sit congrua assecurationis merces, seù premium; Seù potiùs ex formulario Notarij, aut ex quodam stylo locatoris, absque eo, quod conductor specialitèr ad id aduertat; Potissimè vbi dignoscatur aliqua mutatio temporum, & circumstātiarum, inter antiquos contractus, in quibus huiusmodi pactum adijci cōsueuit, & illum, de quo agitur; Maximè verò, ob verè detestabilem vsum conficiendi instrumenta, & huiusmodi contractus latino idiomate, & quod Notario oretenùs, & in compendio stipulante cōtractum in partibus substantialibus, circá quas re verá contrahentium tractatus, & conclusio fuit, postmodùm domi transcribendo à formularijs, vel ab alijs instrumentis longas desupèr extendat verborum, & clausularum cantilenas, super ijs, quæ nunquàm à contrahentibus cogitata fuerunt, imó, quod neq; ipsemet Notarius intelligat quid scribat, ac proptereà Iudices ad id præsertim reflectere debent, an scilicèt instrumentū itá confectum sit, quod eius minuta, prout iacet transierit per manus contrahentium, eorumque Aduocatorum, vel Sapiētum, adeòut pactum ex matura, & studiosa conuentione, & præordinatione adiectū sit, vel potiùs eo modo, quo suprà: fortiùs verò huiusmodi considerationes habendæ sunt, quando istud pactum negatiuum non sit puré, ac indefinitè conceptum, sed aliquam habeat annexam qualitatem moderatiuam; Putà, iuxtá casum, de quo *sub tit. de locato disc.4.* quod scilicèt conductor se remiserit arbitrio, & discretioni locatoris, cum similibus.

Atque ita intelligenda videtur Constitutio Clementis Octaui, nuncupata boni regiminis, super appaltibus, qui
21 fiunt per Communitates, vt adijci debeat, vel pro adiecto habeatur istud pactum negatiuum, ex deductis per *Cohell. ad dictam Bullam boni regiminis cap. 48. cum alijs in tit.de locato, & conducto disc.6.* quoniàm rationabilitèr, ac prudentèr itá statutum est, ad occurrendum fraudibus, & cauillationibus committi solitis, quod scilicèt potentes Ciues, & negotiatores solebant suscipere appaltus Communitatum, atque in fine retinendo notabilem partem pensionis in manibus, excitare huiusmodi lites, cum quarum colore, colludendo cum administratoribus, ipsæ Communitates supplantari solebāt; Quod etiam congruit fisco, & Ecclesijs, alijsque locis pijs, & omnibus, qui per se ipsos propria negotia tractare non possunt, sed sub aliena administratione per necesse viuunt; Ac propterea discretè id intelligendum est ad istius rationis limites, non autem indefinitè in omni casu, cum solis generalitatibus est procedendum, ad instàr eorum, quæ habemus circeá clausulam *appellatione remota*, vt intelligenda sit de friuola, & quæ non habeat omninó iustum motiuum, cum similibus.

E'conuerso autem, in casu pacti affirmatiui; Quamuis aliqui opinentur, vt
22 illud intelligendum sit, prout de iure, atque in illis casibus, in quibus debeatur, quasi quod sit expressio eius, quod inest; Contrarium tamen probabiliùs, magisque receptum est; Contrarium tamen probabiliùs, magisque receptum est, iuxtá opinionem, cuius antesignanus reputatur *Angel.conf.312.* cum pacta reputari non debeant otiosa, sed aliquid addant iuris dispositioni, ita tamen, vt eorum operationum extensio, vel multiplicatio admittenda non sit, vel sufficiat, quod vnam faciant operationem, per quam tollatur fatuitas, ex insinuatis su-

prà

prá *disc.*65. *& seqq. &* 105. *&* 159. *& d. disc.*1. *& seqq. sub tit. de locat.* vndè proptereà si aliud nō adsit obstaculum, tunc tale pactum istam faciat operationem, vt desiderandum non sit requisitum intolerabilitatis damni, sed istud tale, quale sit, cum defalco resici debeat; Sed si accedat pactum, de quo supra, quod scilicèt causa periculi, vel casus iam præexisteret, vel quod præuideri potuerit, ac debuerit, tunc pactum circa istius obstaculi remotionem, suam facit operationem, vt hoc non obstante, defalcum debeatur, iuxtà ea, quæ *in d. tit. de empt. & vendit. disc.* 10. *&* 11. *&* 17. *& alibi*, habentur ad materiam textus *in l. si fundum sciens. C. de euict.* vt non obstante scientia iuris alieni, vel imminentis euictionis, ista debita sit, quotiés in conuentionem deducta est, quoniám ex eo, quod emptor, vel conductor sciebat, idcircò voluit sibi consulere, sed non faciat aliā operationē, circà requisitum intolerabilitatis, vel circa compensationem sterilitatis cum vbertate, iuxtà dictam *decis.*422. *Coccini*, & suprà *d. disc.*64. *& seqq. hoc tit. & dicto disc.*1. *& seqq. de locat.*

Atque hinc semper magis, magisque edocemur, quám clarus, ac damnabilis,
23 sit error in procedendo in huiusmodi quæstionibus, cum solis generalitatibus, vel cum auctoritatibus, ac decisionibus, quæ diuersos percutiant casus, cum re verà dicendæ veniant quæstiones potiùs facti, quám iuris, ex singulorum casuum particularibus circumstantijs decidendę, reflectendo quoque ad præmissas, aliasq; similes distinctiones, non autem cum consueta ineptia procedendo cum sola litera auctoritatum.

Applicando itaque ad rem, retorqueri dicebam penè omnia supradicta, quod scilicèt quò magis iam notæ essent licentiæ, quas desupèr de facto sibi assumere
24 solent milites, ac etiam Oratorum Principum, vel Cardinalium, aliorumque Magnatum familiares, & Ministri, absq; eo, quod de facili occurri valeat, eo magis appaltatores voluerunt sibi consulere de hoc pacto, ideòque sibi imputet locator, cur illi se subiecerit; Ac proptereà ex facti circumstantijs cessabat applicatio omnium conclusionum, quæ, vt supra in contrarium deducebantur, dum itá, ob maiorem licentiam, quæ circà huius appaltus tempora irrepserat, semper in dies excretam, appaltatores edocti, ob casus fortè sequutos de tempore appaltus antecedentis, suæ indemnitati consulere voluerunt, cum hoc pacto, per quod habendum est hoc impedimentum, ac si præstitum esset ab ipsomet locatore, qui neglexit ad formam suscepti oneris, illud non tollere, opportunaque remedia non adhibere; Et per consequens, quod verè, & propriè non versaremur in terminis remissionis pensionis ratione sterilitatis, vel alterius accidentis, iuxtà dispositionem iuris ciuilis *in l. licet C. locat. & iuris Canonici in cap. potuit, & cap. propter sterilitatem extrà eodem*, sed verè, & propriè in terminis non implementi, vel non præstitæ patientiæ, iuxtà superiùs enunciatam theoricam *Bartol.*

Quamuis autem ista materia cadat potiùs sub sede locationis, & conductionis; Attamén quia huiusmodi quæstiones frequentiùs cadunt in appaltibus gabellarum, & vectigalium, hinc non est incongruum hoc titulo agi, inhærendo iam actis.

DISC. CLXXVI.

Nullius fortificationum, vel concessionis.

Consilium pro veritate, suppressis nominibus.

De eadem materia, de qua suprá *disc.*148. potestatis Principis tollendi ius tertij, vel disponendis de bonis alienis, & præsertim occupandi bona priuatorum pro mœnijs, vel fortificationibus; Et quatenùs id de facto sequatur, deindèque fortificationes demoliantur, vel earum necessitas cesset, an bona occupata prioribus Dominis restitui debeant, siuè ab eis vendicari possint,

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De donatione facta per Principem de bonis alienis.*
3 *De amissione dominij bonorum, quæ capta sint ab hostibus.*
4 *Destinata ad vsum publicum desinunt esse de priuata facultate.*
5 *Quando Princeps tollat bona priuatorum.*
6 *De situ occupato à flumine, qui deindè mutet cursum, & num 16.*
7 *Quod bona occupata pro fortificationibus vel alijs publicis vsibus, cessante vsu, restitui debeant dominis.*
8 *De auctoritatibus indiuidualibus.*
9 *Quod bonorū dominis, refici debeat pretium bonorum, quæ occupentur ex causa publica.*
10 *De ratione, ob quam dicta refectio fieri debeat.*
11 *Quare de facto id non seruetur, & quid faciendum sit.*
12 *Quod vsus publicus non tollat dominiū, sed solùm impediat vsum, ac vtilitatem.*
13 *Etiam in vijs publicis datur dominium priuatum.*
14 *Declaratur conclusio, de qua num.2.*
15 *De conclusione, de qua num.3.*
16 *De altera, de qua num.4. ac etiam numero 6.*
17 *De refectione expensarum, pro recuperatione bonorum occupatorum, vel eorum reductione ad priorem statum.*

DISC. CLXXVI.



VM quidam ex illis Italię Principibus, qui principatum non omninó independentem iure veri allodij, sed iure feudi regalis, & dignitatis ob-
1 tinent, iuxtà illas species, de quibus agitur *sub tit. de feud. disc.1. cum pluribus seqq.* pro sui principatus defensione, in illis extremitatibus, in quibus maior habebatur suspicio, iuxtà bellicæ, seù militaris artis regulas, aliquas construxisset fortificationes, pro quibus de facto, nullo soluto pretio, nonnullorum priuatorum, tàm secularium, quàm Ecclesiasticorum, ac etiam piorum locorum prædia, & bona, in toto, vel in parte occupasset; Postmodùm veró post aliquem temporis decursum, ea cessata causa, ab eodem, vel successore præfatæ fortificationes demolitæ essent, earumq; situm ità sterilem, ac de facto à nemine possessum idem Princeps, cuidam emerito familiari, vel ministro concessisset; priores verò domini, vel eorum aliqui proprios respectiuè situs peterent, ac vendicare vellent, siuè quod idem concessionarius ex conscientiæ stimulo id inquirere vellet; Hinc desupèr meum pro veritate consilium petijt, ad effectum deliberandi, an deberet cum antiquis dominis aliquam honestam parare concordiam, siuè cessionem iurium procurare.

Respondi, quod eius fauore plura ponderari possent argumenta; Primò nempè, ob dispositionem textus *in l. omnes, & l. benè à Zenone Cod. de quadrien.*
2 *prescript.* dum agebatur de donatione facta per supremum Principem, ex ijs, quæ ad prædictorum iurium materiam habentur *sub tit. de donat. disc.43,* ac propterea, si quæ actio antiquis dominis competeret, ea exercibilis esset in pretio, seù valore contra fiscum, quatenùs non adesset quadriennium, non autem contra donatarinm.

Secundó, quod adaptarentur ea, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.58.* in mate-
3 ria amissionis dominij, ob casum belli, quoniàm licèt bona capta ab hostibus non in eodem, sed in alio belli conflictu, recuperentur, non per hoc tamen ad priores dominos redeunt.

Tertio, quod adaptari possent ea, quæ
4 habentur *sub tit. de seruit. disc.91.* vt destinatio iam sequuta ad publicum vsum, tollat priuatis dominis, illud dominium, vel illam facultatem, quæ aliàs competeret.

Et quartó, quod quæstio, de qua habetur supra *d. disc.148.* super Principis potestate disponendi de bonis priuatorū,
5 illorumque dominium vni tollendi, atq; alteri concedendi, percutiat casum, in quo cesset causa publicæ necessitatis, vel vtilitatis, & tamen etiam in eo casu, saltèm in foro externo, magis recepta est opinio affirmatiua; Sed vbi accedit causa publica, tunc remanet res extrà controuersiam, cum tali casu dici possit potiùs peremptio casualis, dum facta Principum

cipum inter casus fortuitos recensentur; Ideòque ità omninò amissum fuisset dominium, quod ampliùs non redit, ex regula, quod à priuatione ad habitum non datur regressus; Ad instar illius situs,
6 quem occupet alueus fluminis, cursum immutantis, quoniàm si deindè tractu temporis ad antiquum alueū redeat, siuè aliàs diuersum assumat cursum, non per hoc iste derelictus alueus reincidit in antiquum dominium, sed, vel ad terminos iuris ciuilis acquiritur, pro virili dominis prædiorum adiacentium, ex plenè deductis per *Mart. consil. 5. & per Rotam decis. 39. post Pacichell. de distant.* apud eum, vel iuxtà frequentiorem principatuum vsum, remanet de regalibus, & sub genere bonorum vacantium, ex relatis per *Mart.* vbi suprà.

Idemque de situ, qui cum subsequuto effectu, destinatus fuerit pro via publica, quam postmodùm immutari contingat, cum similibus.

His tamen non obstantibus, contrariū dixi probabiliùs videri; tùm in parte doctrinali, vel auctoritatiua; ex ijs, quæ generalitèr, & in abstracto desupèr Doctores tradunt, tùm etiam in parte ratiocinatiua, & potissimè ob istius casus particulares circumstantias ità duas efformando inspectiones, vnam scilicèt super conclusione, seù theorica generali, & altera super circumstantijs particularibus casus, de quo agebatur desupèr ratiocinando.

Quatenùs pertinet ad primam, dixi
7 communem esse traditionem *Innocentij, aliorumque Canonistarum in cap. quia plerique de immun. Eccles. & cap. quæ in Ecclesiarum de constitutionibus*, ac aliorum, quos referunt *Tiraquell. in tract. cessant. caus. in princ. num. 20. verbo ablationis causa cessante, & vterque Anna sen. & iun. singular. 84.* vt bona priuatorum per Principem, vel Ciuitatem occupata pro mœnijs, vel fortificationibus, istatum demolitione sequuta, seù aliàs rerum statu mutato, tanquàm ex cessante causa, ad priores redeant dominos, à quibus vendicari possint; Ideòque dicebam intrare illam propositionem, quæ hodie modernorum pragmaticorū est sacra anchora, atq; in dies per ipsorū ora volitat, sępiùs
8 insinuata, & præsertim *disc. 35. de iudic.* quod scilicèt vbi decisiones, & auctoritates indiuiduales habentur, cum istis procedendum est, neglectis generalitatibus, vel ratiocinijs.

Assumēdo verò alteram magis genialem inspectionem ratiocinatiuam; Dicebam, quod generalitèr respectu om-
9 nium, multò verò magis respectu Ecclesiarum, & piorum locorum, ac personarum Ecclesiasticarum, ab ipsius Principis secularis potestate, & iurisdictione exemptarum, in puncto iuris veriùs est, quod licèt Princeps, vel Ciuitas, ex ista publica causa munitionum, etiam inuitis dominis bona occupare possit, eisque vti, tanquàm per speciem illius necessariæ seruitutis, de qua suprà *hoc tit. disc. 136. & seqq.* vel illius retractus coactiui, de quo *sub tit. de seruit. disc. 2. & 83. cum seqq.* cum similibus, Attamèn id intelligitur soluto valore, seù pretio, iuxtà firmata in specie *per Rotam in Barchinonen. murorum*, de qua suprà *d. disc. 148. nu. 38. & seqq.*

Idque ex ea nimium probabili, & congrua ratione deducta eodem *disc. 148. num. 33.* occasione venditionis, vel con-
10 cessionis illorum locorum, quæ se redemerint, vndè libertatem à seruitute baronali habeant ex contractu oneroso, & correspectiuo, quod scilicèt publicis necessitatibus occurrendum est, cum omnium subditorum æquali collecta, & contributione, quando cum consueta Reipublicæ dote occurri non possit, non autem cum bonis vnius, vel aliquorum tantùm; Idemque, vbi ex eadem causa belli, & fortificationum, aut pro via publica sternenda, alijsque similibus contingat deuastari arbores, & vineas, vel domos, aliaque damna priuatis inferri.

Et quamuis, vt eodem *disc. 148.* insinuatur, obseruantia communis defacto contrarium doceat; Attamèn id referen-
11 dum videtur eidem causæ, vel rationi publicæ necessitatis, quod scilicèt in bellicoso, vel aliàs calamitoso tempore, in quo ad huiusmodi actus deuenire oportet aliæ plures vrgent indigentiæ, & & occasiones, quibus occurrere oportet cum collectis, & contributionibus subditorum, siuè cum bonis, & redditibus spectantibus ad dotem Reipublicæ, ideòque tunc non est practicabilis ista refectio, cuius tamen obligatio remanet, postquàm cessatis calamitatibus, Respu-
blica

blica ad meliorem deuenerit fortunam, ex ijs, quæ in proposito monetarum inferioris materiæ in casu calamitatum aduertuntur supra *disc.126.* cum similibus, dum aliàs iniustitiam, ac tyrannidem potiùs id redoleret; Et licèt paritèr praxis de facto istam refectionem non doceat effectiuam, idest soluendo in pecunia, vel in alio æquipollenti, id, quod importet bonorum valor, eo quia pro eadem communi nostrorum temporum praxi non de facili verificatur istius melioris fortunæ casus; Attamèn omnis iustitiæ, & æquitatis ratio exigit, vt cessata necessitate, ipsamet bona, quæ ampliùs publico vsui non deseruiunt, prioribus dominis restituantur potiùs, quàm (vt in præsenti) alijs ex liberalitate concedantur, cum ità esset dare locupletionem cum aliena iactura, atque exercere liberalitatem de alieno, directè offendendo iustitiam, quæ est virtus maior, & in Republica necessaria, vt exerceatur altera virtus non necessaria, sed solùm cõmendabilis, quando sine iustitiæ detrimento fiat de proprio.

Considerabam prætereà, quod quando huiusmodi fortificationes, ob tunc contingentes necessitates fiant potiùs occasionalitèr, vel temporalitèr, tunc reverà non fit huiusmodi bonorum dominium,
12 & proprietatem tollere eorum dominis, atque ab eis abdicare, atque in alterum transferre, sed solùm fit impedire vsum solitum, vel culturam, & fruitionem, antiquo habituali dominio adhuc retento, & continuante, quoque propterea cessata publica necessitate, tanquàm per remotionem obstaculi, eius dominus reassumat antiquum vsum, atque continuet, non iure noui dominij, vel nouæ recuperationis, sed iure primæuo, iuxtà ponderationes, de quibus suprà *hoc tit. disc.125. & sub d. titulo de feud. disc.57. & 58.* cum consueto exemplo deducto locis citatis, ac etiam *sub tit. de benefic. disc.1.* & in alijs pluriès, occasione indultorum conferẽdi beneficia reseruata, illius scilicèt, qui habens membra naturalitèr valida, & operatiua, recipiat in eorum operatione accidentalia impedimenta resultantia à vinculis, & compedibus, quoniam istis solutis, vel remotis ille ambulat, ac operatur non ex noua facultate, sed iure suo naturali, & primæuo.

Quodque istud priuatum habituale dominium, quamuis sine vtilitate, reti-
13 neatur etiam in ijs, quæ publico deseruiant vsui, comprobari obseruabam ex illa plurium dominiorum distinctione, quæ in vijs publicis ponderatur supra *hoc tit. d. disc.136.* dum datur etiam dominium priuatum soli viæ publicæ vtile.

Neque obstare, dicebam, præmissa in contrarium ponderata; Non quidèm primum deductum, ex textu *in l. omnes,*
14 *& l. benè à Zenone*, quoniam inter plures limitationes, vel declarationes, quam dictæ leges patiuntur, adeòut nimium rarò earum dispositio ad praxim reducatur, ex insinuatis *d. disc.43. de donat.* illa præsertim ad rem faciebat, quod id intelligitur, quando Princeps sciens rem esse alienam, adhuc tamen eã concedat, secùs autem vbi credat concedere id, quod non sit suum, vel nullius.

Alterum motiuum bonorum captorũ in bello, remanebat omninò extraneum, tàm ex facto, dum non agebatur de oc-
15 cupatione facta ab hostibus, quàm etiã ex iure, dum id procedit in bonis mobilibus, non autèm in ijs, quæ postliminio redeunt, ex insinuatis *eodem disc.58. de feudis*.

Cessat quoque applicatio regulæ, de qua *d. disc.31. de seruit.* dum intelligitur
16 fauore causæ publicæ, quatenùs ista duret; Idemque respectu quarti obiecti, in quo eatenùs procedunt ea, quæ insinuata sunt de alueo fluminis, vel de via publica quatenùs casus, vel destinatio esset de sui natura perpetua, adeòut intraret amissio dominij ex altera ratione, quod illud habitũ fuit pro derelicto, vel quod priorum dominorum amissa fuerit memoria, dum illa dominij amissio, quæ resultat ab alluuione procedit, quando illa est perpetua, secus autèm vbi accidẽtalis, ac temporalis, vel causatiua, ex collectis *per Vrsell. conclus.94. Harprech. & Oinot. in §. quod si naturali instit. de rer. diuis. apud quos cæteri*: in præsenti ob tẽporis qualitatem, aliasque circumstantias dici poterat, præsertim respectu Ecclesiarum, ac piorum locorum, pupillorum, minorum, & similium, quibus eadem congruebat ratio, ideòque petentem consilium monui, vt curaret cum honesta concordia ab antiquis dominis iurium cessionem reportare.

Ratio

Ratio etenim dubitandi, quando bona occupata redeunt ad priorem statum, est illa, de qua *d. disc. 57. de feud.* super refectione scilicet expensarum, quas erogare oportuerit pro recuperatione, siuè pro reductione bonorum ad priorem statum,
17 sed hæc ratio non intrabat, quoniam vbi etiam aliqua impensa erogata fuisset in demolitione fortificationum; Attamen id sequutum non fuerat in gratia dominorum, & pro reductione bonorum ad primæuum statum, adeòvt intraret æquitatiua actio de in rem verso, vel vtilis negotiorum gestorum, sed principalitèr, ac omninò in causam propriam tollendi scilicèt necessitatem custodiendi tales fortificationes cum militibus præsidiarijs, ac etiam tollendi occasionem inimicis, ne illas occuparent, & retorquerent contra earum constructorem.

DISC. CLXXVII.

Pisauren. Indulti.

Pro Francisca Lapis, cum eius fratribus, & patre.

Casus variè decisus per Rotam.

De eadem materia, de qua *disc.* 148. super potestate Principis tollendi ius tertij, ac de regulatione voluntatis, ac alijs ad hanc materiam; Et de alia materia concessionis, & reuocationis gratiarum, vel earum nullitatis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *De auctoritatibus in hoc articulo potestatis Principis tollendi ius tertij remissiuè.*
3 *De distinctione specierum causæ publicæ.*
4 *De æquiuocis, & erroribus procedendi cum generalitatibus, quodque procedi debeat cum distinctionibus.*
5 *De differentia rationibus inter forum internum, & externum.*
6 *Quibus auctoritatibus in hoc proposito deferri non debeat.*
7 *Quod sit reflectendum ad varios stylos regionum, quodque sit error confundere auctoritates diuersarum regionum ad id non reflectendo.*
8 *De differentia inter Papam, & alios Principes sæculares.*
9 *Quod antiqua obseruantia inducat in Principe restrictionem potestatis.*
10 *Quod stylus Papæ, & Curiæ Romanæ soleat esse varius, & de ratione.*
11 *De distinctione inter potestatem ordinariam, & absolutam, vel plenitudinem.*
12 *De alia distinctione inter Principem dependentem, & independentem.*
13 *De alia distinctione defectus potestatis positiui, & interpretatiui.*
14 *Quando tollantur bona priuatorum, iam possessa iure dominij, & quæ causa publica requiratur.*
15 *Quod isto casu debeat refici pretium.*
16 *Sed quod etiam sine causa, & sine refectione pretij tollere possit, & de ratione.*
17 *Quale sit ius diuinum, vel naturale, aut gentium cui Princeps derogare non potest.*
18 *Quomodo occurratur Principis tirannidi.*
19 *Quod Princeps tollat hypothecas, & credita, & liberet debitores, vel moratoriat concedat.*
20 *An possit facere gratiam de delictis, & iniurys, sine remissione partis offensæ.*
21 *An deroget contractibus, & concessionibus proprijs ex causa onerosa, ideoque tollat efficia vendita, & similia.*
22 *An tollat pecunias, & bona à priuato, tanquam malè parta sine iustificatione.*
23 *De iure iam altero quæsito per dispensationem, vel habilitationem incapacis.*
24 *De Bulla Baronum.*
25 *De habilitatione incapacis, vel inhabilis ad impediendam nouam acquisitionem alteri capaci.*
26 *De derogationibus fideicommissorum pro facultate alienandi, vel obligandi bona.*
27 *De rationibus, ob quas istæ derogationes concedantur, & an reputentur præiudiciales.*

28 De

DISC. CLXXVII.



1 CRIPTA in pingui asse hæres Francisca à Ludouico viro, sub lege viduitatis, in cuius violationis casu, propria dote, & quibusdam prædijs tantùm eam contentam esse voluit, nulla tamen isto casu facta substitutione, ac etiam vt moriens, de bonis disponere deberet ad fauorem eiusdem hæredis fratrum, vel nepotum masculorum, qui in casu non factæ dispositionis, substituti censerentur; Cupiens ad alia conuolare vota in ætate annorum quadraginta sex, Apostolicum obtinuit indultum, dictæ prohibitionis dispensatiuum, vt contrauentione non obstante, integram iam adeptam hæreditatem obtinere posset, atque sponsalia de futuro cum N. N. contraxit; Habito veró per eius patrem, & fratres recursu ad eundem Pontificem pro huius gratiæ ipsis præiudicialis reuocatione, remissoque negotio consulendo pro currenti stylo Congregationi particulari, ex Papæ Auditore, & ex quatuor, vel quinque alijs Prælatis constitutæ, prodijt votum, atque ad eius normam pontificium rescriptum remissionis causæ ad Rotam, præscripto tamen (præter stylum) dubio, in ea disputando, an constaret de causa publica, & de præiudicio patris, cui Papam noluisse, vel non cogitasse præiudicare, declaratum est.

Quare assumpta disputatione *coram Albergato Decano*, solisque Correspondalibus votantibus, nulla capta resolutione, mandatum fuit, quod in repropositione, omnes viderent, eaque sequuta *sub die 4. Iuly 1674.* affirmatiua prodijt resolutio in prima parte, constare scilicèt de causa publica; & negatiua in altera super patris præiudicio; Reproposita *sub die 10. Decembris sequentis*, recessū est à decisis, præsertim in prima parte causæ publicæ, cui postremæ resolutioni, præsupponitur, quod idemmet Pontifex annuerit, atq; in hoc statu causa pendet:

Quatenùs itaque pertinet ad dictam primam partem, in qua principalitèr disputationes fuerunt; Quamuis in Rota
2 multa hinc indè cumularentur super puncto, de quo suprà *disc. 148. num. 11.* An scilicèt possit Princeps tollere ius tertij, siuè gratias tertio præiudiciales facere absque requisito causæ publicæ, ita cum consueto inepto transcriptorio moderno stylo, chartas inutilitér replendo cum copiosis allegationibus desumptis ex modernis relatis *in d. iam edito disc. 148.* Attamén dicebam, quod in hoc Tribunali incongrua erat hæc disputatio, quæ potiùs congrua fuit in dicta Congregatione, in cuius resolutione super dicti dubij præfinitione, potiús æquiuocum, & fortè aliqua ineptia consistebat, supponendo scilicèt in huiusmodi gratia, requisitum causæ publicæ, quod reverà non est desiderandum, quoniam cum Rota haberet legem scriptam dubij disputandi, eam præterire non poterat; Adhuc tamen scribens pro Francisca, pro gratiæ firmitate, dicebam hanc disputationem neque omninò incongruam, vel superfluam esse in Rota, quoniam cogni-

to,

3 to, quod huius causæ requisitum necessarium non esset; tunc quamuis illud omninó negligi non posset; Attamén ita resultare deberet eius benigna interpretatio pro illa scilicét, quæ largé, & secundarié publica in iure dicitur, quamuis principalitér priuata esset, vt est ista matrimonij, & dotis, ratione procreationis filiorum, & honestatis fœminarum *ad tex. in l. 1. ff. solut. matrim.* vbi Doctores, & præsertim omnium latiùs *Barbos. par. 7. sub num. 12. vers. tertia vtilitas*, vbi in specie publicitatis huius causæ laté, & doctè disserit, non autem pro magis stricta, & rigorosa interpretatione illius causæ, quæ principalitèr publica sit, quia publicum, & communem Reipublicæ bonum principalitér respiciat, quamuis accessorié priuatum, quoque resultet, iuxtà distinctionem, de qua supra *disc. 58. & in Miscellan. Ecclesiast. disc. 3. & sub tit. de seruitut. disc. 80. & alibi pluriès.*

Agendo itaque de hoc puncto tam occasione scribendi in Rota, quam in dicta Congregatione, videnfque cum consueto stomacho magnas, ac superfluas allegationum, & æquiuocorum congeries, quæ cum inutili chartarum repletione, improboque labore per omnes hinc indè scribentes fiebant, tractando articulum in genere, siué in abstracto; Auertebam 4 (sed inutilitèr tanquam singularis,) idem quod frequentèr quidem, semper tamen pro meo iudicio vtilitèr, & opportunè insinuare soleo, quod ista sit vnica, & totalis, vel magna scaturigo, & causa productiua tot frequentium æquiuocorum, iustitiæ, & veritati, eiusdemque legalis facultatis existimationi adeò præiudicialium, examinandi scilicèt huiusmodi quæstiones in abstracto, & cum solis generalitatibus, non reflectendo, vt omninò decet, quinimò vt præcisé necessarium est, ad distinctiones casuum, eorumque particulares circumstantias, siuè ad effectus, ad quos disputatio fiat, dum his distinctionibus mediantibus, facilè est, tám propositiones, quám auctoritates, quæ inuicem pugnantes videntur, conciliare, illasque ad concordiam reducere.

Assumendo itaque articulum per hanc distinctionum viam, eodem modo, quo *d. disc. 148.* sequutum est; Ad illam in 5 primis genericam distinctionem reflectendum esse, aduertebam, inter forum internum, & externum, ob magnam differentiæ rationem inter vnum, & alterũ forum militantem, vt *d. disc. 148. num. 11.* frequentiús autém *sub tit. de vsur.* insinuatam; In primo siquidem interno, Princeps dici non potest solutus legibus, sed neque supremus arbiter, ac dispositor, sed habetur iure priuati, rei habentis in eo iudicio Deum in Iudicem, ac iudicandi cum Dei legibus, eo pariformi iure, quo omnes alij, cum apud Deum acceptio personarum non detur, neque in eo foro intrant illæ præsumptiones, quæ intrant in externo, in quo ob humanam imbecillitatem veritas occulta, vel ambigua est, eaque ex humana malitia alterari potest, mendacio frequentèr illam suffocante, cum in hoc foro non iudicetur de internis, vel occultis, quinimò neque de ijs, quæ apud iudicantem naturalitèr, & in conscientia ex particulari notitia certa sint, sed iuxtá extrinsecas positiuas probationes, siuè iuxtá illas, quas legis præsumptio inducit, vel supponit, ex deductis *disc. 18. & 35. de iudic. & alibi pluriès*, sed apud Deum omnia sunt plana, ipsaque veritas necessaria, & sincera patet, legis ciuilis formalitatibus non subiecta.

Ac propterea clarum est æquiuocum in quæstionibus fori externi, & iudicialis cumulare auctoritates illorum moralistũ, 6 ac etiam Canonistarum, qui de foro interno agere principalitèr professi sunt, cum isti vtpotè à quæstione extranei, segregari, atque ad partes poni mereantur; Atque cum eis etiam illi Canonistæ, vel Legistæ, qui potiùs collectores, vel transcriptores, quám Doctores, ad id non reflectendo, cum istorum auctoritate procedant, cùm eis congruat id, quod aduertitur *d. disc. 35. de iudic. & alibi*, quod scilicèt dicantur testes de auditu à non informatis, vel ab ijs, qui de diuerso casu agant, ideóque nulla fide sunt digni.

Et quoad forum externum, adhuc ad aliam genericam dicebam, reflectendum esse distinctionem, omnibus casibus, vel gratiarum, & prouisionum speciebus, de quibus infrà, respectiuè, & proportionabilitèr applicabilem, super principatuum 7 scilicèt legibus, vel receptis stylis, pro quorum varietate in vno, derogationes, & di-

& dispensationes, aliæque gratiæ, vel prouisiones tertio præiudiciales de facili concedi solent ex solo beneuolentiæ, & gratificationis motiuo, publica non desiderata causa; In altero autem nonnisi raró, & cum magna difficultate, & non nisi ex causa publica, Et per consequens idem intrat error, vel æquiuocum confundendi doctrinas, & auctoritates Hispanorum, Gallorum, Germanorum, & Italorum, aliarumque Regionum, non reflectendo ad singulorum Principatuũ, vel Regionum leges, vel stylos diuersos, vt etiam aduertitur suprà *disc.* 161. *& alibi plariès*.

Quinimò in ipsamet citramontana regione, quæ in tot principatus diuisa est, magna dignoscitur stylorum in hoc proposito diuersitas, ideòque strictè procedendum est cum illis decisionibus, & auctoritatibus, quæ præcisé percutiant illum principatum, in quo quæstio cadat, ex recepto axiomate pluriès insinuato, quod scilicèt stylus Cancellariæ,&Principis dicitur organum siue indicatio eius voluntatis, & cum quo, non autem cum illis diuersorum principatuum procedendum est,ad regulandam illius Principis voluntatem, quinimò etiam potestatem, quam per Rempublicam sibi attributam fuisse, obseruantia comprobet, vt infrà.

Ad alteram quoque aduertebam, reflectendum esse distinctionem inter Papam, & alios Principes sæculares, & de qua etiam in proposito legum, quæ ab eis ædantur, habetur *d. disc.* 35. *de indic.*

8 *& alibi*; Alij namque Principes eorum potestatem metiuntur á populo,vel àRepublica, penés quam habitualis potestas residere dicitur, in dominio directo, & proprio, penés Principem verò residet eiusdem dominij effectum, & vsumfructum, iuxtà vulgare exemplum desupér dari solitum in bonis dotalibus inter virum, cuius figuram, vel personam Princeps gerit, seù repræsentat, & mulierem dotis dominam, qualis est Respublica; Atque ex hoc, quo manat illud legis requisitum, vt á populis acceptari debeat saltém per actum negatiuum non reclamationis intrá certum terminum post publicationem; Ac etiam quod eadem lex per contrarium vsum tolli possit, quando consuetudinis notoria requisita verificetur. . . .

Et per consequens quemadmodum populus, vel Respublica sibi eligit Principem, suamque in eum transfert potestatem, si expresse istam in aliquibus re-

9 stringit, in ijs Princeps ea carere dicitur, ita eiusdem restrictionis probatio ab antiqua consuetudine, vel stylo desumi posse videtur, ad instar eorum, quæ habentur infrà *disc.* 181. *& sub titulo de emphyteusi disc.* 1. *& alibi*, super interpretatione potestatis, quam Princeps, vel Episcopus eius Vicario, vel alteri officiali præbuerit, quoniam solitum, vel obseruantia,istam regulat interpretationem, siué probat restrictionem, cum similibus.

Omnia veró hæc cessant in Papa ex peculiari ratione *eod. disc.* 35. *de indic.* & alibi sæpiùs insinuata, quod scilicèt ipse non metitur potestatem à populo, vel à

10 Republica, sed immediatè à Deo; Ac proptereá non ligatur legibus, & stylis ipsius Principatus, sed stylus dependet ab eiusdem Pontificis libero arbitrio, & voluntate, vndè propterea in hac præsertim specie derogationum, & dispensationum, nimium varius esse solet Curiæ Romanæ stylus,prout generalitèr in alijs, vt nostra ætate praxis docuit,quod aliqui Pontifices in derogationibus, & dispensationibus, ac alijs, tertio præiudicialibus, nimium duri, ac difficiles esse consueuerunt, adeòvt nullas dederint, vel nimium raras, & nonnisi ex magna causa; Alij veró nimium faciles, & benigni, frequentèr eas concedere soliti sint, in solam gratiam, & opportunitatem petentium, alia non desiderata causa; Ideòque vbi de gratia, vel alterius prouisionis regulatione agẽdum est,euidens quoque remanet error procedendi cum generalitatibus, & in abstracto, siuè etiam cum decisionibus Rotæ,vel aliorum Tribunalium,proditis de tempore Pontificis duri, & difficilis, quando diuersus vigebat stylus pro regulatione gratiæ facta per Pontificem facilem, & benignum, alium habentem stylum.

Addita quoque alia distinctione particulari, de qua infrà in casu præciso dispensationis præcepti viduitatis, vel alterius conditionis inficientis matrimonium inter Papam, & alios Principes sęculares.

Ex eadem distinctione, vel consideratione

tione styli, resultat quoque inspectio, an
11 congruat, & recipienda sit ea distinctio, quam antiquiores, pro illorum temporũ vsu tradiderunt, & cum quibus moderni, cum insinuato transcriptorio stylo antiquiorum, ad aliud non reflectendo, procedere solent, an scilicet gratia, vel prouisio prodierit de potestate ordinaria, vel potius Princeps, vti voluerit plenitudine potestatis, quam aliqui ex Iuristis, & Moralibus cum solitis frigiditatibus, dicunt plenitudinem tempestatis, quoniam ista reflexio bené procedit, quando de stylo adsit hæc discretiua, quia nempè in aliquibus gratijs, vel prouisionibus raró id adijci soleat, nòn autem generalitèr in alijs; secùs autem vbi pro quodam communi formulario ista clausula de plenitudine potestatis adijciatur, vt in gratijs, & prouisionibus Apostolicis praxis docet, vt aduertitur etiam *d. disc.* 148. *num.* 12.

Dari quoque solet, tam per Iuristas, quám per Morales altera distinctio inter Principes omninó supremos, & indepen-
12 dentes, quales exemplificant in Papa, & in Imperatore, illisque magnis Regibus, qui omnimodam exemptionem, & libertatem à Romani Imperij iurisdictione, & superioritate præscripserunt, putà Hispaniarum, & Galliarum, & similibus, de quibus præsertim agitur per *Borrell. de præstant. Regis Cattolici cap.* 47. & illos, qui aliquám dependentiã habeant, quia nempè Principatum, quamuis supremum ab alio in feudum recognoscant, exemplificantes in Italia in feudis Ecclesiæ Regni Neapolitani, & Ducatuum Parmæ, & Placentiæ, & in feudis Imperialibus Ducatuũ Mediolani, Mutini, Rhegij, Mantuæ, Montis ferrati, Senarum, & similibus; Verùm paritér ista distinctio in praxi forensi remanet idealis, vt etiam aduertitur *d. disc.* 148. *num.* 14.

His itaque ita generalitèr pro omniũ sequentium casuum regulatione, cum omnibus respectiuè cum sua proportione adaptentur; Atque descendendo ad diuersas gratiarum, vel concessionum, & dispensationum, aliarumque prouisionũ species, cum ordine casuũ, *in eod. disc.* 148. tento.

Antequam ad singulorum casuum distinctionem, ac examen deueniatur, illa quoque generica prænotanda est distin-

13 ctio, singulis casibus respectiuè paritér applicabilis, circà defectum potestatis, quod scilicèt alius est ille defectus, qui dicitur positiuus, & præcisus, adeòvt irritet actum, quamuis ipse Princeps neglectis congruentiæ motiuis, in eadem voluntate persisteret; & alius est defectus interpretatiuus, ac directiuus, & improprius, qui pendeat á lege congruẽtiæ, & honestatis, vel à motiuo iustitiæ, & æquitatis, vt scilicèt non cogat præcisé Principem ad annullandum, vel retractandum actum, neque istum irritet, sed ex quadam vi directiua illum impellat ad reuocandum, vel moderandum id, quod á se ipso, vel ab eius prædecessore gestum sit, tertio præiudiciale, vt etiam *d. disc.* 148. *num.* 13. aduertitur.

Primus itaque casus est maioris, magisque positiui præiudicij tertij, quando scilicèt Princeps tollat priuato bona li-
14 bera indifferentia, quæ allodialia dici solent, in quibus ipse Princeps nullum ius habeat, nisi illud protectionis, ac defensionis, & iurisdictionis, & quæ per possessorem obtineantur ex vera iustitia commutatiua, vtpotè á se ipso, vel eius maioribus quæsita ex titulo oneroso, & correspectiuo, siuè aliàs ex industria, & prouidentia, vel etiam ex liberalitate eorum, qui dicto iure illa obtinerent, putà, quia possessori tolleret domum, vel vineam, aut oliuetum, vel aliud prædiũ, quod alteri concederet, siuè sibi applicaret, aut deuastaret, alijsque vsibus applicaret; Istoque casu (qui, vt præmissum est, omnium fortior, magisque præiudicialis videtur) adhuc certa in iure supponitur Principis potestas *ad tex. in l. Lucius Titius ff. de euict. & in l. omnes, & l. benè à Zenone C. de quadrienn. præscrip.* de quorum iurium intelligentia, & praxi habetur *sub tit. de donat. disc.* 43. vbi de donatione, quam Princeps vni faciat de bonis alterius.

Desideratur autem isto casu, ex communi sensu Doctorũ, causa publica principalitér, putá quod bona dare congruat benemeritis militibus, iuxtà casum *d. tex. in l. Lucius Titius ff. de euict.* Aut quia bona deuastaret pro fortalitijs, & pro munitione, seù pro defensione, aut pro constructione mœnium, iuxtà decisiones Rotæ *in Barchionen. Murorum allegatas d. disc.* 148. *n.* 38. Vel quod calamitoso

mitoso tempore belli diuini, vel humani, aut pecuniæ, tollat frumenta, aliaque victualia, vel argenta, & pecunia, vel animalia priuatorum pro publico seruitio, iuxtà insinuata suprà *disc.*44.& 45. & infrà *d. disc.* 181. *cum similibus*.

Vel saltèm quod si causa publica non sit necessaria, sit tamen vtilis, vel decora, putá deijciendo domos, vel prædia priuatorũ in toto, vel in parte pro constructione, vel aptatione viarum, seù platearum; Aut saltèm quod causa publica sit accessoria, vel mixta cum priuata, vt contingit in illo retractu coactiuo, qui in Vrbe ex Constitutione Gregorij XIII. practicatur ex relatis *disc.* 79. *& seqq. de seruit.* quod etiã vbiq; ex dispositione, vel intensione iuris communis pro constructione, vel ornatu Ecclesiæ, aut egregij palatij, vt aduertitur *d. tit. de seruit. disc.* 2. *&* 83. *cum similibus*.

Addito etiam, vltrá dictum requisitum causæ publicæ, alio requisito, vel præ-
15 supposito refectionis pretij, vel æquiualentiæ faciendæ per ipsum Principem, vel Concessionarium, aut per collectam, vel contributionem omnium ciuium, vel subditorum, iuxtà regularem naturam publicorum onerum.

Verùm vltrá ea, quæ concernunt forum internum, vt præmissum est ab isto discursu extraneum, quatenùs pertinet ad externum, de quo agitur, omnia hæc percutiunt secundum defectum improprium, & interpretatiuum potestatis, re-
16 gulatum scilicèt á lege conuenientiæ, & honestatis, siue á vi directiua legis, & iustitiæ, quæ Principem quoque afficit *ad tex. in l. digna vox C. de leg.* quod scilicèt quamuis Princeps sit solutus legibus, attamèn secundum illas viuere debet, vt propterea laude dignus, si ab hoc se abstineat, vel si facta retractet, & è conuersó damnandus veniat, si aliàs se gerat; Non per hoc tamèn inferri potest ad alterum defectum positiuum, & præcisum, ex quo resultet irritatio actus, quodque Iudex possit gẽsta per Principẽ retractare, vel inualida declarare, si absque ista, eam tollat, atque pretium non reficiat, ex vulgari dicterio; quod nemo Regi, vel supremo Principi dicere potest, cur ita facis, dum alium in suo principatu superiorem non cognoscit nisi Deum, ex relatis per *Galeot. respons. Fiscal.* 23. *& alios*, de quibus *d. disc.*48. *num.* 20. *& per tot.* atque cõprobat diuinum oraculum *lib.*1. *Regum cap.*8. in Samuele insinuante populo ius Regis, quod priuatorum prædia, aliaque optima tolleret; Assignata ratione, quod priuata dominia, illorumque tituli, vel modi acquirendi, non proueniunt á lege diuina expressa, sed proueniunt à lege ciuili, seù positiua, cui Princeps, qui dicitur lex animata, & potestatem habet faciendi, & destruendi leges, derogare, vel dispensare potest, ita tollendo illud beneficium, vel ius, quod ipse concessit.

Et quamuis multi ex illis scriptoribus, qui capiendo leges, vel antiquiorum sapientum traditiones in sola litera, cum
17 solita leguleica simplicitate procedendo, dicant, quod id sit violare ius naturæ, vel gentium, cui Princeps derogare, vel dispensare non potest; Attamèn vt *eod. disc.* 148. & alibi sæpiùs aduertitur apud nos Christianos ex fręno fidei, & religionis, excepta iuris diuini prohibitione in vtraque pagina noui, vel veteris testamenti contenta, aut in illis Apostolorum, & discipulorum, aliorumq; Sanctorum Patrũm traditionibus, quas Ecclesia recepit, & declarauit, esse etiam iuris diuini, vt potè prouenientes ex ore Christi, & quod ius sub se complicat ius diuinum, & naturale, quod cum diuino, accipitur tanquam sinonymum, in reliquis non videtur in quibus Codicibus, & à quibus personis conscripta sint ista naturæ, vel gentium iura, quæ Iuristæ, & Morales, ac etiam Polytici figurant, vel præsupponunt; Dicitur namque impropriè, & per quendam modum, ac vsum loquendi ius naturæ, vel gentium illud, quod est quidem humanum, vel positiuũ scriptum, vel non scriptum, innixum tamen cuidam naturali instinctui, vel rationi, ac humano discursui, siuè cuidam magis gentium, ac nationum communi vsui, inducto à fræno religionis, vel à legibus congruentiæ, & honestatis pro cõseruatione vitæ ciuilis, & humani commercij, ad differentiam illius iuris merè ciuilis, seù merè positiui, quod sit principalis effectus potestatis cum proprijs subditis, & intrà limites proprij principatus, vel territorij, in quo etiam exemptos ab eius iurisdictione, & superiori-

tate

tate non afficiat, iuxtà insinuata *disc.143. de dote, & allegat. disc.35. de indic. & alibi pluriès*; præsertim *sub tit. de success. ab intestat. & sub tit. de alienat. & contract. prohibit.* in quibus locis frequentiùs agitur de statutis, & legibus positiuis municipalibus, ac etiam *disc.141: de fideicom. & alibi*.

Provt quamuis aliqui ad probandum, quod iste defectus potestatis proueniat à iure diuino, deducere soleant auctoritatem sacræ paginæ Veteris Testamenti *lib.4. Regum cap. 9. & 10.* de casu Iezabelis supèr vinea, quam abstulit Nabat, & qui casus per ora Scriptorum, & Concionatorum aduersùs facta Principum, & potentium in dies circumferri solet; Attamèn id respicit alteram ab isto discursu extraneam inspectionem fori interni apud Deum, non autem istam fori externi; & iudicialis pro irritatione, seù retractatione actus per tramites Iustitiæ, & cum vi coactiua, quam vtique nemo iudex exercet.

Ponderant quoque aliqui, quod ita Principum fimbrias nimium dilatando, latam viam, vel ianuam sit aperire tyrannidi, ac subditorum oppressionibus; At-
18 tamèn plana est responsio, quod quando Princeps sua abutatur potestate, atque tyrannidem exerceat, tunc subintrat potestas Reipublicæ dominæ directæ, & habitualis, quæ illum coercere, vel deponere potest, iuxtà idem insinuatum exẽplum, vel similitudinem mulieris facientis diuortium cum viro malè se gerente, iuxtà tot exempla antiqua, & moderna, quæ in historijs legimus, etiam in magnis ac potentissimis Imperijs, vt nostra ætate vidimus, & practicauimus de recenti in magno Imperatore, vel Tyranno Turcarum, & in Rege Angliæ, quorum filij actu regnant, cum similibus, sed istud dicitur iudicium publicum, & politicum cum vi bellica, & potentiali exerceri solitum, ideòque non congruit forensibus tractãtibus de iudicijs priuatis contentiosis, concernentibus administrationem iustitiæ commutatiuæ; Atque in hoc paritèr magna dignoscitur aliquorum scriptorum simplicitas, vel ineptia, confundendo scilicèt istos terminos, vel iudiciorum species.

Sub isto casu cadit etiam ablatio iuriũ incorporalium, quæ paritèr ex propria
19 prouidentia, & priuato iure obtineantur, & competant ad eosdem limites iustitiæ commutatiuæ, putà tollere, vel suspendere hypothecas in aliquibus bonis, aùt liberare debitores, priuando creditores eorum iuribus, & creditis, siuè dilationes, & moratorias concedere, aliasque similes præiudiciales prouisiones facere, quoniam licèt procedendo cum legibus congruentiæ, & honestatis, id solùm permittatur, quando causa publica id exigat, putà pro sedandis popularibus seditionibus, ac motibus; Aut quia sic exigat ratio publicarum calamitatum belli, & excidij, aut pestis, vel magnæ famis, cum similibus; Attamèn id percutit quoque dictum improprium defectum interpræ tatiuum, non autem præcisum, ad effectum, vt idem Princeps, vel successor reuocet, vel moderetur, sed si nolit id facere; Aut quod ex magis publica, magisque congruenti ratione non expediat, iuxtà casum, de quo infrà *in Romana locorum montium disc.163.* Tunc nemo Principi in proprio principatu obijcere poterit, cur ita facis, nullusque inuenietur Iudex, qui actum annullet, vel ratractet; Eadem intrante superiùs insinuata ratione, quod scilicèt hypotheca, vel actio personalis, aliaque remedia, quæ creditoribus aduersùs debitores competunt, prodierunt à iure ciuili, seù positiuo, & per consequens ab eodem tolli possunt, vt etiam aduertitur *tit. de dote disc. 166. & tit. de credit.* pluriès occasione agendi de potioritatibus, alijsque priuilegijs, quæ per legem positiuã concedantur posterioribus aduersùs anteriores.

Alter casus est, in quo absque mixtura iuris, vel interesse bursali ipsius Prin-
20 cipis per eius gratias, & prouisiones tollatur quoque illud ius tertij, quod á delictis, vel iniurijs oriatur, faciendo scilicèt gratiam delinquentibus de delictis, & iniurijs absque consensu, vel remissione partis offensæ, non solùm in præiudicium eius vindictæ, sed etiam in præiudicium iuris petendi refectionem damnorum, & interesse ab offenso, vel iniuriato passorum; Et tunc paritèr distingunt Doctores inter causam publicam, & priuatam, vt ex priori id agi possit, vt contingit in illis abolitionibus, & indultis generalibus, quæ concedi solent

lent ex causa pacis, vel pro sedandis rumulribus, & rebellionibus, aut etiam pro extirpandis bannitis, aut ad summum ita suadentibus moribus regionis, occasione alicuius magnæ lætitiæ, præsertim ingressus noui Regis, vel Principis, non autem sine huiusmodi causa ad solam gratificationem, vel pecuniam; Distinguendo etiam inter remissionem pœnæ criminalis, & remissionem obligationis reficiendi damna, & interesse, ex deductis *eod. disc.* 148. *num.* 62. Sed paritèr id intelligendum venit cum eadem distinctione defectus interpretatiui, & secundum quid, non autem alterius veri, & positiui potestatis.

Tertius est casus in quo agatur de tollendo illud ius, quod ex causa etiam onerosa, & ad limites eiusdem iustitiæ cõmutatiuæ habeat tertius cum ipsomet
21 Principe, vel Republica, seù Ciuitate, putà, quia iuxtà casum principalitèr actũ *d.disc.*148.*in princ.* aliqua Ciuitas, vel Oppidum in vim illius prælationis, de qua *sub tit. de feud. disc.* 37. *&* 110. prouocauerit ad demanium, atque se redemerit, soluendo pretium, deindèq; contrà legem conuentionis, denuó alteri cõcedatur in feudum; Siué quia Princeps tollat priuato illa officia, quæ concessérit ex causa verè onerosa, & correspectiua, pretio mediante, iuxtà ea, quæ habentur suprà *hoc tit. disc.* 2. *cum plurib. seqq.* Aut quod deneger soluere sortem, vel fructus locorum montium, seù aliorum iurium ipsius Cameræ Principis, vel Ciuitatis; Aut quod fructus reducat, seù sbasset, vel sortem diminutam restituat, iuxtà casum disputatũ apud *Capic. Latr. decis.*188.Vel appaltum intrà tempus adimat, iuxtà casum,de quo supra *disc.*86 *cum similibus*, quibus eadem congruat ratio, quia nempè princeps, vel eius fiscus tanquam priuatus,contractum inierit correspectiuum ad limites iustitiæ cõmutatiuæ potiùs, quàm distributiuæ; Atque in his, vel similibus casibus, regularitèr intrat eadem distinctio inter defectum positiuum, & interpretatiuum, vt iste posterior adesse dicatur inductus à lege conuenientiæ, & honestatis, iuxtà ea, quæ de obseruantia pactorum, quod scilicèt fingitur tanquam priuatus, insinuatur *sub tit. de feud. disc.* 3. & suprá *disc.*148. *& alibi*.

Verùm est defectus considerandus ab ipsomet, vt abstineat à faciendo, vel reuocet factum, quatenùs velit,& ex vi directiua, non autem coactiua, vel Iudex, vel Magistratus retractet, eodem modo quo suprá, atque in istis paritèr casibus adhiberi solent termini violationis iuris naturæ, vel gentium, sed impropriè, & per modum loquendi,vt suprà, dum praxis nimiùm frequentèr, & quotidiè contrarium docet; Et vlteriùs in aliquibus Regionibus non seruatur illud dictum Senecæ Tragici, quod pietas, & fides priuata bona sunt.

Quartus casus est, vbi Princeps, vel eius Vicarius, cui concessum sit omnimodæ eius potestatis exercitium,reuocet concessiones factas iure Principis potiùs, quàm priuati, atque ad limites iustitiæ distributiuæ potiùs,quàm commutatiuæ, de officijs nempè,& muneribus publicis, vel etiam de beneficijs, vel dignitatibus Ecclesiasticis, aut de feudis,non emptitijs, sed gratuitis; Et tunc licèt scribentes adhibeant quoque distinctionem, an concessio,sit merè gratuita,vel potiùs remuneratoria seruitiorum, vel aliorum meritorum, ac etiam, an adimere illam concessionem, parere debeat graue præiudicium in fama, & honore, siué in interesse, & muratione status, vt præsertim omnium fortè lariùs sequitur *Fagnanus in cap. consultationibus de Cler. agrot.* cum alijs relatis *eod. disc.*148, *num.*20. *& seqq. &* 27. Attamén, vt ibidem aduertitur,ista sunt motiua regulandi voluntarẽ potiùs, quàm inducendi verum defectum potestatis, quæ negari solet impropriè eodem modo, quo in præcedentibus, istiusque casus frequens esse solet praxis.

Quintus est magis rarus, quandoque tamen practicari solitus, vt nostra ætate
22 tam in ipsamet Vrbe,quàm in alijs principatibus per Italiam,vel extrà vidimus, & qui fraternizat cum primo casu tollendi de facto bona, vel pecunias á tertio possessas, atque sibi, eiusque Cameræ applicando cum ea differentia, quod non constet de expresso legitimo titulo acquisitionis, vndè propterea Princeps adimat, quia supponat occasione publici muneris, vel aliàs, esse pecunias,vel bona malè parta,ideòque auferri posse tanquam ab indigno, nulla tamen accedente iudi-

te iudiciali, vel aliàs positiuà iustificatione extrinseca, sed cum sola eius assertione notitiæ, & informationis extraiudicialis, quæ dici solet impresentia; Et tunc quamuis multa per scribentes desupèr dicantur ex relatis *d. disc.* 148. vbi etiam de isto casu præcisò; Attamén pariter intrat eadem responsio, vt id percutiat forum internum, vel legem congruentiæ, & honestatis pro regulatione voluntatis, vt suprà, ideòque in externo iudicio contentioso leguleicę simplicitatis est constantèr negare potestatem.

Sextus est casus, quando per gratiam, vel dispensationem, quæ vni concedatur tollantur alteri bona non solùm delata, sed etiam actu acquisita, & possessa,
23 quamuis obuenta titulo lucratiuo, adeò vt importet formalem priuationem eius, quod iam obtineatur, ac depauperationem, attento statu, in quo ille tertius iam sit constitutus; Putà quia ob bandum, vel aliud delictum possessoris fideicommissi, bona fideicommissaria ex dispositione testatoris in alterum proximiorem obuenerint; siué quod eadem obuentio sequuta fuerit ex eiusdem Principis, vel eius fisci onerosa, vel gratuita concessione, iuxtà casum de quo *disc.* 27. *de feud.* Aut quod aperta successione feudi, vel fideicommissi per mortem possessoris ob incapacitatem proximioris, qui aliàs succedere debuisset, nisi incapacitas obstaret, bona obuenerint in alterum in gradu proximè sequenti capacem; Deindè verò post acquisitionem, Princeps per quandam fictionem postliminij bannitū restituat, vel incapacem dispenset, vt in fœminis, & Clericis sequi solet, magis verò frequentèr in restitutione natalium, & legitimatione bastardorum, dum iste casus sit durior, quam sequens, in quo dispensatio, vel habilitatio concedatur reintegrà, adeòvt non tollat alteri ius iam quæsitum, & possessum, sed solùm impediat acquisitionem iuris delati, vel sperati; & paritèr apud scribentes leguntur eædem simplicitates, de quibus in præcedentibus, eædemque tamen intrant responsiones, sed faciliùs hoc præiudicium reputatur minus; cum tollatur id, quod obuenit titulo lucratiuo ex prouidentia aliena, non autem ex industria, & prouidentia propria; Atque de hoc vltrà insinuata *d. disc.* 148. agitur quo-que *sub tit. de fideicomm. disc.* 68. *&* 69. eiusque supplemento, occasione agendi de legitimatione bastardi.

Sub hoc autem casu cadit dispositio
24 bullæ Baronum, de qua *sub tit. de feud. disc.* 73. *cum plurib. seqq.* quod scilicét post iam sequutam mortem possessoris feudi, vel fideicommissi, suumque ius expiratum, vel annihilatum, & postquam successor iure suo independenti ex fideicōmisso, vel inuestitura effectus est dominus, vel possessor bonorum, eis per Congregationem Baronum priuatur per subhastationem, quæ fiat in gratiam creditorum defuncti, & tamen non dubitatur de potestate; Et quamuis ignarum vulgus, qui nonnisi superficiem videt, scandalum de hac bulla concipiat; Attamén est potiùs effectus ignorantiæ, vt *in dicto disc. de feud.* pluriés habetur præsertim *disc.* 74.

Septimus est casus suprà insinuatus, quia nempè per gratiam habilitatiuam, vel dispensatiuam eius, qui ob defectum
25 natalium, vel alteriùs desideratæ qualitatis, esset aliàs incapax, præiudicetur alteri remotiori capaci, qui aliàs fuisset successurùs, eique propterea tollatur ius speratum, vel etiam delatum, sed non acquisitum, adeòvt sibi impediatur acquisitio, sed nihil tollatur, quod iam obtineat, iuxtà deducta *d. disc.* 68. *&* 69. *de fideicom.* ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 16. 17. *& alibi*; Et tunc quidquid aliqui dicant super requisito causæ publicæ, quatenùs pertinet ad forum externum, de quo agitur verè inter fabulas, id reponendum esse docet quotidiana praxis, solùmque considerari solet, ac benè cadit distinctio inter præiudicium proximum, & remotum, inter præiudicium certum, & incertum, ac euentuale, quia nempè dispensatio, vel habilitatio concedatur post iam factum casum successionis, vndé certificatum sit ius successoris; Vel è conuersó antequam ille fiat, vndè propterea incertum sit, an ille capax, qui sperat, sit superstiturus, nec ne; Attamèn ista distinctio duos percutit effectus; Vel scilicèt illum potestatis illorum, qui Principe inferiores legitimandi, seù aliàs habilitandi potestatem habeant, vel regulationem voluntatis, vt faciliùs in vno, quàm in altero casu, dispensatio, vel habilitatio concedi debeat, sed passim, ex

lent ex causa pacis, vel pro sedandis tumultibus, & rebellionibus, aut etiam pro extirpandis bannitis, aut ad summum ita suadentibus moribus regionis, occasione alicuius magnæ lætitiæ, præsertim ingressus noui Regis, vel Principis, non autem sine huiusmodi causa ad solam gratificationem, vel pecuniam; Distinguendo etiam inter remissionem pœnæ criminalis, & remissionem obligationis reficiendi damna, & interesse, ex deductis *eod. disc.* 148. *num.* 62. Sed paritèr id intelligendum venit cum eadem distinctione defectus interpretatiui, & secundum quid, non autem alterius veri, & positiui potestatis.

Tertius est casus in quo agatur de tollendo illud ius, quod ex causa etiam onerosa, & ad limites eiusdem iustitiæ cõmutatiuæ habeat tertius cum ipsomet
21 Principe, vel Republica, seù Ciuitate, putà, quia iuxtà casum principalitèr actũ *d. disc.* 148. *in princ.* aliqua Ciuitas, vel Oppidum in vim illius prælationis, de qua *sub tit. de feud. disc.* 37. *&* 110. prouocauerit ad demanium, atque se redemerit, soluendo pretium, deindèq; contrà legem conuentionis, denuó alteri cõcedatur in feudum; Siué quia Princeps tollat priuato illa officia, quæ concesserit ex causa veré onerosa, & correspectiua, pretio mediante, iuxtà ea, quæ habentur suprà *hoc tit. disc.* 2. *cum plurib. seqq.* Aut quod deneget soluere sortem, vel fructus locorum montium, seù aliorum iurium ipsius Cameræ Principis, vel Ciuitatis; Aut quod fructus reducat, seù sbasset, vel sortem diminutam restituat, iuxtà casum disputatũ apud *Capic. Latr. decis.* 188. Vel appaltum intrà tempus adimat, iuxtà casum, de quo supra *disc.* 86 *cum similibus*, quibus eadem congruat ratio, quia nempè princeps, vel eius fiscus tanquam priuatus, contractum inierit correspectiuum ad limites iustitiæ cõmutatiuæ potiùs, quàm distributiuæ; Atque in his, vel similibus casibus, regularitèr intrat eadem distinctio inter defectum positiuum, & interpretatiuum, vt iste posterior adesse dicatur inductus à lege conuenientiæ, & honestatis, iuxtà ea, quæ de obseruantia pactorum, quod scilicèt fingitur tanquam priuatus, insinuatur *sub tit. de feud. disc.* 3. & suprà *disc.* 148. *& alibi*.

Verùm est defectus considerandus ab ipsomet, vt abstineat à faciendo, vel reuocet factum, quatenùs velit, & ex vi directiua, non autem coactiua, vel Iudex, vel Magistratus retractet, eodem modo quo suprà, atque in istis paritèr casibus adhiberi solent termini violationis iuris naturæ, vel gentium, sed impropriè, & per modum loquendi, vt suprà, dum praxis nimiùm frequentèr, & quotidiè contrarium docet; Et vlteriùs in aliquibus Regionibus non seruatur illud dictum Senecæ Tragici, quod pietas, & fides priuata bona sunt.

Quartus casus est, vbi Princeps, vel eius Vicarius, cui concessum sit omnimodæ eius potestatis exercitium, reuocet concessiones factas iure Principis potiùs, quàm priuati, atque ad limites iustitiæ distributiuæ potiùs, quàm commutatiuæ, de officijs nempé, & muneribus publicis, vel etiam de beneficijs, vel dignitatibus Ecclesiasticis, aut de feudis, non emptitijs, sed gratuitis; Et tunc licèt scribentes adhibeant quoque distinctionem, an concessio, sit merè gratuita, vel potiús remuneratoria seruitiorum, vel aliorum meritorum, ac etiam, an adimere illam concessionem, parere debeat graue præiudicium in fama, & honore, siué in interesse, & mutatione status, vt præsertim omnium fortè latiùs sequitur *Fagnanus in cap. consultationibus de Cler. agrot.* cum alijs relatis *eod. disc.* 148. *num.* 20. *& seqq. &* 27. Attamén, vt ibidem aduertitur, ista sunt motiua regulandi voluntatẽ potiùs, quàm inducendi verum defectum potestatis, quæ negari solet impropriè eodem modo, quo in præcedentibus, istiusque casus frequens esse solet praxis.

Quintus est magis ratus, quandoque tamen practicari solitus, vt nostra ætate
22 tam in ipsamet Vrbe, quàm in alijs principatibus per Italiam, vel extrá vidimus, & qui fraternizat cum primo casu tollendi de facto bona, vel pecunias á tertio possessas, atque sibi, eiusque Cameræ applicando cum ea differentia, quod non constet de expresso legitimo titulo acquisitionis, vndè propterea Princeps adimat, quia supponat occasione publici muneris, vel aliàs, esse pecunias, vel bona malè parta, ideòque auferri posse tanquam ab indigno, nulla tamen accedente indi-

et iudiciali, vel aliàs positiua iustificatione extrinseca, sed cum sola eius assertione notitiæ, & informationis extraiudicialis, quæ dici solet impresentia; Et tunc quamuis multa per scribentes desupèr dicantur ex relatis *d. disc.* 148. vbi etiam de isto casu præcisò; Attamèn pariter intrat eadem responsio, vt id percutiat forum internum, vel legem congruentiæ, & honestatis pro regulatione voluntatis, vt suprà, ideòque in externo iudicio contentioso leguleicę simplicitatis est constantèr negare potestatem.

Sextus est casus, quando per gratiam, vel dispensationem, quæ vni concedatur tollantur alteri bona non solùm delata, sed etiam actu acquisita, & possessa,
23 quamuis obuenta titulo lucratiuo, adeò vt importet formalem priuationem eius, quod iam obtineatur, ac depauperationem, attento statu, in quo ille tertius iam sit constitutus; Putà quia ob bandum, vel aliud delictum possessoris fideicommissi, bona fideicommissaria ex dispositione testatoris in alterum proximiorem obuenerint; siuè quod eadem obuentio sequuta fuerit ex eiusdem Principis, vel eius fisci onerosa, vel gratuita concessione, iuxtà casum de quo *disc.* 27. *de feud.* Aut quod aperta successione feudi, vel fideicommissi per mortem possessoris ob incapacitatem proximioris, qui aliàs succedere debuisset, nisi incapacitas obstaret, bona obuenerint in alterum in gradu proximè sequenti capacem; Deindè verò post acquisitionem, Princeps per quandam fictionem postliminij bannitū restituat, vel incapacem dispenset, vt in fœminis, & Clericis sequi solet, magis verò frequentèr in restitutione natalių, & legitimatione bastardorum, dum iste casus sit durior, quam sequens, in quo dispensatio, vel habilitatio concedatur reintegrâ, adeò vt non tollat alteri ius iam quæsitum, & possessum, sed solùm impediat acquisitionem iuris delati, vel sperati; & paritèr apud scribentes leguntur eædem simplicitates, de quibus in præcedentibus, eædemque tamen intrant responsiones, sed stabilitus hoc præiudicium reputatur minus; cum tollatur id, quod obuenit titulo lucratiuo ex prouidentia aliena, non autem ex industria, & prouidentia propria; Atque de hoc vlteriùs insinuatū *d. disc.* 148. agitur quo-

que *sub tit. de fideicomm. disc.* 68. *&* 69. eiusque supplemento, occasione agendi de legitimatione bastardi.

Sub hoc autem casu cadit dispositio
24 bullæ Baronum, de qua *sub tit. de feud. disc.* 73. *cum plurib. seqq.* quod scilicèt post iam sequutam mortem possessoris feudi, vel fideicommissi, suumque ius expiratum, vel annihilatum, & postquam successor iure suo independenti ex fideicõmisso, vel inuestitura effectus est dominus, vel possessor bonorum, eis per Congregationem Baronum priuatur per subhastationem, quæ fiat in gratiam creditorum defuncti, & tamen non dubitatur de potestate; Et quamuis ignarum vulgus, qui nonnisi superficiem videt, scandalum de hac bulla concipiat; Attamèn est poriùs effectus ignorantiæ, vt *in dicto disc. de feud.* pluriès habetur præsertim *disc.* 74.

Septimus est casus suprà insinuatus, quia nempè per gratiam habilitatiuam, vel dispensatiuam eius, qui ob defectum
25 natalium, vel alteriùs desideratæ qualitatis, esset aliàs incapax, præiudicetur alteri remotiori capaci, qui aliàs fuisset successurus, eique propterea tollatur ius speratum, vel etiam delatum, sed non acquisitum, adeò vt sibi impediatur acquisitio, sed nihil tollatur, quod iam obtineat, iuxtà deducta *d. disc.* 68. *&* 69. *de fideicom.* ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 16. 17. *& alibi*; Et tunc quidquid aliqui dicant super requisito causæ publicæ, quatenùs pertinet ad forum externum, de quo agitur verè inter fabulas, id reponendum esse docet quotidiana praxis, solùmque considerari solet, ac benè cadit distinctio inter præiudicium proximum, & remotum, inter præiudicium certum, & incertum, ac euentuale, quia nempè dispensatio, vel habilitatio concedatur post iam factum casum successionis, vndè certificatum sit ius successoris; Vel è conuersò antequam ille fiat, vndè propterea incertum sit, an ille capax, qui sperat, sit superstiturus, nec ne; Attamèn ista distinctio duos percutit effectus; Vel scilicèt illum potestatis illorum, qui Principe inferiores legitimandi, seù aliàs habilitandi potestatem habeant, vel regulationem voluntatis, vt faciliùs in vno, quàm in altero casu, dispensatio, vel habilitatio concedi debeat, sed passim, ex

mero arbitrio in priuatam gratiam concessionarj id sequitur, ideòque fabulosũ paritèr remanet assumptum eorum, qui causæ publicæ requisitum desiderant.

Octauus est casus, qui cum præceden-
26 ti fraternizat super derogationibus fideicommissorum, aliarumque vltimarũ voluntatum, vel etiam inuestiturarum, & pactorum, ad effectum, vt possessor fideicommissi, vel maioratus, aut feudi pacti, & prouidentiæ, contrà legis, vel hominis prohibitionem bona vendere, vel hypothecare valeat, seù aliás de eis disponere; Et tunc quamuis non desint plerique in ista specie gratiarum, & dispensationum, publicam causam desiderantes, vt in specie habetur, præsertim apud *Molin. de primogen. lib.1.c.8. nu.31.& lib.3. c.3. num.11.& seqq. Boss. de Principe n.97. & seqq.* & alij plenè collecti per *Antonnez de donation. regijs lib.1. par.2. cap.11.* à quo scribentes in contrarium cùm cõsueto transcriptorio stylo alias plené relatas auctoritates mutuabantur; Attamén penè generalis, & quotidiana praxis docet, vt inter fabulas reverà, id reponi mereatur, dum passim in solam gratiam priuatam possessoris, vel eius creditorũ huiusmodi gratiæ, & dispensationes cõceduntur pro Principatuum, vel ipsorummet Principum diuersis stylis, ex quibus maior, vel minor facilitas resultat, vt supra; Atque in ipsamet Hispania, de cuius maioratibus loquuntur *Molina*, & alij, vt suprà patet ex ijs, quæ circà derogationes habentur apud *Salgad. in labyr. credit.* aliosque modernos Hispanos; Præsertim verò in hoc principatu pontificio, id est nimiùm frequens, ac facile, adeòvt istius facilitatis aliqua moderatio desideranda veniat, vt patet ex tot casibus, qui recensentur *sub tit. de fideic.* ac etiam ex vniuersa tractatione Bullæ Baronum.

Censenda etenim non venit ista spe-
27 cies gratiæ nimiùm exorbitans, & præiudicialis, quoniam, aut consideratur præiudicium successorum, & istis nullum ius proprium tollitur, sed solùm adimitur illud speratum ius, quod ipsa lex positiua concessit, faciendo obligatorias defunctorum dispositiones, quæ aliàs non erant tales; & sic adimendo beneficium ab ipsa lege positiua concessum, ex insinuatis *d. tit. de feud. disc. 74. & 89. & de fideicom. disc. 141. & alibi sæpiùs*; Aut verò consideratur interesse, vel præiudicium defuncti, qui illam legem in illis bonis, tanquam à se possessis adiecit; Et pariter istud præiudicium dicitur minùs considerabile, dum ille iam annihilatus est, nullumque dominium, vel ius ampliùs retinet.

Nonus est casus, cum præcedenti quoque fraternizans illarum derogationum,
28 quas in beneficijs Ecclesiasticis in toto, vel in parte practicant Papa, & Curia Romana, & de quibus in sua sede *sub tit. de iurepatron. pluriès*; Quamuis in hac specie cadere soleat distinctio inter iuspatronatus ecclesiasticum, vel laicale, siuè in genere laicalis, inter illud ex gratia, & priuilegio, & alterum ex iustitia, ratione fundationis, & dotationis, istoque posteriori casu ignarum vulgus scandalizari, atque obloqui soleàt de defectu potestatis; Attamén paritèr effectus ignorantiæ est, dictaque distinctio inter gratiosum, & onerosum, ac inter regium, & priuatum, rectè intrat, & considerabilis est pro eadem regulatione voluntatis, ad cuius effectum inspicitur, an necessaria sit mentio specialis, nec ne, ex deductis in dicta peculiari sede, cùm semper dicatur gratia eiusdem Sedis Apostolicæ.

Quamuis autem præmissi, vel alij, si qui sunt similes casus, extranei sint ab illo præsentis causæ, adeòvt primo aspectu illos recensuisse redolere videatur il-
29 lud superfluarum euagationum vitium, quod à me pluriès damnari, & exagerari consueuit, benè tamén reflectendo, id suum habet misterium, seù finem rationabilem, vt ità scilicèt dignoscatur, quod si in præmissis casibus longè magis præiudicialibus, magisque exorbitantibus, non est potestate dubitandum, quodque in eorum aliquibus causæ publicæ requisitum desiderandum non est, multò minùs in sequenti casu, in quo longè minus est præiudicium, longèque minor exorbitantia.

Decimus itaque ad rem nostram est casus, in quo illi, qui iam legitimè bona, vel iura obtinuit, & possidet aliquod onus, vel vinculum incumbat, adeòvt
30 illum statum, in quo obtinuit mutare, prohibeatur sub poena caducitatis, & priuationis, vel amissionis, putà quia feu-

dum,

dum, vel maioratus non possit retineri in statu clericali, aut quod non possit retineri cum alio maioratu, vel fideicommisso, siuè, vt in beneficijs ecclesiasticis, quod non possint retineri cum Episcopatu, vel cum alio beneficio incompatibili, aut cum statu regulari, vel quod Ecclesiasticæ pensiones non possint retineri in statu vxorato, vel militari, aut regulari adeóut per mutationem status ammittantur bona, & iura iam obtenta, & possessa, qualis erat proprius, ac præcisus casus huius quæstionis, quod scilicèt hæreditas non poterat retineri in statu vxorato, ideòque ob alias nuptias amittebantur.

Isteq; casus tàm theoricè, quàm practicè reputatur omnium præcedentium facilior, minusque præiudicialis, quoniàm ille cui conceditur dispensatio, vt non obstante statu incompatibili continuare possit in dominio, & possessione, ac fruitione bonorum, & iurium, quæ iam obtinet, nihil cum alterius præiudicio, vel iactura acquirit, nilque de nouo sibi conceditur, sed solùm per quandam speciem remedij præseruatiui, potiùs quàm curatiui, occurritur futuro malo, nè incurratur, siuè claudatur fouea, nè in illam incidatur, continuando in obtentione iure proprio, & primæuo. Ille veró, qui in casu contrauentionis, vel mutationis status possessoris commodũ speraret, nihil amittit, neque certum præiudicium pati dicitur, quoniàm nisi possessor dispensaretur super assequutione noui status, quem assumere intendat, illum assequi, vel mutare abstineret; Ideóque impediretur casus amissionis, vel priuationis, dum totum pendet ab eius electione, & libera voluntate, non autem ab incapacitate, vel alio obstaculo inducto à lege, vel ab homine, iuxtá casus præcedentes, & per consequens multó minus desiderandum venit requisitum causæ publicæ, quod reverá benè pensatis Doctoribus illam desiderãtibus, isto casu non intrat, quoniàm fieri solùm dicitur aliquod præiudicium voluntati illius defuncti, qui hanc legem, vel conditionem adiecit, & tanquàm iam annihilatus, incapax est damni, & præiudicij, vt suprà.

Hinc videmus, quod in prouisione beneficij de iurepatronatus, quæ fiat isto neglecto requiritur, vt sit laicale, & expressa eius derogatio, vel saltèm mentio specifica cum eius qualitate, vndè implicita derogatio resultare dicitur; idemque in resignatione, vel promotione, aut in impositione pensionis; Siuè quando grauantur Ecclesiæ Metropolitanæ, & Cathedrales, requiritur derogatio Concilij Lateranensis, & aliorum similium; Atque vbi derogetur fideicommissis pro bonorum alienatione, vel obligatione, iuxtà aliquorum principatuum, vel Principum stylos, desiderari solet cõsensus proximé successuri, & interessati vnius, vel plurium, vel solent euocari; Prout etiam in legitimatione bastardorũ plerique Doctores volunt citandos esse interessatos, quod pro eadem styiorum varietate, quandòque seruari solet, cum similibus; Et tamèn in huiusmodi gratijs, & dispensationibus super incompatibilium retentione, vel super mutatione status, vt ea nõ pariat illud damnum, quod aliàs paritura esset, nihil ex his desideratur, cum interesse sit remotum, ob dictam rationem, quod á libera voluntate, liberoque arbitrio possessoris dispensandi totum pendet, atque si non dispensetur, statum non mutabit, ex relatis *d. disc.* 148. magis verò ad rem *disc.* 1 *de pension. & disc.* 65. *& 66. de iurepatr.* & alibi pluriès; Vndè propterea se opponere denegationi huius gratiæ, vel eius iam concessæ, effectuationem impedire, atque reuocationem, vel moderationem obtinare; æmulationem, vel malignitatem obtinere videtur, impediendi scilicèt, absque propria auctoritate, alterius commodum, quod ex mutatione status, vel assequutione incompatibilis obtineret, & à quo abstinere cogitur.

Si ergò ista procedunt in præmissis casibus, vel exemplis, in quibus incompatibilitas, vel prohibitio mutationis status sit in iure certa, nullamque habeat infectionis dubietatem; Multò magis, atquè citrà omnem dubitandi rationem
31 ea procedere dicebam in hac specie cõditionis, vel præcepti viduitatis regulariter á iure ciuili damnatæ, no habendæ pro non scriptæ, adeóut neglecto testatoris præcepto, commodum præsertim sit modale, & à parte postea obtineatur ex iuribus, & auctoritatibus recensitis *disc.* 73. *de testam. & disc.* 44. *de fideic.* & alibi.

Et

Et quamuis ista regula limitationem recipiat in vidua, cui præsertim à viro eius fauore disponente, onus viduitatis
32 iniunctum sit per ius nouissimum authenticorum reassumptum in *Auth. cui relictum Cod. de indicta viduitate tollend.* cuius dispositionem hodie vigere, atque vsu in foro receptam esse magis communitèr Doctores firmant; Dicebam tamen reflectendum esse, quod ista esset nouissima lex *Iustiniani* præcedentium iurium antiqui, medij, ac noui Digestorum, & Codicis cõtradictionem habens, dum antiquum Ius Digestorum indefinitæ viduitatis cõditionem damnat in plerisque iuribus, quæ à locis citatis referuntur; latiùs veró cum consueto modernorum collectorio superfluo nauseatorio stylo *per Altogr. conf.77. lib.2.* edito in eodem casu, de quo *d. disc.44. de fideic.*

Ius autèm magis nouum Codicis post Imperij translationem editum, iuxta mores Græcorum, potiús quàm iuxtà illos Romanorum, iuxtà quos dictum antiquum ius prodijt, illam induxit distinctionem motiui, ex quo mulier vidua ad alias cupiat conuolare nuptias, an scilicèt ex illo libidinis, vel potiús ex altero desiderandi filios, vt primo casu, præceptum sit obligatorium, in altero antém non, vndè propterea desupér exigi solebat ipsius mulieris iuramentum, an ex vno, vel altero motiuo nuptias contrahere vellet; Sed quoniàm experientia docebat magnam periuriorum frequentiam, hinc proindè *Iustinianus* vltimus in iure ciuili legislator, istam iurisiurandi obligationem remisit, vt de his patet in *l. 2. cum seqq. Cod. de indicto viduit. tollend.* & ex eodem nouissimo iure *Authenticorum in §. quæ verò nunc sequitur Auth. de nupt.* cuius summa continetur *in dicta Auth. qui relictum*; & sic quod pro magna illius Imperatoris volubilitate, & inconstantia, vt tot leges ostendunt, aut veriùs ex auctoritate Theodoræ, vel Triboniani, qui totum faciebant, ipso Imperatore, vt aliqui Historici volunt, tanquàm indocto, parùmque capaci, deseruiente pro signo ad tabernam, conditum est dictum ius nouissimum; per quod indefinitè in viduis istud virorum præsertim præceptum effectum est obligatorium.

Id autèm nimia consideratione in proposito dignum esse aduertebam, vt ità dispensatio dicenda non veniat exorbitans ab omni iure claro, & certo, dum
33 potiús importat restitutionē iuris antiqui, iuxtà probabilem, ac receptam distinctionem, quam habemus in materia statutorum, vt scilicèt odiosa, & exorbitantia censenda non sint, quando per ea corrigatur iús nouum, quia reintegretur antiquum, ex pluriés relatis in peculiari statutorum sede *sub tit. de successionib. ab intestat.* & alibi.

Et nihilominùs aduertebam, quod predicta iuris nouissimi dispositione quoque retenta, magis communitér receptū est, quod ea procedat in muliere vidua, ex matrimonio consumato, secús autem
34 vbi de consumatione non constet, ex firmatis per *Bald. Angel. Dec. & alios in eadem Auth. cui relictum, Sanchez de matrim. lib.1. disput.34. num.30. in fine, & lib.7. disputat.91. num.5. Capic. latr. consult.127. num.57.* Atque vbi consumatio requiritur, vt illa probanda sit per eum, qui in se fundet occasione dotalis lucri statutarij assequendi, matrimonio consumato, & non aliàs, cęteris relatis habetur *dec.237 & 307. par.6. recent. & in alijs*, cum ob nullam filiorum procreationem, incerta esset matrimonij consumatio.

Nimium quoque considerabilem esse aduertebam, superiùs initio insinuatam distinctionem inter huiusmodi dispensationes, quæ concedantur per alios Principes sæculares, & illam, quæ concedatur per Papam in statu Ecclesiastico, in
35 quo vtrumque gladium, siuè vtramque exercet spiritualem, & temporalem potestatem Principis, & Papæ.

In Principe siquidèm sæculari aliud non viget motiuum, nisi illud voluntatis gratificandi dispensato, eique legis prohibitionem remittendi, quod motiuum, cessante ista causa publica, parùm commendabile videtur; In Papa veró eandē habendam potestatem in sua Ditione, alterum probabile, & commendabile concurrere potest motiuū libertatis matrimonij, cuius ipse est protector, & defensor, ac etiam, vt tanquàm medicus spiritualis ità occurrat incontinentiæ, & periculo peccandi, vt etiam ponderatur per *Ruin. conf.189. lib.2.* Ac etiam ob regulam, quod omnes secundò nubentium

tium pœnæ, illis exceptis, quæ fauorem liberorum primi matrimonij cõcernunt, per ius canonicum correctæ sint; Quamuis enim magis receptum sit, vt sub ista correctione non cadat hoc preceptum, eo quia non est pœna legis, sed potiùs cessatio voluntatis disponentis, adhuc tamen id videtur consideratione dignũ, vt gratia aliquod iustum habeat motiuũ, neque adeò exorbitans dici valeat.

Ad saluandum autèm ineptiam, vel incongruentiam dubij, vt supra, per Congregationem à Papa deputatã præ-
36 scripti, aduertebam, quod haberi potuerit consideratio ad prædictam distinctionem, de qua in *l. 2. Cod. de indict. viduit. tollend.* capiendo causam publicam pro illa, quæ adesse dicatur in procreatione liberorum, cuius possibilitas in præsenti aderat in muliere adhuc non quinquagenaria, in qua hanc possibilitatem adesse clarè decidit *textus in l. si maior quinquagenaria ff. de legit. hæred.*

Et quamuis desupér, cum consuetis
37 frigiditatibus multa per scribẽtes hinc indè cumularentur, cum auctoritatibus etiam Medicorum, & Philosophorum, super aptitudine mulieris ad filiorũ procreationem post annum quadragesimum quintum, & an casus insoliti, tanquàm portentosi habendi veniant in consideratione, ex deductis in vtraque decisione, & priùs *decis. 119. post Turr. de pact. fut. success.* Attamen ad rem non facere credebam, quoniàm sola possibilitas ad hunc effectum sufficere videtur.

Æmulatoriam quoque, penèque malignam dicebam, huiusmodi oppositionẽ videri ex duplici consideratione. Primò nempè, quod ista oppositio nullam op-
38 positoribus inferebat vtilitatem, dum in casu reuocationis gratię mulier abstineret à nuptijs, ideòque continuando in statu viduitatis, impediret casum substitutionis, sed potiùs adesset ipsorum oppositorum damnum; tùm in existimatione ob illud dedecus, quod ità mulieri resultare posset, ob iam contracta sponsalia, iuxtà ponderationes, de quibus *sub tit. de Dote disc. 79. & seq. & 166.* tùm etiam, quoniàm ità potiùs impediri dicitur corũ magis proximũ, ac speratum emolumentũ per ipsius hæredis mortẽ, quæ faciliùs contigere posset ex matrimonio, quatenùs in ea ætate iuncta cum aliqua obesitate conciperet, dum nunquàm pepererat, vt frequentior praxis docere solet, ideòque verificari dicebam veram, & propriam æmulationem inferendi damnum sibi ipsi, vt alteri damnum inferatur, dum ità magis expediret, vt nuberet.

Ponderando, quod omnes quæstiones, quas in corpore iuris actas hucvsque habemus, respiciunt casus, in quibus annullatio, vel reuocatio gratiæ tribuat oppositori ius, quod non habeat, vel conseruet illud, quod aliàs per gratiam assisteret, iuxtà casus, de quibus supra *disc. 148.* & tot alios *sub tit. de fideicommiss. & sub tit. de pension.* & alibi, quod in præsenti, vt supra non verificabatur.

Et secundò fortiùs, quoniàm huiusmodi præcepta tunc rigorosè seruari debent, adeòut repugnet æquitas illis dispensandi, quando substitutio concepta
39 sit in casu contrauentionis ad fauorem coniunctorum, & de sanguine ipsius testatoris, quibus vxorem præferre voluerit, cum præsupposito, quod permanendo in viduitate, matrimonij reliquias retineret, atque eius vxoris figuram adhuc faceret, aliàs non relicturus; Secus autem in præsenti, quod testator nullam sanguinis, vel affectionis personalis rationem habuit ergà substitutos, dum eos vocauit sub nomine collectiuo, ac per alternatiuam, adeòut substitutio, vel mulieris dispositio in nemine, ex iam natis, & testatori cognitis, verificari posset, ipsaque mulier fuit medium, seù organum, per quod erga eos dispositio per extraneum facta est, potiùs ex quodam prouido consilio erga ipsammet mulierem, nè aliàs seductionibus extraneorum subiaceret, prudentem disponendi modum sibi præscribendo, ideòque non intrat illa ratio, quæ intraret, quando substituti essent de sanguine testatoris.

Hinc de consequenti cessare dicebam
40 interesse Patris, ratione vsusfructus legalis sibi competentis, quatenùs alij filij iure substitutionis hæc bona obtinerent, dum ita cessabat obtentio proprietatis, in altero enim vsufructu legali, præsertim per patrem in bonis ipsius filiæ, quæ illum non intrare ex voluntate testatoris, & ex natura grauaminis, ex deductis in materia vsusfructus *sub titulo de seruit. disc. 64.* non cadebat sub inspectione gratiæ,

tiæ, dum saluum ius patris remanebat, & per consequens non cadebat in disputatione.

Et quod Papa soleat concedere huiusmodi dispensationem in specie super cō-
41 ditione, vel onere viduitatis, patet ex *decis.* 1576. *Coccini*, in qua disputatur, an in ista specie gratię requiratur derogatio regulæ de iure tertij, & deciditur affirmatiuè, quia ob matrimonium iam contractum de tēpore primæ gratiæ, ista non suffragabatur, & de tēpore secundæ erat iam quæsitum ius tertio, quod non facit ad rem, ac etiam habentur alia exempla posteriora.

DISC. CLXXVIII.

Romana iuris doctorandi.

Pro Collegio Prothonotariorum participantium, cum Collegio Medicorum.

Casus disputatus coram Cardinali Camerario.

De facultate, vel iure doctorandi, cui cōpetat; Et an, & quando secunda concessio desupèr facta, priori præiudicet; Et præsertim de differentia inter doctoratum in vtroque iure, & illum in alijs scientijs, vel facultatibus.

Et incidentèr de administratione Vniuersitatis diuisa inter plurium facultatū Collegia, an Medici, & Philosophi diuersa constituant Collegia, vel vnum tantùm, quod sit vtriusq; facultatis complexiuum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Possessorium est priùs terminandum.*
3 *Per hanc determinationem causa corporū vniuersalium finem habent.*
4 *Ius doctorandi est de regalibus.*
5 *In regalibus non sufficit sola possessio per manutentionem sine titulo.*
6 *Declaratur conclusio cum pluribus limitationibus.*
7 *Etiam in possessorio solet gustari de bono iure.*
8 *Non est immorandum in receptis principijs, quæ sunt supponenda.*
9 *De auctoritate decisionum Rotæ.*
10 *De differentijs inter istum casum, & alterum, de quo agitur in decisione Seraphini.*
11 *De differentia inter doctoratum in vtroque iure, & in medicina.*
12 *Quod introductio doctoratus sit moderna, & de moribus diuersis.*
13 *De licentiatura, & quando hæc æquipolleat doctoratui pro dignitatibus, & officijs Ecclesiasticis.*
14 *An possit exerceri medicina sine licentia.*
15 *Quando doctoratus sit ex mero priuilegio, nec nè.*
16 *Obseruantia est deferendum, & num. 20.*
17 *De regula de iure tertij quæsito non tollendo.*
18 *Quod non sit insistendum in formalitatibus verborum, sed in substantia rerum.*
19 *De alio casu controuersiæ inter Collegia Medicorum, & Philosophorum Bononiæ.*
20 *De eadem conclusione, de qua num. 16.*

DISC. CLXXVIII.



AVCTO per Sixtum Quintum à septenario ad duodenariū numero Prothonotariorum participantiū eo modo, quo in plerisq; alijs Curię Romanę Col-
1 legijs sub diuersis temporibus sequutum fuit, vt in relatione Curiæ aduertitur; Hinc, vt compensaretur damnum antiquorum septem, quod ex ista accretione in emolumentorum participatione, per necessarium consequens resultabat, huic Collegio quamplura cōcessit priuilegia, inter quæ fuit illud facultatis doctorandi in quacunque facultate, certam desupèr præscribendo formam; Aduersus quam concessionem, dicto Pontifice defuncto, Collegium Aduocatorum Consistorialium; quod ex concessionibus Iulij Tertij, & eiusdem Sixti hanc facultatem habet doctorandi in vtroque iure, litem instituit in Rota *coram Seraphino*, coram quo sub die 3. *Aprilis* 1598. Collegio Aduocatorum fauorabilis prodijt resolutio, registrata inter *decis. eiusdem Seraphini*, *decis.* 1271. in qua firmatur huius concessionis Prothonotariorum inefficacia, & nè alte-

nè alterę antiquiori concessioni dicti Collegij Aduocatorum præiudicare posset, ad cuius decisionis normam expeditus desupèr fuit Motus proprius Clementis Octaui; Postmodùm verò Vrbanus VIII. huic Prothonotariorum Collegio indulsit, vt quatuor singulis annis Doctores in vtroque iure creare posset, eo tamen pacificè continuante in prædictæ facultatis exercitio, quod aliàs facultates vsque ad annum 1620. in quo Prothomedicus, & Collegium Medicorum, quod ex eiusdem Iulij Tertij concessione hanc doctorandi facultatem in Philosophia, & Medicina habebat, eandem promouit litem, atque sententiam fauorabilem á Commissario reportauit, sed quia iudicium nullitèr actum fuerat, vtpoté non legitimè citato corpore Collegij, sed aliquibus Prothonotarijs iure singulari, idcircò introducta causa per appellationem in Camera, Collegium Medicorum agnoscendo dictam nullitatem renunciauit omnibus actis, ad hoc, vt nouum iudiciũ ex integro validè instituere posset, sed vlterior prosequutio nõ adfuit, ideòque Collegium Prothonotariorum in sua possessione continuauit vsque ad annum 1674. in quo denuò hæc prætensio excitata fuit coram Cancellario per dictum Collegium, á quo, & à scribentibus pro eo, totum fundamentum constituebatur in allegata *decis.* 1271. *Seraphini*, illam mutato cortice verborum in substantia, penè ad literam trascribendo, quasi quod idem esset casus, ideòque ęedem intrarent rationes.

Scribens itaq; pro Collegio reo conuento, aduertebam in primis ad distinctionem possessorij, & petitorij, quodque pro nunc absq; necessitate assumendi in-
2 spectionem negotij principalis in petitorio sufficeret possessorium, quod tanquã priuilegiatum priùs terminandum est, iuxtà notorias, & quotidianas propositiones, de quibus *sub tit. de indic. disc.* 44. & in his præcisis terminis consimilis cõtrouersiæ inter Collegium Medicorum Neapolis, & alterum Salerni super iure doctorandi, cum consueta superfluitate ad satietatem colligit *Pratus discept.* 42. *lib.* 3. *num.* 35. *cum seqq.* vbi super hoc notorio, atque præsupponendo principio, pro consueto modernorum detestabili vitio, adeó magnum cumulum facit allegationum.

Praxis etenim docet, quod in huiusmodi controuersijs inter corpora politica, siuè vniuersalia, in quibus agitur de ijs iuribus, quæ pluribus communia sunt,
3 totus punctus est in possessorio, quo terminato ad fauorem vnius, vt plurimum, causæ insensibilitèr pereunt, vt vulgò dicitur, ex febri ethica, cùm negligi soleat id, quod pluribus commune est, potissimè vbi agitur de incommoda, ac dispendiosa prosequutione petitorij, per tres conformes, ob varietatem morum, & ingeniorum illorum, qui succedunt ijs, qui erant magis zelantes iurium vniuersalium.

Et quamuis in hac materia non procedat illa propositio, quæ in priuatis indifferentibus bonis habetur, vt in hoc pos-
4 sessorio retinendæ, quod vulgò manutentionis dicitur, non quæratur de iustitia, vel iniustitia, neque admittatur exceptio dominij, seù boni iuris, sed attendatur nudum factum possessionis, cum agatur de iure doctorandi, quod est de regalibus, spectantibus ad supremum Principẽ, vel ad eum, cui ipse concesserit, ex relatis per *Borell. de prestant. Reg. Catholic. cap.* 34. *Ripoll. de Regal. cap.* 48. *Prat. eadem discept.* 42. *Muscatell. de præstant. doctorat. par.* 2. *num.* 46. *& passim*, cum solius Principis sit conferre hanc dignitatem, atque aliquos Magistros declarare.

Vera etenim, & recepta est propositio, de qua *eodem disc.* 44. *de indic. & alibi*,
5 quod in ijs, quæ possideri non possunt sine priuilegio Principis, atque sint de Regalibus, quorum regularitèr incapaces sunt priuati, non datur manutentio sine titulo, ideòque sola possessio non sufficit, neque attenditur illud vulgare practicorum dicterium, quod inter priuatos, atque in rebus indifferentibus admittatur, nempè possideo, quia possideo.

Verùm in hac facti specie aduertebam, huic obiectioni tres congruere responsiones, quarum vna sufficeret, multò igitur magis eis simul iunctis; Primò nempè, quoniàm id rigorosè procedit cum ipso Principe, eiusque fisco con-
6 tendente cum priuato, secùs autèm inter duos priuatos inuicem contendentes de pertinentia; Secundó, vt procedat in possessione recenti, non autem diu-

turna

turna, & temporis valdè considerabilis, cum tunc ex illa resultet præsumptio priuilegij, vel alterius tituli, cuius ob antiquitatem non sint conscij moderni possessores, ideòque ista præsumptio, insufficiens in petitorio, sufficiens tamen esse debeat in possessorio, ex relatis *eod. disc.44. de iudic. & alibi pluriès*.

Et tertió clariùs, dùm aderat explicitus titulus concessionis factæ per Sixtum Quintum, vt supra, vndè propterea quæstio non erat super eius existentia, sed solùm super validitate, & efficacia inter duos contendentes de eiusdem iuris, & priuilegij potioritate, quo casu absolutum est dictam propositionem non intrare, sed possessionem interim sufficere.

Neque his aduersari dicebam præfatam *decisionem Seraphini*; tùm quia, vt eius contextus probat, de hac distinctione petitorij, & possessorij actum non est, neque ad hæc descenditur; tùm etiam quia in eo casu nimium recentèr lis mota fuit, adeòut inter tempus priuilegij, & illud dictę decisionis, intermediet solū spatiū annorum duodecim, cū tamen decisio supponat, iuxtà notum, & regularem cursum causarum in magnis Ciuitatibus, & Tribunalibus, initium litis per aliquod antecedens tempus considerabile.

Adhuc tamen oportunum iudicatum fuit, incidentèr, & pro gustu deducere
7 concernentia merita negotij principalis, etiam in petitorio, pro commendabili Curiæ stylo pluriès insinuato, præsertim *in d. tit. de iudic. disc.37. & 44.* & in relatione Curiæ *disc.31.* agendo de Tribunali Signaturæ, tùm ex prudentiali directione causæ, nè insistendo mordicùs in solo possessorio, imprimeretur mala causæ opinio super diffidentia boni iuris, ac etiam, quia cum Cardinalis Camerarius, coram quo denuò causa excitata fuit, & qui aliàs de facili fuisset recusabilis, ob consumptionem iurisdictionis Tribunalis, & introductionem causæ in Camera, vt supra gereret illam personam primi ministri Papæ, de qua habetur *in dicta Relat. Cur. disc.6.* Ità more Principis potiùs, quàm Iudicis, istius causæ cognitio assumpta videbatur.

Quatenùs itaque ad bonum ius, vel petitorium pertinet, cùm priuilegium esset expressum, ac literale, neque aliqua caderet ratio dubitandi super potestate concedentis, minùsque super assumpto,
8 quod posteriora derogent, ac præualeāt prioribus, cùm istæ sint generalitates notoriæ, ac præsupponendæ, ideòque manifestam ineptiam meritó contemptibilem continet stylus Iuristarum super eis se diffundere, atque inanem chartarum repletionem facere; Hinc proindé punctus erat in obiectis, quæ vt præmissum est, desumebantur, ex prædicta indiuiduali *decisione Seraphini*, ità strictè occurrendo puncto difficultatis, iuxtà verum scribendi modum.

Potuisset autèm euitari dicta decisio, ex assumpto insinuato etiam *disc.32. in relat. Cur. & disc.35. de iudic.* agendo de efficacia, siuè auctoritate decisionum Rotæ, quod scilicèt illæ præsupponi de-
9 bent, & quandam speciem necessariæ auctoritatis faciunt in eadem causa, & inter easdem Partes, quando firmato vno puncto, vel dubio, assumatur disputatio super altero, secùs autèm in tertio non audito, & in causa diuersa; Sed paritèr ista erat vaga generalitas nimia cultura parùm digna, quoniàm punctus non erat in actoritate decisionis de per se, sed in eius motiuis, & fundamentis, aliquod non leue recipientibus fomentum, ex eo, quod aliàs super eodem præciso puncto per Rotam antiquam canonizata fuerint, ob reuerentiam, quæ ergà antiquitatem haberi solet, dum omne antiquum, vel ignotum pro magnifico.

Assumendo itaque rationes differentiæ inter prædictam aliam cōtrouersiam, & istam, ità de plano dicebam cessare illorum motiuorum applicationem, in qua hodiè tota est iudicandi, vel consulendi vis.

Primó namque in eo casu accedebat circumstantia, quæ probabilitèr, vt eiusdem decisionis tenor quoque comprobat
10 potissima causa fuit resolutionis, quod scilicèt idem Pontifex Sixtus Quintus, qui concessionem nostro Collegio fecerat infrà breue tempus biennij, ex causa onerosa venditionis officij Rectoratus, factæ eidem Collegio Aduocatorum, priuatiuam facultatem doctorandi in vtroque iure aliàs competentem innouauit, & confirmauit; Vndè propterea intrabat

eadem

eadem propositio huic pacti fauorabilis, quod posteriora derogant prioribus, potissimè ob breuitatẽ tẽporis, intrà quod memoria recens supponenda est.

Secundò, pro meo iudicio magis stringenter, ob notabilem differentiæ rationem inter vnam, & alteram concessionẽ eiusdem Iulij Tertij vtrique Aduocatorum, & Medicorum Collegio factam; Illa siquidém prior Aduocatorũ est Motu proprio, vt patet ex dicti Pontificis *Constitut.* 16. altera verò posterior Medicorum est ad suppositionem, vt patet ex *Constit.* 19. Et quod magis est, prior est per quandam speciem legis, adiecta ratione fauoris publici, posterior verò per viam gratiæ, & priuilegij, ob notabilem differentem rationem inter vnam facultatem, & alteram.

Doctoratus etenim in vtroque iure, vel in Canonico tantùm in hoc Pontificio Principatu, magis quàm alibi magnas secum trahit consequentias, non solùm ob publicos Magistratus securiores
11 eo modo, quo in alijs Principatibus, sed magis, ac principaliter pro Episcopatibus, & Archiepiscopatibus, ac etiam pro primis dignitatibus Cathedralium, & Collegiatarum, alijsque Prælaturis, & officijs Ecclesiasticis, dum ista dicitur administratio necessaria, quam subditi, licèt nolentes, ac scientes, illum nomine, non autèm re doctorem esse, iuxtà distinctionem inter Doctores re, & nomine, de qua *disc.* 35. *de praemin.* euitare non possunt.

E' conuerso autèm in alia facultate medicinæ, proùt etiam in legali, respectu Aduocatorum, & Procuratorum, aliorumque causidicorum, ac etiam illorum Assessorum, seù Consiliariorum, qui voluntariè assumantur ex electione populi, siué illorum particularium Ciuium, qui eorum opera, seù ministerio indigeant, doctoratus malé collatus, est quidem alicuius, sed non adeò magni, & grauis præiudicij, cùm in istis potiùs communis existimatio, ac fama doctrinæ, & idoneitatis, quam doctoratus attendatur, & operetur, vt euocentur, eorumque opera adhibeatur, dum videmus in vna, vel altera facultate solemnissimè doctoratum in publicis, & famosis Vniuersitatibus omninò otiosum; Et è conuerso alium doctoratus gradum non habentem magni nominis, magnique exercitij, ideòque magna differentia est inter primum casum administrationis necessariæ, & istũ administrationis, vel exercitij voluntarij ad liberam electionem eorum, qui ipsorum opera vti velint.

Ponderando etiam eadem, quæ habẽtur deducta *d. disc.* 35. *de praemin.* quod scilicèt in iure ciuili, ex quo ad antiquos Romanorum mores arguitur, non videtur cognita ista solemnitas doctoratus, modernis temporibus introducta, post-
12 quàm à quinq; sęculis citrà omnes scientiæ redactæ fuerunt ad formam facultatum, cum his formalitatibũs magisteriorum, & doctoratuum, sed adhibetur terminus professorum, idest illorum, qui non ex priuilegio, vel simplici solemnitate, sed ex Cathedra, vel alio exercitio actuali, re potiùs quàm nomine professores, necessitas autèm, seù requisitum doctoratus in dignitatibus, vel Magistratibus, vt supra, & præsertim Ecclesiasticis, emanare videtur ex Cõcilio Tridentino, alijsque huius Ecclesiastici, vel aliorum sęcularium principatuum Italię, aliarumque Regionum legibus, vel moribus, qui sunt inter se diuersi, dum videmus, quod in Italia etiam in magnis, & probatis Vniuersitatibus illicò post completas scholas, quinimò, neque illis visis, & initiatis, adolescentes, alijque nullatenùs versati, istum gradum, cum nimia facilitate obtinent, pro quadam ceremonia cum sola recitatione cuiusdam cantilenæ; E' conuerso autem in Hispania gradus doctoratus non confertur, pręsertim in Salamanticensi Vniuersitate non nisi cum magna causę cognitione, ac personis prouectis, & quæ diù se exercuerint, ideòque illi, qui studijs completis cupiunt habilitari ad publicorum munerum exercitium, conceditur solùm licentiatura, quæ æquipollet doctoratui Italiæ, vt aduertitur in proposito Vicarij
13 capitularis *sub tit. de canonic. & Capitul. disc.* 24. *& in annot. ad Conc. Trid. disc.* 31. atque docet praxis illarum Religionum, quæ habent hunc vsum Doctorum, seù Magistrorum, quoniàm in aliquibus, magisterium idem est, ac inter laicos doctoratus, qui cum maiori facilitate, & frequentia illicò obtinetur, in alijs verò cum magna difficultate, & nonnisi post plurium munerũ exercitium, sed in istis,

Baccalaureatus æquipollet doctoratui, iuxtà dictam distinctionem inter doctoratum, & licentiaturam; Et per consequens doctoratus non videtur in exercitio professionis medicinæ necessarius, pro requisito, eodem modo, quo neque in facultate legali, pro muneribus voluntarijs, sed solùm pro necessarijs, & auctoritatiuis, vt suprà.

Et quamuis in vtraque facultate, præsertim verò in ista medicinæ, eum agatur de re graui, nempè de vita hominum, concedenda non sit cuique libera facul-
14 tas illam exercendi, vndè propterea vbique vsu introductum est officium Protomedici, qui per se ipsum, vel per eius Substitutum, & Commissarios inhibere potest illos, qui per publicam Vniuersitatem Magistri, & habiles declarati non fuerint, nè illam facultatem exerceant; Attamén id operatur solùm, vt possit eos pro libito, examini subijcere, & nè aliàs imperiti non professores se intrudant in hoc exercitio, iuxtà illam distinctionem de qua inter Parochos approbatos in cõcursu, & simplices confessarios, habetur *sub tit. de paroch. disc.16.* & alibi, atque deducitur apud *Prat. dicta discept. 42. lib.3.* sed non per hoc resultat, vt doctoratus sit præcisè necessarius in publica Vniuersitate, non autém per priuilegium

Potissimé veró, quia ista species Doctoratus, neque dici potest omninó per priuilegium, iuxtà illas species, quæ recensentur *d. disc.35. de praemin.* non so-
15 lùm quia tractatur etiam de Collegio in eodem duodenario numero, adhuc tamen non sufficeret, cum non sint professores huius facultatis, qui ad præscriptũ Sixtinę concessionis, idem Collegiũ adhibere debet tres peritos, ac probatos professores, qui cum diligenti examine doctorandi inquirant, & sic interueniunt tres Medici, qui Collegium, & Vniuersitatem constituunt.

Et demùm in præmissorum quoque corroborationem magni faciendam esse differentiam inter vnum casum, & alterum resultantem ab obseruantia, quæ ex frequentèr insinuatis in omni materia
16 dicitur optima interpres; Potissimè verò ob discretiuam, quod facultas doctorandi in vtroque iure illicò contradicta fuit, ista veró habuit pacificam obseruantiam per annos quadraginta circitèr, vsque ad dictam contradictionem anni 1628. quæ tamen neque effectum habuit, vt supra, vndè propterea continuauit per annos circitèr nonaginta.

Ex his autém motiuis, solidiùs videbatur illud primo loco recensitum recentis implicitæ reuocationis, per concessionem ab eodem Sixto factam Collegio Aduocatorum; Alterum etenim motiuum de facultate doctorandi in vtroque iure, non adaptatur, dum istud Collegiũ Prothonotariorũ constitutum est ex duodecim Prælatis, qui sunt Doctores in vtroque iure, ideòque constituunt ęqualem, vel fortem magis qualificatam vniuersalitatem, & per consequens congruit eadem ratio.

Objiciebatur quoque, quod non esset derogatum regulæ de iure tertij quæsito non tollendo, vt in gratijs tertio præiudicialibus, quæ per Papam fiant, derogare
17 debere statuitur per regulam Cancellariæ, vndè propterea in gratijs, quæ ab hoc Principe fiant longè magis procedit vulgaris, & frequens regula iuris communis desumpta; ex textu *in l. 2. §. si quis à Principe, ff. ne quid in loc. public.* quod gratia, vel concessio Principis intelligenda venit, cum præsupposito, quod non præiudicet tertio, cuius ius rollere voluisse non præsumitur, ex relatis ad hanc materiam istius regulæ supra *disc. 148.* vbi latè, & ex professo de hac materia potestatis Principis tollendi ius tertij, ac etiam *sub tit. de seruit. disc.5.* & alibi pluriés; Verùm istud videbatur leue obiectum ob aliam paritèr receptam, ac vulgarem propositionem, de qua eodem *disc.148.* ac etiam *sub tit. de praemin. disc.9.* & alibi pluriès, quod scilicèt id non procedat, quando agatur de gratijs per necesse, ac de sui natura alteri præiudicialibus, qualis absque dubio ista dicenda venit, non solùm respectu huius Collegij Medicorum Vrbis, sed etiam tot aliorum Collegiorum, & Vniuersitatum in Statu Ecclesiastico existentium istam facultatem doctorandi quoque habentium, & quorum ignorantia in Papa supponi non potest, vtpoté in re notoria.

Ponderando etiam circumstantiam, de qua supra, quod scilicèt concessio facta per Iulium Collegio Medicorum esset ad supplicationem, ex mera gratia priuata, ideòque non intrent illæ maiores difficul-

difficultates, quæ intrare solent, quando agatur de gratia præiudiciali tertio fouenti causam onerosam, & correspectiuam, vndé propterea resistat æquitas, ac etiam quidam improprius defectus potestatis in ratione directiua, si non coactiua, siuè morali, si non phisica, adeóut lædi videatur iustitia commutatiua, vndé propterea magis intrat præsumptio exclusiua voluntatis, super qua ad satietatem plura colliguntur *per adden. ad decis.666. par.4. recent. tom.3.* atque aduertitur locis citatis, & alibi pluriés; Ideóque re verà ista remanet quæstio, potiùs facti, quàm iuris, vtpoté voluntatis, ac propterea intrat consuetus error procedendi in eius decisione, cum solis generalitatibus, cùm veriùs id pendeat à singulorum casuum qualitate, & circumstantijs.

Accedente quoque dicto efficaci motiuo obseruantiæ, ac etiam altero discretiuæ, quoniàm, cùm vtrumque Collegium Aduocatorum, & Medicorum, pro huiusmodi facultatis doctorandi exercitio, conueniant in eodem loco, qui Sapientiæ dicitur, atquè in concessione essent quodammodó gemelli, altera verò facta per Sixtum V. huic Collegio Prothonotariorum, occasione adeò notabilis immutationis eius status, quod ex septenario numero, constitutus esset duodenario, vtique tàm concessio, quàm subsequuta lis acta per Collegium Aduocatorum habuerunt speciem notorij.

Et ex his aduertebam, tolli quoque applicationem quarundam verè leuium considerationum, quæ continentur in principio dictæ *decisionis Seraphini*, circà maiorem prægnantiam verborum, & clausularum prioris concessionis, cum illa motiua, quæ desumuntur ex huius-
18 modi formalitatibus verborum, vel clausularum, resultantibus à maiori, vel minori diligentia, seù aduertentia Notariorum, siuè expeditorum, aut Officialium pro meo sensu contemptibilia videantur sola, & de per se, solùmque consideratione digna sint famulatiué, vel corroboratiuè, quando alia accedant circà substantiam principalitér attendendã.

In hoc itém proposito Collegiorum, siuè Vniuersitatum, & specialitér Collegij Medicorum, cum Eugenius Quartus concessisset Doctoribus legentibus in studio, seù Vniuersitate Bononiæ in iure,
19 Canonico, & ciuili, & artibus, ac medicina, pro eorum stipendijs, emolumenta cuiusdam gabellæ grasciæ, & mercantiarum, conquærerentur autem Doctores, quod in his emolumentis à Thesaurarijs, ac depositarijs, ac Ministris fraudarentur; hinc Iulius Secundus eorundẽ professorum Collegijs, dictæ gabellæ administrationem concessit faciendam per duos Iuris Canonici, duos Iuris ciuilis, & duos artium, & medicinæ Doctores collegiatos, singulis annis à proprijs respectiuè Collegijs erigendos; Cumque in eadem Vniuersitate distincta sint Collegia Medicorum, & philosophorum, in quorum vtroque pro maiori parte adscripti sunt illi, qui sint principales medicinæ scientificæ professores, dum huic facultati per necessé annexa videtur altera artium, seù philosophię, in illo tamen philosophorum, illi præsertim nobiles viri, qui medicinæ vacare nolunt, antiqua tamẽ obseruantia dederit, quod Collegiũ Medicorum hanc administrationem habuerit; excitauit prætensionem alterum Collegium physicorum super participatione huius administrationis; Quarè introducta per appellationem causa in Rota *coram Calataiù*, datoque dubio; *De cuius bono iure constet*, *sub die 13. Iunij 1674.* pro bono iure Collegij Medicorum, me pro eo scribente, respõsum fuit, ex præfato potissimè motiuo
20 obseruantiæ diuturnæ, ex relatis *disc.21. de iudic.* & alibi, quando est antiqua, & excedit metam annorum quadraginta, tanquàm præscriptiua apta est tollere ius alterum vni, illudque alteri tribuere; Multó igitur magis ad effectum interpretationis, ad quem effectum sufficit etiam minoris temporis.

Certùm autèm videri dicebam, quod concessio Iulij esset ambigua, & interpretationis capax, quinimò quod ista interpretatio, quam obseruantia dedit, esset probabilis, quoniàm pro magis cõmuni, ac pené vniuersali vsu Italiæ eadem vnio duarum facultatum artium, & medicinæ, quæ consideratur in Medicis, consideratur quoque in Iuristis, quod scilicét sint professores, & Doctores vtriusque Iuris ciuilis, & canonici; Et tamen Pontifex distinguit Collegia, eorumque singulis concedit administratio-

nem coequalem; Istud verò considerat tanquàm vnum cum vnica voce coequali alijs, iuxtà regulam desumptam ex *Clementina plures de iurepatronat.* de qua *sub tit. de iurepatron. disc.* 34. & 61. ideóque illud solum Collegium honorare voluit, quod esset vtriusque facultatis complexiuum, & sic penès illos, qui vtramque haberent qualitatem, atque sedentes in isto Collegio, haberent etiã ius sedendi in altero, cùm ad vtrumque admitti soleant in ea Ciuitate professores medicinæ, habentes requisita necessaria, vt patet *ex decisione* 797. & 832. *Merlini, & decis.* 180. *par.* 9. *recent.* quasi quod ità absquè necessitate distinguendi Collegia, in isto alterum saltém in parte compræhenderetur. Ac propterea probabilis visa est resolutio.

DISC. CLXXIX.

Romana Datiorum.

PRO

Vniuersitate Habreorum.

CVM

Fratribus de Velletris.

Votum Arbitramentale

De eadem materia, de qua suprà *disc.* 100. An scilicèt, & quando durante quinquennio iuraméti præstiti inter Hæbreos pro regulatione Datiorum, locus sit defalco, ob superuenta infortunia, ex quibus bona notabilem diminutionem passa sint.

SVMMARIVM.

1 *Casus controuersia.*
2 *An ob augmentum, vel diminutionem bonorum durante quinquennio æstimi, fieri debeat augmentum, vel diminutionem datiorum.*
3 *Quod intrent similes termini defalchi pendentis in locatione.*
4 *Leges particulares, & capitula præualere debent iuri communi.*
5 *Ad quid recurrendum etiam sit ad regulas iuris communis.*
6 *Quando euagationes sint laudabiles, vel vitiosæ.*
7 *De applicatione ad rem, & quarè non intraret defalcum.*
8 *Culpa ministri imputanda domino, vel præponenti.*

DISC. CLXXIX.



PRÆSVPPOSITA consuetudine Vniuersitatis Iudeorum Vrbis, de qua suprà *disc.* 100. *& seqq.*
1 cõficiendi quolibet quinquennio æstimum mediãte possessorum iuramento, pro regulatione datiorum; Cùm in Capitulo decimosexto enunciato in eodem *disc.* 100. *in fin.* disponatur, quod contingentibus infortunijs, vel accidentibus euidentibus furti, incendij; & similibus, ità, & talitèr, quod sequatur deterioratio status in quarta parte illius quantitatis, quæ iurata fuerit, fieri possit per factores Vniuersitatis, & alios quatuor deputandos à cõsilio, quod inter eos Cõgrega nũcupatur, defalcum etiam infrà quinquenniũ, quatenùs eis visum fuerit, illud admitti debere, & quod extrà istos casus, ex quocumque alio casu defalcum non admittatur, né aliàs confusio inducatur; Atque fratres de Velletro bancum pignorum exercentes, in secundo, vel tertio anno currentis quinquennij, recognito negotio comperijssent ob fraudes, & dissipationes institorum, & ministrorum, notabilem adesse diminutionem, excedentem quartam partem quantitatis iuratæ; Hinc oretenùs, & concorditèr in me ipsi, & Vniuersitas compromiserunt, vt declararem, an intraret, nec nè dictum Capitulum 16. adeòut locus esset defalco.

Negatiuè respondendum censui, quoniàm in huiusmodi allibrationibus, quæ in singula quinquennia, seù aliàs ex regionis more, statuta tempora fieri solent,
2 firmari dicitur pro eo tempore quidam status firmus, & inuariabilis per quandam speciem conuentionis correspectiuæ, quæ tàm ad Vniuersitatis, quàm singulo-

singulorum commodum, & incommodum potest se æqualitér habere, quoniã si hoc medio tempore figulas facultates augeantur; non per hoc Vniuersitas, vel alter, cui ius colle&tandi competat, augmentum colle&tatum, vel datiorum prætendere poterit, itá è conuerso si minuãtur, competere non debet singulis diminutio, vel defalchum; tùm ex regula *secundùm naturam &c.* vt quem sequuntur commoda, sequantur incommoda, ac etiam ex alia regula textus *in l. Præses, C. de fideic.* vt læsiuus, & præiudicialis non dicatur ille a&tus, qui æqué se habere potest ad commodum, & incommodum, quamuis euentus respe&tu vnius sit malus, dum poterat esse bonus; tùm etiam ob nimiam congruam rationem in præfato capitulo decimosexto in fine re&té consideratam, quod scilicèt itá sequerentur confusiones, & quotidianæ lites, & per textum *in l. fin. C. de alluuion.* firmant *Bald. & alij ibid. Incertus apud Petr. de Vbald. de gabell. cons.* 1. *num.* 1. *& 8. Menoch. cons.* 1194. *num.* 89. *& seq. Ciriac. contr.* 156. *n.* 5. *& seq.* Atq; aduertitur etiam supra *disc.* 100. vbi *& disc. seq.* agitur in specie de istis datijs Hebreorũ.

Sed quoniám æquitati nimium aduersari videtur, vt contingente infortunio, quod notabilem assis, & fortunæ deteriorationem causet, addenda sit afflictio afflicto, istum cogendo ad soluendum datia pro bonis, quæ non habet, dum ita dari posset casus, vt cogendus veniret quis pati ia&turam omnium fru&tuum bonorum, quæ remanserunt, vel maioris partis eorum, pro soluendis da-
3 tijs bonorum peremptorum; Hinc proindé, quando damnum, quod contigit, sit notabile, iuridicè intrare debet defalchum, ad similes terminos *textus in l. licet C. locat. & cap. potuit, cap. propter sterilitatem extrà eodem*, de quibus frequentér supra *hoc eod. tit. disc.* 65. *& seqq. & disc.* 159. *& in hoc Supplem. disc.* 175. ac etiam in eius peculiari sede *sub tit. de locat. disc.* 1. *cum seqq.*

Quamuis autèm inanis euagatio videatur prǽmissa deducere in terminis generalibus iuris communis, dum habetur lex particularis capitulorum, quæ iuri communi semper prævalere debet, quo-
4 ties turpia, & illicita non contineat, adeóut obstet defe&tus potestatis, ex relatis *disc.* 35. *de iudic.* & alibi, & in specie capitulorum appaltuum, seù ve&tigalium, vt pro lege haberi debeant, pluriés in præcedentibus *hoc eodem tit.* aduertitur; Attamén opportunum imó necessarium potiùs quàm euagatorium censui hæc prænotare pro congrua, & ger-
5 mana intelligentia, siuè interpretatione huius legis particularis passiuam interpretationem de sui natura recipientis à iure communi, vt in materia statutorum, aliarumque legum municipalium, quotidianum habemus.

Atque hinc edocemur, quando euagationes, vel prænotationes vitiosæ cen-
6 seri debeant, nec nè, spe&tato scilicèt fine ad quem fiant, quoniám, vbi non influant ad causæ decisionem, vel examen, sed pro inani propriæ eruditionis substentatione, aut insequendo abusum regionis fiant, adeóut reverà inutiles, ac superfluæ sint pro decisione causæ, vitiosæ censendæ sint, ac damnabiles; Secùs autem vbi honestum, ac rationabilem habeant finem dilucidandi æquiuoca, siuè interpretandi legem, vel conuentionem particularem, vel alium finem proficuum, & in casu præciso.

Descendendo itaque ad speciem, dum capitulum loquitur de casibus, vel accidentibus euidentibus, ac prouenientibus citrà culpam possessoris, & qui il-
7 illud notabile damnum saltèm in quarta parte producant, exemplificando incendium, vel furtum, & similia, & sic vbi adaptabiles essent termini defalchi, de quibus supra; Hinc dicebam non intrare in casu illius damni, quod minutatim, & in dies ex mala administratione, vel negligentia, seù alia culpa contingat, quamuis illud in dies crescendo tra&tu temporis detegatur notabile, vt in præsenti supponebatur, quod scilicèt ob fraudes, & dissipationes Institorum, & ministrorum banci, ac etiam ob deceptionem aliquorũ negotiatorum, istud negotium dete&tum esset notabilitèr diminutum, ex pluribus modicis diminutionibus, quæ fa&tis calculis, seù bilancijs simul iun&tæ reddebant damnum notabile excedens quartam partem, qui casus mihi non videbatur comprehensus in capitulo.

Ponderando, quod culpæ potiùs quàm casui ista deterioratio referenda venie-

8 bar; tùm ex eo, quod mala electio est in culpa, vndè propterea habemus, quod Dominus tenetur de facto famuli, vel præponens de facto præpositi quotiès delictum versetur circa illud opus, cui præpositus fuerit, ex deductis *sub tit. de locat. disc.9. & alibi*; tùm etiam quia de culpa redarguendi videbantur ipsi principales, cur neglexerint singulis annis, vel temporibus facere bilancia, & reuidere rationes ad effectum dignoscêdi, an Institores, & ministri fidelitèr, ac benè agerent, dum non agebatur de administratoribus legalibus, & necessarijs, sed de merè voluntarijs; Et quemadmodùm ijsdem administratoribus benè agêtibus, ac propterea negotio, notabile recipiente augmentum, vltrà quartam partem in capitulis taxatam non posset vniuersitas prætendere augmentum datiorum infrà quinquennium, ita visum est dicendum fore in casu conuerso, ex regula, seù natura correlatiuorum, adhibendo quoque eosdem terminos defalchi in materia locationis, & conductionis, vt scilicèt illud intret, vbi damnum proueniat à casu, non autèm à culpa, aut mala administratione famulorum, & præpositorum, cum isti termini videantur congruè ad rem adaptabiles.

DISC. CLXXX.

Pisana, seù Florentina depredationis.

Pro Ioanne Francisco Cardo, cum Michaele Angelo Vaccario.

Responsum pro veritate.

De materia depredationis indebitè factæ per nauem piraticam, eiusque Magistrum seù Capitaneum; An de illa teneatur Dominus nauis, qui talem magistrum præposuit; Et quid vbi culposus non fuerit præpositus ab ipso Domino, sed ab altero per eum præposito.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De probatione mandati præsumpti.*
3 *Dominus nauis tenetur de facto præpositi mediati, idest præpositi ab eo, quem ipse præposuit.*
4 *Quod dominus nauis non teneatur derobbaria, & delicto magistri nauis.*
5 *Contrarium quod teneatur.*
6 *Quomodo ista contrarietates concilientur.*
7 *Quando dominus teneatur de facto famuli, vel præpositi.*
8 *De casu in quo dominus non teneatur, vt tamen affecta sit ipsa nauis.*
9 *De exclusione culpæ deprædatoris.*
10 *Ad quod teneatur deprædator sine culpa, & delicto.*
11 *Quomodo in causis decidendis procedendũ sit.*
12 *Resolutio casus.*

DISC. CLXXX.



PYRATICAM nauem pro deprędationibus contra infideles in portu Liburnienſi instruxit Io:Franciscus, atque seruatis ijs,
1 quæ ex legibus, ac stylis loci seruari solent, ac debent, magistrum vulgò Capitaneum præposuit Ioannem Baptistam, qui in partibus orientalibus decedens, ex vulnere habito pugnando cum naui infidelium; eius loco præposuit Paulum, iam habentem munus eius Locumtenentis, Ioannis Francisci coniunctum, qui inita societate, cum duabus consimilibus pyraticis nauibus melitensibus vulgó *di conserua*, quibus pręerant duo milites Hierosolymitani, relatione habita, quod frumentum, aliæq; merces repertæ in quadam cęmba, seù minori naue oneratoria vulgò *Tartana*, cui pręerat Michael Angelus Christianus, spectarent ad Magistratum Niciæ vulgò *Agà* Turcam, istas merces tantùm deprædatus est, nauem veró alias merces, quas præsuppositum fuit esse Christianorum dimittendo, atque prædam cum dictis nauibus socijs, iuxtà stylum diuisit; Quarè præfatus Michael Angelus datis iustificationibus, quod etiam merces deprædatæ essent propriæ, non autẽ infide-

infidelium, eundem Liburniensem portum adiens, coram eius magistratu, tam Paulum, quàm Ioannem Franciscum nauis dominum, conuenit pro restitutione pretij, ac restitutione damnorum, & interesse, fauorabilemque reportauit sententiam contra Paulum, cum istius condemnatione in petijs 1300. pro mercium pretio, ac in damnis, & interesse liquidandis, reseruato videri, an contra nauis dominum actio competeret, atque in hoc statu ex parte Ioannis Francisci domini, pro veritate consultus fui, an, & quale ius foueret, ad effectum deliberandi, an litem substinere deberet, vel potiùs honestam procurare concordiam, transmissa proprij Aduocati in partibus informatione, quæ in effectu aliud non continebat, nisi reassumptionem eorum, quæ habentur apud *Magon. decis. Florent.* 111. deducendo quoque auctoritatem *Sanfelic. decis.* 179.

Respondens itaque, duas efformabam inspectiones; vnam facti, an scilicèt Paulus, qui deprędationem fecerat, dicendus esset præpositus ab ipso Ioanne Frãcisco; Et quateùs non, quia præpositus à præposito, quid id releuaret; Et alteram, an præponens in casu quæstionis, defacto præpositi teneatur, siuè sit mediatus, siuè immediatus.

Quatenùs pertinet ad primum; Quamuis in notula transmissa supponeretur, quod scribẽtes pro actore prętenderent, nimiumque insisterent, vt Paulus dicendus esset præpositus immediatus, tanquã coniunctus, ac nepos Ioannis Francisci;

2 Dicebam tamèn, quod istud (quatenùs id interesset) videbatur contemptibile fundamentum, quoniàm coniunctio sanguinis inter mandantem, & mandatarium, inducit quidèm vnam ex præsumptionibus ad probationem mandati præsumpti, ex deductis *disc. 6. de indic. nu. 3. & seqq.* Sed est simplex præsumptio, quæ sola absque alijs non sufficit, & multò minùs dum exclusa remanebat à contraria probatione expressa, quod fuisset præpositus Ioannes Baptista, qui moriẽs in remota regione, istum prępofuerat per viam subrogationis.

Difficultatem tamèn, ob quam ista inspectio inanis remanebat, consistere dicebam in puncto iuris, cuius dispositione attenta dominus nauis tenetur defacto magistri, vel præpositi etiam media-

3 ti, quia scilicèt ab eo, quem ipse præposuerit, deputatus esset, ad textum expressum *in l. prima §. Magistrum autem secundo, ff. de exercitor. act. vbi Baldus, & alij*, cum quo pertranseunt *Afflict. decis.* 82. *num. 9. in fine, Stracc. Ioannes de Euia, & alij relati per Rocch. in eius notabil. de nauibus post secundum volumen cons. notab.* 5. *num. 9.* Et quamuis durum videatur, vt esse dicit *Faber. in rational. in eod. text.* Attamèn dicebam, quod è conuersó magis durum esset in foro ex sola repugnantia naturalis discursus obtinere contra id, quod expressé in iure decisum habetur, atque per Doctores communitèr receptum.

Ac vlteriùs quidquid sit de hoc puncto in genere, & pro alijs casibus, quibus diuersa congruat ratio; In hac tamen facti specie ob eius particulares circumstantias, dicebam rationabilitèr adaptabilem esse hanc legis decisionem, quoniàm Paulus, qui à Magistro, seù Capitaneo, necessitate ita impellente, præpositus fuit, erat iam in munere eius Locumtenentis, seù Vicarij, qui proindè, vbi etiam præpositus non fuisset, de natura officij in locum defecti capitanei succedere debuisset, ideóque ità eius substitutio iam præuisa, & præordinata fuerat ab eodem domino, additis etiam ratihabitione, & coniunctione sanguinis ità considerabili.

Hinc proindè restringi dicebam causam ad alteram inspectionem, an scilicèt posita dicti Pauli culpa in faciendo illicitam deprędationem, pro ista aduersus nauis dominum, & præponentem, actio cõpeteret ei, qui deprędationem passus est.

In hoc autem discurrendo, aduertebam, domino nauis assistere specialem auctoritatem *Roman. consil.* 74. vbi deci-

4 ditur, quod dominus nauis non teneatur pro rubbaria facta per magistrum, seù præpositum, istamque auctoritatem, quæ reputatur in materia magistralis, sequũtur *Vrsill. ad Afflict. decis.* 82. *nu. 1. Stracca de nauib. par. 5. versic. scio alienum, Rocc. de nauib. vt supra notab. 11. in fin. & notab. 13.* ex generali vera propositione, quod mandatum non censetur datum ad delinquendum; Potissimé veró, vbi mandatarij persona non sit diffamata, vel suspecta, sed potiùs bonę opinionis, adeòut impu-

imputare non possit mala electio.

E' conuerso contra dominum obseruabam facere doctrinam *Bar. in l. 1. §. fa-*
5 *milia ff. de publican.* per illum *tex.* vt dominus teneatur de rubbaria magistri, seù præfecti nauis, atque firmant etiã *Afflict. & Vrsill. d. decis.* 82. *Boer. decis.* 56. *Rocc. vbi sup. notab.* 18.

Stantibus itaque præmissis hinc indè, dicebam pro declaratione idem, quod adeò frequens est mea dicendi consuetudo, vt scilicèt perpetuò erroneum cen-
6 sendum sit, cum huiusmodi generalitatibus, vel cum doctrinarum littera, & in sola earum fide indistinctè procedere, cũ vera, & methodica forensium controuersiarum decisio pendeat á casuum distinctione, ac singulorum qualitate, & circumstantijs; Illa tamen attenta generali propositione, vel distinctione pro facti regulatione, de qua *sub tit. de locat. disc.* 9. *num.* 5. *& seqq. & alibi pluriès*; quod sci-
7 licèt aut præpositus delinquit circa opus cui præpositus est, & tunc dominus teneatur, aut extrà illud, & tunc secùs.

Ac prop.tereà applicando ad rem, dictasque in oppositum doctrinas conciliando, aduertebam, quod si exempli gratia agatur de naui oneratoria, & tunc si præpositus, seù magister rubbariam cõmittat, seù aliàs in culpa sit in mercibus in ea oneratis, siue etiam in viatorum personis, teneatur de ista culpa dominus, quoniam dicitur delictum præpositi, circa opus, cui præpositus est, vndè proptereà si idem deuiando ab eo munere, cui prępositus fuit, artem piraticam exerceat, atque in alijs nauibus rubbarias, & illicitas faciat deprędationes, siue aliàs culposè agat extrà illud genus, cui nauis destinata est, tunc dominus teneri non debeat, atque in his terminis procedat prima propositio, quæ antesignanum habet *Roman. d. cons.* 74. In alijs autem procedat altera, quæ antesignanum habet *Bart. d. l.* 1. *de publican.* Nisi in casu, in quo delictum famuli, vel prępositi sit extrà opus, intret aliqua ex limitationibus latè recensitis per *Farinacc. sub tit. de var. crim. quæst.* 110. putà quia domino innotesceret mala qualitas præpositi, siuè quod sciens non prouideat, aut quod ratum habeat, vel deprędatum sit in eius auctoritate.

Et per consequens è conuersò ad rem si agatur de naue piratica principaliter destinata deprędationibus contra infideles, vulgò *per andar in corso*, tunc si magister, vel præpositus, deuiando a munere suscipiat merces vehendas, atque in eis rubbarias, vel fraudes committat, dominus teneri non debet, vtpotè extrà opus, cui est præpositus, atque vltrà fines mandati, iuxtà *d. decis.* 82. *Afflict.* vbi de de prohibitione accipi merces mercatorum, circa quas casus contingit. Sed si delictum, vel culpa versetur circa ipsum munus, vel officium deprędationis, & exercitij artis piraticæ, quia nempè exercenda solùm in bonis, & personis infidelium, ex deductis suprà *in Meleuetana deprędationis disc.* 170. & infrà in alia *Pisana, seù Liburnien. disc.* 195. cum illis regulis, & iustificationibus, quas præbeat vsus communis nauigationis, ista verò ars illicitè exerceatur cum fidelibus, & amicis; Et tunc dicitur delinqui circa opus, cui præpositus est, & per consequens dominus tenetur; Et hic videbatur casus quæstionis.

Alia etiam ponderata ratione, ob quã posita culpa, nimiam sentiebam difficul-
8 tatem contrà requirentem, quod scilicèt delictum non esset personale Capitanei, seù magistri, sed esset ipsius nauis repręsentantis personam formalem, & intellectualem constitutam tam ex Capitaneo, quàm ex militibus, & nautis, ac etiam ex tormentis bellicis, alijsque armis, seù instrumentis, adeòvt nauis capta, vim, & deprædationem passa sit, non á fraude, & machinatione solius Pauli magistri, seù Capitanei, sed ab ipso corpore nauis, eiusque potentia; Et per consequens, vbi etiam contra ipsum dominum, & præponentem in eius persona, & in alijs bonis non competeret actio, adhuc tamen ista competeret contra ipsam nauem dãnificantem ex noxali actione, siuè ex illa legis Aquiliæ, ad instar illius damni, quod inferat absque domini mandato, vel præpositione seruus, quoniam non tenebitur quidem dominus de proprio ad emendam damni, sed tenebitur pari amissionem serui damnificantis, vt noxa pro noxia remaneat affecta.

Concludebam itaque, quod præfati Ioannis Francisci requirentis defensio non consisteret in iure, sed in facto, curando scilicèt excludere crimen, vel culpam

pam præfati Pauli Præpositi, quasi quod in bona fide versatus fuerit, iustamque
9 asseuerationibus nautarū ipsiusmet cymbæ deprędatæ, credendi causam habuerit, quod illæ merces spectarent ad infidelem inimicum; Atque istius bonæ fidei iustæque credulitatis nimium probabile argumentum desumi videbatur ex tribus circumstantijs. Primò nempè ex qualitate loci, in mari scilicèt sub dominio Turcarum, & propè illum locum, ad cuius officialem, vulgò Agà, merces pertinere præsuppositum fuit; secundò ob diuisionem aliarum mercium, ipsiusque nauis, vel cymbæ, ac eius instrumentorum notabilis valoris, quoniam vbi in dolo versatus esset committendi rubbariam, & illicitam depredationem, ista in omnibus sequuta fuisset; Et tertiò ob participationem publicè, & palam, & candidè cum duabus alijs nauibus socijs, seù *di conserua*, quas regebant duo milites hierosolymitani, viri nobiles, & religiosi, in hac arte benè periti, ob carauanas, quas super eiusdem Religionis maritima classe in hoc munere persequutionis infidelium faciunt, adeòvt inter Christianos, Insula Meleuitana videatur huius ministerij metropolitica sedes, ac maior vniuersitas, vel schola; Ac propterea, quod ipsi nauis domino expediret pro eius iure, & interesse assumere defensionem fortè neglectam, vel non benè factam eiusdem Pauli prępositi cum præfatæ sententiæ eius condemnatoriæ reuisione.

Posita etenim exclusione delicti, & culpæ positiuæ, adeòvt casui potiùs, actus referendus esset, tunc alia non intraret
10 actio nisi de vtili in rem verso, iuxtà ea, quæ in materia eius actionis competentis contrà eum, qui nullam habeat obligationem ex contractu, vel quasi, aut ex delicto, vel quasi, habentur *sub tit. de credit. disc.* 72. Ideòque desupèr ex defectu notitiæ, & circumstantiarum facti omninò maturum iudicium efformare non potui.

Insinuaui tamen, quod quando istud motiuum ex facti circumstantijs non assisteret, tunc causa videretur periculosa, ideòque consului, quod magis expediret, cum aliqua honesta concordia illi finem dare; Non potest etenim eiusdem administratoris in concernentibus eiusdem administrationem factum diuidi, sed æqualis esse debet causa commodi, & incommodi, vt passim habemus in complimentarijs; alijsque negotiorum administratoribus, vndè quemadmodum præponens reportauit, vel reportasset commodum licitarum depredationū factarum cum opera huius ministri, ità è conuerso huic incommodo subiacere debet.

Ac propterea concluditur, quod iuxtà penè genericam hodiernam forensium controuersiarum naturam, punctus non
11 est iuris, sed potiùs facti, ex cuius particularibus circumstantijs singulorum casuum decisio pendet, non autem ex generalibus propositionibus, vel ex doctrinis, quæ in diuersis casibus prodierint, cum quibus perpetuò erroneum est procedere absque his distinctionibus, & reflexionibus.

Iuxtà præmissa ad fauorem Cardi prodijt resolutio Rotæ Florentinæ de mense Iulij, vel Augusti 1675. nulla tamen di-
12 ctorum articulorum facta discussione, vel examine, sed ex solo motiuo limitationis dari solitæ ad regulam obligantem dominum de facto famuli, vel pręponentem de facto Præpositi, de qua *Farinacc. d. quæst.* 110. *& aly recensiti d. disc.* 9. *de locat. & alibi*, quod scilicèt excusetur dominus, vel præponens si eligat, vel præponat personam bonæ famæ, inhærendo auctoritati *Vares. consil.* 96. *in ciuil.* vbi reijcitur *d. decis. Afflict.* sed id videtur ex aduerso propositum; talis est frequens euentus causarum, vt eorum resolutio sequatur ex minus considerabilibus, vel neglectis motiuis ob ingeniorum varietatem.



DISC.

DISC. CLXXXI.

Perusina Repreſaliarum.

Prò Capitulo Cathedrali, & toto Clero cum Ciuitate, & Theſaurarijs.

Caſus diſputatus in Sacra Congregatione Immunitatis, & reſolutus pro Capitulo, & Clero.

De repreſalijs, à quibus, & contrà quos exerceri poſſint, & de earum diuerſis ſpeciebus.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries cum reſolutione.*
2 *De Sacra Congregatione Immunitatis, & de quibus cauſis ad ipſam cognoſcere pertineat.*
3 *Non attenditur qualitas perſonæ materialis, ſed qualitas officij, ideòque ſi Prælatus exercet officium ſæculare, habetur tanquam iudex laicus.*
4 *De ratione ob quam Clerici, & Eccleſiaſtici ſoluunt onera, & gabellas in Statu Eccleſiaſtico.*
5 *Theſaurarius generalis Papæ eſt etiam Magiſtratus Eccleſiaſticus.*
6 *An Epiſcopi, & alij inferiores Papa poſſint committere cauſas Clericorũ Magiſtratibus ſecularibus.*
7 *De repreſalijs non concedendis contra Clericos.*
8 *Quod inſolita non veniant ſub mandato, ſeu delegatione generali.*
9 *Quænam ſint vera, & propria repræſalia.*
10 *De quadam repræſalia iudiciali etiam in cauſis priuatorum.*
11 *De repreſalijs contrà ciues pro debito Ciuitatis, & de illarum ratione.*
12 *Ad quod ciues cogi poſſint pro occurrentijs, & debitis Ciuitatis, vel Communitatis.*
13 *De ratione reſolutionis, & quare cum Clericis non debeant practicari repræſalia, de quibus num. 11.*

DISC. CLXXXI.



1 VM in Statu Eccleſiaſtico immediato ex rationibus inſinuatis ſuprà *diſc.* 55. & 56. modica, penéque nulla ſit eccleſiaſticæ immunitatis realis praxis, dum Eccleſiæ, & Clerici, aliæque eccleſiaſticæ perſonæ pleriſque oneribus, & gabellis ſubiacent, præſertim illis, qui Cameralia dicuntur, vt etiam patet ex deductis *diſc.* 26. *de Regularibus, & alibi*; Hinc inter ſingulorũ locorum Communitatem laicalem, & Clerum, controuerſiæ haberi ſolent ſuper huiuſmodi onerum repartitione, ac ſupportationis modo, prout contingit in hac Peruſina Ciuitate, in qua ex Arbitrorum laudo emologato, quædam annis decurſis prodijt concordia, ad cuius limites prętendētibus, tam Ciuitate, quàm appaltatoribus Cameralibus, ſub Theſaurariorum vocabulo explicari ſolitis, Clerum, & Capitulum in cuiuſdam notabilis ſummæ ſolutione moroſum eſſe, obtenta à Theſaurario generali Vrbis, generali communicatione eius facultatum, eiuſdem Ciuitatis, ac Prouinciæ Vmbriæ Gubernatori, qui pro iſtius Principatus ſtylo in Prælaturæ ſtatu, quinimò etiam in Epiſcopali dignitate conſtitutus erat, de iſtius mandato repręſalia commiſſa fuit in perſona cuiuſdam qualificati Canonici Cathedralis, qui ſupponebatur Syndicus, & adminiſtrator, vel ſuperintendens negotiorum Cleri, illum indecentèr detrudendo in carcerem à quo, vt ſe liberaret, coactus fuit ſummam prætenſam deponere. Quarè aduersùs hunc actum habito recurſu per ipſum Capitulum, ac vniuerſum Clerum ad Sacram Congregationem Immunitatis poſt trinam propoſitionem *ſub die* 18. *Decembris* 1674. prodijt reſolutio in præcedentibus propoſitionibus; ex Cameralium oppoſitionibus, & ſubterfugijs dilata ad fauorem Cleri, & Eccleſiaſticorum, tam pro iſto actu particulari, quàm generalitèr in futurum; huiuſmodi ſcilicèt repręſalias, quamuis cum ſæcularibus practicari ſolitas, illicitas eſſe cum Clericis, cum quibus practicari non poſſent, nec deberent.

In

In disputationibus itaque desupèr habitis, me pro Capitulo, & Clero scribente, duæ fuerunt inspectiones; Vna scilicèt ordinis, vel iurisdictionis, & competentiæ huius Congregationis Immunitatis; Et altera meritorũ negotij principalis super licita, vel illicita repræsalia contra aliquos Clericos particulares pro vniuersali, vel communitatiuo debito Cleri, seù Capituli.

Quatenùs pertinet ad primum; Dicebant Camerales scribentes pro Thesaurarijs, & Ciuitate, incongruum esse re-
2 cursum ad hanc Sacram Congregationẽ Immunitatis, ipsamque proindè incompetentem censendam fore, quodque causa remitti deberet ad suos Iudices ordinarios, prout de iure, qui iudicarent an benè, vel malè dictus Gubernator á Thesaurario generali desupèr delegatus, in hoc se gesserit; Ista namque Sacra Congregatio Immunitatis, ex insinuatis *in Relat. Curiæ disc.* 17. ac etiam *in Miscell. Ecclesi. disc.* 2. *&* 4. *cum seqq.* sub Vrbano VIII. erecta fuit pro iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiæ conseruatione, & defensione aduersùs laicorum magistratuum perturbationes, & præiudicia; secùs autem, vbi contrà Clericos, vel Ecclesiasticas personas processum fuerit cũ auctoritate Iudicis Ecclesiastici, generalem, seù habitualem cum eis competentiam habentis, quoniam si actualis incõpetentia allegetur, siué vnius ex pluribus æquè competentis maior competentia, iuxtà tot quæstiones, de quibus in sua sede *sub tit. de iurisdict. disc.* 1. *& seqq. & per tot.* ac etiam *in d. Miscellan. Ecclesi. disc.* 16. *&* 22. *& seqq.* ad sacras Congregationes Episcoporum, & Concilij, siue ad vnam, vel alteram Signaturam Gratiæ, vel Iustitiæ cognitio pertinet, non autem ad istam Congregationem Immunitatis, quæ super prædicto solùm causarum genere erecta est, atque ita instando pro remissione causæ ad Thesaurariũ generalem, quod idem importabat, ac succumbentiam omnimodam huius partis in negocio principali, dum ex pluriès insinuatis *d. tit. de iurisdict. & alibi*, frequentèr contingit, quod ex qualitate Iudicis, vel Tribunalis pendet decisio.

Scribens è conuerso pro competentia iurisdictionis huius Congregationis, quæ in prima causæ propositione se taralem declarauit, dicebam præmissa rectè procedere, quando nulla laicalis potestatis quæstio, vel mixtura desupèr caderet, quia nempè repræsalia facta esset per Episcopum, vel alium Magistratum merè Ecclesiasticum, secùs autem in casu, dum illa facta erat de mandato eius, qui personam, seù figuram gerebat Gubernatoris, vel Præsidis sæcularis, vndè manat violatio iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ.

Neque obstare aduertebam, quod persona materialis, quæ hunc Magistratum
3 exercebat, esset in prælatura, & in ecclesiastica dignitate constituta, quoniam non qualitas personæ materialis, sed illa personæ formalis, & muneris in hoc proposito attendenda venit, iuxtà casum, de quo *sub tit. de iurisdict. disc.* 65. quod scilicèt ille Prorex Regni Neapolitani, de quo ibi agitur, constitutus erat, in dignitate Cardinalitia, ac etiam Archiepiscopali, & tamen consideratur, tanquam Princeps, seù Magistratus secularis; idemque in casu, de quo *disc.* 4. *Miscellan. Ecclesi. & eod. tit. de iurisdict. disc.* 1. *& seqq.* de Magno Magistro Religionis S.Ioannis Hierosolymitani in Insula Meleuitana, & de eiusdem Religionis Prioribus, & Commendatarijs, quamplura dominia temporalia possidentibus, quoniam licèt sint personæ Ecclesiasticæ, & capaces ecclesiasticæ iurisdictionis, quã actu exercent, etiam cum Clericis, & cũ alijs Religiosis professis, vel seruientibus, habentibus requisita, de quibus *disc.* 4 *de iurisd.* Attamèn in ijs, quæ concernunt dominium, vel Magistratum sæcularem, considerantur tanquam sæculares violatores ecclesiasticæ iurisdictionis, & immunitatis.

Atque in fortioribus terminis habemus in ipsamet Vrbe, & Statu Ecclesiastico, & in persona eiusdem Pontificis, eiusque Tribunalibus, & Magistratibus, quod in ijs, quæ concernunt dominium, & regimen temporale, pro merè sæcularibus habentur, quotiès non accedat voluntas Papæ coniungendi vtrumque gladium, & vtramque potestatem, ex pluriès insinuatis sub diuersis locis, & præsertim *disc.* 37. *de iudic.* occasione agendi de AEgidiana, *& in Relat. Curiæ disc.* 4. 25. *&* 36. *& in alijs*, agendo de ipso Papa, & de Gubernatore Vrbis, ac etiam

etiam de Congregatione Consultæ,& similibus officialibus.

Et quamuis emolumenta huiusmodi
4 onerum cedant ad commodum eiusdem Cameræ Apostolicæ, siue soluantur per sæculares, siue per Ecclesiasticos; Attamèn diuersa est causa debendi, atque in hac parte Papa duplicem respectiué gerit personam, ipsaque Camera duplicem diuersam habet speciem, ex insinuatis suprà *d. disc.* 55. vbi etiam insinuatur,id verificari quoque in aliquibus Principibus sæcularibus, & præsertim in Rege Catholico ex Apostolicis concessionibus exigente, pleraque subsidia, & contributiones ab Ecclesiasticis, ac etiam gerente personam Prælati, ac magni magistri plurium militarium Religionum, sed non per hoc exercet huiusmodi iura Ecclesiastica, vel spiritualia per Magistratus, & Tribunalia principatus sæcularis, dum adsunt proprij Magistratus Ecclesiastici.

Quo verò ad aliam inspectionem, dicebam, quod ex præmissis constabat de inefficacia delegationis, vel communicationis facultatum factæ per Thesaurarium generalem, qui absque dubio dicendus venit Magistratus mixtus,habens sibi à Papa communicatam vtramque
5 potestatem, cum sit collector generalis spoliorum ecclesiasticorum, aliorumque iurium Cameræ Papæ,vti Papæ præscindendo à principatu temporali etiam extrà dominium temporale Ecclesiæ, dum est Iudex appellationum, & recursuum à Nuncijs, & Collectoribus Apostolicis, alijsque Cameralibus officialibus, & ministris per vniuersum Orbem Catholicum, ex deductis *in Relat. Curiæ disc.* 35.

Verùm hanc potestatem committere non potuit dicto magistratui sæculari cū
6 Clericis, cum soli Papæ id concedatur, quotiés agatur de iudicando,& exequēdo iudicatum proprium, secùs autem, vbi de exequutione nudi facti mandatorum, & iudicati Magistratus Ecclesiastici competentis, vndè propterea receptū habemus, quod Episcopus, vel alter Prælatus, Papa inferior, non potest deputare laicum in Vicarium generalem, & foraneum, siue causas contra Clericos præsertim criminales, vel ciuiles circa coercitionem personarum, quidquid sit de iudicijs merè realibus in bonis, ex relatis frequentér per modernos collectores, præsertim *Barbos. de Episc. alleg.* 54. *num.* 4. *Pellegrin. de Vicar. in princ. pag.* 2. *num.* 4. *& passim*.

Quinimò ad rem dicebam, quod probabiliùs respectu Clericorum, & Ecclesiasticorum, neque in ipsomet Thesaura-
7 rio adesset ista facultas repręsaliandi, quamuis illam absque dubio habeat, & exerceat cum laicis, cum quibus etiam conceditur appaltatoribus in appaltibus Cameralibus,eo quia cum laicis pro debitis, & contributionibus fiscalibus, id videtur ex communi consuetudine, præsertim Italiæ, passim receptum, & connaturale pro debitis scilicèt Communitatum exequendi in bonis, & personis aliquorum ciuium, vt infrà; In Clericis autem, & personis Ecclesiasticis repręsaliæ sunt expressè prohibitæ per decretum Concilij Lugduneñ *registrat. in cap. vnic. de pen. in* 6. vbi Doctores relati per *Carol. de Graff. effect. Cler.* 23. *nu.* 1. *& 2. Barbos. in Collectan. ad idem cap. vnic. Cobell. ad bull. bon. regim. cap.* 12. *num.* 32. *& num.* 72. *& seqq.*

Quamuis enim reverà ista prohibitio percutiat casum diuersum, vbi scilicèt agatur de faciendo repręsalias in persona, vel bonis Clericorum pro delicto,vel debito laicorum, vndè propterea non videtur, quod capiat casum, in quo agatur de debito ipsorum Clericorum, eorumque Communitatis, vt pro absoluto habuit eadem Congregatio; Attamèn quia id est insolitum, & nunquam pra-
8 cticari consueuit,idcircó dicebam,& hęc Sacra Congregatio admisit intrare conclusionē,de qua *disc.* 1. *de emphyteusi, & alibi*, quod scilicèt in generali concessione iurisdictionis, & facultatum facta Vicario, vel alteri Magistratui,non veniant insolita, vt etiam occasione agendi de alia specie repręsaliarum, vt infrà,quando non obster consuetudo, alijs relatis plené firmatur apud *Arias de Mesa resolut.* 22. *lib.* 2. dum in hoc totum facere videtur consuetudo.

Ad id autem comprobandum, occasione quoque respondendi multis auctoritatibus, quas desumptas, vel transcriptas *ab Arias de Mesa d.lib.* 2. *cap.* 11. *cum plurib. seqq.* deducebant scribentes in
9 contrarium; Aduertebam, quod illæ repręsaliæ, de quibus antiqui Doctores loquun-

quuntur, & præsertim *Bartol.* qui particularem desupér edidit tractatum, & quarum facultas connumeratur inter regalia maiora Principi reseruata, longé diuersam habent speciem, dum proprié dicuntur illæ, quæ fiunt in personis, vel bonis subditorum alterius Principis, vel Ciuitatis in proprio Principatu, vel Ciuitate, ad effectum cogendi dictũ Principem, vel Ciuitatem, vt abstineat ab aliquibus actibus præiudicialibus ipsi represalianti, vel eius subditis, vt nostra ætate frequens praxis docuit in dominijs Regis Catholici, quod represaliæ positæ fuerunt in bonis, & iuribus Ianuensiũ, aliarumque Nationum ob gesta Reipublicæ, vel alterius Principis, istarumque represaliarum occasione, *Arias de Mesa* vtpotè desupèr consultus, disputat quæstionem, an Vicarius Regis, qualis est Prorex Regni Neapolitani, hanc habeat potestatem, concludendo affirmatiuè potius, ratione consuetudinis, & obseruantiæ, & ob nimiam amplitudinem mandati, & facultatum istius Magistratus.

Istarumque represaliarum ad instar, per quandam earum speciem, vel imagi-
10 nem inoleuit etiam in Magistratibus, & Tribunalibus vsus exequendi iudicatum in vna re, loco alterius, iuxtà *decis.* 149. *Bichÿ*, *cum alÿs relatis disc.* 40. *num.* 47. *de iudic.* ac etiam insinuatur *sub tit. de feud. disc.* 56. *& alibi*.

Diuersa est species huiusmodi represaliarum, de quibus agebatur, dum istæ tales impropriè dicuntur ex quodam vsu
11 loquendi, istæque non habent illam exorbitantiam, quam habent præcedentes, neque reverà dicendæ veniunt de regalibus maioribus supremo Principi, præcisè reseruatis, quoniam licèt non habeant iuris assistentiam, non tamen habere dicuntur omnimodam resistentiã, ex ea ratione, quód omnes ciues dicuntur debitores erga Principem, vel Rempublicam pro tributis, & collectis, alijsque publicis oneribus, & contributionibus, atque Communitates, tanquam corpora ficta, & inanimata de per se, aliud non sunt, nisi quædam arca, seù bursa omnium Ciuium, qui eum singulorum collectis, & contributionibus, aut cum assignatione illorum iurium, & emolumentorum, quibus seipsos priuant, iuxtà insinuata suprà *disc.* 94. *& seq.* ac etiam *Suppl. Theat. Lib.* 2. *de Regal.* *disc.* 35. *& seq. de seruit. & disc.* 2. *de feud. & alibi*, illam archam, seù bursam implent, vt ità commodè promptam Principis, vel Reipublicæ Quæstores pro publicis vrgentijs habeant, & per consequens quãdo ijdem ciues id negligunt; ex quadam generali consuetudine introductum est ex boni publici motiuo, atque vt promptè publicis vrgentijs occurri valeat, cogendi aliquos ciues diuites, magisque idoneos ad promptam solutionem, vt deindè ipsi ex singulorum collectis, & contributionibus reintegrentur; Ita inferendo stimulum, ac timorem ditioribus, & potentioribus, penès quos Communitatum regimen, & directio esse solet, alicuius maioris sollicitudinis super singulorum collectis, & contributionibus.

Ad instar eorum, quæ insinuantur etiã suprá *disc.* 44. *&* 45. vt calamitoso tem-
12 pore belli, penuriæ, aut pestis cogi possint diuites, ac idonei ciues exhibere, & vendere triticum, aliaque victualia, siue pecuniam pro illorum emptione mutuare, aut se obligare de proprio erga creditores Communitatis, qui nolentes Communitatis fidem sequi, exigere solent obligationem aliquorum ciuiũ particularium, iuxtà casus relatos *sub tit. de alien. & contract. prohib. & alibi*, in proposito obligationis particularium pro Communitate.

Est itaque ista represalia impropria, ita nuncupata ad instar, totaque prouenit à consuetudine, de qua testantur *Bart.* & alij relati per *Cohell. ad bull. bon. regim. d. cap.* 12. Et per consequens eum in hoc totum faciat consuetudo, istaque non
13 adsit in Clericis, alijsque personis Ecclesiasticis, ita resultat, quod ea indebitè practicata fuerit, non benè arguendo à praxi, quæ habeatur cum laicis, dum ex insinuatis *d. disc.* 55. ex diuerso iure, diuersaque persona collectæ, & contributiones, aliaque onera exiguntur ab Ecclesiasticis, quàm exigantur à laicis, quamuis de facto eadem videatur Camera, seù bursa, atque ex isto motiuo deficientis consuetudinis potissimè, prodijt resolutio, quæ iusta, benèque fundata visa est.

M DISC.

DISC. CLXXXII.

Romana libertatis,

Pro Isach Arouas Hebræo Orientali, cum N. N.

Casus disputatus coram Vicesgerente.

An Hebræi Orientales domicilium habentes in locis de dominio Turcarum, efficiantur serui Christianorum, á quibus vi bellica in terra, vel mari capiantur; Et quid de ipsismet Christianis subditis infidelium; Et de Christianis apostatis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De potestate Magni Magistri Hierosolymitani in Insula Meleuitana.*
3 *Princeps potest seruos libertati donare.*
4 *Quando id procedat, & an attendi debeant literæ testimoniales libertatis.*
5 *De priuilegio Apostolico concesso Iudæis ne possint effici serui.*
6 *Quomodo istud priuilegium veniat intelligendum.*
7 *De eodem Magistro, de quo num. 2. & in quo subiaceat Sedi Apostolicæ.*
8 *De depradationibus bonorum subditorū Principis inimici, & quid quoad personas.*
9 *De statu Iudæorum, & quorum sint capaces, eorumque materia.*
10 *De differentia inter Iudæos, & Turcas, & an Iudæi efficiantur serui.*
11 *Declaratur propositio, quod Christianus non habet seruum Christianum.*
12 *Christiani apostatæ vulgò rinegati capti, si dicant velle redire ad fidem, an donentur libertati.*



DISC. CLXXXII.



1 TRADVCTO ad oras Portuenses vulgó Fiumicino, siue ad ripam Vrbis in quadam Naui, vel Cymba Meleuitana in forma serui à pluribus annis capto in naui Turcarum Isach hæbreo Orientali, curauit Vniuersitas Hæbreorum Vrbis, de hoc certiorata, illum arrestari, ne alió duceretur, assumendo illius libertatis opus ex duplici motiuo coram Vicesgerente Cardinalis Vicarij; Primó nempé ob literas Magni Magistri Religionis Hierosolymitanæ, in qua illé enunciatur olim seruus, nunc manumissus,& liber, hortando omnes, vt eum, tanquam liberum tractent, neque tanquam seruum tractari, seù molestari permittant, iuxtà huiusmodi litterarum patentium, seù testimonialium consuetam formam; Et secundó, quod tam de iure, quàm ex Apostolico priuilegio Sixti V. hæbrei libertatem commercij habeant cum Orientalibus subditis Imperatoris, vel Tyranni Turcarum, quodque propterèà non possint per Christianos effici serui, ex eo quód in Turcarum nauibus inueniantur.

In disputatione itaque desupèr habita, in qua pro hæbrei libertate ad Vniuersitatis instantiam scribebam; quatenùs pertinet ad primum punctum, quo subsistente, inanis labor erat agere de altero, ille videbatur potiùs facti, quàm iuris; Non negabant etenim scribentes pro eo, qui se dominum prætendebat, atque seruitutem allegabat, ea, quæ á me dicebatur super fide præstanda dictis litteris Magni Magistri, qui Insulæ Meliuetanæ est Princeps cum supremo imperio, &
2 regalibus maioribus, ex deductis *hoc tit. supra disc. 126. & disc. 69. de iurisdict. & disc. 4. Miscellan. Eccles.* & per consequens cum ipse aliquem in sua ditione liberum declarat, tali declarationi deferendum
3 est, ob facultatem, quam Princeps habet donandi seruis libertatem, *ad tex. in l. fin. & tot. tit. ff. de natal. restit. cum concord. apud Rouit. super pragm. in Rubr. de seru. manumiss.*

Dicebant tamen id rectè procedere, quando literæ non essent fiduciariæ, & in

gratiam

gratiam ipsius domini, cuius intererat, vt iste seruus redimeretur, ideoque admonitus, quod illum traducendo ad Vrbem, Vniuersitas hæbreorum Vrbis, vel probabilius altera hæbreorum Orientalium Anconæ, de qua contradistincta ab hæbreis occidentalibus, habetur suprà *disc.* 104. redimeret; hinc proindè ipse-
4 met dominus de huiusmodi litteris in discessu sollicitus fuit, vt cõtingente casu redemptionis, illa promptè practicabilis esset, iuxtà stylum huiusmodi attestationes dari solent, ac propterea, vt præmissum est, dicenda erat quæstio potiùs facti quàm iuris; Idque reflectendo ad veritatem, mihi quamuis in contrarium scribenti, probabile videbatur, non solùm ob aliquas iustificationes, quæ desupèr dabantur, de quarum efficacia in stricta iuris censura, nimiùm dubitari potuisset; sed potissimè ex argumento resultante ab eo, quod istæ litteræ non essent penès ipsum hæbreum, qui se liberum contendebat, sed penès illum, qui tanquam dominus, illum ducebat vinctum in statu seruitutis; Addita etiam probabilitate, seù bona fide resultante ab accessu ad Vrbem, vel eius portum liberè, & publicè, cum tamen notorium sit in eadem Vrbe adesse Vniuersitatem adeò numerosam, & considerabilem huius sectæ, ideòque insimul consideratis omnibus circumstantijs, cum regula, vt singula, quæ non prosunt, &c. videbatur, quod ita se haberet rei veritas.

Quo verò ad alium punctum, illum distinguebam in duas inspectiones, vnam scilicèt particularem resultantem à priuilegio Sixti V. Et alteram in terminis generalibus iuris communis.

Super prima, scribendo more Aduocati ad causæ opportunitatem, dicebam, quod ita intraret vulgaris regula sæpiùs enunciata *tex. in l. ille, aut ille ff. de leg. 3.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, cum priuilegium sit litterale, atque descendat ad speciem illorum hæbreorum, qui in partibus Orientalibus sub dominio Turcarum cum nauigatione commercium habeant; Neque dicebam dubitandum esse de potestate, quoniam absque necessi-
5 tate assumendi altiorem inspectionem super potestate Papæ in temporalibus, in toto mundo, & in alienis Regnis, & Principatibus, & super quam aliquid insinuatur *in Relat. Curia disc. 2.* cessabat difficultas ex facto, dum persona erat in Vrbe sub dominio temporali Papæ, ac etiã ille, qui de seruitute cõntendebat, subditus dici poterat, vtpotè de Insula Meleuitana sub dominio Magni Magistri Hierosolymitanæ Religionis, qui est subditus Papæ, adeóvt ab eius sententijs ad Papam, eiusque Curiam appelletur.

Multoque magis dicebam, dicto priuilegio deferendum esse, dum constabat de eius praxi, vel obseruantia sub Clemente VIII. quod in consimili casu per sententiam particularem Congregationis trium Cardinalium, alter hæbreus liber declaratus fuit.

Verùm reflectendo ad veritatem, dubitabam de motiui releuantia, vt iuxtà stylum ab initio requirentibus insinuaui, quoniam ex præfati indulti, seù priuilegij tenore liquet, illum concessum fuisse
6 per Papam, tanquam suæ temporalis ditionis Principem, non autem tanquam Papam pro regiminæ Ecclesiæ Vniuersalis, eodem modo, quo sunt aliæ prouisiones, de quibus *sub tit. de Vsur. disc. 6. & alibi plurièś*; Cùm etenim ex insinuatis suprà *d. disc.* 104. in Anconitana præsertim Ciuitate magis apta nauigationi, & commercio partium Orientalium, viuant huiusmodi hæbrei orientales, adeóvt particularem constituant Vniuersitatem contradistinctam ab Occidentalibus, ità congruum fuit concedere libertatem cõmercij cum illis regionibus actiuè, & passiuè, vt scilicèt illi, qui in dicta Ciuitate Status Ecclesiastici, alijsque partibus morantes, ad illas partes infidelium accederent, causa negotiationis, ac etiam ij, qui in illis partibus domicilium habentes, ad nostras venire possint, tanquam per communicationem commercij, ob quam ab vno Principe concessam ex quadam communi lege congruentiæ, quæ gentium dici solet, omnes alij Christiani Principes, per quorum territoria transiti contingat, non permittant eos deprędari, ac seruos effici; Secùs autem, vbi de ijs agatur hæbreis, qui non ex causa huius negotiationis, vel commercij iam concessi, sed in Turcarum nauibus militent, aut itinerentur, dum etiam ipsorummet Turcarum, & infidelium negotiatorum, cùm nostris Regionibus idem com-

commercium quandoque haberi solet, eisque ista conceditur assecuratio.

Et quoad superioritatem Insulæ Meleuitanæ ponderabam obstare posse ea,
7 quæ habentur *d.disc.69. de iurisd.* vt scilicèt superioritas sit in ijs, quæ concernant ipsam Religionem, eiusque regimen, & in quibus ipse Magnus Magister consideratur tanquam eiusdem Religionis Prælatus; Secùs autem in temporalibus, in quibus gerit personam diuersam feudatarij Regni Siciliæ.

Quo verò ad alteram inspectionem in terminis generalibus iuris communis; Præsupposito assumpto, ex communi consuetudine recepto, vt ea, quæ in iure statuta sunt, tam super deprędatione bonorum hostium, quam super seruitute per-
8 sonarum, hodiè inter Christianos, quamuis inimicos, procedunt solùm quoad bona, non autem quoad personas, quæ sunt quidem vinctæ ratione carceris nō autem in ratione seruitutis, eo quia Christianus non habet seruum Christianum, quamuis hæreticum, vel scysmaticum, ideòque ius veræ seruitutis intret solùm cum Turcis, alijsque Mahumetanæ sectæ sequacibus, qui propriè dicuntur nostri hostes, ex deductis apud *Mastrill.decis.*254.*repetit.apud Castill.dec.*107 *cum alijs*; de quibus *in Meleuitana deprędationis in hoc eod. Supplem. disc.*170. idcircò stante hoc præsupposito, aduertebam, punctum esse, quid dicendum veniret in isto casu mixto, quod scilicèt non ageretur neque de Christianis, neque de infidelibus Mahumetanis, sed de tertia specie professorum sectæ Iudaicæ, an scilicèt potiùs sub Christianorum, vel sub infidelium genere in hoc proposito venire deberent.

In hoc autem, retento eodem themate scribendi more Aduocati ad causæ opportunitatem, deducebam ea, quæ cum consueto illius alioquin docti Auctoris prolixo nauseatiuo stylo habentur apud *Parif. cons.*2. *lib.*4. *in princ.* quod scilicèt
9 quamuis apud Deum Iudæi criminosi, & delinquentes, censendi sint, vtpotè in eorum perfidia perseuerantes, atque veritatem redemptionis agnoscere nolentes, ac proptereà serui reputentur; Attamen id impropriè procedit ad prædictum scilicèt effectum fori interni apud Deum, & Ecclesiam, sed in foro externo habentur tanquam liberi, & ciues, eodem modo, quo Christiani, adeòvt gaudeant omnibus fauoribus, & priuilegijs, ac statutis, & legibus, quibus alij ciues, etiam in ijs, quæ fundata sint in æquitate, & contrà ipsosmet Christianos ex ijs, quæ habentur deducta *sub tit. de seruit. disc.* 70. occasione competentiæ retractus, & generalitèr occasione priuilegiorum minoris, vel occasione lucri dotalis *sub tit. de dote*, & occasione facultaris faciendi fideicommissum, *sub tit. de fideic. & alibi*.

Atque discurrendo etiam per rationes, dicebam, quod quamuis Iudęi sint infideles non tamen sunt publici hostes generalitèr, & in generica prohibitione
10 commercij, vt sunt Turcæ, dum Ecclesia in ipsamet Vrbe eius Metropoli, & in multis locis permittit eorum commercium, adeòvt habeantur potius tanquam ciues, vel pacifici amici; Ponderata etiā alia notabili ratione differentiæ inter Mahometanos, & Iudęos, quod scilicèt illa secta in eius introductione habet formalem apostasiam à fide Christiana iam introducta, & dilatata, vndè prodijt in eius iniuriam, & destructionem, vel diminutionem, cui sectarij quotidiè student malè scilicèt, ac tyrannicè tractando Christianos, eosque incapaces reputando omnium munerum, & honorum, quorum capaces reputant, quando apostatando à fide, eorum amplectantur sectam, & sic est continua pugna contra Christianos, tam cum vi bellica, quàm cum ista vi interpretatiua; E conuersò autem secta Iudæorum, antequam compleretur mysterium redemptionis, erat religio sancta, & à Deo probata, ipseque populus electus, ex quo Verbum æternum carnem suscipere voluit, atque ex ea habemus Apostolos, aliaque magna Christianæ fidei luminaria, vt aduertitur in *disc.*34. *Miscellan. Ecclesiast.* occasione agendi de puncto, an esse de sanguine Iudęorum inducat irregularitatem pro assequutione ordinum, & beneficiorum; Continuare autem in eadem, non redolet apostasiam, seù nouum crimen, sed solùm continet errorem, ac perfidiam, non recipiendi, & credendi aduentum Christi, & implementum mysterij, per quod eorum legis mystica, & cærimonialia euacuata fuerunt, vndè proptereà exindè immutata natura ex religione, effecta

est

est secta, & sic est simplex perseuerantia in antiquo statu, quem credunt adhuc esse licitum, vt antea, ideóque valdè notabilis dignoscitur differentia inter vnam, & alteram sectam.

His tamen non obstantibus, reflectendo ad veritatem, contrarium credebam probabiliùs ex defectu applicationis præmissorum ad casum; Præmissa etenim rectè procedunt, ac vera sunt in illis Iudæis, qui more ciuium, & subditorum viuunt in proprio principatu, vel in altero etiam Christiano amico, siuè indif-
11 ferenti, & non inimico, sed vbi viuunt in Principatu inimico, adeòvt intret ratio publicæ hostilitatis, tunc etiam hodiè inter Christianos viget ratio belli, & deprędationis respectu bonorum, quæ iure belli fiunt deprędantium, ex deductis suprà *in hoc Supplem. in d. Melenitana deprędationis disc. 170. & sub tit. de feud. disc. 25. & alibi.*

Eatenùs autem non practicatur deprędatio personarum in forma antiqua veræ captiuitatis, & seruitutis, sed solùm in forma carcerationis, quatenùs ita induxerit consuetudo ratione identitatis religionis, quod Christianus Christianũ non habeat seruum, & de quo latè aliorũ collector *Diana to. 11. resol. tract. 3. miscellan. resol. 1.* Et sic tanquam per speciem limitationis regulæ introductæ à consuetudine; Ideóque duplex intrat recepta propositio; vna scilicèt prohibitæ extensionis limitationis, quæ in iure reputatur stricta, & odiosa, Et altera prohibitæ extensionis consuetudinis, attendendo in casu indiuiduo, & præciso, ex deductis *sub tit. de indic. disc. 35. & sub tit. de benefic. disc. 30. & alibi*; Ideóque Iudęi subditi Principis hostis remanent sub regula.

Prætereà occasione istius causæ, per modum tamen simplicis discursus, maturo non efformato iudicio, cùm causæ necessitas, vel opportunitas non exigeret, Cogitabam, quod dicta propositio, vt inter Christianos non detur ius captiuitatis, quamuis inter eos ratione hæresis, vel schysmatis circa articulos fidei, quã omnes pariformitèr profiteantur, aliqua dignoscatur diuersitas, & de quo in specie *Diana d. resol. 1.* vbi concordantes, vt scilicèt id procedat, vbi bellum esset inter Principes Christianos, inter quos regularitér non obstante diuersitate Religionis circa speciem, non autem circa genus, esse solet pax, & amicitia, & commercium, & quandoque etiam confęderatio, adeòvt bellum sit accidentale, vt docet quotidiana praxis Regnorum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & Suetiæ, ac Danimarchiæ, & similium, ac tot principatuum Germaniæ superioris, & inferioris, quoniam licèt bellum sit inter Catholicos, & hæreticos, attamén omnes sunt de eodem Orbe Christiano cũ inimicitia accidentali, adeòvt schysma, vel hæresis non tollat vnitatem fidei in genere inter Principatus, & Principes.

Secùs autem in illis Christianis schysmaticis subditis imperio Turcarum, & qui in eius exercitu militarent, vel aliàs in Turcarum nauibus existentes iure belli, & deprędationis, deueniant in posse Christanorum, quoniam sicuti non implicat, vt serui Mahometani, si deindè Christianam fidem amplectantur, adhuc tamen in seruitute perseuerent, vndè propterea Christianus habeat seruum Christianum, quamuis Catholicum; Ita non videtur quænam adsit implicantia, vt Christianus habeat seruum Christianum schysmaticum, & subditum eius, qui est perpetuus, ac naturalis inimicus nominis Christiani in vniuersum.

Ac propterea dicta propositio, vt Christianus non habeat seruum Christianum, recipienda videtur, vbi agatur de bello inter Christianos accidentali, non fixo, & naturali, adeòvt inter eos dari valeat reconciliatio, & amicitia, siuè practicari valeat permutatio carceratorum belli; secùs autem vbi cum isto hoste perpetuo, & irreconciliabili, quoniam isto casu, cessante dicta ratione, duo dari possent inconuenientia Christianis præiudicialia; Primò nempè, quoniam ità libentiùs possent, & curarent Turcæ habere milites Christianos eorum subditos, illosque in nauibus piraticis adhibere in milites, & nautas, dum ita certi sunt, quod non efficientur serui, ex quo resultaret nostris præiudicialis inæqualitas, & claudicatio Christianis, dum è conuersò nostri, quatenùs ab eis vincantur, indifferentèr serui efficiuntur.

Et secundò, quia potiùs damnosa, & præiudicialis victoribus, & capientibus esset victoria, dum oporteret alere tot car-

carceratos inutiles, adeòvt expediret potiùs in conflictu belli, vel post obtentam victoriam, eos trucidare, quod esset magis inconueniens, magisque inhumanū, ac præiudiciale ipsismet captis, cum in eis non vigeat illa ratio æqualitatis, quæ consideratur in bello inter Christianos super permutatione, & reciproca restitutione carceratorum, etiam durante bello, & multò magis in casu pacis, vel treguæ.

Tunc autem dictam propositionem de Christiano non faciente seruum Christianum, etiam scismaticum, procedere aduertebam, quando agatur de illis Christianis, qui more ciuium viuant in Ciuitatibus, & locis, quæ antiquitùs erant de dominio Christianorum, & per Turcas tyrannicè occupati sint, & à quorum manibus, vi bellica recuperentur; siue etiam, vbi non sequatur formalis recuperatio cum perseuerantia, sed solùm fiat deprędatio, vulgò *Sacco*, quasi quod ipsi Christiani potiùs id desiderent, atque nostris opem ferre curent, vt eorum obtineant libertatem à tyrannide, & seruitute, eodem modo, quo iuxtà frequentē praxim, contingit in illis Christianis, qui in Turcarum captiuitate existentes, tanquam serui remigent in eorum triremibus, alijsque nauibus, quoniam inuiti in pugna cooperari coguntur; & per consequens gaudent potiús de succumbentia, quàm de victoria eorum, pro quibus operantur; Secùs autem vbi veniant sub deprędatione, eodem modo, quo bona; Adhuc tamen maturiori iudicio hæc reseruata sint.

Prout frequentér contingente casu, quod in nauibus, & in triremibus Turcarum inueniuntur Christiani apostatæ, vulgò *Rinegati*: dubitari contingit, quomodo cum eis sit procedendum, & an efficiantur serui, vel potiùs donari debeant libertati, si dicant, id egisse per vim, & metum, atque sint prompti abiurare apostasiam, & reuerti ad fidem; Et in hoc me remittendo iudicio Sac. Congregationis Vniuersalis Inquisitionis, vt etiam in alijs, de quibus suprà; Quatenùs pertinet ad hunc punctum prophanum libertatis, videtur, quod eadem Congregatio procedat cum distinctione, quod si apostasia sequuta est de tempore infantiæ, vel aliàs in statu imperfecti iudicij, absque eo, quod esset instructus in fide, restituatur libertati; Si veró in ætate adulta, inspiciendum, an sit captus pugnando more hostis, & tunc remaneat seruus in pœnam apostasiæ, sub ea tamen restrictione, vt non possit vendi, vel dari in excambium infidelibus, ad quos redire possit, sed si sponté pœnitens compareat, aut quod nauim ascendisset, vt faciliùs ad partes Christianorum confugeret, animo redeundi ad fidem, vel consimilem iustificet excusationem, donetur libertati, ita tamen, vt tam baptismatis ab eo asserti, quàm aliarum excusationum, adsit sufficiens iustificatio, quoniam, quando agitur de præiudicio tertij non admittitur illa probatio baptismatis ex eius assertione, & vnico teste, iuxtà distinctionem, de qua apud *Mascard. de probat. concl. 163.*

DISC. CLXXXIII.

Ianuen, seú Mediolanen Iccorum Montium.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

Augmentum, vel diminutio locorum Montium sequuta intermedio tempore inter venditorem, & translatorem, cuius commodo, vel incommodo cedat, an emptoris, vel venditoris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Cuius sit periculum, an emptoris, vel venditoris.*
3 *De peculiari natura venditionis locorum montium, & de effectibus exindè resultantibus circa eorum commercium.*
4 *Promissio de vendendo producit actionem ad interesse.*
5 *An adimplementi defectus resoluat contractum.*
6 *Adimplementum post terminum conuentum, an sufficiat.*
7 *Quandoque negligi solet translatio in empto-*

emptorem, & de ratione.
8 Quando intret actio ad damna, & interesse.
9 An incertitudo impediat perfectionẽ emptionis, & venditionis.
10 Conclusio responsi, seù resolutio casus.

DISC. CLXXXIII.



1 POSSESSOR quorundam locorum montium Mediolani, de quibus agitur suprà *disc. 26.* vendidit alteri conciui Ianuensi tantúm eorum ratam, quæ cederet sub summa scutorum 80. pro quolibet loco, atque numerata accepit scuta 500. cum conuentione solutionis reliquorum quingentum post sequutam translationem in personam emptoris, quam venditor intrà duos menses facere promisit; Cùm autem eadem translatio non nisi septimo, vel octauo mense sequuta fuisset, hoc autem medio tempore eadem loca deteriorationem, siuè aliquam valoris diminutionem passa essent; Hinc venditore petente residuum pretij, emptor de dicta deterioratione excipiebat; Quaré desupèr suppressis nominibus, incertum est ex cuius parte, consultus fui.

Respondi iuxtà terminos generales, quos in iure habemus *tot. tit. Digestorum, & Cod. de pericul. & commod. rei vendit.* de quibus suprà *hoc eod. tit. disc.* 118. *& sub tit. de empt. & vendit. disc.* 4. *& seqq.*
2 *& alibi*; quod scilicèt exceptis illis rebus manualibus, quæ consistunt in pondere, numero, & mensura, in alijs post iam perfectam venditionem, etiam ante traditionem, tàm periculum, quàm commodum sit emptoris, quoniam licèt dominium ante traditionem non transferatur, ex relatis *disc.* 160. *de dote, & alibi*, attamèn receptum est, quod diuersa est periculi ratio.

Neque præmissis obstare dicebam ea, quæ ex peculiari natura huiusmodi lo-
3 corum montium, aliorumque similium iurium in specie habentur suprà *disc.* 41. quod scilicèt priuata conuentio Partium super eorum emptione, & venditione, illam verè, & propriè non importet perfectam, sed solùm promissionem, vel tractatum de vendendo ex ea ratione, quod non sint in priuato commercio sine assensu, & auctoritate officialis ad id deputati, eodem modo, quo in officijs, alijsque iuribus regalibus pluriès suprà insinuatis; Quoniam aduertebam id esse quidem verum ad alios effectus; Primò nempè ad illum probationis perfectæ venditionis non de facili præsumendæ, cum dicta peculiaris natura, ex magis communi vsu, præsumptionem inducat, vt huiusmodi conuentiones potiùs redoleant simplicem tractatum, siuè conclusionem conditionalem, quatenùs scilicèt sequatur resignatio ex insinuatis suprà *d. disc.* 41. Secundò pro iure tertij, cui post huiusmodi conuentionem illa validè cum dicta auctoritate officialis resignentur, vel obligentur; Et tertiò pro iure ipsius Reipublicæ, vel Principis, vt creditorem habere dicatur illum, quem in eius libris descriptum habeat, cui benè fructus soluat, ac etiam vbi montis extinctionem sequi contingat, sortem restituat, cum similibus effectibus.

Sed vbi ex facti circumstantijs tollatur præsumptio, de qua suprà in primo effectu, adeòvt constet de perfecta venditione inter ipsas Partes, adeòvt futura resignatio, vel translatio, ità exequutionem importet, quamuis quoad alios ef-
4 fectus resoluatur in promissionem de vendendo, & de emendo, attamén inter ipsos contrahentes, absque mixtura interesse, vel præiudicij tertij, intrant ijdem termini generales, siue alij refectionis eius, quod interest, quam perfecta promissio de emendo, & vendendo producit ex relatis apud *Coccin. decis.* 1951. *repetit. decis.* 58. *par.* 6. *recent.* & pluriés insinuatur sub diuersis materijs.

Defectus autem implementi intrà cõuentum terminum, hunc effectum non tollit, nisi quando constat de præcisa vo-
5 luntate eius, cui adimplendum erat, vt nonnisi cum hoc præsupposito contrahere voluerit, aliàs non contracturus, cum in reliquis, quidquid aliqui velint, de quibus latè apud *Becc. consf.* 45. quod pro ea opinione tanquam magistrale circumferri solet, in contractibus nominatis, veriùs est non implementum non inducere resolutionem, sed solùm actionem ad id, quod interest, ex relatis apud *Gregor. & addem. decis.* 130. *& sub tit. de locat. disc.* 18. *& alibi.*

Et in

Et in proximis terminis adimplementi post tempus præfinitum super resigna-
6 tione officij, vel similis iuris, vt attendatur, aliaque ratio non habeatur, nisi eius quod interest, alijs relatis apud *Rouit. decis.* 53. *Mantic. decis.* 270. *cum alys per Add. ad Buratt. decis.* 571.

Hinc proindè cum in hac facti specie contractus inter ipsas partes esset in omnibus perfectus, soluta etiam, ac respectiuè recepta parte pretij, adeòvt conuenta translatio respiceret solã exequutionem ad præfatos alios effectus, & quæ
7 quandoque negligi etiam solet, adeòvt loca montium, & alia iura, vel officia in conuentionem deducta ad euitandam solutionem emolumentorum translationis, siuè ad alios effectus emptori proficuos, negligi solet, ita iuribus continuantibus in persona venditoris ad commodum tamen, & incommodum emptoris, ex deductis suprà *hoc eod. tit. disc.* 16. *& alibi*; exindè resultat, vt intrent ea, quę generalitèr in isto contractu emptionis, & venditionis habentur.

Aliam propterea dixi, non intrare actionem emptoris contra venditorem morosum in adimplemento in tempore,
8 nisi illam ad id, quod interesset, & super quo ob defectum melioris notitiæ circumstantiarum facti, iudicium dari non potuit, quód scilicèt casus deteriorationis contigisset post contractam moram, adeòvt emptor dicere valeat, quod si translatio statuto tempore sequuta fuisset, ipse antequam casus eueniret, pro antiquo consueto pretio illa vendidisset; Verùm vbi etiam ista circumstantia verificaretur, quod scilicèt casus contigisset post contractam moram, adhuc tamen nisi doceretur de isto animo, & alterius contrahentis voluntate, difficilitèr, dixi, hanc actionem intrare ex ijs, quæ ad materiam refectionis damnorum, & interesse in fideiussore, aut in alio, habentur *sub tit. de vsur. & sub tit. de Camb. & sub altero de Credito*, *& alibi*.

Quatenùs verò venditor maiorem huiusmodi locorum montium quantitatem possideret, quod in facti notula non exprimebatur; tunc ponderabam, an intraret consideratio imperfectionis contractus ratione incertitudinis rei in il-
9 lum deductæ, ex ijs, quæ alijs plené relatis, habentur apud *Merlin. decis.* 567. *&* 605. *repetit. decis.* 172. *&* 248. *par.* 6. *recent. & sub tit. de empt. & vendit. disc.* 4. *& seqq.* Verùm aduertebam, neque istam dubitandi rationem cadere, quoniam tunc id procederet, quando essent loca montium diuersarum specierum, vel erectionum, adeòvt casus contigisset, vel contigibilis fuisset potiùs in vna, quàm in altera specie, eo modo, quo exemplificari solet, vbi fiat incerta venditio tot iugerum, vel modiorum terræ alicuius prædij non deducendo ad speciem, in qua parte, & quænam essent cum similibus, in quibus intret eadem ratio possibilis contingentiæ magis in vna, quàm in altera parte; Secùs autèm vbi agatur de genere bonorum, quod in omnibus eius speciebus, & partibus eandem habeat naturam, eandemque sortiatur fortunam, adeòvt non intret dicta ratio possibilis contingentiæ magis in vna, quàm in altera parte, vel specie, cum tunc cesset ratio, ob quam incertitudo impediat contractus perfectionem, ex qua commodi, & periculi effectus resultat.

Quemadmodum itaque si hoc intermedio tempore casus præbuisset alterationem valoris, non potuisset venditor
10 prætendere suppletionem pretij vltrà conuentum ex ijsdem rationibus, de quibus suprà, ita quoque in casu conuerso, ex regula *secundum naturam*; Ac propterea contrà emptorem concludebam, vt ad conuenti pretij suppletionem teneri deberet, nisi facti circumstantiæ aperirent prædictam actionem refectionis damnorum, & interesse ratione moræ, vt suprà.

✝



DISC.

DISC. CLXXXIV.

Firmana Bullettæ.

Pro Archiepiscopo, cum Thesaurarijs Marchiæ.

Casus resolutus per Sacram Congregationem Immunitatis, pro Archiepiscopo.

In qua specie onerum suffragetur possessio exemptionis, etiam in Statu Ecclesiastico, absque eo, quod obstent Constitutiones reuocatoriæ exemptionum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De stylo quandòque tenendo in Sacris Congregationibus, & generalitèr per Aduocatos.*
3 *De circumstantijs facti in casu.*
4 *Priuatæ, & informes attestationes, quando attendantur.*
5 *An, & quando molestia, & interruptiones obstent immemorabili.*
6 *Quod possessio, vel obseruantia æquiuoca non suffragetur.*
7 *De constitutionibus reuocatorijs franchitiarum.*
8 *Quare in Statu Ecclesiastico non sit prácticabilis præscriptio franchitiarum ob possessionem triginta annorum.*
9 *Quando, & quare immemorabilis sit necessaria in præscriptione collectarum, & gabellarum, & quid vere d. præscriptio importet.*
10 *Negligentia conductorum, & appaltatorum an præiudicet.*
11 *De operatione immemorabilis, vel centenaria.*
12 *De rationibus, ob quas non intrarent constitutiones reuocatoriæ.*
13 *De differentia inter exemptionē laicorū, & Ecclesiasticorū circa præsciptionem, vel obseruantiam.*

DISC. CLXXXIV.



EX antiqua consuetudine, quæ certum non habet suę introductionis titulum, & causam, in prouincia Marchiæ Anconitanæ, frumentum extrahi, atq; asportari de loco ad locum etiam intrà prouinciam non potest absq; illius Thesaurarij, vel eius ad id deputatorum licentia, seù bulletta, pro qua soluuntur quatuor iulij pro quolibet rubro, vndè propterea in eiusdē Thesaurariæ appaltus capitulis, istud inter alia emolumēta, vel membra recensetur cum expressione, vt ab omnibus etiam Ecclesiasticis, qui essent soliti exigi posset, exceptuando Cardinales pro eorum, non autem colonorum portiones, & quosdam alios, & generalitèr omnes alios, quorum exemptio in viridi esset obseruantia.
1

Cùm autèm ab antiquo tempore Archiepiscopus Firmanus esset in possessione huius exemptionis, tám pro frumento suæ dominicalis portionis, quàm pro illa colonorum, quibus ipse, vel eius officiales bullettam concederent, istaq; Ecclesia, quandoque per Cardinales, quandoque veró per Prælatos obtineri solita sit; Hinc eam possidente Archiepiscopo Gualterio ex Cardinalis patrui, qui eam plurium annorum spatio obtinuerat, resignatione, opinantes moderni Thesaurarij retroactam exemptionem Cardinalitiæ qualitati referendam esse, prætensionem excitarunt post mortem Cardinalis, vt Archiepiscopus, eiusque Coloni huic oneri subiacerent, molestias de facto, ac manu Regia, iuxtá publicanorum stylos, ac priuilegia inferendo; Quarè Archiepiscopo recurrente ad Sacram Congregationē Immunitatis, Thesaurario audito, dilata fuit resolutio, ac rescriptum, quod Archiepiscopus meliùs eius exemptionem iustificaret; Ab isto propterea factis iustificationibus, de quibus infrà, & reproposita causa de mense Decembris 1674. prodijt resolutio Archiepiscopo in omnibus fauorabilis, tàm scilicet pro se ipso, quàm pro Colonis, quorum exemptio in eius quoque vtilitatem tēdere implicité dicitur, dum ex hoc respectu, faciliùs prędia coluntur, atque

atque melior efficitur Ecclesiæ conditio, iuxtà ea, quæ in his terminis communicationis exemptionis,seù franchitiæ etiã Colonis, habentur supra hoc *eodem tit. disc.53.* vbi plures distinguuntur casus.

Cùmque in prima propositione processum fuisset pro frequenti stylo hinc inde cum simplicibus memorialibus in lingua materna, atque post dictum rescriptum pro directione repropositionis, ex parte Archiepiscopi,habitus esset pro
2 commendabili Curiæ stylo Aduocatorũ congressus, quamuis in hoc omnia Ecclesiæ fundamenta, & respectiuè Thesaurarij obiecta per tramites iuris discussa fuerint; Attamen Ego senior, fuitin sensu, cui etiam alij adhæserunt, vt cum eadem primæua simplicitate procedendum esset, per viam scilicèt memorialis
1 in lingua materna,strictè parendo restrictiuæ super enarratione iustificationis, non autém formitèr scribendo in iure, iuxtà stylum Aduocatorum, benè tamen se præparando, vt altera Parte id agente, promptè responderi posset, breuitèr solùm insinuando solidiora Ecclesiæ fundamenta, & responsiones iam excitatis obiectis, alia non excitando, cum sępiùs Aduocati, & defensores, qui debitam non adhibentes prudẽtiam proprium ingenium, propriamq; eruditionem ostentare volunt, obiecta excitando, aliasque superfluas faciendo euagationes, nõ modicum causis præiudicium parare soleãt, *vt disc.35. de iudic.& disc.46. in relatione Curiæ*, ac etiam in opusculo styli aduertitur, præsertim verò in sacris Cardinalitijs Congregationibus, in quibus stylum facilem, ac planum, quo magis fieri potest adhibere congruit.

In isto itaque congressu, cum causæ Patronus,iuxtà stylum recensuisset iustificationes, quæ in facto habebantur quales erãt; Primò nempè antiqua instrumẽta locationum, & concessionum in coloniam prædiorum Ecclesiæ vsque ab an-
3 no 1573. quando erat in statu Cathedralis priusquàm per Sixtum V. erigeretur in Metropolitanam,in quibus ista exemptio colonis promittitur; Secundò decreta, & literæ Cardinalis Legati Prouinciæ, qui tunc aderat de anno 1608. a lijsq; successiuis temporibus, pro istius exemptionis obseruantia aduersùs consimiles molestias Thesaurarij illius temporis.

Tertió priuatæ depositiones informes tamen ob defectum citationis Partis aliquorum testium, qui fuerant Cancellarij, & ministri Curiæ, vel mensæ Episcopalis de anno 1630.deponentium de hac obseruantia, cum requisitis immemorabilis,de quibus *disc.21.de iudic.* Et quartò, quamplures attestationes de præsenti factæ à septuagenarijs, & octoagenarijs super eadem obseruantia, & cum eisdem requisitis immemorabilis.

Ista facti serie sic enarrata, de duobus punctis actum fuit; Primò nempè, an adesset benè probata immemorabilis; Et secundò, quatenùs non, an adesset benè probata quadragenaria, vel trigenaria, istaque suffragaretur nec ne.

Quatenùs itaque pertinet ad primum; Quamuis tám antiquæ attestationes de anno 1630. quám modernæ, immemorabilis requisita concluderent; Attamen dicebam, eam dici non posse benè probatam, adeóut quando necessaria esset dicta conuentio, potiùs timendum veniret, non solùm ex eo, quod ageretur de extraiudicialibus, ac respectiuè informibus attestationibus, dum iste defectus fuisset superabilis ob antiquorum testiũ
4 mortem, & ob adminicula resultantia à dictis antiquis instrumentis, & à decretis, & literis Cardinalis Legati, cum etiam priuatæ, & informes attestationes habent vim adminiculorum, & perfectam probationem concludere possunt, ex deductis *disc. 22. de iudic.* sed fortiùs ob interruptiones, tàm de dicto anno 1608. quàm de annis 1630. & 1631. in quibus ministri Archiepiscopi Rinucci-
5 ni pluriès huiusmodi emolumenta deponere coacti fuerunt, cùm ita cessaret præcipuum immemorabilis requisitum, vt nunquàm aliquid in contrarium dictũ vel productum fuerit, ex deductis *dicto disc.21.de iudic.* paritèr dicebam istum defectum videri superabilem, quoniàm illæ perturbationes, & molestiæ, quæ non habuerunt effectum, atque in eis possessor victor potiús remansit in eius possessione, postmodùm pacificè continuando, non causant interruptionem, neque nocent, sed potiùs prosunt, magisque possessionem confirmant, & canonizant, ex deductis *eod. disc.21. de iudic. & alibi*.

Magis verò apud me vrgebat, atque difficul-

difficultatem inferebat alia consideratio, quod ista obseruantia, tanquàm æquiuoca non concluderet, vtpotè referibilis ad
6 accidentalem exemptionem illorum Archiepiscoporum, qui Cardinalitia fulgebant dignitate, & quorum erat maior pars, potissimè de illo antiquo, ac primæuo tempore, in quo dicta instrumenta habebantur; Ac etiam de tempore, in quo prodierunt dicta decreta, & epistolæ Cardinalis Legati, vndè propterea quando fuisset necessaria immemorabilis, magnam dubitandi rationem superesse aduertebam, ea tamen cessante ex huius necessitatis cessatione, vt infrà.

Atque hinc resultare obseruabam, neque adesse benè conclusam quadragenariam, ex eadem ratione, quod obseruantia remaneret æquiuoca; Et nihilominùs, quando adesset, & in qua iunior Aduocatus totam vim constituebat, aduertebam non releuare ex duobus obiectis, in quibus Thesaurarij funda-
7 menta consistebant; Primò nempè illo Constitutionum reuocatoriarum omniũ exemptionum, & franchitiarum Pauli Quinti, aliorumque successorum Pontificum, de quibus pluriès in præcedentibus, & præsertim *disc.47. & disc.148.* Vndè propterea ibi, & alibi infertur, quod illa tricennalis præscriptio exemptionis à gabellis, alijsque publicis oneribus, quæ in iure datur, non de facili practicabilis est in hoc principatu, ob istas Constitutiones reuocatorias, ac etiam ob decretum irritans adijci solitũ
8 in Constitutionibus, vel Chirographis impositionum gabellarum, & onerum, ob vim huius decreti, & clausulæ *sublata &c.* ex quibus quæcumque contraria possessio inficitur, adeòut perfici, quinimò nasci impediatur consuetudo, vel præscriptio, ex plenè relatis *decis.400.par.9. recent. & decis.199.par.12.* cum alijs *d. disc.21. de iudic.* & alibi pluriès.

Ideòque ex hac ratione in hoc principatu ad exẽptionem necessaria est immemorabilis, vel illa centenaria, quæ non docto de initio infecto, immemorabili æquiualeat, non quidem ex priuile-
9 gio, & natura regalium, inter quæ gabellæ, & publica onera recensentur, vt aliqui malè putant, cùm regalia ità priuilegiata consistat in iure actiuo, quod inferior prætendat, iuxtà casum *dec.56. Franch.* cum alijs relatis *disc.43. de feud.* & alibi; Vel in exemptione passiua vniuersali, quia nempè Ciuitas, vel populus prætendat præscripsisse libertatem aduersus Principem, & collectis, & gabellis, alijsque oneribus grauari non possit, dum ità est præscribere ipsum ius habituale in vniuersum; Secùs autem vbi aliquis priuatus per longissimum triennale tempus in pacifica exemptionis possessione fuerit, quoniàm tunc ista verè, & propriè non est præscriptio, aduersus Principem, vel Ciuitatem, vt aliqui malè putant, terminos non benè distinguentes, siuè conclusionum rationem, aut medullam non penetrantes, sed est potiùs præsumpta probatio priuilegiatiuæ exemptionis, ex aliqua iusta causa ab ipso Principe, vel Ciuitate concessa, iuxtà ea, quæ generalitèr in materia huius præsumptę probationis resultantis à longissimi temporis obseruãtia, habentur *eodem disc.21. de iudic.* ac etiam *disc.143. de dote, & disc.1. & 3. de alienat. & contract. prohibit.* & alibi.

Ista itaque longissimi temporis operatio inutilis in hoc principatu remanet ob dictas Constitutiones reuocantes omnes priuilegiatiuas exemptionum concessiones, quamuis certas, & expressas, ideòque multò magis hanc fictam, & præsumptam, ne aliàs detur absurdum, vt maioris virtutis, ac operationis remaneat fictum, ac præsumptum, quàm verum.

Alia quoque consideratione accedente, quod in huiusmodi gabellis, alijsque oneribus, quæ directè non exigantur per ipsum Principem, vel officiales, aut Ci-
10 uitatem, sed per arrendatarios, & conductores, quos in hoc principatu Appaltatores dicimus, vndè propterea non de facili verificari potest illa pacifica obseruantia huius præiudicialis effectus productiua, ex regula, de qua pluriès in præcedentibus, quod conductorum, siuè arrendatariorum negligentia præiudicare non potest, ex deductis pluriès in præcedentibus, præsertim *disc.68. num.4. per tex. in l. locatio S. earum, ff. de publican.* istaque est ratio, ob quam etiam in alijs principatibus, in quibus non intret dicta ratio Constitutionum reuocatoria-

rum

rum, non de facili ad praxim reducitur ista præscriptio tricennalis super exemptione gabellarum, aliorumque publicorum onerum.

Meritò autèm istis, & consimilibus difficultatibus non subiacet immemorabilis, vel centenaria, quæ non habeat certum initium vitiosum, quoniàm cum
11 eius vigore allegari possit quicumque titulus de mundo meliot, ita allegari potest contractus onerosus, & correspectiuus in eisdem Constitutionibus reuocatorijs præseruatus, ex deductis *dicto disc. 21. de iudic. & disc. 3. de Alien. & contract. prohib.* & sic non in ratione præscriptionis, quæ, vt locis citatis aduertitur, feré vnquàm ad praxim, seù perfectionem reducitur, sed in ratione probationis.

Verùm in hac facti specie præmissa omnia extranea remanere, dicebam: Tùm quia non constito de huiusmodi oneris impositione per aliquam Constitutionē, vel prouisionem habentem decretum irritans, & clausulam *sublata*, ità cessabat
12 vnum, ex dictis obiectis; Tùm etiam quia re verà non versabamur in aliqua gabella, vel alio onere Camerali, pariformitèr supportando per omnes subditos pro publicis necessitatis, loco antiquorum tributorum, & collectarum, aut superindictorum, sed potiùs in exactione cuiusdam emolumenti præstari soliti pro dicta licentia asportationis frugum de loco ad locum, cuius necessitate consuetudo introduxit, adeòut ista species nullatenùs cadere videatur sub præfatis Constitutionibus reuocatorijs, loquentibus de collectis, & gabellis, alijsque ordinarijs, vel extraordinarijs oneribus comunibus Principatus.

Clariùs verò, ac extrà omne dubium, quoniàm in capitulis appaltus, in quibus consistit lex contractus, Camera non concessit Appaltatori ius exigendi hoc emolumentum ab omnibus, sed solùm ab illis, qui essent soliti illud soluere, expressè mandando, vt esse deberent exempti omnes illi, qui reperirentur in ista possessione exemptionis, ideóq; dicebam attendi debere dictas antiquas probationes simul iunctas ad ostendendum, quod non esset noua introductio, vel vsurpatio, minusque ex accidentali dignitate Cardinalitia id prouenisset, sed esset inconcussa obseruantia antiqua, ad effectum docendi, quod versabamur in casu exceptuato; Et meritò, quoniàm cum sit onus, quod resultat solùm á consuetudine, & obseruantia, idcircó non nisi ad eius limites attendi debet, & non vltrà.

Nimia quoque ponderatione dignum esse obseruabam, quod quæstio non erat cum laicis, & de populo sęculari regularitèr subiecto publicis oneribus Princi-
13 patus sęcularis, sed de Ecclesia de iure ab eis exempta; Et quamuis in hoc Principatu contrarium in plerisq; oneribus doceat praxis; Attamen id prouenit ex illis considerationibus, de quibus habetur supra *hoc eod. tit. disc. 55.* adeòut requiratur enixa, & exempta voluntas Papæ, vti Papæ, & per consequens, cum ista potiùs esset in oppositum, quia noluit ad hanc solutionem teneri eos, qui ratione consuetudinis, ei nō subiacerent, iniusta remanebat prætensio, ex ea differentiæ ratione inter Ecclesiasticos, & sęculares, quod scilicèt contra sęculares vrget regula generalis illorum obligatoria ad onera Ciuitatis, vel Principatus, vndè propterea, quando allegatur contraria obseruantia, ista dicitur formitèr præscriptiua, & per consequens odibilis, & rigorosa, tanquàm inducens iuris correctionem, & regulæ generalis limitationem, quæ non præsumitur, ideòque non mirum si desiderantur requisita præscriptionis, eique obstent ea, quæ præscriptioni obstare solent; In altero autèm casu Ecclesiasticorum, res est in oppositum, quoniàm eis assistit regula exemptiua, vndè propterea ille, qui allegat limitationem ob voluntatem Papæ, illius probationis onere grauatur, atque de consequenti possessio, vel obseruantia exemptionis nōn continet exorbitantem, & odiosam limitationem regulæ, & correctionem iuris, sed potiùs fauorabilem conseruationem eiusdē regulæ, ac dispositionis iuris, remouendo obstaculum odibilis, & correctoriæ limitationis, atque capiendo talem obseruantiam, non tanquàm præscriptiuam, sed potiùs tanquàm interpretatiuam voluntatis Papæ, quod noluerit eos huic oneri supponere, eorumque regularem exem-

exemptionem tollere; Et sic maxima differentia est inter vnum casum, & alterum; & per consequens manifestus est error, eos pariformitèr cum eisdem generalibus propositionibus regulare; Atq; ex his reflectendo etiam ad solam veritatem, iusta, benèque fundata visa est resolutio.

DISC. CLXXXV.

Romana Montis Ceræ.

Inter Montistas, & alios creditores.

Casus disputatus in Congregatione particulari, & resolutus, vt infrà.

De eadem materia, de qua suprà *disc.* 148. & 177. de potestate Principis tollendi ius tertij, & præsertim de suspensione, vel remotione hypothecarum, aliorumque vinculorum à bonis assignatis, pro erectione Montis baronalis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Dos non est generalitèr priuilegiata.*
3 *Creditores cū assensu posteriores, in prohibitis, praferuntur anterioribus sine assensu.*
4 *Cessio super bonis iurisdictionalibus, sine assensu non obtinetur.*
5 *De errore assumendi quæstiones iuris in abstracto, neglecto facto.*
6 *De potestate Principis tollendi ius tertij.*
7 *Faciliùs sustinetur factum, quàm concedatur faciendum.*
8 *De libertate, alijsque priuilegijs locorum Montium.*
9 *De interesse Principis conseruandi libertatem locorum Montium.*
10 *Cum quo stylo in his materijs procedi debeat.*
11 *De distinctione, an gratia sit motu proprio, & quomodo.*
12 *An emptor teneatur esse sollicitus de versione.*
13 *Quo iure competat hypotheca, & an eam tollere, lædat ius naturæ, vel gentium.*

DISC. CLXXXV.



1 CVPIENS Cardinalis Federicus possessor Ducatus Ceræ extinguere antiquum Montem, aliaq; debita, quibus iste Ducatus erat obnoxius, obtinuit à Clemente X. cuius erat Secretarius status, cum Motu proprio erigi nouum Montem, Ceræ nuncupatum locorum trium millium, quorum pretium in dictam extinctionem cederet, atque pro dicti Montis dote, assignata fuerunt idem Castrum Ceræ, aliaque bona partim iurisdictionalia, & partim allodialia, quæ liberata, & exempta fuerunt amplissimè ab omnibus nexibus, vinculis, & hypothecis quantumuis anterioribus, & potioribus, vt propterea essent libera, & exempta pro Montistis, sequuta veró morte Cardinalis, orta est controuersia inter Montistas, qui pro maiori parte erant exteri, præsertim Ianuenses, & dicti patrimonij creditores, inter quos primam figuram, ac maiores oppositiones faciebat Maria Aldobrandina vxor Ducis Andreæ, per cuius obitum iste Ducatus, cum alijs bonis transitum fecit in Boromæos, iuxta seriem, de qua *disc.* 89. *de feud.* tanquàm creditrix dotis, & fructuum, iuxtà seriem, de qua *in Romana dotis, & fructuum sub tit. de Dote disc.* 183. & 196. prætendentibus dicta Maria, alijsque creditoribus tempore anterioribus vincere Montistas posteriores, non obstante dicto Motu proprio, cuius reductio ab eodem Pontifice petita fuit, quarè desupér ab eodem Pontifice deputata fuit Congregatio particularis, cui per Innocentium XI. successorem, ego tanquàm eius Auditor adiunctus fui.

In disputationibus itaque desupér habitis, de pluribus actum fuit, cum præsupposito facti, quod per dictum Motum proprium essent sublatæ hypothecæ anteriores creditorum, quoniàm licèt negaretur, quasi quod Pontifex intellexerit solùm de hypothecis, ex causa fideicommissorum, attamen litera videbatur clara in contrarium. Primò nempè, an sub hac generalitate veniret dictum creditum dotale; Secundò, an Papa potue-

rit

rit id facere; Tertiò quatenùs potuerit, an adesset voluntas, stante quòd nòn omnes pecuniæ erant erogatæ in extinctionem æris alieni; Et quartò quatenùs potuerit, & voluerit, an dictus Motus proprius, tanquàm nimium exorbitans, ac præiudicialis tertio, mereretur moderationem, ac reductionem ad viam iuris, 1

Quatenùs pertinet ad primum, modica, penèque nulla habita fuit difficultas super compræhensione etiam crediti dotalis, quoniàm licèt Scribentes pro muliere insisterent in assumpto, quod

2 dos non venit sub generali dispositione, sed indiget expressa, & speciali mentione, iuxtà opinionem *Saliceti*, & sequacium, quos cum consueto improbo transcriptorio labore cumulabant, attamen obseruatum fuit, hanc opinionem esse magis communitèr reprobatam, ex deductis *disc.* 83. *de Dote num.* 3. & alibi, quod scilicèt dicitur solùm priuilegiata in casibus, qui habentur in iure expressi, potissimè quia verba Motus proprij erant nimium ampla, quamuis essent credita ex causa pia, & priuilegiata.

Quo verò ad alias quæstiones, cùm Scribentes hinc indè nimium elaborassent, penèque volumina confecissent, dicebam ego motiuando, quod respectu Castri, aliorumque bonorum iurisdictionalium, quorum valor Montistis sufficiebat, & exuberabat, labores adhibiti videbantur inanes, quoniàm tunc istæ inspectiones intrarent, quando alij creditores haberent hypothecas anteriores,

3 vel potiores, quæ ità dicerentur sublatæ, secus autem his deficientibus, vt sequi dicitur quoad bona iurisdictionalia in debitis contractis absque beneplacito Apostolico, propter obstaculum Constitutionum Apostolicarum, dum ità Montistæ, tanquàm habentes assensum, licèt posteriores tempore, censendi sunt anteriores, ideòque non indigent beneficio Motus proprij, qui resoluatur ità in assensum, seclusa dicta exorbitantia tollendi ius tertij, iuxtà frequentèr deducta *sub tit. de feud.* ac etiam *sub tit. de credito disc.* 13. *&* 151. & alibi sępiùs, super assumpto, quod in prohibitis posteriores cum assensu, vincunt anteriores, qui illo careant.

Et quamuis ex parte mulieris prætenderetur, quod cum eius pecunia data in dotem extincta fuissent cum cessione iurium quædam antiqua debita, pro quibus absque dicto assensu, validè obligata erant bona iurisdictionalia, vtpotè contracta priusquàm ederentur Constitutio-

4 nes Apostolicæ prohibitoriæ; Attamen adhuc obstare dicebatur eundem defectum, cùm per easdem Constitutiones expressè prohibitum etiam sit reportari cessionem iurium, quæ absque assensu remaneat inefficax, vel in ea subintrare, & per consequens dictæ quæstiones cadebant solùm super bonis allodialibus, quando etiam super istis Montistę prætenderent potioritatem, quod non videbatur opus examinare ob sufficientiam, quinimò exuberantiam iurisdictionaliũ, ideòque verificabatur id, quod in *disc.* 35 *de iudic.* & in opusculo *styli*, ac alibi sę-

5 piùs insinuatur, quod hodierni professores negligendo factũ, siuè eius applicationem, magnas assumunt cum improbo, ac superfluo labore quæstiones iuris, extrà causæ necessitatem, vel opportunitatem.

Quatenùs verò de concursu in allodialibus indifferentibus ageretur, vel quod ratione assensus, etiam super iurisdictionalibus alijs creditoribus, qui erant in tempore anteriores competeret hypotheca, quæ per dictum Motum proprium sublata fuit; Assumendo secundã quæstionem potestatis, deducebam eadẽ,

6 quæ habentur suprà *disc.* 148. *&* 177. & in alijs, super potestate Principis supremi tollendi ea, quæ tertio quæsita sint, & competant ex prouisione, vel beneficio legis positiuæ, vt est præsertim anterioritas, vel potioritas, quæ proueniat ratione hypothecæ, vel alterius qualitatis per legem positiuam inductæ, seù priuilegiatæ, cùm ità tollat, quæ sua sunt eo modo, quo fauore dotis, & fisci, cum similibus factũ est, vt etiam pluriès aduertitur *sub titulo de feud. ad materiam Bullæ Baronum*. Distinctio autem causæ percutit potiùs forum internum, siuè etiam externum, ad effectum regulandi voluntatem, siuè dictæ potestatis vsum, nè similes gratiæ tertio præiudiciales concedantur, vel quod concessæ per eundem, aut per successorem reuocentur, aut moderentur, & ad hunc secundum effectũ hæc inspectio remanebat opportuna, atque vbi non vrgeret fauor causæ

publicæ,

publicæ, de quo proximè infrà, intraret quarta inspectio, seù quæstio, in qua pro moderatione, dicebam responderi debere.

Secus autèm in hac facti specie, ob eius particulares circumstantias, ob quas aduertebam vrgere fauorem publicum, priuato semper anteponendum, etiam vbi res esset in fieri, quodque ageretur
7 de gratia facienda, multò veró magis, vbi agatur de sustinendo gratiam iam factam, cui innixi tertij contraxerunt, aliàs nõ conrracturi; tùm ex vulgari axiomate per Iuristas etiam passim recepto, quod turpiùs eijcitur, quã non admittitur hospes, & ex altero, quod multa facta tenenr, quæ fieri prohibentur; Tùm clariùs ratione subiectæ materiæ, quæ de sui natura secum fert libertatem, ac securitatem, neglectis quibuscumque præiudicijs priuatorum, dum agitur de locis Montium, quæ ex nimium frequenter insinuatis hoc eodem titulo, de eorum natura, ob publicam fidem eis insitam,
8 sunr de libero, tutoque commercio, atq; non subiacent illis nexibus, quibus ex quadam iuris ciuilis fortè parùm rationabili, parumque commendabili subtilitate, vel superstitione, subiacenr alia bona, quorum dominium, & commercium in incerto semper esse dicuntur, dum in alijs contrahentes sequuntur fidem priuatam possessorum, in hac verò specie sequuntur fidem publicam, vt præsertim aduertitur suprà *disc.163.* cuius casum ad rem particulari consideratione dignũ esse aduertebam, dum ibi habetur, quod loca Montium cadunt sub hypotheca, alijsque vinculis, quibus alia bona indifferentia subiacent, vt propterea super eis competant saluianum, aliaque remedia, illaque possunt exequi, & subhastari, & tamen, quando resignantur, transeunr libera in resignatarium bonæ fidei, tollendo hypothecas, aliaque iura, & vincula iam impressa, & creditoribus possessoris quæsita, ità suadente publico fauore, qui priuato comodo præualere debet. Atque si id procedit generalitèr subiectæ materiæ ratione, multò magis, vbi altera fortior accedit conseruationis fidei, quàm supremus Princeps particularitér, & expressè interposuit, & quam
9 fidem publicam exteri negotiatores, potiùs quàm priuatam erectoris Montis sequuti fuerunt; Idque influit etiam ad Reipublicæ bonum, quando fides inconcussa remaneat, & malum, quando violetur, vt in Principatus indigentijs alliciantur, non autem arceanrur, cum hodiè maius, penèque totum Principum peculium in bona fidei opinione vel existimatione consistere videatur, ideóque intrat ratio publici fauoris, & iustæ causæ concernentis publicam vtilitatem, ac propterea in huiusmodi concessionibus nimium circumspectè, & parcè procedi debet, atq; facilitas laudabilis nõ est, sed postquàm sunt factæ cum subsequuto effectu in tertijs ignaris, á quibus absit omnis suspicio collusionis, & fraudis, adeóut si reuocarentur, isti remanerent à publica, & inuiolabili fide Principis decepti, tunc tenacitèr obseruari debent.

Atque in hoc præsertim dignoscitur totiès exageratus error pragmaticorum procedentium cum litera, vel generalitate conclusionum, & doctrinarum, non
10 distinguendo, vt decet casus, eorumque particulares circumstantias, ex quibus diuersimodè super eodem puncto iudicari debet, quoniàm aliud est agere de casu, in quo emptor principalitèr sequatur fidem venditoris, atquè cum eo directè contrahat more priuatorum indifferentium contractuum: cu retur autem ad vberiorem cautelam adhiberi auctoritatem Pontificis cum Chirographo, vel cum Motu proprio, iuxtà tot casus recensitos *sub tit. de feud. ad materiam bullæ Baronum, & d. disc.13. & 151. de credito, & alibi frequentèr*; Et aliud est agere de erectione montis, cuius loca ad instár aliorum Montium emantur per negotiatores exteros, vel Incolas, sequendo principalitèr fidem publicam, ipsiusque subiectæ materiæ naturam.

Ex hac autèm distinctione resultare quoque obseruabam responsionem ad obiectum subreptionis, vel non adimpleti finis, ob quem Pontifex gratiam
11 concessit, dissolutionis nempè integri æris alieni, iuxtà terriam inspectionem, quando etenim gratia, inspecta naturali veritate, de facto dici meretur concessa ad priuatorum contrahentium supplicationem, vel instantiam, quamuis dicatur Motu proprio, cum aliquo rigore procedendum est, vt quominùs fieri potest lædat ius tertij, habeatq; potiùs natu-

ram gratiæ concessæ ad postulationem, sed quando in gratiam quidem priuatam obtinentis prodità, respicit vniuersitatem contrahentium, qui publicam fidem concedentis principaliter sequantur, tunc secus; Ponamus etenim, quod quis cum malis artibus, falsisque suggestionibus extorqueat à Principe priuilegiũ in forma Motus proprij, super portu, vel emporio franco, cum assecuratione negotiatorum illuc confluentium, atq; ementium merces, quantumuis alienas, & furatas, iuxtà ea, quæ habentur supra *hoc tit. disc.* 129. & alibi, vtique tale priuilegium suffragari non debebit imperrãti in præiudicium tertij, eiusque respectu moderatione, vel annullatione dignum erit, nunquàm tamen dicendum erit, vt moderari debeat in præiudicium negotiatorum, qui ignari quænam esset conditio, vel status eius, qui obtinuit priuilegium, sub istius publica fide contraxerunt, & hic est casus.

Clariùs verò, quoniàm in ea quæstione, de qua *sub tit. de alienat. & contract. prohib.* & alibi sępiùs, an emptor teneatur esse sollicitus de versione, difficultas cadit, quando expresśé non disponitur, adeóut recurrendum sit ad dispositionẽ
12 iuris, & quo casu proceditur cum vera, & recepta distinctione, an implementum adijciatur pro forma adimplenda à parte antea, itàvt constet, quod Pontifex noluit sequi fidem venditoris, vel pro modo á parte posteà sequendo fidem venditoris, cui concessa est facultas faciendi aliàs prohibitam alienationem; Sed quando expresśé disponitur, quod emptor non teneatur de hoc esse sollicitus, quodque ab hoc onere sit exemptus, tunc nulla cadit ratio dubitandi ad vulgarem regulam *tex. in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. Et hic erat casus, dum in dicto Motu proprio ità expresśè disponitur.

Exagerabatur nimium non solùm per Scribentes pro creditoribus, & aliquos ex Iudicibus deputatis, sed etiam penè
13 per omnes Curię professores superficiales, & alios, huius motus proprij nimia exorbitantia, cui iniquitatis titulus tribuebatur, quasi quod læderetur ipsum ius naturæ, seù gentium, tollendo hypothecas anteriotibus quæsitas. Aduertebam verò, id continere vnũ ex adeó frequentibus erroribus popularibus resultantibus à consueto superficialium, seù pragmaticorum vitio procedendi in litera, vel superficie, non perscrutando rerũ quidditatem, & originem cum hypotheca, siuè conuentionalis, siuè legalis, iuxtà effectus, quos producit, nullum habeat legis, vel rationis naturalis fundamentum, sed potiùs contineat quoddam pignus fictum, vel intellectuale, seù quoddam figmentum iuris ciuilis Romanorum, iuxtà deducta *disc.* 22. *de cred. & alibi*, adeòut nisi sequuta esset istius iuris ciuilis casualis inuentio post tot sęculorum sepulturam, & obliuionem, iuxtà sæpiùs enunciatam historiam legalem, præsertim *disc.* 1. *de seruitut.* & *in eius adnotatione*, nesciremus quidnam esset ista hypotheca, quosque effectus produceret, quinimò, vt præfatum ius in hac parte potiùs legi, vel rationi, seù discursui naturali aduersari videatur, quoniàm ipsa ratio, vel discursus naturalis suadere videtur, vt absque distinctione chirographariorum, & hypothecariorum, seù priuilegiatorum, & non priuilegiatorum ille, qui attenta veritate naturali pecuniam, vel merces alteri credidit, primum locum occupare debeat, atque præferri alijs, qui posteà crediderunt, ex ea clara ratione, quod tunc sciebat debitorem idoneum, alijsque debitis non implicitum, ideòque credidit aliàs non crediturus; Et per consequens irrationabilis videtur legis ciuilis dispositio, super coęquali concursu omnium creditorum, & chirographariorum, tám antiquorum, quàm modernorum, cum prælatione inter eos aliquorum priuilegiatorum, siuè eorum, qui possideant, & præoccupauerint; Magisque irrationabilis altera dispositio, vt illi vltimi, & posteriores, qui sagaciores fuerint, fortèque in maiori mala fide, vel minus bona, seruando hanc formalitatem hypothæcæ, vel illi, quibus ipsa lex ciuilis beneficium eiusdem priuilegij legalis dare voluit, alijs præferantur, eosq; excludant, quodq; creditores ex causa dotis, vel fiscali, siuè primipilarij præferantur, istorumque respectu ab eadem lege tollantur, atque inefficaces reddãtur hypothecę anteriores, cum similibus. Igitur si lex ciuilis, merèque positiua potuit id inducere, non videtur, cur id negandum sit Principi supremo, qui dicitur Lex viua, & animata

longè

longè maioris potêtiæ, & efficaciæ, quam sit ista lex ciuilis mortua, & quę legis vim habet, potiùs ex auctoritate, & permissione eiusdem Principis, quàm ex eius intrinseca natura, & qualitate, iuxta ponderationes, de quibus *eodem disc. 1. de feruit. & disc. 35. de indic.* & alibi frequẽtèr, dum etiam statutis Inferiorum id quandoque conceditur, iuxtà casum, de quo *disc. 10. de Credito*, & alibi plurièś. Non quidèm, vt in hoc Princeps facilis esse debeat, sed potiùs nimium parcus, & circumspectus, adeòut si res esset in fieri, ego non consuluissem, neque de facili consulerem, quotiès iusta, & rationabilis causa non accederet, sed quando sumus in facto esse, quodque retractatio maiùs inconueniens, maiùsque præiudicium publico bono, vt supra produceret, tunc reverà huiusmodi leguleicæ considerationes fabulosæ censendæ sunt, atque irrisione dignæ, quæ in earũ litera, & superficie se fundant, & ambulant.

DISC. CLXXXVI.

Romana Supplementi.

PRO

Monasterio Conuertitarum.

CVM

Herede Agatha.

Casus disputatus coram Iudice dicti Monasterij, & concordatus.

An officia vacabilia in prohibitorijs, veniãt sub genere contractuum vitalitiorum, quos illa persona prohibita sit facere, ob præiudicium tertij.

SVMMARIVM.

1 *Casus controuersia.*
2 *In odiosis danda non est extensio.*
3 *Officia sunt de regalibus, & obtinentur immediatè à Summo Pontifice.*
4 *De præiudicio Cameræ, seù Principis ex restricta libertate.*
5 *Quando istud præiudicium adesse dicatur.*
6 *In calculo legitimæ quanam bona veniant.*
7 *Quod istud Monasterium sit loco filij, vt ei debeatur legitima.*
8 *Vbi lex habet rationem, tunc ista attenditur, & admittitur æquipollens.*
9 *Quid operetur, prouisionem esse de maturo consilio.*
10 *Declaratur conclusio, de qua num. 3.*
11 *De inconuenientibus ex hac prohibitione resultantibus.*
12 *De qualitate huius prohibitionis, & quando intret.*
13 *De rationibus differentia inter officia vacabilia, & census vitalitios.*
14 *De differentia inter inuestimentum priuatum, & publicum in loca Montium.*

DISC. CLXXXVI.



VM super casu examinato *sub titulo de testamen. disc. 37.* isto iam impresso, & edito, ex voto particularis Congregationis
1 desupér deputatæ, prodierit diploma Clementis X. ad fauorem Monasterij, vt inhonestæ mulieres non possint inire census, aliosque contractus vitalitios sine consensu Administratorum dicti Monasterij, ob rationes, vel ponderationes, de quibus *d. disc. 37.* vt ità scilicèt occurri possit fraudibus, & collusionibus, ac etiam, vt ipsum Monasterium in huiusmodi contractibus prælationem habeat; Prædicta verò inhonesta mulier, seù aliàs de compræhensis sub Constitutionibus Apostolicis, emisset quædam officia vacabilia, quæ portiones Ripæ nuncupantur, quorum etiam mulieres sunt capaces, vndè per eius obitũ sequuta est vacatio, producens eundem præiudicialem effectum, qui ex censibus, alijsque contractibus vitalitijs resultat; Hinc Administratores prætensionem excitarunt, vt tertia pars hæreditatis defunctæ testatæ Monasterio debita, ex reliquis alijs bonis remansis integra suppleri deberet, dictorum officiorum valore quoque collato, seù calculato; Introdu-

troductâque desupèr causa coram eiusdem Monasterij Iudice particulari, post aliquas disputationes, me consulente, & cooperante, concordia liti finem dedit.

Duplicitèr itaque de hoc puncto actũ fuit, more scilicèt Aduocati scribendo pro Monasterio, & in congressu pro meliori, & economica directione.

Iuxtà igitur primam speciem; Scribentes pro hæredibus immorabantur in regulis generalibus, quod scilicèt in hac materia exorbitanti, & odiosa impeditiua libertatis disponendi de rebus suis,
2 danda non sit extensio de casu ad casum, sed dispositio intelligi debeat de eõ, quod literalitér, ac in verbis continetur, iuxtà ea, quæ in proposito statutorum, & consuetudinum habentur *sub titulo de successión. ab intest. disc.15. & in alys, & sub tit. de benefic. disc.30. ac etiã disc.35. de iudic. & alibi*, Ideòque cùm Motus proprius loquatur de censibus,& contractibus vitalitijs, complecti non debeat casum officiorum, cum ista sint de regalibus Principis, atque non obtineantur ex priuato contractu, sed potiùs
3 ex eiusdem Principis priuilegio, & concessione, quamuis etiam per alterius priuati possessoris resignationem, id sequatur, pretio mediante, ex ratione pluriés in præcedentibus insinuata, quod scilicèt ille, qui pro nostro vsu, vel intelligentia, venditoris personam gerere dicitur, nullum ius directè transfert in emptorem ex priuato contractu, sed suum ius extinguit per refutationem in manu ipsius Principis, vt itá sequatur vacatio officij, quod tanquàm vacans directè, & immediaté per Principem confertur alteri, vt etiam in locis Montium sequi dicitur; Et ex qua ratione manat huiusmodi officiorum,& locorum Montium, aliorumque regalium iurium libertas, vt propptereá hypothecis, alijsque vinculis per priorem possessionem iniectis, non subiaceat.

Alia quoque addita regula generali, vt in qualibet dispositione non veniat persona loquentis, vel disponentis; Potissimè verò,vbi agatur de eius præiudi-
4 cio, quale ità adesse dicebatur, dum ob restrictam libertatem in huiusmodi mulieribus acquirendi officia, difficilior redderetur illorum venditio, quæ per Datariam fieri solet in casu vacationis; ex insinuatis *supra disc. 2. & alibi*, vel quod ità diminueretur numerus emptorum, quorum copia, & concursus, pretij augmentum producere solet, & é conuerso diminutio sequitur ob raros emptores; Ita immorando in istis, ac similibus generalitatibus, easque cum consueto moderno parùm commendabili stylo nimium exornando, cum copiosis auctoritatum allegationibus, ac inutili chartarum repletione, super iam certis, ac notis principijs præsupponendis.

Scribens itaque pro Monasterio dicebam, istas esse nimium vagas generalitates, veras quidèm in suis casibus, malè tamen ad rem applicatas, quoniám tunc vltimum motiuum impeditæ libertatis, ipsi Papæ,seù Datariæ præiudiciale,considerationem dignum esset, quando ipsa
5 acquisitio directè prohibita esset, siue quod Monasterio in casu vacationis aliquod ius super ipsis officijs vacatis, vel super eorum pretio competeret, quorum neutrum in præsenti sequi dicitur, non solùm contra Principem, eiusque Cameram in huiusmodi officijs, sed etiam contra illos priuatos, cum quibus census, vel alij contractus vitalitij initi sint, quoniàm contingente casu lucri debitoris per mortem mulieris creditricis, non per hoc contra debitorem aliqua reseruatur actio; Quinimó in eodem Motu proprio expressè disponitur, quod nulla competat, ità dirimendo illud dubiũ, quod resultat *ex decisione 508. Bichij*, super censu vitalitio inito per Religiosum professum habentem ex Apostolico indulto aliquorum bonorum administrationem, sed solùm præseruatur Monasterio ius petendi suppletionem, ex alijs bonis, quæ erunt in hæreditate, ideòq; nullum illi resultat Cameræ, vel Datariæ damnum, seù præiudicium.

Quarè descendendo ad specialia, vel proxima, quæ magis in iudicando attendi debent, quàm huiusmodi generali-
6 tates; Dicebam ad rem rectè adaptari ea, quæ pluriès habentur *sub tit. de legitim. præsertim. disc.9. 19.& 27.* vt scilicèt in calculo illius assis, vel patrimonij, ex quo liberorum, vel ascendentium legitima detrahenda est, veniant omnia ea, quæ legitimè debentur ex causa donationis, vel etiam dotis, alioue titulo lucra-

lucratiuo, siuè illa, quæ in fraudem distraxit, ac dissipauit, itá tamen, vt ex alijs extantibus bonis, illa iuxtà talem calculum detrahatur.

Istos autem terminos ad rem adaptabiles esse dicebam, vt scilicèt Monasterium itá esset loco filij, vel parentis, cui
7 legitima de necessitate debita sit; Quinimò cum aliqua maiori prærogatiua, vt nullitatem testamenti ab eius præteritione resultantem, non saluet clausula codicillaris, vt in liberis, vel parentibus contingit, quodque iuxtà non improbabilem opinionem, de qua agendo de hoc eodem Monasterio *sub d. tit. de legitima*, occasione alterius legitimæ, ex bonis inhonestæ mulieris, per eius matrem detrahendæ, vt sit species æris alieni.

Præterea ad rem quoq; proximè adaptari dicebam propositionem, de qua
8 *sub tit. de feud. disc.87.& sub tit. de testam. disc.18.* & alibi pluriès, quod scilicèt, quando lex, vel alia dispositio expressam habet rationem, quæ maiorem contineat amplitudinem, quàm verba, tunc ratio debet esse regulatrix, ac propterea non præcisa, sed æquipollens forma, attenditur ad limites rationis, non autem verborum; Ideòque cum idem Motus proprius expressam habeat rationẽ fraudis, & præiudicij huius Monasterij; Idcircò omnes casus complecti debere dicebam, quibus eadem congruat ratio.

Potissimè veró, & fortiùs, dum non agebatur de gratia, vel prouisione ad solam supplicationem, vel suggestionem partis interessatæ emanata, vt propterea
9 eius tenor, citrà Principis voluntatem, affectationis habeat suspicionem, sed causa cognita, præuioque maturo consilio, & examine in particulari Congregatione peritorum, quæ circumstantia nimium attendenda est, vt propterea reddat confirmationem in forma specifica, quamuis insertio tenoris desit, vt pluriès in suis locis aduertitur; Ac etiam, quod id non concernat fauorem priuatũ, sed potiùs publicum, ideóque latior, ac benigna cadat interpretatio, iuxtà sæpiùs insinuatas, hodièque notorias propositiones.

Ponderando quoque, quod licèt iuridicum, ac verum sit præfatum assumptum in contrarium ponderatum, vt scilicèt huiusmodi officia, vtpotè de rega-
10 libus non sint in libero priuatorum cõmercio, neque priuatis subiaceant conuentionibus, cùm totum pendeat à Principis facto, & potestate; Attamen id percutit substantiam officiorum pro effectibus publicis inter ipsum Principem, & Rempublicam; Secùs autem quòad pretium, siuè quòad priuatum commodum, vel interesse bursale, vt in præcedentibus frequentèr aduertitur.

In congressu veró, in quo Deputati, potiùs, quàm Aduocati more loquebar, ad effectum deliberandi quid magis expediret; Dicebam, aliquam superesse dubitandi rationem, non solùm ob incon-
11 uenientia ex huiusmodi prohibitione resultantia, quæ licèt negligenda veniat, quando alitèr clarè, & expressè disponat Princeps, vel alter, qui potestatem habeat; Attamen in ambiguo, & pro interpretatione debent nimium attendi, ex pluriès insinuatis *sub tit. de fideicommiss.* præsertim *disc.30.* & alibi, sed etiam fortiùs ob rationis diuersitatem.

Siquidèm etiam in censibus, alijsque contractibus vitalitijs, iuxtà præsertim illam speciem, de qua *sub tit. de empt. & vendit. disc.1. & tit. de donat. disc.35.* Pontifex non simplicitèr, & indefinitè id prohibuit, sed solùm qualificatè, ne scilicèt fieri valeat sine scientia, & consen-
12 su Administratorum, pro effectibus considerati *eodem disc.37. de testam.* Primò nempè, vt ità occurratur fraudibus, & collusionibus, & secundò, vt volens, possit ipsum Monasterium in isto contractu præferri, quod benè remanet practicabile, quamuis ille, qui eius pecuniam huic cõtractui exponere vult, dicat, quod non propriæ, sed alienæ vitæ aleam experiri velit, cum id rectè practicabile sit eodem modo, quo in officijs, & locis Montium vacabilibus frequens praxis docet, atque in præcedentibus pluriès aduertitur; Vt scilicèt in faciem vnius, ad commodum alteriùs fiat contractus.

Vndè quando, vna, vel altera cessante ratione, quia nempè contractus vitalitius fiat sinceré, ac citrà omnem fraudẽ, atque Monasterium præferri negligat, adeóut desit iusta causa denegationis huiusmodi consensus, ille valeat per Iudicem suppleri, iuxtà quotidianam receptam praxim frequentèr sub diuersis

mate-

materijs insinuatam.

Plures itaque differentiæ rationes inter istam inuestimenti speciem, & alterã in censibus, alijsque priuatis contractibus vitalitijs dignosci videntur, ex quibus dicebam, nimium dubitari posse, an sub genere aliorum contractuum, qui ampliatiuè ad census in hoc diplomate enunciantur, veniat ista species inuestimenti.

Primò nempè, quia in ea non cadit illa suspicio, vel possibilitas fraudis, vel collusionis considerata *d. disc. 37. de te-*
13 *stam.* dum inuestimentum fit publicè, & palàm cum auctoritate Principis, & per adeò publicum, & authenticum organum Officialium Datariæ.

Secundò, quia longa dignoscitur differentia inter istud inuestimentum, & illud, quod fiat cum priuatis; tùm ob maiorem securitatem, & exemptionem à periculo euictionis, vel insufficientiæ debitoris; tùm etiam ob magis promptã, facilem, & commodam exactionem fructuum, siuè emolumentorum; Et fortiùs ob libertatem extrà statum infirmitatis, vel nimium grauis ætatis, huiusmodi officia vendendi, & se liberandi à periculo amissionis pretij, vt suprà *disc. 6.* & in alijs pluriès, quod in censibus vitalitijs nõ est practicabile ob omnimodam irrepetibilitatem, ac mortẽ sortis principalis, & ob quam rationem praxis docet, quod fructus censuum vitalitiorum sint maiores, quàm illi huiusmodi officiorum.

Et tertiò in idem, quia in hac specie practicabilis non est ipsius Monasterij prælatio, & per consequens ob adeò diuersas rationes, nimium dubitari posse, aduertebam, de illatione ab vna specie ad alteram, quodque iste consensus in hac specie desiderandus non veniat.

Ad quod proximè ponderari posse videtur id, quod in praxi habemus circa conuentionalia inuestimenta, siue illa, quæ per Principem demandentur pro cautela, & interesse tertij, quoniam
14 quando agitur de inuestimento priuato in bona stabilia, vel in census ob fraudis, & collusionis, vel etiam imprudentiæ suspicionem, & possibilitatem, demandari, vel respectiuè conueniri solet, vt fiat non solùm cum scientia, sed cum consensu interessati, secùs autem, vbi agatur de inuestimento in loca montium Cameralia libera ob eorum securitatem, & libertatem ab omnibus vinculis, & nexibus, ac propterea cessat illa ratio, ob quam interessati consensus desideretur.

Ac demum vbi etiam superiùs ponderata ratio alicuius præiudicij Cameræ, seù Datariæ in ita restricta commercij officiorum libertate, sola, & de per se nõ esset adeò considerabilis, adhuc tamen cum præmissis alijs coniuncta, aliquam meretur considerationem, Ideóque censui casum honesta concordia dignum.

DISC. CLXXXVII.

Romana Palatij.

Pro Marchione de Pernè, cum Principe Sabello.

Casus variè decisus.

De Fiscalibus Regni Neapolitani, eorumque natura, & qualitate, & quomodo transeant de vno in alterum, siue quomodo amittantur; Et incidentèr de pacto resolutiuo, an sit transmissibile ad hæredes, vel potiùs personale.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones.*
3 *Quod pactum resciſſorium sit transmissibile.*
4 *Quando sit personale.*
5 *Quomodo pacta debeant interpretari.*
6 *Quomodo attendi debeant clausulæ, & distinctiones.*
7 *De casu speciali, & quomodo pactum attendi debeat.*
8 *De dominio dotis in viro.*
9 *De pacto, vt importet declarationem animi.*
10 *De abusu modernorum circa auctoritates.*
11 *Qui vult rescindere permutationem, vel alium contractum, debet restituere, quod accepit.*

12 De

DISC. CLXXXVII.



1 OSSIDENS Latinus Vrsinus regia fiscalia eiusdem proprij Oppidi Amatricis, quod iure feudi antiqui possidebat pro rata annui redditus ducatorum triũ millium, ex eis cessit ratam scutorum septingentum circitèr Duci Ioanni Sabello in satisfactionem cuiusdam crediti dotalis; Cùmque defuncto Ioanne, superstite vnica filia, & hærede Camilla fundatrice Monasterij, de quo agitur *sub tit. de Regular. in hoc Supplemento*, ac etiam habetur mentiò *sub tit. de seruit. disc. 39.* Istaque, vel fortè etiam ipsemet Ioannes neglexisset obtinere huiusmodi ratæ fiscalium descriptionem in eius personam in illis publicis libris sub vocabulo intestationis explicari solitam, eodem modo, quo de locis montium Vrbis habetur plurìes in præcedentibus, & de ipsismet similibus iuribus in hoc Regno habetur suprà *hoc tit. disc.* 40. Idcircò in ea huiusmodi fiscalium, aliorumque iurium generali recognitione, quæ in quædam tempora pro illius Regni stylo fieri solet, sequutum est, quod de anno 1612. ob istius intestationis defectum, ipsa Regia Curia, seù Camera, hanc ratam sibi applicauit, impediendo propterea exactionem Ioannæ, quæ ob promissam à Latino euictionem, & exigibilitatem, litem instituit contrà Alexandrum Latini filium, & hæredem, eiusdem Oppidi pro moderno frequenti titulorum vsu, vel abusu, sub titulo, seù dignitate Principis dominum, ac possessorem; Cùmque ista, lite pendente circa finem anni 1636. Alexander in Vrbe matrimonium contraxerit cum Anna Maria Caffarellia sorore illius Ducis, huius cognominis, cuius adeò frequens mentio habetur *sub tit. de feud. disc. 77. & seqq.* ac etiam *sub tit. de credit. & alibi pluriès*, cũ dote scutorum triginta millium, in quorum computum, pro rata decem millium circitèr, tanquam species tamen, & fundus dotalis, assignatum fuit palatium, in eadem Vrbe, situm propè Ecclesiam S. Andreæ à Valle; Idcircò initio anni 1637. ad quatuor circitèr menses post matrimonium ad prædictam litem componendam per viam concordiæ, inter Alexandrum, & Annam Mariam coniugem ex vna, dictamque Camillam ex altera, inita est permutatio prędictorum fiscalium, aliorumque iurium Ioannæ cõpetentium cum præfato palatio, eo tamen pacto ex parte Annæ Mariæ adiecto, vt in casu soluti matrimonij, vel quocumque alio, ob quem eius dotis restitutioni, vel assecurationi locus fieret, contractus resolutus remaneret, sibique licitum esset ad proprium fundum dotalem regredi.

Dissoluto itaque matrimonio per mortem mulieris, superstite N. N. vnico filio, in pupillari ætate, hic factus maior, patre adhuc viuente, tanquam hæres matris, in vim dicti pacti resolutiui, atque in eo adiectæ facultatis capiendi propria auctoritate, obtinuit ab A. C. contrà Principem Sabellum dictæ Ioannæ hæredem ad palatium associari; Introductaque causa *in Rota corã Priolo sub die 27. Februar. 1673.*
2 pro eiusdem immissionis competentia fauore actoris, responsum fuit; Repropo sita veró causa *coram eodem sub die 9. Aprilis 1674.* recessum fuit à decisis, istaque posterior resolutio confirmata *sub diebus 27. Iunij sequentis, & 1. Februarij 1675. coram Taia, subrogato in locum Prioli* interim defuncti, atque in hoc statu causa pendet.

Cùm autem de extremis, atque de personæ legitimatione non dubitaretur, hinc ad duos punctos restringebatur quęstio; Primó nempè ad prædicti pacti personalitatem ex parte Rei conuenti prætensam, ideóq; illud per hæredem exerceri non posset; Et secundó, quod vbi etiã pactum

pactum esset exercibile per hæredem, adhuc tamen restitui deberēt dicta fiscalia accepta, quorum restitutio sequi non posset, ex eo, quod per superuentam Regiam pragmaticam de anno 1648. illa essent amissa, & Regiæ Curiæ applicata ob neglectam comparitionem, & iustificationem, vt ità sequeretur intestatio, ideóque eiusdem Annæ Mariæ, vel eius hæredis culpæ id adscribendum esset.

Prior punctus personalitatis in prima decisione reiectus fuit, neque in posterioribus dictum est contrarium, quinimó in vltima disputatione *sub die 1. Februarij 1675.* potiùs Rota inclinabat in hac parte, in confirmationem prioris resolu-
3 tionis; Et meritò, quoniam regularitèr huiusmodi pacta resolutiua, ac etiam prælatiua, & similia quotiés verba, vel facti circumstantiæ limitationem non suadeant, sunt transmissibilia, & cessibilia, vt aduertitur, *sub titulo de seruit. ad materiam retractuum disc. 85. & 88.* ac etiam *sub tit. de feud. occasione bullæ Baronum disc. 96. & alibi pluriès.*

Et quamuis aliquando super huiusmodi pactorum stricta, & rigorosa intelligentia procedi soleat, & propterea cen-
4 senda sint personalia, & non transmissibilia, iuxtà ea, quæ præsertim habentur alijs relatis *decis. 330. & 371. par. 11. rec. & sub tit. de vsur. disc. 8.* ac etiam *sub tit. de alienat. & contract. disc. 46. & alibi;* Attamèn id procedit ratione subiectæ materiæ odibilis, ob suspicionem vsuræ, vt ex: gr: contingit in pactis commissorijs, iuxtà casum, de quo *d. decis. 330. & 371. par. 11. recent. & d. disc. 8. de vsuris,* cum similibus.

Ideóque in huiusmodi pactorum re-
5 gulatione, attēdenda quoque venit adeò frequentér, sed semper opportunè insinuata propositio in ambiguarum voluntatum, tam defunctorum, quám viuentiū interpretatione omninó attendenda, vt scilicèt immorandum non sit in cortice, & formalitate verborum, vel clausularum, & dictionum, sed principalitèr attendi debet substantia verisimilis voluntatis, deducenda ex natura, seú qualitate conuentionis, & ex alijs circumstantijs, vt locis citatis aduertitur.

Clausulæ siquidèm, ac dictiones attendi debent famulatiuè, & concomitantèr, non autem principalitèr, ac solæ, &
6 de per se, quoniam, vt sæpiùs aduertitur, stante præsertim abusu Notariorum extendendi contrahentinm, vel disponentium mentem in lingua latina, Partibus ignota (vt in præsenti inter mulieres) & iuxtá eorum formularium; Hinc resultat, quod casualitèr aliquæ clausulæ, vel dictiones adijciuntur, absque eo quod, non solùm Partes, sed neque ipsimet Notarij ad eas aduertant, earumque vim, & operationem sciant; Ideòque irrisione digni semper censendi sunt illi, qui in iudicando, vel consulendo, in huiusmodi verborum formulis, eorumque grammaticali intelligentia, vel significatione vim constituunt, nisi quando deseruiant famulatiuè, vel pro interpretatione eius, quod pro facti qualitate ambiguum sit; siué quod clausulæ, vel dictiones respiciant validitatem actus, illumque iuxtà agentium voluntatem, ob rigorem iuris præseruent á nullitate, ita lege rationabilitér præsumente, quod Partes quamuis illas clausulas ignorent, atque ad illas non aduertant; Attamén generalitèr in animo habuerint adhibendi Notarium, tanquam peritum, vt adijceret omnes clausulas, & cauthelas pro actus meliori firmitate, iuxtà ea, quæ occasione clausulæ codicillaris, & similium habentur *sub tit. de testam, disc. 57. & alibi.*

Iste verò discursus de plano, penéque ad literam cadebat in hac facti specie, in qua proptercà (etiam in sensu veritatis) scribendo pro Actore, dicebam omninò contēptibilia censenda esse ea, quæ cum magno allegationum cumulo, solitoque improbo, ac superfluo labore, iuxtà ineptum pragmaticorum stylum, deducebantur circa quasdam dictiones, & verba, personalitatem denotantia, vt præsertim sunt dictiones *ipsi*, vel *illi*, & similes, stante subiecta materia, eiusdemque conuentionis contextura.

Cùm etenim diceretur, quod ad eam deuentum esset per concordiam pro superiùs enarrata lite componenda, in qua
7 mulier palatij domina, & quæ de pacto resolutiuo sibi consuluerat, nullum penitùs interesse, vel participationem habebat, ac propterea sibi nullatenùs congruebat iste terminus concordiæ, vel transactionis, qui non cadit nisi, vbi adsit lis, vel eius probabilis timor, & inter ipsos

ipsos collitigantes, vt in sua sede *sub tit. de empt. & vendit.* & alibi passim; Hinc propterea aduertebam, quod verus germanusque huius pacti sensus erat, quod contractus permutationis, vel concordiæ principalitèr initus est inter Alexandrum, & Camillam collitigantes, eiusdē veró Alexandri mulier, pro quadam Camillæ cauthela exuberanti interuenisset, præstando illum consensum, qui neque necessarius erat, dum constante matri-
8 monio etiam in fundis dotalibus, vir habet illud dominium vtile, vel subalternum, de quo in sua sede *sub tit. de dote disc.* 158. ac propterea mulieris nil intererat, constante matrimonio, atque viro eius onera supportante, & in consueto bono statu continuante, adeóvt nec restitutionis, nec assecurationis locus fieret, an bona dotalia essent penès ipsū virum, vel tertium eiusdem viri cessionarium; sed penés eum noluit perseuerare, postquam ipsius viri ius cessasset, ac resolutum esset.

Et sic non in ratione illius veri, ac proprij pacti resolutiui, per quod destruatur,
9 & annihiletur substantia contractus iam perfecti quoad ipsos contrahentes, iuxtà casus, de quibus agitur *in decisionibus, & auctoritatibus suprà recensitis*, sed in ratione declarationis animi, seù limitationis consensus ad certum casum, vltra quem consensus habendus esset pro non præstito, atque actus pro infecto, iuxtá illam speciem pacti, de qua *sub tit. de feud. disc.* 57. Vndè potiùs remanet conuentio in terminis conditionis impedientis in casu conuento, vel specificato, perfectionem, vel essentiam actus, & ne incipiat, quam destructio actus iam perfecti, & iuris quæsiti ablationem, iuxtà distinctiones, de quibus *sub tit. de testam. disc.* 73. & *sub tit. de fideicomm. disc.* 154. *& alibi*.

In hoc autē præsertim dignoscitur ve-
10 rè intolerabilis, & nauseatiua modernorū pragmaticorum ineptia, quod scilicèt conuentione continente explicitum, vel implicitum pactum resolutiuum super eius interpretatione, vel praxi, in confuso cumulentur omnia, quę cum improbo labore reuoluendo, repertoria decisionum, aliorumque librorum, in eis inueniantur sub verbo *pactum resolutiuum*, ad literam attendendo omnes decisiones, & auctoritates, quæ de materia pacti resolutiui agant, non reflectendo ad diuersas species, & an faciant ad casum, nec ne, ratiocinia, & subtilitates reputando huiusmodi discursus, & distinctiones, quo nil ineptiùs.

Tota itaque difficultas huius causæ residebat in alio motiuo, quod de iure, & in abstracto erat verum, sed malé ad rem applicabatur, quod scilicèt ille, qui in vim huiusmodi pacti ad rem suam vult regredi, restituere debet alteri contrahenti rem propriam eius facto, & culpa
11 non deterioratam, vel ab alio occupatam, iuxtà auctoritates in causæ decisionibus recensitas, quarum testimonium neque necessarium erat, dum ego scribens in contrarium, non negabam, imó expressè admittebam veritatem assumpti in puncto iuris, quodque propterea cumulus allegationum pro frequentiori contingentia redoleret inanem chartarū repletionem; Dicebam tamen etiam in sensu veritatis apertam fallaciam consistere in applicatione ad casum.

Ad id autem probandum, opportunum censui explicare huiusmodi fiscalium naturam, quoniam licèt id sit notorium in ea regione; attamen tale dici non potest in Vrbe, & præsertim in hoc Tribunali, quod constitutum est in notabili parte ex Vltramotanis, ex insinuatis *disc.* 32. *in Relat. Curiæ*.

Dicebam itaque, quod vt aduertitur *disc.* 5. *Miscellan. Eccles.* ex antiquis illius Regni moribus, & concordatis respectiuè inter ipsum Regnum, & Reges pro tempore, Rex non imponit collectas ne-
12 que gabellas, vt facit Papa in Statu Ecclesiastico, & faciunt quidam alij Italiæ Principes, sed pro ordinarijs antiquis oneribus, Rex exigit à quolibet loco, seù Communitate annuam vniformem summam ad rationem focularium, ducatorū scilicèt quatuor circitèr pro quolibet foculari, & anno, istaque præstatio explicatur sub isto nomine fiscalium; Pro alijs verò extraordinarijs expensis, vel subuentionibus Regis, solet idem Regnū in generali Parlamento facere Regi interpora aliquod donatiuum, atque pro istis, alijsque oneribus communitatiuis quælibet Communitas sibi ipsi, eiusque Ciuibus indicit gabellas, vel collectas variè, prout prouinciarum, vel regionū, siue

siue locorum qualitas exigit, dum alicubi omnia ferè onera supportantur per gabellas super pane, & vino, alijsque victualibus, iuxtà ea, quæ habentur suprà *disc.54. & in Miscellan. Ecclesiast. d. disc.5. & 6* Alicubi verò super bonis per collectam per æs, & libram, & alicubi per collectam personalem, quæ capitatio dicitur vulgò *la testa*, siue prout alias loci, vel populi qualitas exigat, regia licentia solùm requisita, vbi de nouis collectis, vel gabellis indicendis agatur.

Huiusmodi itaque fiscalia, prout etiam pleraque alia iura Regalia, ad Regem pertinentia, ex quibus magni redditus, & emolumenta percipiuntur, vt sunt Dohanæ, iuxtà illam speciem, de qua
13 occasione agendi de dohanis Vrbis, habetur suprà *disc. 65. & 67.* & alia dohana pecudum, & pascuorum, de qua pariter suprà *disc.94. & 95.* nec non salinæ, & salariæ, de quibus pluriès in præcedētibus, ac mineralia, & iura priuatiua, & alia, sub hoc genere Regalium cadentia, iuxtà penè omnium Principatuum Europæ introductionem, ex eo quod annui redditus eo modo, quo in singula tempora percipiantur, pro vrgentibus indigentijs belli non sufficiant, consueuerunt vendi personis priuatis in proprietate, non quidem vendendo ipsam Regaliam,
14 sed solùm ipsos redditus, vel emolumēta ad rationem tot pro centenario, tanquam per implicitam impositionem census consignatiui, quem Princeps, vel Respublica super huiusmodi iuribus faciat, vt recipiendo centum in sorte, promittat soluere quatuor, vel quinque pro centenario, eodem modo, quo pluriès in præcedentibus dictum est de locis montium Vrbis, cum in effectu, vbique huiusmodi venditiones idem importent, quamuis pro diuersitate regionum diuersa sortiantur vocabula, quod scilicèt alicubi loca montium, alicubi fiscalia, vel respectiuè iura super arrendamentis, alicubi iura cum Rege, vt in Hispania, & alicubi Comperæ, siue cum alijs vocabulis nuncupantur.

Omnia verò vbique pariformitèr eandem sortiuntur naturam ob rationis identitatem, quod scilicèt quoad ipsum Principem, vel Rempublicam ille repu-
15 tatur dominus, & possessor, qui in libris publicis ad id destinatis per manus officialium, ad hoc munus deputatorum, describuntur, absque eo, quod sint in priuato commercio abdicatiuo, & respectiuè translatiuo dominij, & possessionis ex sola priuata conuentione absque facto, & auctoritate officialis, sine qua etiam in hæredes, vel successores quoscumque non datur transitus dominij, vel possessionis, nisi eorum descriptio in præfatis libris sequatur, sub intestationis vocabulo explicari solita, eodem modo, quo *sub tit. de feud. disc.7. & in alijs*, dictum est de descriptione feudatariorum in libris, vel quinternionibus feudorum, cùm pariformitèr huiusmodi iura Regalia, sub quorum genere veniunt quoque officia venalia, regulari videantur, adeòvt intret quoque eadem propositio, de qua *d. tit. de feud. disc. 24. & in alijs*, vt in eis non intret rubrica, ***plus valere, quod agitur, quam quod simulatè concipitur***, sed verus dominus, ac possessor dicatur ille, qui in illis libris sit descriptus, absque eo quod alteri ius in re, vel ad rem quæratur, nisi eiusdem Principis, vel Reipublicæ, seù officialis ad id deputati auctoritas, ad instar assensus domini super feudis, accedat.

Atque hinc, potiùs ratione subiectæ materiæ, ipsorumque iurium natura, quàm ex priuilegio, vt aliqui erroneè credunt, manat huiusmodi iurium liberum commercium, de quo suprà *disc.26. cum plur. seqq.* vt in alterum in quem transferri contingat, transeant libera, & exempta ab omnibus hypothecis, vinculis, & nexibus, quibus penès priorem possessorem obnoxia essent, ex pluriès assignata congrua ratione, vt scilicèt cessio, vel resignatio, quam possessor faciat, redoleat speciem refutationis iurium in manu ipsis Principis extinctiuam potiùs, quàm translatiuam, adeòvt extincto, vel corrupto priori iure, idem Princeps, vel Respublica per organum officialis ad id deputati, iure nouæ creationis, vel efformationis, idē ius alteri cōcedat, qui id directè, ac immediatè ab eo recipere dicitur, ipsumq; in eius auctorem agnoscit, alteri non subiectus vinculo, nisi illi, quod in ipsismet libris, ac litteris desupèr expediri solitis, exprimatur, iuxtà regulas beneficiales in resignationibus beneficiorum ad fauorem in manu Papæ.

In plerisque autem huiusmodi fisca-

lia, vel consimilia iura Regia illius Regni à nostris Locis Montium Orbis differre videntur; Primò nempè, quod quan-
16 doque præsertim, ea quæ antiquis temporibus, tam ex causa onerosa, & correspectiua, quàm etiam ex Regum munificentia, concedi consueuerunt, concedantur in feudum, non autem in allodium, vt propterea regulis, ac oneribus feudalibus, & præsertim illi Adhoæ subiaceant; quod in Vrbe non est in vsu, nisi quando annuus redditus pecuniarius super huiusmodi iuribus Cameralibus, esset subrogatus loco alicuius feudi sub eadem natura.

Secundò quòd in Vrbe assignamentum siuè dos Locorum Montium præsertim Cameralium non est sub administratione ipsorum priuatorum, qui directè, ac manu sua ad proprium commodum, vel incommodum fructus, & emolumenta exigant, sed est penès illos publicos officiales, qui Depositarij nuncupantur à quorum manibus priuati Montistæ singulo quoque bimestri fructus exigunt, adeòvt assignamentorum augmentum, vel diminutio ipsius Cameræ Apostolicæ, vel respectiuè alterius debitoris Montis, damno vel eo modo cedat; In prædicto autem Regno dicta Fiscalia, aliaque consimilia iura assignantur priuatis, qui directè, ac manu sua exigant ab illis Communitatibus, vel alijs, ad quos soluere pertineat, eorumque sit idoneitatis, vel deficientiæ Communitatum, vel debitorum commodum, vel incommodum.

Et tertiò ad rem nostram (neglectis alijs differentijs ad eam non facientibus) quod in Vrbe si Montistarum hæredes, & successores, siuè cessionarij translationem in eorum faciem, siuè intestationem negligant, id cedere solet ad commodum depositariorum, non quidem in substantia, sed in dilatione, ac vsu fructuum intermedij temporis, quoniam detecto domino, huic omnes decursi fructus solui debent, eòque non detecto, adeòvt habeantur pro vacantibus, subintrat Camera, ex iure Fisci in huiusmodi bonis, sed & quandoque etiam in substantia quando, id negligatur; In dicto autem Regno in tempora fieri solet reuisio, seù regulatio generalis, & præsertim pro iure Adohæ, vel deuolutionis, in illis Fiscalibus, quæ possideantur in feudum, atque vbi comperiatur non adesse legitimum possessorem in dictis Libris descriptum, sibi ipsi applicat, non quidem iure omnimodi, ac irretractabilis dominij, quoniam id iniustitiam, ac tirannidem redoleret, sed iure illius possessionis, & tenutæ, quæ vbique consueta, & connaturalis est in Fisco non litigante manibus vacuis in ijs bonis, quæ ex causa deuolutionis, vel aliàs ad se spectare prætendat, iuxta insinuata pluries *sub tit. de feud.*, & alibi; Idque sequutum fuit in his Fiscalibus in situatione, vel reuisione anni 1612. ex quo tempore Regia Curia illa possedit, atque de eis disposuit.

His itaque sic stantibus, dicebam scribens pro actore contra posteriores resolutionès, cum eodem insinuato sensu veritatis, quod duo resultarentur; Primò nempè, quod de anno 1637. in quo initus fuit contractus, Camilla non habebat nec dominium, nec possessionem, quorum neutrum, neque priùs habuerat, & per consequens, vel in dictam Annam Mariam transferre potuit, ex vulgari axiomate, *quod nemo plus iuris, &c.* Minùsque Anna, quæ nihil receperit, ad aliquam teneretur restitutionem, quoniam dum sola verba accepit, sufficiebat, eadem verba restituere.

Et secundò quod ità in huiusmodi Fiscalibus dicta Regia pragmatica, nil noui induxerat, dum iam per annos 36.
17 antecedentes, Regia Curia obtinebat, Vndè propterea opus non erat examinatore; punctum, an dicta pragmatica disponat solùm id, quod supra insinuatur circa possessionem, & tenutam donec legitimè iustificetur tutulus illius, qui prætendat ius habere, vel potiùs pœnalem amissionem ob contumaciam non iustificationis factæ in tempore, iuxta casum de quo suprà *disc.* 14.

Vltimæ præsertim resolutionis de anno 1675. fundamentum vnicum, fuerunt quædam modicæ exactiones fructuum, quæ supponebantur, factas esse à Sindico dictæ Communitatis per Camillam de annis 1625. & 1627. & per Annam post dictum contractum: Verùm vltra, ea quæ in facto deducebantur circa huiusmodi exactionum veritatem, quæ ex hac parte impu-

impugnabatur; Vbi etiam ità res esset, adhuc tamen cum eodem sensu veritatis dicebam, id continere æquiuocum manifestum, quoniam non ex eo, quod Sin-
18 dicus, vel alter administrator Communitatis soluat aliquam partem huiusmodi fructuum, resultat dominium, & possessio, vel aliud ius in eo, cui solutio fiat, cum non ab illius administratoris facto, & voluntate, sed ab illo Principis, vel officialis ad id deputati, iuxtà consuetam formam id pendeat,

Vt exemplificando in illis Locis Montium Vrbis, quæ Communitatum dicuntur, quia scilicèt, ipsæ Communitates sunt veré, & propriè debitrices, solùmque Papa, vel eius Camera fidem accommodet cum erectione Montis, vel aggregatione alteri Monti, quoniam si hæres, vel cessionarius Montistæ absque eo quod sit descriptus in libris, & quod per Secretarium Montis, loca ad defunctum, vel ad cedentem spectantia in eius faciem intestentur ab aliquarum Communitatum administratoribus exigat fructus, non per hoc dici poterit dominus, vel possesor, sed erit simplex intrusus, nullum habens dominium, nullamque possessionem, eodem modo quó esset ille, quia colonis, vel debitoribus, seù vendentibus alicuius beneficij, aliquos exigeret fructus, absque aliquo titulo sibi collato per Papam, vel per ordinarium, qui alteri idem beneficium contulisset, siuè posuisset sub sequestro tanquám vacans, vel aliàs de eo disposuisset, quoniam non per hoc dici potest, vt ille esset Beneficiatus ita, & taliter, vt illud beneficium cum altero permutare posset, istosque dicebam esse veros, & proprios præsentis causæ terminos,

†



DISC. CLXXXVIII.

Romana Officij Cursoratus.

Pro Alexandro Albritio cum hærede Sebastiani Bertarellij.

Casus decisus per Rotam pro hærede.

An, & quando reseruatarius officij dicendus sit dominus, vel potiùs creditor; Et de effectibus exindè resultantibus pro augmento, vel diminutione valoris, cuius commodo, vel incommodo cedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De formula decreti reseruationis, vt sit vniformis tam fauore domini, quam creditoris.*
3 *Quod ab hac distinctione pendeat inspectio commodi, vel incommodi.*
4 *Quomodo dignoscatur, an reseruatarius, sit dominus, vel creditor.*
5 *De applicatione ad casum, eiusque circumstantijs.*
6 *Obseruantia est optima interpres, eique deferendum est.*
7 *Quando dicatur adesse fraus vsurarum.*
8 *Actus spectantes ad officium fiunt per officialem, non autem per reseruatarium, quia in eo residet substantia officij.*
9 *Augmentum causatum ab industria officialis fiduciarij, an sit suum, vel reseruatarij.*

DISC. CLXXXVIII.



FFICIVM Cursoratus, quod vacabat per obitum possessoris, de anno 1662. Dataria concessit Alexandro Albritio pro pretio scutorum 1400. quos soluit Sebastianus Bertarellus, ad cuius fa-

uorem

uorem facta fuit illa reseruatio decreti,
1 de qua pluriès agitur supra, præsertim, *disc.* 1.4.7.10.11. *&* 12.; Attento verò eo tempore, modicum erat iuniorum, seù nouiter admissorum lucrum, quoniam negotia, ex quibus maiora emolumenta resultant, ex quodam iure accrescendi seniorum pro maiori parte esse solebant: hic autem status de anno 1665. immutatus fuit, quoniam ex omnium Cursorum conuentionali lege per Papam approbata, constituta fuit massa communis, ideóque tractu temporis produxit huiusmodi officiorum valoris notabile augmentum, super quo exorta controuersia inter dictum Alexandrum officialem, & hæredem Sebastiani interim defuncti coram Datario, atque ab isto remissa controuersia consultationi *Rotæ coram Vbago*, datoque dubio, cuius temporis prætium attendendum esset, *sub die* 15.*Februarij* 1675. reseruatario fauorabilis prodijt resolutio; ad ipsum scilicet spectare officij dominium, & per consequens pretium, eique commodo de præsenti attendendum fore, Atque mihi, licèt in contrarium scribenti pro officiali; probabilis visa est resolutio, & iuxta proprium sensum iam ab initio pro stylo requirenti sincerè insinuato.

Punctus itaque pro meo iudicio facti potiùs, quàm iuris erat super partium voluntate; quoniam cum vniformis huiusmodi decreti sit formula, eaque ita congruat illi, qui pecuniam præbeat ad
2 officium emendum iure dominij ad proprium commodum, & incommodum, ac illi, qui eandem pecuniam mutuet iure creditoris, ità obtinendo illud decretum, tanquam per speciem illius assensus, de quo *disc.* 13.*&* 151. *de credito*, *& pluriès sub tit. de feud.* Et aduertitur supra *hoc eodem tit. in discursibus supra cit.*

Hinc, vt præmissum est, punctus non erat in iure, sed in facto, siue in applicatione, & qualis fuerit voluntas partium, reseruatarij scilicèt, & officia-
3 lis, cum ab hoc reuerà decisio pendeat, adeóut euidens videatur error procedendi cum generalitatibus in abstracto, siue constituendi vim in formalitate verborum decreti Apostolici, cum illa æquè benè vni, ac alteri reseruatario congruant.

Suppl. Theat. lib. 2. *de Regal.*

Atque ex hac distinctione pendet resolutio, cuius nam esse debeat augmentum, vel decrementum cum vnum, vel alterum, tanquàm sequela dominij, ad illum spectare dicatur, qui dominus est, non autem ad creditorem, vt de augmento Locorum Montium: *Carill. decis.* 148. *& alibi pluriès*. Et quamuis aliquando creditor, non de iure, sed de facto decrementi damnum sentire solear, quia nempè ita resultat insufficientia debitoris, vt aduertitur pluriès *supra*, *ac etiam disc.* 7. *de Societat. Officij*, occasione agendi de illis Societatibus, quæ præter communem vsum fiant super periculo vitæ eiusdem officialis debitoris, attamen id prouenit ex accidenti, non autem ex iuris dispositione.

Ad dignoscendum autem an vno, vel altero modo pecunia data sit, certa, & generalis regula cuicumque casui applicabilis, non de facili statui potest, dum
4 ex præmissis non est punctus iuris, sed facti ex singulorum casuum particulari qualitate, ac indiuiduis circumstantijs regulandus, vel decidendus; Vndè paritér intrat idem insinuatus error, qui pragmaticis, vel Collectoribus connaturalis esse solet, procedendi absque alio ratiocinio, vel discursu cum propositionibus generalibus, vel cum illis decisionibus, & auctoritatibus, quæ diuersos percutiant casus.

Ex illis veró generalitatibus, quæ in ambiguis, & coniecturalibus materijs attendi solent; Tres in proposito attendendæ videntur, non quidem ad certam probationem, sed ad præsumptionem, in ambiguo suffragantem, nimiumque attendendam, quotiès alia incontrarium magis non vrgeant; Primò nempè inspici debet summa, seù quantitas pecuniæ, an sit pro toto pretio, vel potiùs pro parte, quoniam quando fit pro toto, magnum argumentum est dominij, Quando veró è conuerso pro parte, argumentum est crediti, vt conijcitur ex combinatione casuum, de quibus supra *disc.* 1. *cum multis sequentibus*, in quorum plerisque de vna, & in alijs respectiuè, de altera specie agitur.

Secundó in idem, & magis stringentèr inspici debet modus soluendi pecuniam, an scilicet illa directè, & immediatè per Datorem soluatur Datariæ, vel

O 2 resi-

resignatori, aut è conuerso soluatur ipsi, emere volenti officium, vt in primo casu intret præsumptio pro dominio, in altero autem pro credito, iuxtà casum, *decisionis 34. Aponte, & alios, de quibus supra disc. 12. & in alijs.*

Et tertiò magnum argumentum resultare videtur ex magis communi vsu, qui, vt praxis docet, regulam recipere solet à natura, seù qualitate officiorum; Siquidem, vbi agitur de illis officijs, ex quorum intrinseca natura, & qualitate magis, quàm ab industria, & exercitio officialis, emolumenta resultant, adeòut etiam absentibus, vel idiotis, aut infantibus, & respectiuè etiam mulieribus congruant: aliquod verò ministerium illis annexum, comparatiuè ad emolumenta sit modicum, illudque cum modico pariter stipendio explicari valeat, & soleat per substitutum, vt sunt pro maiori parte officia Cancellariæ, & Secretariatus Apostolici, & tot militiæ, vulgò, Caualleratus, nec non portiones Ripæ, & similia, & tunc præsumptio magis assistit dominio; Aut verò è conuerso sunt officia, in quibus principaliter requiratur industria personæ, atque maiora emolumenta ex eadem industria, & peritia, ac labore personali manent, vt ex: gr: sunt ista officia Cursorum, ac etiam illa Notariorum Auditoris Cameræ, & Tribunalis Cameræ, nec non Vicarij, & Capitolij, & similia, & tunc secùs, vt scilicèt, potiùs crediti, quàm dominij vrgeat præsumptio, vt præsertim in officijs Notariorum generalis praxis docere videtur.

Applicando autem ad rem; Quamuis scribendo pro officiali conductitio, seù venali more Aduocati; ad euitandas decisiones, & auctoritates insinuatas, in allegatis discursibus, de quibus supra,
5 ex quibus per scribentes, hinc indè totum desumebatur principalitèr, ac omninò insistere in hac distinctione, seù circumstantia naturæ, vel qualitatis officij, quòdque ita omnes auctoritates, hinc indè assistentes conciliarentur; Attamen, reflectendo ad veritatem, aduertebam, istam esse circumstantiam nimium quidem considerabilem ad inducendam, potiùs vnam, quàm alteram præsumptionem, quæ tamen, iuxtà naturam simplicis præsumptionis iuris, per contrariam probationem, & fortiores præsumptiones eliditur, vt in hac facti specie sequi videbatur, ob alias duas priores præsumptiones, quod scilicèt, Sebastianus integrum pretium directè, ac immediatè soluisset Datariæ venditrici, non autem tradidisset ipsi futuro officiali ad emendum.

Fortiùs verò ob subsequutam obseruantiam, quæ, vt insinuatur *disc. 21. de*
6 *iudicijs*, & alibi frequentèr omnium ambiguorum est optima interpres, atque dicitur interpretationum Regina, quoniam per alteram partem docebatur de conuentione, ex qua ad euidentiam dominij, probatio resultabat, quod scilicèt, ipse Alexander officialis conduxit officium pro certa pensione correspectiua ad illa emolumenta, quæ detracta mercede operis, ac laboris personalis referenda veniunt ad officium, vndè proptereà non videbantur intrare termini interpretationis, de quibus, *in l. si de interpretatione, ff. de legib.*, sed potiùs alij vulgaris *textus in l. ille, aut ille, ff. de legat. 3.*

Et quamuis alij pro hac parte scribentes, præsertim verò acutus causæ
7 Patronus replicarent huiusmodi conuentionem, ita initam esse in fraudem vsurarum, vt ita non seruata forma in societatibus officiorum per Apostolicas Constitutiones demandata, obtineatur pinguis pecuniæ fructus; Attamen obseruabam, eidem causæ Patrono, ac principali insinuando, id rectè procedere, quando alia datori pecuniæ non assisterent argumenta, quæ potiùs vrgerent in contrarium, vt in crediti, potiùs quàm dominij, vel tituli causam, pecunia data esset, & per consequens intraret præsumptio vsurarum, atque pro earum pallio talis conuentio inita esset; Secùs autem, vbi eadem conuentio veritatis habeat adminicula, seù argumenta.

Magnum item per alios Scribentes, quibus ego quoque more Aduocati adhærebam, constituebatur fundamentum in illis actibus, qui fieri solent in noua
8 admissione officialis, ac etiam successiuè in progressu, & præsertim, ac magis in dicta conuentione facta per totum Collegium super immutatione consueti status, ac reductione emolumentorum ad massam communem, vndè supponebatur

batur valoris augmentum prodijsse, dum omnia gesta erant per Alexandrum officialem, absque eo, quod reseruatarius se ingereret, vel aliquam haberet participationem.

Sed paritèr id mihi videbatur leue argumentum; quoniam, vt pluries in præcedentibus habetur, quoad Principem, & Rempublicam, ac negotia, vel iura, officijs, vel officialium Collegio, seú Vniuersitati incumbentia, verus officialis dicitur ille in cuius persona officium cantat, & cui Princeps non curata, quamuis clara, & expressa fiducia, vel simulatione, officium contulit, cum in huiusmodi officijs, & iuribus regalibus eodem modo, quo in feudis non interest rubrica *plus valere quod agitur, &c.* vt frequentèr insinuatum est, adeóvt dominium reseruatarij sit improprium, illudque non resideat in substantia ipsius officij, sed potiùs in commoditate, seú emolumentis; Et per consequens ad ipsum officialem spectabat facere actus officio incumbentes, tam singulares percutientes exercitium, quàm etiam communitatiuos, seù vniuersales pro eiusdem Collegij administratione ad maiorem vtilitatem ordinata, & ad quem effectum reseruatarius implicitum mandatum ipsi officiali, tanquàm eius Institori, seù Complementario dedisse dicitur, adeóvt si ex huiusmodi noua conuentione immutatiua antiqui status, quemadmodum prodijt euentus bonus, prodijsset malus; valoris diminutionem causasset; reseruatarij tanquàm domini fuisset damnum, dum non poterat ipse ita obijcere culpæ malæ administrationi officialis, ex quo fecit cum bona fide actum, quem tot alij officiales magis prouecti, & qui tanquàm domini officiorum, proprium gerebant negotium, fecerunt, ideóque eiusdem debet esse commodum ex regula *secundum naturam, &c.*

Quinimó etiam si augmentum valoris huius officij particularis prodijsset, ab
9 ipsius officialis maiori diligentia, industria, & applicatione, vt sequi solet in officijs Notariorum, quod scilicèt, penes vnum Notariorum magis peritum, & industrium, officij valor notabilitèr crescit, & penès alterum minùs industrium minùsque diligentem decrescit,

adeóvt pretium non sit vniforme, attamen cum iure administrationis, potiùs id sequutum sit, dicendum est, quod ita administrator proprio muneri satisfecerit, suumque munus benè impleuerit ad commodum tamen domini, cuius aliàs fuisset damnum, vt alijs relatis in proposito aduertitur, *decis.45. num.3. in fin. par.2. recent. ex deductis per Butr. in c.cum M.Ferrarien.de Const. numer.56. & Felin. numer.22. & conferunt deducta disc.27. de feud.num.11.*

Dicebat idem principalis, quod ex dicta noua conuentione creuerat eius labor, sed id ad rem facere non videbatur, quoniam id solùm illi iustum præbere potuisset motiuum petendi à reseruatario maius salarium, seù maiorem sui laboris mercedem, non indè tamen inferri posset, vt suum esse deberet pretij augmentum, quemadmodum suum non fuisset decrementum, vt supra.

DISC. CLXXXIX.

Spoletana, seú Reatina Collectæ.

Pro Ciuibus, & Incolis Oppidi Leonissæ, tum Communitate Oppidi Montis Leonis.

Responsum pro Veritate.

An, & ad quæ onera teneantur Forenses pró bonis, quæ in territorio possident.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An Forenses possint Collectari.*
3 *Consuetudo specialis præualet generali.*
4 *Obseruantia attenditur in materia gabellarum, & onerum.*
5 *Quare Aduocati, & consulentes deducant motiua parum tuta.*
6 *de ratione, ob quam obseruantia, non de facili inducit exemptionem.*

7 *De constitutionibus reuocatorijs exemptionum, quando procedant.*
8 *De exemptione in vim reciprocæ transactionis.*
9 *Collecta reales quales sint, & quare à Forensibus soluantur.*
10 *Gabellæ super victualibus sunt merè personales, ideòque non soluendæ per absentes, qui in loco non viuunt.*

DISC. CLXXXIX.



ROMISCVE' possidentibus Ciuibus, & Incolis adiacentium Oppidorum, Montis Leonis de pertinentijs status Ecclesiastici, & Leonissæ de perti-
1 nentijs Regni Neapolitani terrena, & prædia in vtroque respectiuè territorio; De anno 1608. inter eosdem, seù eorum Communitates deuentum est ad concordiam, vsque ad præsens obseruatam, quod pro bonis in quolibet territorio possessis, respectiuè solui deberent solùm Collectæ ordinariæ, quales in statu Ecclesiastico dicuntur impositæ pro illis oneribus antiquis, & ordinarijs, quæ Cameralia dicuntur, Et in Regno Neapolitano pro illis paritèr antiquis, & ordinarijs, quæ dicuntur Fiscalia, dum reliqua sub extraordinatiorum, & Communitatiuorum generibus, & vocabulis veniunt; Cum autem circa annum 1642. sub Vrbano Octauo in statu Ecclesiastico immediatè imposita esset gabella carnis, seù antiquę gabellę factum esset augmentum, cuius mentio pluriès in præcedentibus habetur præsertim *disc.*57.62.& 71. Illaque diuersimodè per singulas Communitates ab earum Ciuibus, & Incolis exigi solent, pro solutionis repartimento, Thesaurario, vel Appaltatoribus Cameralibus faciendæ, quoniam in aliquibus locis exigitur, iuxtà eius propriam, & regularem naturam, in extrinseco, scilicet, augmento pretij carnis, quæ in macellis vendatur in frusta, & alicubi per Collectam super bonis per æs, & libram, vt de hac distinctione in eadem Ciuitate eiusque Castris, seù locis comitatus, & districtus, habetur supra dicto *disc.*57. Istaque Communitas Montis Leonis, vsque ab anno 1651. de licentia Congregationis Boni Regiminis, consueuerit eam exigere in posteriori forma pro modo facultatum, seù per æs & libram, à solis tamen eius Ciuibus, & Incolis, non autem ab illis dicti alterius Oppidi bona in eo territorio possidentibus; Post vicennalem autem obseruantiam, & vltra, prætensionem excitauerit, ista quoque bona, & prædia collectare; hine desuper ex parte dictorum Ciuium Leonissæ pro veritate consultus fui, an collectari possent.

Negatiuè visum est respondere; Primò ex generali iuris regula pluriès in
2 præcedentibus insinuata, & præsertim *disc.*73.77.83.84.& 92. vt Forenses, qui bona in territorio possideant collectari non possint, vtpotè Communitati collectanti non subiecti, dum iuxta magis communitèr respectu opinionem, de qua præsertim occasione statutorum habetur in sua magis peculiari Sede *sub tit. de success. ab intestat.* requiritur copulatiuè vtraque subiectio, personarum, & bonorum.

Et quamuis de antiqua consuetudine Italiæ attestata etiam *per Bart.*, aliosque primos Magistros, id non procedat in hac materia collectarum, ad quarum effectum sola bonorum subiectio sufficit ex relatis, *decis.*3. *post Cenc. de Cens.* & per alios de quibus locis citatis; Attamen, vt specialitèr aduertitur in his terminis *supra disc.* 73., & generalitèr in omni ferè materia incidentèr, principaliter autem super ipsa materia legum,
3 & consuetudinum *disc.*35. *de iudic.* consuetudo generalis cedit particulari, quæ præualet, magisque attendenda venit. Accedente etiam natura subiectæ materiæ gabellarum, & onerum, quod in eis totum facit obseruantia, quæ vbi sit longissima excedens metam 30. annorum, attendenda venit etiam ad effectum omnimodæ exemptionis, vt ex *Bartol.*& alijs
4 antiquioribus, apud *Vnger. consil.*92 *numer.*25.*& seqq.lib.*1.*Cobell.ad Bull.cap.*50. *numer.*23 *& seqq.Capic. Latr. consultat.*68. *num.*24.*& seq. cum alijs relatis supra dicto disc.*48.*&* 52.*& in alijs plurièa.*

Verùm istæ generalitates, quamuis eas deducerem ad satisfaciendum Iuristarum stylo scribendi, aliquod habenti
5 fomentum rationis insinuatæ, præsertim *disc.*46. *in relat.Cur. & alibi*, quod scilicèt, ob ingeniorum varietatem sæpiùs leuia

leuia parumque congrua placent, meliùsque capiuntur, solida verò, ac specialia, ex defectu capacitatis, displicent, siuè reputantur subtilitates, & ratiocinia; Non placebant, neque sufficientes videbantur, quatenùs persistendum esset in solis terminis obseruantiæ, vel consuetudinis inducentis quandam gratuitam exemptionem; Tum ex facto, dum ab anno 1651. in quo ista gabella per collectam exigi consueuit vsque ad tempus motæ controuersiæ non aderat spatium 30. annorum, sed solùm viginti, & parum plus, ideòque ex solo facto cessabat applicatio.

Tum etiam quia, vt pluries in præcedentibus aduertitur, nimium rarum, nimiumque difficilè est, istam propositionem ad praxim deducere, cum de faci-
6 li, administratorum, siuè appaltatorum, aut exactorum negligentiæ, id referri soleat, non aptæ præiudicari ipsi Communitati; Præsertim verò in statu Ecclesiastico ob Constitutiones Apostolicas, sæpiùs enunciatas, reuocatorias omnium exemptionum, & franchitiarum, illis exceptis, quas explicitè constet concessas esse ex causa verè onerosa, & correspectiua, siuè quod idem titulus in vim immemorabilis, vel centenariè, quæ non habeat principium infectum, iuxtà casum de quo supra *disc.*47. allegari valeat.

Et quamuis dictæ Constitutiones verè, & propriè pereutiant gabellas Camerales, ac prodierint ad tollenda præiudi-
7 cia Cameræ Apostolicæ, Attamen cum onera Communitatiua frequentiùs, vt in specie huius casus tendant ad commodum eiusdem Cameræ, vel solent ad ea extendi, vel nimium attendi ad faciliùs admittendam restitutionem aduersùs Administratorum, vel Appaltatorum negligentias.

Istas autem dubitandi rationes in hac facti specie non cadere obseruabam, quoniam non versabamur in simplici obseruantia, vel consuetudine inducente quandam speciem gratuitæ, & priuilegia-
8 tiuæ exemptionis, sed potiùs erat ad titulum merè onerosum, & correspectiuum, tendentem ad vtriusque Communitatis coæquale commodum, & incommodum, adeòvt neque intrarent illæ rationes dubitandi, quæ super consimili concordia habentur *supra dicto disc.*73. quando scilicet, excrescentia onerum illam detegat, seù efficiat læsiuam, dum in hac specie reciprocæ, & omninó coæqualis exemptionis, illi termini non cadunt.

Fortiùs veró, atque (pro meo sensu), citra omnem dubitandi rationem præmissa locum habere dicebam, ex natura oneris, ob quàm seclusa etiam dicta concordia, eiusque obseruantia idem dicendum veniret; Vbi etenim agitur de Collectis pro illis oneribus, quæ erga Principem, vel Rempublicam præstanda sunt
9 intrat consideratio de qua in proposito onerum Cameralium habetur supra, *disc.* 92. ac etiam *disc.*35. *de seruitut.* & alibi, quod scilicèt, tanquam subrogata loco antiqui, vel super indicti, ad instar decimarum Spiritualium, quibus exæquari solent, habent affecta ipsa bona, adeòvt videatur species onerum realium, non curata qualitate possessorij, an sint Ciues, & Subditi, vel Forenses, & exempti; Ideòque meritò dicta consuetudo generalis Italię inoleuit, vt etiam Forenses pro modo facultatum & bonorum, quæ in eo territorio possideant, collectentur.

Id autem nullatenùs adaptari posse dicebam ad rem, Quoniam huiusmodi gabellæ, quæ imponuntur super victualibus
10 verè, & propriè sunt personales, & exiguntur à personis, quæ in eo loco viuant cum isto commodiori modo, occasione vsus eorumdem victualium, vt pluriès aduertitur in præcedentibus, & præsertim *disc.*52. *cum pluribus seqq. & disc.*61. 65. *&* 67. *& in alijs*, ideóque solui debent solùm ab illis, qui in loco viuant eademque victualia consumant, non autem ab exteris alibi viuentibus; Quinimò, neque ab ipsismet, Ciuibus & Incolis, qui alibi viuant, vt occasione franchitiarum aduertitur supra *disc.*54. *& alibi*; Esset etenim aliàs dare magnum inconueniens, vt eorumdem victualium duplicata solueretur gabella in loco scilicèt domicilij, & in loco, in quo habeantur bona; Fortiùs verò ob diuersitatem principatuum, dum in istis personis in diuerso principatu, non verificantur illæ rationes, de quibus supra *disc.*55. *& alibi*, Ideòque concludendo, pro meo iudicio res videbatur plana pro hac Parte.

DISC.

DISC. CXC.

Assisien. Collectarum,

Pro Ciuitate Assisij cum Comitibus de Vbaldis.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis.

An & quando castrum, quod aliás sit de districtu Ciuitatis, alteri concedatur in feudum proprium, vel improprium, siué in baroniam cum iurisdictione, & Imperio, dicatur ab eadem Ciuitate omninó dismembratum, etiam ad effectum collectarum, aliorumque publicorum onerum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De dismembratione Castri, vel loci ab aliquo territorio.*
3 *A finibus spiritualibus non infertur ad temporales, & è contra.*
4 *De probatione situationis in territorio.*
5 *De eadem dismembratione, de qua numer. 2.*
6 *Quod ista facta quoad iurisditionem, non intelligatur ad alios effectus.*
7 *Quando habens titulum Comitis, vel similem non sit Baro, & bona non sint feudalia, vel iurisdictionalia.*
8 *Districtuales, vel Communitatenses dicuntur Ciues, & gaudent honoribus Ciuium.*
9 *De ponderatione, an Castrum constituat Communitatem separatam, & supportet onera.*

DISC. CXC.



CVM quoddam Castrum Blasani nuncupatum, situm in districtu, seù territorio Ciuitatis Assisij, occasione cuiusdam belli, ibi peracti dirutum, ac depopulatum fuerit, atque Ioan. Ba-
1 ptista de Vbaldis Perusinus, Leoni Decimo obtulerit, illud reedificare, si illi in titulum Comitatus concederetur, cum mero, & mixto Imperio, ac baronali iurisdictione prout sequutum fuit; Eius autem successores ob non solutum canonem, iuxtà rigorosam Constitutionem Gregorij Decimitertij, de qua *disc. 5. de feud.* in commissum ceciderint; Vrbanus veró Octauus gratiosè caducitatem remiserit, quoad dominium priuatum bonorum, & prædiorum, ac etiam quoad honorificum titulum Comitatus, non autem quoad iurisdictionem, & imperium, adeóvt id antiquum statum in hac parte restitutum fuerit, vt esset sub eadem iurisdictione Gubernatoris Ciuitatis; Adhuc tamen hoc non obstante dicti Comites pro prædijs, & bonis in dicto Castro possessis prætenderent non subiacere collectis, alijsque oneribus Ciuitatis, quibus alia Castra, vel pagi territorij, vel districtus subiacent; Hinc introducta causa in Congregatione Boni Regiminis, restrictum fuit, vt videretur strictè, an Castrum, & bona essent de territorio Ciuitatis, ex cuius parte in hoc statu euocatus fui.

In disputatione, itaque desuper habita; Scribentes pro dictis Comitibus, transcribendo laté deducta super hoc puncto dismembrationis alicuius loci à Ciuitate, ea quæ laté deducuntur per verbosissimum *Venturin. consil. 4.* insiste-
2 bant in omnimoda dismembratione huius Castri à territorio, seù districtu Ciuitatis, dum illud per Principem alteri concessum fuit, ex eo, quod dandi non essent eiusdem rei duo Domini in solidum; In idem quoque cumulando, ea quæ habentur in plerisque Rotæ decisionibus per eos allegatis, nempè in *Sancti Angeli Lombardorum, & in Montis Cassinen. & in Asloricen. iurisdictionis*, de quibus frequentèr in sua Sede *sub tit. de iurisdict. disc. 1. cum pluribus seqq. & præsertim disc. 7. vbi de dicta Asloricen.*, & *disc. 18. vbi de dicta Cassinen.*, *seù Marsicana.*

Scribens itaque pro Ciuitate dicebam, prorsùs à casu quæstionis extraneas esse præfatas Rotæ decisiones, aliasque similes editas super controuersijs iuris-
3 dictionalibus inter Episcopos Diœcesanos, & Prælatos inferiores super iurisdictione Spirituali, & quasi Episcopali, & respectiuè, super territorio separato, vel

vel dismembrato, à Diœcesi, quoniam, vt in eisdem locis citatis aduertitur, & præsertim *disc. 1. & 3.*, longè diuersi sunt fines Spirituales à temporalibus, neque ab vnis, ad alios arguere licet, ob longè diuersam rationem: Ideóque omnia, quæ percuterent fines spirituales, ac territorium diœcesanum, vtpoté omninó extranea, superfluam euagationem, ac inutilem chartarum repletionem redolebant.

Benè tamen à simili conferre dicebam, ea, quæ præsertim *d. disc. 1. de iurisdict.*
4 ac etiam *in alys seqq.* habentur super probatione situationis huius Castri in districtu, seù territorio Ciuitatis, non solùm ob nimiam adiacentiam, sed etiam ob circumdationem, vndique ab eodem territorio, adeòvt non intrent illæ considerationes, quæ desuper cadere solent, quando locus esset in aliqua extremitate.

Et quidem antiqua, & connaturalis situatio in territorio erat incontrouertibilis, dum non solùm assistebat dicta præsumptio iuris, quæ resultat ab omnimoda circumdatione, vt supra, sed etiam clarius, ob prætensam dismembrationem desumptam à dicta concessione Leonis, quæ per necessè supponit præcedentem vnitatem cum illo corpore, à quo fiat dismembratio, ac etiam ob subsequutam praxim, & obseruantiam super reuersione iurisdictionis ad suam antiquam vnitatem, quod scilicèt, cessata per incursam caducitatem Baronali, vel domicellaria iurisdictione, ista, vtpotè in remissione caducitatis non compræhensa, reuersa fuit ad suum primæuum statum, in quo adhuc continuat.

Hinc proindè reseruatis tanquam superfluis, & inutilibus omnibus, quæ vt supra, cum magno allegationum cumulo deducebantur, aduertebam, quod causa restringebatur ad punctum, an per huiusmodi concessionem Leonis inducta esset omnimoda, & formalis dismembratio huius Castri ab aliquo Ciuitatis territorio, etiam ad effectum constituendi di-
5 uersam Communitatem pro exemptione collectarum, aliorumque onerum, iuxtà quæstionem de qua apud *Venturin. dicto consil.* 4., Ac etiam ad effectum exemptionis à statutis Ciuitatis, & non cum illis procedendum sit, vt apud *Hondod. consil.* 23. *lib.* 1. allegatum *ab eodem Venturino*, & in qua auctoritate pro consueta inepti a, magnū constituebatur fundamentum, tanquam in auctoritate indiuiduali, ex eo, quod ageretur de consimili concessione facta per eundem Leonem X.

In hoc autem, vbi etiam res esset in eodem statu, in quo constituta fuit per dictum Leonis concessionem, adeòvt dicti Comites baronalem, seù domicellariam retinerent qualitatem, atque continuarent antiquam iurisdictionem; Adhuc tamen, cum sensu etiam veritatis, dicebam: hunc effectum non resultare dismembrationis omnimodæ à territorio, etiam prò collectis, & oneribus, vel è conuerso pró fauoribus, & priuilegijs Ciuitatis, ipsorum districtualium, seù Comitatensium, quoniam huiusmodi concessiones in feudum, vel in Baroniam cum mero, & mixto imperio, & iurisdi-
6 ctione important solùm dismembrationem gubernij iurisdictionalis, siué ipsius iurisdictionis, & territorij considerati, tanquam ius terrendi, non autem territorij ciuici ad alios effectus, tam fauorabiles, & vtiles, quám præiudiciales, & onerosos, iuxtá ea, quæ in terminis indiuidualibus alicuius Castri, seù Villæ, aut pagi, & apud Regnicolas pro illo vsu loquendi alicuius casalis Ciuitatis habentur, *apud Franch. decis.* 316. *num.* 4. & 5. *Rouit. decis.* 11. *num.* 12. *Sanfelic. decis.* 327. *Galles. lib.* 2. *controuer.* 20. *num.* 34. *Prat. obseruat.* 28. *De Luc. ad Franch. dicta decis.* 316.

Fortiùs verò in hac facti specie, in qua etiam iurisdictio ad suam antiquam redijt vnitatem, adeòvt huiusmodi Comites reuera, & de facto, spectata substantia veritatis, domicellariam, seù baronalem qualitatem, seù prærogatiuam
7 amiserint, eorumque dominium non ampliùs publicum, vt antea cum Ciuibus, & Incolis loci ad fidelitatem erga eos obligatis adesse dicatur, sed solùm priuatum prædiornm, & bonorum decoratum titulo comitatus abusiuo, & honorifico.

Adeòvt probabiliùs dicendum veniat, quod quando Castra, vel bona, in vera qualitate baronali, vel domicellaria non habeant iurisdictionem, possessores dicendi non sint comprænhensi in Bulla Baronum,

num, non obstante titulo, & possessione, cum vis consistat in iurisdictione ex pluriès insinuatis in sua Sede *sub tit. de feudis*.

Prout etiam, quod huiusmodi prædia, & bona, dicenda non veniant comprehensa sub Bulla Piana de non infeudando, vt praxis docuit sub Vrbano Octauo, ob incorporationem, dum facta est, de bonis, eorumque priuata vtilitate, iuxtà ponderationes, de quibus *disc.61. de feud & in alijs.*

Et de consequenti, neque cadant sub Constitutionibus Sixti Quinti, & Clementis Octaui, aliorumque successorum super prohibita alienatione iurisdictionalium, de qua *eodem tit. disc. 66. & alibi*.

Ponderabam quoque, quod, vbi de facto istud Castrum esset inhabitatum, adeóvt adesset populus, tum ad duo reflectendum veniret, ex quibus principalitèr huius controuersiæ decisio pende-

8 ret; Primò nempè, an isti Incolæ, seù Vicani gauderent, nec ne priuilegijs, & fauoribus Ciuitatis, iuxtà ea, quæ in hoc proposito fauorum, & priuilegiorum competentium Vicanis, seù Comitatensibus, habentur plenè collecta apud *Pratum dicta obseruatione* 28.*& alios supra allegatos*, ac etiam aduertitur in sua Sede ciuilitatis *sub tit. de præeminen.*, cum tali casu ex regula *secundum naturam, &c.* eadem Ciuica qualitas diuidi non posfit, quoad onera, vt apud supra allegatos.

Et Secundò, an iste locus constitueret formalem Communitatem, cum proprijs administratoribus, & cum separato Æstimo, seù Catastro, adeóvt supportaret more aliarum Communitatum er-

9 ga Principem, seù Rempublicam omnia onera publica ordinaria, & extraordinaria, ac etiam priuata communitatiua, quę exceptis Salarijs Medicorum, & Chyrurgorum, & expensis horologij, alijsque similibus, non magnæ considerationis, sub publicorum extraordinariorum gene. re potiùs cadere videntur, Quoniam vbi id verificaretur, tunc intrare posset ratio prohibens duplex grauamen, ac eorumdem onerum multiplicationem, rectéque inferri posset ad prætensam dismembrationem; secùs autem è conuerso, dum ita esset facere istos incolas Acephalos, & exemptos ab oneribus publicis.

DISC. CXCI.

Faurinen.

Suppressis nominibus.

De eadem materia confiscationis, de qua *disc.160. & ibi*; An scilicèt, per delinquentem in Fisci præiudicium, bona donari, vel aliàs alienari possint; Et an donatarius, vel alter possessor bonorum, siuè delinquentis creditores, alijque interessati admittendi veniant ad excusationem, vel defensionem Inquisiti absentis, & contumacis; Et quid cessante interesse.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguntur inspectiones.*
3 *Creditor non admittitur ad defensionem contumacis, cum sua, nil intersit, quia etiam si sit reus, Fiscus tenentur ad debita.*
4 *De Fisco harede anomalo, & in quo differat à verò harede.*
5 *Sed quod creditor admittatur, quando sua intersit.*
6 *De confiscatione ex causa criminis lesæ maiestatis.*
7 *In casu istius delicti feuda veniunt potiùs iure deuolutionis, quam confiscationis.*
8 *De differentia inter confiscationem, & deuolutionem.*
9 *In casu deuolutionis, Fiscus non tenetur ad debita sine assensu.*
10 *Et quomodo teneatur ad illa cum assensu.*
11 *De alia differentia ad effectus Bullæ B. Pij V. de non infeudando, &c.*
12 *De eodem de quo, num.5. prò admissione creditorum.*
13 *De regula, vt contumax non audiatur, nisi per se ipsum, & de legibus particularibus in hoc.*

14 De

14 *De donatione facta post delictum, an & quando valeat, & praeiudicet Fisco.*
15 *An sub confiscatione veniant feudalia, & emphyteutica, remissiuè.*
16 *Quando, & quomodo possit coniunctus, vel tertius comparere prò contumace, illumque defendere, vel excusare.*

DISC. CXCI.



N eodem casu, de quo agitur *disc.130. de feud.*, suppressis pariter nominibus personæ, & loci, consultus fui semper puncto, an idem ibi præsup-
1 positus Caius filius, cui Titius pater feudum, & quædam alia bona assignauerat in causam æris alieni, de quo ibi, & cum alijs oneribus, de tempore, quo á patria profugus in aliena ditione viuebat, suspicans iam detectam inquisitionem, pro quibusdam criminibus capitalibus, etiam illo læsæ Maiestatis, pro patre contumace defensionem suscipere posset, eiusque innocentiam, cum testibus, & scripturis iustificare, vt ita contumacialem impediret sententiam capitalem, cum publicatione bonorum, quam etiam attenta dispositione iuris communis intrare, in transmissa notula supponebatur, quod dictum suppostuit crimen.

Respondi itaque, tres efformando inspectiones; Vnam nempè, considerando
2 ipsum filium, tanquam creditorem patris, vel assignatarium bonorum ex causa onerosa, & correspectiua; Alteram considerando eundem, tanquam donatarium in ea parte in qua bona excederent onus; Et tertiam eundem considerando tanquam filium, qui patris innocentiam alleget, eiusque personam excusare velit, ac impedire, ne condemnetur.

Quoad primam inspectionem, sub ea dixi non cadere quæstionem, de qua propriè agunt Doctores, de quibus infrà, super excusatione, vel defensione personæ absentis contumacis; Ideòque
3 in præsenti agi de facultate verificandi credita, quatenùs per Fiscum prætenderentur, minùs vera siuè minùs legitima, ita præuentiuè occurrendo propriæ indemnitati, ad quem effectum extranea est defensio personæ á crimine, quoniam posita veritate debitorum, tam de iure, quam de facto, ideſt, quod sint vera, & legitima, seù non impugnabilia ab eodem debitore, vel ab eius hærede vero, siuè anomalo, qualis est Fiscus, nil refert, an debitor de aliquo crimine inquisitus declaretur reus, & condemnetur ad publicationem bonorum, dum Fiscus tanquam hæres anomalus, renetur ad omnia debita, & onera, eodem modo quo hæres verus, iuxtà firmata supra
4 *disc. 123. num. 5.*, Vbi habetur, quod Fiscus est potiùs deterioris conditionis, quam sit hæres verùs, quamuis extraneus circa transmissionem fideicommissorum aliorumque iurium delatorum non agnitorum, istaque iustificatio nullatenus negari posset.

Vno autem casu, aduertebam, quod idem filius, tanquam creditor, ac etiam alij creditores, & interessati, non quidem pro excusatione, vel defensione per-
5 sonæ delinquentis, sed pro interesse, vel indemnitate propriè, & iuridicè possent assumere defensorem debitoris absentis, & contumacis, eiusque innocentiam iustificare, seù aliàs qualitatem excusantem á grauiori pœna ordinaria deducere, & probare; Quando scilicèt, in casu condemnationis creditores non possent aducrsùs Fiscum agere, quatenùs non possideant, vel excipere quatenùs possideant; Puta in feudo, super quo totus fortè quæstionis effectus circumferri videbatur.

Siquidem stante præsupposito in notula transmissa contento, quod pro criminibus, pro quibus transmissa fuerat inquisitio, intrare posset bonorum publicatio de iure communi, quod idem est,
6 ac dicere, quod ageretur de crimine læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ, pro quo solùm de iure communi intrat ista pœna ex relatis *supra dicto disc.161.*

Hine proindè hoc posito, cum id in feudatario, vbi præsertim agatur de læsa Maiestate humana, importet felloniam,
7 stante quod idem Princeps, vel Dominus directus feudi, ita crimen redoleret speciem mortis, atque intraret deuolutio, etiam in præiudicium successorum; Et per consequens, idem feudum non caderet sub confiscatione ad commodum Fisci pœnalis, sed potiùs ex deuolutione, & iure consolidationis pertineret ad Cameram Domini directi, quæ sub Fisci vocabulo quoque explicari solet, quãdo

do ipse sit Princeps supremus.

Magna veró est differentia intra vnam, & alteram Fisci speciem; Tum ob diuersitatem bursarum, ad quarum respectiuè commodum bona cedant, dum
8 etiam sub eodem Principe diuersæ solent esse consiscationum, & pœnarum bursæ ex deductis, supra *eodem dist.* 161.; Quinimó, vbi etiam non adsit hæc distinctio, ratione diuersitatis prouinciarum, vel Ciuitatum, seù principatuum, adhuc ista differentia solet esse considerabilis pro iure, vel interesse tertij; Puta quia emolumenta confiscationum, & pœnarum concedantur in appaltum, vt in specie habetur, supra *disc.* 124. aut in officium venale; Vndè, propter eá, quando feudum, vel Castrum non deuolueretur, sed quod pro delicto priuato indifferenti caderet sub confiscatione, tunc ad istam bursam spectaret, non autem si vnicæ deuolutionis.

Tum etiam, quia in casu confiscationis, Fiscus illud obtineret tanquam hæres obligatus ad debita, vt supra, eodem modo, quo successor feudi habens
9 qualitatem hæreditariam, secùs autem in casu deuolutionis, dum tunc ex regula, *textus in l. lex vectigali, ff. de pignor.*, vt resoluto iure datoris, resoluatur ius acceptoris, feudum redit liberum ad Dominum, qui ad alia onera, & debita non tenetur, nisi ad illa, quæ imposita sint cum eius assensu, dum hic sit liber, & purus, secùs autem si qualificatus à clausula *sine præiudicio*, vel alia equipollenti, vt aduertitur *disc.* 1. *de feudis & alibi*, Atque docet frequens, & quotidiana praxis feudorum Regni Neapolitani, in quibus etiam inoleuit stylus, à Fiscali-
10 bus introductus, quod in casu deuolutionis; neque admittuntur creditores super feudo, quamuis assensu libero, & puro muniti sint, nisi facta excussione patrimonij allodialis, quod ibi burgensaticum dicitur, vt insinuatur *disc.* 30. *de credito, & alibi*.

Et de ista differentia inter pertinentiam Castri ad Fiscum iure confiscationis
11 pro crimine priuato, & indifferenti, vel é conuerso, iure deuolutionis ex capite lineæ finitæ, vel criminis feudalis habetur, *apud Spadam consil.* 16. *lib.* 1., vbi de hoc agit, ad effectum compræhensionis sub Bulla de non infeudando, quamuis ad hunc effectum, distinctio non intret, eiusque opinionem videatur tuta, vt aduertitur *disc.* 128. *de feud.*

Et per consequens (applicando ad rem), cum creditoribus isto casu fello-
12 niæ consultum non remaneat, rectè ipsi reorum indemnitati comparere possunt, exaudiri debent ad excusandum, & tuendum eorum debitorem, quamuis absentem, & contumacem, ex ea ratione, quod id agere non dicuntur in gratiam ipsius delinquentis, vt ipsum excusent, & defendunt, & principaliter pro eorum interesse, & in eorum gratiam, ità proprium gerendo negotium, vt impediatur deuolutio illorum feudorum, ac bonorum differentium, ex quorum pretio, vel saltem commoditate, durante vita naturali debitoris, possent satisfieri, Vt cæteris relatis habetur, *apud Farinac. quæst.* 99. *num.* 154. *cum seqq. Ciriac. controu.* 492. *num.* 21. *&* 22. *vbi concordantes.*

Et quatenùs Fiscus criminalis replicaret, quod id esset per indirectum face-
13 ré defensiones contumacis non audiendi extra Carceres, potissimé verò, vbi vltra ea, quæ desuper de iure communi disposita sint, adsit etiam statutum, vel lex particularis, quæ id disponat, vt in principatu, in quo erat quæstio, adesse supponebatur, prout pené generalitér præsertim in Italia verificari videtur.

Siquidem in statu Ecclesiastico, ita disponitur per Constitutionem 24. Iulij Secundi registratam quoque *in Constitutione Ægidiana lib.* 4. *cap.* 15. Et in Regno Neapolitano adest, ritus M. Curiæ Vicariæ, de quo *Campana obseruat. crimin.* 11. Et de Ducato Mantuano agit *Ciriac. contrauers.* 488. & sic similiter alij de alijs principatibus; Attamen rectè creditores, alijque interessati onerosam causam veram, & non fraudulentam fruentes, allegare poterunt regulam desumptam ex vulgari *textu in l. altius Cod. de seruit. & aqua*, quod scilicèt, ille, qui alleget, vel exercet ius suum, vt sibi prosit, curare non debet consequtiuum præiudicium, quod alteri resultet; Ideòque Fiscalibus tali casu replicari potest, quod si credunt, id eis preiudicare in toto processu, & causa principali, habent remedium promptum, declarandi, scilicèt, non vti condemnatione in ipsorum creditorum, vel interessatorum præiudicium.

Quo

Quo verò ad secundam inspectionem, quod scilicèt filius idem gereret tanquā donatarius, in ea bonorum parte, quæ debita, & onera excederet; Dicebam, quod quando ageretur de priuatis, ac indifferentibus criminibus, pro quibus nō ipso iure, sed ex Iudicis condemnatione, bonorum publicationi locus esset, tunc intraret idem, quod in præcedenti inspectione, quod scilicèt fiscus oppositori obijcere posset sua non interesse, an inquisitus declararetur innocens, vel reus,
14 dum etiam in casu, in quo reus declararetur, adhuc tamen non probata per fiscum fraude, quæ in dubio non præsumitur, sed per allegantem est probanda, donatio valida est, potissimè ante citationem, seù transmissam inhibitionem, *ad tex. literalem in l. post contractum ff. de donat. vbi Bart. & alij*, de quibus apud *Peregrin. de iur. fisci lib. 5. tit. 1. num. 178. & seq. & lib. 6. art. 6. num. 12. Guttier. lib. 2. Canon. quæst. c. 5. num. 53. & seqq. Castrill. tom. 8. cap. 57. num. 15. & seqq. Vermigliol. cons. 8. Rouit. pragm. 1. de bon. prodit. num. 1. & seqq. & decis. 91. num. 31. & seqq. & alij*.

Verùm quia supponebatur, quod vt suprà ageretur de crimine, pro quo intraret bonorum publicatio ipso iure ex legis communis dispositione; Hinc proindè cum tali casu donatio, vel alia alienatio non obstet fisco, vtpotè ius acquirenti ab initio patrati delicti, iuxtá distinctionem, de qua apud eosdem mox allegatos; Idcircò adamussim aduertebā intrare eadem, quæ in præcedenti inspectione dicta sunt, vt donatarius pro eius iure potiùs, quàm pro defensione contumacis audiri debeat; licèt creditoribus alijsque onerosam, & correspectiuam causam fouentibus, quædam maior assistat æquitas, quàm fouenti causam lucratiuam, quæ inter patrem, & filium, aliosque à recta sanguinis coniunctione attinentes, aliquam præseferre videtur fraudis suspicionem, quæ tamen sola non sufficit, nisi alijs munita sit adminiculis, ex ea congrua ratione, quod debitor, vel respectiuè donator non potest cum eius contumacia præiudicare creditori, vel donatario, cui expresèsè, & directè præiudicare non posset.

Hisq; sic stantibus, nō videbatur opus assumere quæstionem, super qua, respectu
15 bonorum feudalium, & emphytheuticorū plura cumulantur per *Cyriac. contr. 491 num. 8. Rouit. d. prag. 1. de bon. proditor. num. 14. & seqq. Rota decis. 261. par. 10. recent.* an veniat sub confiscatione saltèm commoditas durante iure, seù vita delinquentis, cùm ita ob criminis qualitatem, feudum iure deuolutionis potiùs, quàm confiscationis ad Principem dominum directum rediret.

Demùm quoad tertiam inspectionem, considerando scilicèt ipsum filium tan-
16 quam defensorem patris, dicebam, quod multa cumulantur in materia per *Farin. d. quæst. 99.* & per Scribentes apud eum *cons. 35. num. 3. & seq.* ibique latiùs *add. litt. E.* vbi de Patre: *Cyriac. contr. 488. Conciol. tom. crim. verb. legitima resol. 2. Io: Maria Campana Neapolitanus resol. crim. 11. num. 1. & seqq.* & pleniùs *Carolus Orilia in hac Romana Curia Aduocatus adhuc viuens in obseru. ad eandem. resol. 11. num. 1. & seqq.* apud quos habetur, quod iudices debent generalitèr, aliquo petente, recipere saltèm in forma extraiudiciali scripturas, & testes, qui in promptu adducerentur per tertium, tanquam instructorem, & defensorem innocentiæ, quoniam aliud est proponere exceptiones ex parte ipsius inquisiti, & aliud est audire instructorem super innocentia absentis, & ne ex ratione contumaciæ cum malis probationibus contentis in processu informatiuo, ad iniustā procedat condemnationem.

Atque si id procedit in quolibet tertio comparente, planiùs, multóque magis dicendum est, vbi compareat pater pro filio, vel filius pro patre, & vxor pro marito, vel é contrà, dominus pro seruo, & similes; Quamuis in hoc, in casibus, super quibus, suppressis nominibus personarum, & locorum, consilium petebatur, istud non de facili maturum dari potuerit, cùm magnam desupèr partem habeāt locorum, & Tribunalium styli.



DISC. CXCII.

Forosempronien Appaltus.

PRO

Appaltatoribus.

CVM

Aliquibus Priuatis.

Casus resolutus per Congregationem boni Regiminis pro Appaltatoribus.

De obligatione, quam habeat Appaltator iuris priuatiui vendendi victualia minutatim, emendi eadem victualia á possessoribus prædiorum illa producentium, quomodo, & quando procedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Capitula appaltus habent vim legis.*
3 *Declaratur quomodo id intelligendum sit.*
4 *De prouisionibus super annona, & grascia.*
5 *Quomodo istæ prouisiones intelligi debeant.*
6 *In quibus ius ciuicum non procedat.*
7 *An exemptiones, & priuilegia suffragentur Colonis.*
8 *De eodem, & quando conductor potiatur priuilegio locatoris.*
9 *De eisdem prouisionibus, de quibus num. 4.*
10 *Monitum in iudicando, & consulendo.*

DISC. CXCII.



1 BTINENTE Communitate Ciuitatis Forisempronij ius priuariuum vẽdendi dietim oleum minutatim, taleque ius concedente in appaltum, eodem modo, quo de furnis pro pane venali, ac similibus practicari solet, iuxtà casus, de quibus suprá *hoc tit. disc. 61. & disc. 46. de locat.* & alibi. Inter alia capitula appaltus, vel onera est illud, vt appaltatores teneantur emere oleum, quod ciues in eorum prædijs colligant, eius iuncta lege, vt ad diem Cinerum, teneantur eisdem appaltatoribus denunciare quantitatem, quæ detracto vsu proprio, venditioni destinata esset; Cùm autem aliqui ex dictis ciuibus aliquam notabilem cumulassent quantitatem olei, partim in pluribus annis in eorum prædijs recollecti, partim veró ex aliquorũ exterorum prædijs conductis, ac etiam ex responsionibus cuiusdam molendini pariter conducti, pretenderet autem quod appaltatores in vim capitulorum emere tenerentur; Hinc introducta causa in Congregatione boni Regiminis, ob assistentiam, quam Communitas per eius interesse præstabat appaltatoribus, istorum fauore prodijt resolutio, nempè non teneri emere, atque mihi pro eis scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, iusta, benèque fundata visa est resolutio.

Non negabam etenim veritatem conclusionis in præcedentibus pluriés insinuatæ, quod scilicét capitula appaltuum pro lege seruanda sunt, & in qua conclusione totum erat fundamentum scri-
2 bentium pro illis particularibus, qui pretendebant cogere appaltatores ad emptionem, reliquum etenim continebat solitam, ac inutilem chartarum repletionem cum regulis generalibus, quæ licèt notoriæ, & incontrouertibiles, ac etiam extrà causæ opportunitatem cum magno allegationum cumulo exornari solent.

Dicebam tamen, quod ista alioquin vera conclusio intelligi, & practicari non debet in solo sensu litterali, ac indefinité
3 in omni casu, sed cum illa propositione, quæ licèt frequentér deducta, & inculcata fortè in omni casu repeti meretur, vt scilicèt non cortex, & formula verborum attendi debeat, sed substantia veritatis, vel finis, & effectus, ad quem actus, vel dispositio dirigatur.

Iste siquidém appaltus cum iure priuatiuo illum respicit finem, vel effectum, ob quem annona frumentaria, aliæque
4 prouisiones prudentér in Ciuitatibus, & locis introductæ fuerunt, & de quibus suprà *hoc eod. tit. disc. 44. & 45. 125. & 134.* vt scilicèt ita occurratur monopolijs, ac darda-

dardanariorum oppreſſionibus, & ſuffocationibus, quibus in victualibus pauperes ſubiacent, qui earum colligunt in propriis prædijs, minùſque valent prouiſiones debito tempore facere.

Sed quoniam è conuersó iuſtum eſt, vt illi ciues, qui oleum in eorum prædijs colligunt, è conuerſo non ſubiaceant illis ſuffocationibus appaltatoris, quæ ex iure priuatiuo reſultare ſolent ob prohibitionem vendendi; idcircó prudentèr ſtatutum eſt, vt appaltator teneatur emere á ciuibus illud oleum, quod ipſi dicto tẽpore determinato denunciarent collegiſſe in eorum bonis, atque vltrá proprium vſum, deſtinatum eſſe venditioni.

Ex his autem de conſequenti reſultare dicebam, iſtud ius coactiuum non competere pro oleo confatō ex plurium annorum recollectis, præſertim verò ex molendino, alijſque exterorum bonis cō-
5 ductis; Primò nempè reſpectu olei pronenientis ex molendinis, quia vt illud nullatenùs aptum eſſet dicto vſui, vel fini, cùm inter appaltus capitula, illud præſertim legeretur, vt oleum eſſe deberet lucidum, ac bonæ, & perfectæ qualitatis, vtpoté victui principali deſtinatum, & conſequentèr id non erat veriſimile in hac ſpecie olei confati ex mixtura plurium diuerſarum ſpecierum in ea modica ſumma, quæ pro molitura ſolui ſolet.

Secundò reſpectu olei recollecti ex prædijs exterorum, quoniam iſti per capitula appaltus cōtemplati non fuerũt, ideóque ſtatuta fauore ciuium attendi
6 non debent in ijs, quæ ijdem ciues ex cauſa negotiationis cum exteris agunt, ex deductis in propoſito iuris paſcendi, cōpetentis iure ciuico, habentur *diſc. 40. de ſeruit.*

Quinimó vbi etiam ageretur de prædijs conductis ab alijs ciuibus, ſcribendo more Aduocati, dicebam idem pro-
7 cedere debere ex regula, de qua ſuprà *diſc. 53.* & alibi, vt ſcilicèt priuilegia exemptionis non ſuffragentur pro induſtrijs, & negotiationibus, neque extendantur ad colonos.

Verùm reflectendo ad veritatem de hac diſtinctione dubitabam ex eadem ratione ſpectandi finem, vel effectum, ac ſubſtantiam veritatis, quoniam ex tenore capitulorum appaltus, liquet, finem

huius introductionis fuiſſe, prouidere ciuibus indigentibus dietim hac ſpecie victualis, tam circa taxam iuſti pretij, & indeficientiam, ſeù congruam prouiſionem, iuxtà frequentiorem praxim annonæ frumentariæ, vt ſuprà, quam etiam circa eiuſdem victualis qualitatem, vt ſcilicèt ſit de illo, quod colligitur in prædijs ipſius Ciuitatis, quod ſupponitur melioris conditionis, quam ſit illud adiacentium locorum in planitie, vulgó *di ſotto*, dum in vno ex capitulis diſponitur, vt appaltator ab his ciuibus teneatur emere ad rationem vnius groſſi pluri pro qualibet amphora vulgó *ſiolo*, quàm communitèr vendatur aliud oleum *di ſotto*, ita prudentèr conſulendo quoque ciuibus habentibus prædia in ipſius Ciuitatis territorio, vt eorum culturæ, & ampliationi vacare poſſint; Et per conſequens nil refert ſpectato fine, vel effectu, an per vnum, vel alterum ex ciuibus iure dominico, vel iure colonico fructus colligatur, quoniam ſicuti appaltator teneretur emere oleum à locatore, ſi non locaſſet, ſiue ipſe coluiſſet proprium prędium, ita quoque á conductore, qui in hoc propoſito cenſendus venit locatoris colonus, & miniſter; Neque vrget congrua ratio diſparitatis.

Ad quod conferunt ea, quæ habentur ſuprà *hoc eod. tit. diſc.* 155. & alibi, quod
8 ſcilicèt Eccleſia, vel perſona Eccleſiaſtica pro eius prædijs, & bonis, quæ ſua manu colit, ſi aliqua potiatur immunitate, vel exemptione, eadem gaudere debet conductor, præſertim, vbi ſit etiam perſona eccleſiaſtica, vel aliàs exempta, neque iſto caſu intrant ea, quæ habentur de Clerico negotiatore.

Tertió demúm etiam reſpectu olei recollecti per ciues in proprijs prædijs, dicebam cum eodem ſenſu veritatis, id in-
9 telligi debere de oleo recenti cuiuslibet anni, non autem pro illo annorum præcedentium, dum obligatio emendi non eſt indefinita, ſed qualificata, in illo ſcilicèt oleo, quod dicto ſtatuto tempore denunciabitur, quaſi quod non denunciando, faciat quis ſe extraneum ab hoc priuilegio ponderando eandem rationē finis, vel effectus, ob quam hæc denunciatio frequentiùs in tritico demandari ſolet, vt ſcilicèt ita initio anni regulandi á complemēto recollectæ, fieri poſſet calculus

culus, vel perequatio tam ad effectum regulandi pretium metiendum à maiori, vel minori vbertate, & copia, quam etiā ad effectum, an quantitas in territorio recollecta sufficiat, nec ne, pro vsu populi minuti, ad hoc, vt in casu insufficientiæ ob illius anni sterilitatem fieri valeant opportunæ prouisiones abundæ, & in casu exuberantiæ ratione vbertatis, appaltator prouidere possit exitationi quantitatis exuberantis extrà locum.

Atque hinc edocemur idē, quod adeò frequentèr, sed semper opportunè inculcatur, vt in iudicando, & consulendo
10 punctus non sit in regulis, & propositionibus iuris in abstracto, minùsque in auctoritatum cumulo, & consarcinatione, sed principalitèr consistat in facto, alijsque circumstantijs spectata substantia, voluntatis, seù fine, vel effectu dispositionis, non autem formalitate verborum in sensu grammaticali.

DISC. CXCIII.

Mutineñ Legitimationis.

PRO

Maria Catarina Gherardina.

CVM

Io: Andrea, & alijs de Gherardinis.

Responsūm pro veritate in causa verteñ in Consilio Mutinæ.

De eadem materia de qua supra *disc.* 148. *&* 177. super potestate Principis tollendi ius tertij cum eius gratijs, & habilitationibus nobilium, ipsoque declarante, non habuisse animum præiudicandi tertio, quomodo hæc declaratio intelligenda veniat.

Et in specie de legitimatione illegitimorū, an attendatur, & operatiua sit extra territorium, & legitimantis iurisdictionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De operatione rei iudicatæ.*
3 *De præscriptione.*
4 *In specie, quod defectus legitimationis præscribatur per decennium.*
5 *De quæstione, an legitimatio operetur extra ditionem legitimantis, & de opinionum diuersitate.*
6 *De erroribus, & simplicitatibus scriptorum in materia.*
7 *De distinctionibus, cum quibus dicta quæstio veniat decidenda, vt primo deferri debeat legibus, & stylis locorum.*
8 *Quid in successione feudi, & emphyteusis.*
9 *De successione in fideicommissis.*
10 *Quid de successione in bonis liberis, & indifferentibus & quando vnica legitimatio sufficiat.*
11 *De ratione ob quam vnica legitimatio sufficere debeat.*
12 *De operatione statutorum extra territorium.*
13 *Considerantur inconuenientia, si vnica legitimatio non sufficeret.*
14 *De casu particulari.*
15 *De ratione ob quam Dominus mediatus non exerceat iurisdictionem in feudo maioris dignitatis.*
16 *Quid operetur declaratio Principis, quod per eius gratiam non intellexit præiudicare tertio.*
17 *De operatione rei iudicatæ, & præscriptionis, de quibus num. 2. & 3.*

DISC. CXCIII.



MORAM trahens in Ciuitate Neapolitana pro seruitio Ducis Mutinę eius Domini Io: Iacobus Gherardinus vxoratus, absente vxore, quam in patria reliquit,
1 ex muliere soluta filiam suscepit Mariam Catherinam, quam iam adultam propriæ domi educatam, & retentam, cum assertione, quod ipse esset iam senex destitutus non solum propria prole, sed etiam fratribus, & sororibus, vel nepotibus ex eis, obtinuit à quodam comite Imperiali habente ab Imperatore facultatem legitimandi, dictæ eius filiæ am-

plissi-

plissimam legitimationem:factoque postmodum casu eius mortis ab intestato, dicta filia obtinuit à Duce prædicto proprio Principe eius confirmationem, ac etiam per sententiam Consilij Murinæ sibi decerni patris successionem, quam spatio annorum circitèr viginti possedit; & quamuis remoti agnati dicti Io:Iacobi ad biennium circiter post dictam confirmationem moniti forsan de cautela, de qua apud *Thesaur. decis. 69.* obtinuerint ab eodem Duce declarationem, quod non intellexit iuribus alterius præiudicare, profitendo ad suppositionem facere hanc declarationem iuxta dispositionem iuris, Attamen ea tunc vsi non sunt, sed post diuturnū silentium á moderno Duce mediato successore obtinuerunt reuisionem dictæ sententiæ in eodem Consilio, ista reuisionis causa pendente, ex parte dictæ Mariæ Catherinæ reæ conuentæ requisitus.

Respondi, antequam assumerē inspectionem meritorum negotij principalis, quod pro eiusdem reæ conuentæ absolutoria, sufficiebant duo fundamenta ordinis; Primo nempè illud rei iudicatæ,
2 quæ firmat statum, atque facit ens de non ente, siuè de nigro album, vel è contra *ex relatis disc. 40. de iudic. in principio cum notis*; Et alterum præscriptionis dupliciter intrantis; Primó nempè iuxta terminos generales præscriptionis bonorum mobilium per triennium, & stabiliū per decennium inter præsentes, vt in ca-
3 su cum sententia prædicta habeat speciē tituli, *vt decis. 120. num. 9. par. 3. rec.* Et secundò ex terminis specialibus, vt per decenniū legitimatio præscribatur adeò vt post istud tempus aduersus illam obij-
4 ci non valeat, ex relatis per *Lap. de illegitim. comment. 2. §. 3. num. 55. vbi allegatur Dec. Surd. & aly.*

Ista motiua erant extra quæsitum á me insinuata ad effectum parandi maiores reæ conuentæ defensiones, quodque eius defensores præsentes, ita quoque colerent; non tamen super eis iudicium prò veritate efformaui, cum id sequi non valeat absque benè distincta facti, eiusque circumstantiarum notitia, potissimè verò quia refugium præscriptionis fragile, ac periculosum frequentiùs esse solet ob tot subdistinctiones, vel exclusiones aut refectiones ex relatis *disc. 21. de iudic.* quando solum, & de per se deducatur, benè tamen illud, ac alterum rei iudicatæ cōsideratione digna sunt coadiuuatiuè ad merita negotij principalis, vt infra.

Quatenus itaque pertinet ad dicta merita negotij principalis, super quibus requisitus fui; Duas efformabam inspectiones; Vnam nempè super efficacia, vel inefficacia legitimationis obtentæ à Commissario Imperiali, & an esset necessaria, nec nè confirmatio obtenta à proprio Principe; Et alteram, posito, quod ista confirmatio esset necessaria, itavt cōfirmātis, potiùs quam confirmati sit operatio, quid releuaret dicta declaratio postmodum ab eodem Principe facta; Inanis etenim labor esset agere de hoc secundó puncto si confirmatio non esset necessaria, adeòvt ea etiam seclusa, legitimatio esset operatiua, atque decisio veró istius puncti pendet à quæstione in qua nostri nimium se inuoluisse videntur, an scilicet legitimatio facta per eum, qui hanc habeat potestatem, suffragetur, atque operatiua sit extrà territorium, vel ditionem legitimantis, vel illius Principis ex cuius auctoritate, & priuilegio alter inferior, tanquam eius Vicarius, vel Cōmissarius hanc exerceat facultatem.

In hoc autem DD. de more in varias scinduntur sententias; Aliqui etenim generalitèr, ac indefinitè sequuntur affir-
5 matiuam, vt legitimatio facta per habentem potestatem, vtporè imprimens qualitatem in persona, quæ est indiuidua, vbique eundem operetur effectum, Alij è cōuerso generalitèr, & indefinitè sentiunt oppositum, vt non nisi intrà præcisos limites actualis, & immediatæ ditionis legitimantis; Alij distingunt, an agatur de legitimatione facta cum auctoritate immediata, vel mediata illius regis, vel princis, qui restrictam habeat potestatem ad proprium regnum, vel principatum, vel cum auctoritate illius, qui habeat potestatem, & iurisdictionem vniuersalem saltém habitualem in toto mūdo, quales exēplificantur in Papa pro illa potestate de qua agitur *disc. 2. in relatione Curiæ, & alibi*; & in Imperatore ratione antiqui dominij Imperij Romani, quasi, quod prior species non egrediatur propriam ditionem, secùs autem posterior; alij veró hanc secundam partem omninó negātes in illis Regibus, & Prin-

cipibus, qui de facto omnimodam libertatem, & independentiam præscripserint, & possideant, id solum admittunt in principatibus verè dependentibus, quia nēpè per possessores recognoscantur à Papa, vel Imperatore; aut ab alio iure feudi quamuis maioris, & veræ dignitatis cum regalibus etiam maioribus, adeóvt importent, seù redoleant principatum absolutum iuxtà illas species feudorum, quæ enunciantur in sua sede sub *tit. de feud. disc.* 1. *cum seqq. & disc.* 63. *& alibi*, quod tamen alij acritèr negant etiam isto casu; Et alij considerant qualitatem personæ legitimatæ, an sit sæcularis, vel Ecclesiastica, vt respectu personarum Ecclesiasticarum, attendenda non sit legitimatio Principis sæcularis, etiam in proprio principatu, vel ditione, quasi quod ita esset dare exercitium potestatis laicalis cum clericis, & personis Ecclesiasticis, & super quo magna dignoscitur discrepantia, quàm aliqui conciliare satagunt cum distinctionibus effectuum spiritualium, vel temporalium respectiuè; Et demùm alij cum eadem nimia discrepantia distingunt effectus, seù casus, de quibus infrà, & an legitimatio importare dicatur actum iurisdictionis contentiosæ, vel voluntariæ; vt posteriori casu operetur etiam extra territorium, secùs autem in priori, vt de his omnibus præsertim patet, alijs antiquioribus relatis, apud *Gionagnon. cons.* 16. *lib.* 2. *Lap. de illegitim. commentar.* 3. §. 3. & omnium latiùs *Bellon. iun. de iur. accresc. in tertiò opere posthumo cap.* 10. *quæst.* 4. & obitèr *disc.* 45. *de praeminent. & disc.* 54. *de testam.*

Atque in hoc vltimo præsertim admiranda videtur nimia patientia in adeó magna collectione adhibita, siuè commiseratione dignus censendus est ille le-
6 gistarum improbus labor, qui apud aliarum literarum professores, adeó cōtemptibilis, & damnabilis reputatur, quę iste alioquin doctus, & existimatione dignus auctor passus est; Prout multæ irrisione quidem dignę apud allegatos, & alios per eos relatos dignoscuntur leguleicæ simplicitates circa potestatem Imperatoris, ac respectiuè Papæ in temporalibus in toto mundo, præsertim veró illa, de qua apud *Gionagnon. dicta Consil.* 16. super iure Imperatoris in Vrbe, & statu Ecclesiastico ex concessione Constantini alijsque Imperialibus concessionibus.

Nolui autem hanc prouinciam assumere ex professo in singulis casibus, vel distinctionibus, examinando adeò varias opiniones, & quænam esset, tàm inspectis auctoritatibus, quàm rationibus probabilior, tàm genio, quàm alijs occupationibus, magis verò connaturali impatientia id prohibentibus, ac etiam verè commendabili stylo effugiendi inanes digressiones, quando qualitas causæ non exigat.

Incidentèr tamen priusquam ad examen casus præcisi descenderem, insinuabam, quod pro meo iudicio illa videbatur probabilis distinctio, vt in primis reflectendum esset ad leges, vel stylos particulares illius Regni, vel princi-
7 patus, quibus exstantibus, vt contingit in casu de quo *in dicta decis.* 69. *Thesauri*, eis deferri debeat.

Huiusmodi autem legibus, vel stylis deficientibus, reflectendum veniat ad distinctionem, seù qualitatem effectuum, & præiudiciorum respectiuè; Aut etenim agitur ad effectum habilitandi illegitimū ad successionem bonorum feudalium, vel emphyteoticorum, adeóvt hæc habilitatio non solum præiudicet legitimis agna-
8 tis, & alijs per legem inuestituræ vocatis cum præiudicio merè priuato, sed etiam præiudicet Domino directo contra cuius voluntatem implicitè, vel explicitè, & à lege subintellectam admittantur personæ incapaces, & abhorritæ, & tunc indistinctè intret opinio negatiua, vt legitimatio non sit operatiua, nisi in ijs ad quę extendatur potestas legitimantis copulatiuè in persona, & bonis, dum aliàs esset dare exercitium iurisdictionis cum non subdito, ac propterea etiam in proprio principatu, vel territorio, intrat defectus potestatis, ratione diuersitatis fori, puta, quia agatur de feudo, vel emphyteusi Ecclesiæ in cuius præiudicium potestas laicalis habilitare non possit inhabilem, dummodo tamen tale præiudicium personæ exemptæ adsit, quia nempè Ecclesiæ dominæ directæ intersit non admitti hoc genus personarum, per quod deuolutio nimis in longum protrahatur, siuè ex quorum alio respectu sibi præiudicetur, secus autem, vbi ipsa Ecclesia non existente in causa, nullumque reuera patiente

tiente præiudicium, vel habente interesse, fit sola quæstio pertinentiæ inter laicos, quoniam tunc licèt Curia Romana credat etiam isto casu, quod bona censeri debeant Ecclesiastica, ratione habitualis, & directi dominij Ecclesiæ, quamuis sola contentio sit inter laicos, ex ijs, quæ ad effectum Aegidianæ, aliosque similes effectus habentur *disc.37. de iudic. & alibi*; Attamen ista opinio videtur Curiæ singularis, alibi non recepta, *vt eodem disc.37.* aduertitur.

Istoque casu probabilior, magisque recepta in praxi circa punctum territorij etiam inter laicos est opinio, quæ negat operationem legitimationis concessæ per Dominum directum, seù mediatum, quoties agatur de dicta specie feudi maioris, & dignitatis cum omnibus regalibus, redolente verum, & absolutum principatum, cum in hac specie feudorum, dominus, ijs exceptis, quæ ius feudi, & alti dominij respiciunt, omnem aliam iurisdictionem à se abdicasse videatur, illamque in feudatarium transtulisse, nisi contraria consuetudo aliás declaret, secus autem, vbi agatur de feudatarijs, vel domicellis inferioribus, & subordinatis sub Baronum potius, quam Principum genere venientibus, iuraque regalia regularitèr non habentibus.

Aut verò agitur de illis bonis differẽtibus in quibus ex priuato iudicio priuatum interesse, vel præiudicium adsit eorum, qui ex eodem iudicio vocati sint,
9 vt contingit in bonis subiectis fideicommisso ex priuata dispositione ordinato ad quod solum legitimi vocati sint; Et tunc, aut ipsius fideicommittentis ordinatio, seù voluntas legitimationi assistit, talique casu verius videatur, vt quoties præsertim agatur de legitimatione obtenta reintegra per illegitimi patrem fideicommissi possessorem, ad effectum, vt ad eius posteros magis, quam ad alios remotos transuersales, vel extraneos substitutos bona transeant, adeòvt vtraque voluntas grauantis, & grauati assistat, dicendum veniat idem, quod in casu sequenti dicitur in bonis liberis, & indifferentibus; Aut voluntas fideicommittentis resistit, vel non assistit, & tunc procedat idem, quod in casu præcedenti, quamuis non vtraque ratio, sed vna earum assistat simplicis nempè, non autem duplici præiudicij, quoniam ità esset quoque exercere iurisdictionem contentiosam cum non subditis, atque istis ius tollere si non in re, & de præsenti, saltèm in spe trahente causam de præterito, in qua radices iam habeat natas, & fixas; Multo magis, & absque dubio post ius quæsitum, quo casu etiam in eo, qui legitimet ex auctoritate proprij Principis intret ratio potestatis ex ijs, quæ habentur supra *disc.148.* & in casu de quo *disc. 68. de fideicommiss.*

Aut demùm agitur de bonis indifferentibus liberæ dispositionis, & tunc si legitimatio non est obtenta per ipsum
10 patrem, vel de eius mandato, sed eo inscio, vel inuito, seù defuncto, planum est legitimationem non suffragari, quamuis obtentam à proprio Principe, vel domino, nisi constet de eiusdem legitimantis certa voluntate, in dubio non præsumenda, habilitandi vsque ab initio cum retrotractione, quodque accedat eiusdem legitimantis potestas tollendi ius tertij, iuxtà ea, quæ habentur suprà *d. disc.148. & 177.* quod verificabile non est in huiusmodi legitimationibus mediatis, quæ per inferiores ex priuilegio supremi conceduntur, vt ita distinguendo, aduertitur *d. disc.68. de fideicom. & alibi.*

Sed si legitimatio obtineatur ab ipso patre, vel de eiusdem voluntate, seù preordinatione libera, & simplici, per quam ipse se constituit in necessitate agnoscendi illum legitimatum in suum, adeòvt decedendo testatus, teneatur illum saltèm in legitima instituere, & decedendo testatus illum habeat legitimum hæredem, & successorem, iuxtà receptam distinctionem inter legitimationem simplicem, & puram, & alteram qualificatam à clausula sine præiudicio venientium ab intestato, de qua apud *Gregor. & add. decis.135. & 201. decis.200. par. 7. recent. decis. 35. par. 8.* & frequentèr aduertitur in plerisque locis.

Et tunc quidquid in scholastico, merèque leguleico rigore irrationabili teneant *Bellou. d. quæst.4. num.140. & seqq. & alij ibid. relat.* omninò probabilior videtur altera opinio relata *per eundem num. 127. & seqq.* benè substentata per *Giouagn. d. cons.16.* in Curia per Rotam, aliaque Tribunalia recepta etiam in fideicommissarijs successionibus, quando fidei-

fideicommittentis assistat voluntas, vt supra, ex relatis *d. disc. 68. de fideic. & alibi pluries*, vt vnica legitimatio facta per habentem potestatem, abluat maculam, & qualificet personam indiuiduam vbique, nisi repugnet lex loci, quæ expressè contrarium disponat.

Idque non solùm ex ratione assignari solita, quod sit actus voluntariæ iurisdi-
11 ctionis, quæ prorogari potest cum ista sola ratione attenta, non improbabiles essent considerationes tenentium contrarium, vt non possit subditus in præiudicium proprij Iudicis, seù Superioris alienæ potestati, & iurisdictioni se subijcere, sed ex altera, quod ita in bonis liberis legitimantis, qui poterat illa dissipare, atque, vt nostri dicunt, proijcere in mare, seù relinquere extraneis, quinimò relinquere ipsimet illegitimo, quamuis non legitimato, quotiès, vt in hac facti specie nullus obstet defectus potestatis, quia nempè non adsint filij legitimi, & non agatur de illegitimo suscepto ex dãnato, & punibli coitu, legitimatus bona obtinere dicitur ex voluntate ipsius patris, quæ est vnica, & indiuidua, vbique operatiua, potiùs, quàm ex potestate, & iurisdictione legitimantis.

Ad instar eorum, quæ habemus in materia statutorum exigentium copula-
12 tiuam subiectionem personarum, & bonorum, adeóvt non operentur in bonis extrà territorium, ex pluriès relatis in sua sede *sub tit. de success. & alibi*, & secùs vbi statuti operatio fomentum recipiat à voluntate disponentis, vbique operatiua, etiam in bonis extrà territorium, ex deductis apud *Merlin. decis. 447. repetit. decis. 355. par. 5. recent.* & sæpiùs aduertitur *eod. tit. de success.* & presertim *disc. 9. & disc. 109. de iurisd.*

Alia quoque ratione accedente impracticabilitatis, & absurdi, quoniam stante hodierna diuisione mundi in tot principatus, & dominia, si quis haberet eius patrimonium sparsum in plerisque
13 dominijs, & territorijs, vt præsertim docet praxis Italiæ in Ianuensibus, Florentinis, Lucensibus, Bergomensibus, & Comensibus, & alijs similibus industribus nationibus, cuperet autem habere successorem eius filium illegitimum per legitimationem habilitatum, vel etiam extraneum iure adoptionis, cogeretur obtinere multas, & multas legitimationes, vel facere multas adoptiones, quot sint dominia, vel territoria, in quibus bona sita sint, idemque in casu successionis fideicommissariæ ob assistentiam voluntatis fideicommittentis, quod vtique absurdum, & irrationabile, penèque impracticabile cẽsendum est communi vsui quoque contrarium.

His itaque obitèr prænotatis; Atque descendendo ad speciem, seù applicationem; Certè videbatur voluntas patris liberè, ac pleno iure hanc filiam legitiman-
14 di, vt illam tanquam legitimam haberet in vnicam succeditricem, non solum, quia curauit obtinere legitimationem puram, & liberam, ac in forma amplissima, sed clariùs ob rationem ab ipso expressè assignatam in eius impetratione, quod scilicet esset iam senex, ac destitutus non solum legitima prole propria, sed etiam proximis attinentibus transuersalilibus, quales reputantur fratres, & sorores, ac nepotes ex eis, nullusque obstabat defectus potestatis, cum dici non posset filia suscepta ex coitu damnato, & punibili, vtpotè ex muliere soluta, non obstante, quod ipse esset vxoratus, eum de consuetudine adulterium in viro non sit punibile.

Et per consequens confirmatio obtenta à proprio Principe, non erat necessaria sed fuit ad exorbitantem cautelam, & ad bene esse.

Potissimè verò, & fortiùs, dum legitimatio sequuta fuerat auctoritate Imperatoris Domini directi, quám vna òpinio credit sufficere etiam in casibus, in quibus necessaria sit iurisdictio, & pote-
15 stas contentiosa, quoniam licèt, vt supra contraria opinio probabilior videatur, magisque recepta, vt potestas Domini mediati non sufficiat, attamen id est in quæstione cum varietate opinionũ; ideòque minus exorbitans, maiorque dubitandi ratio videtur illa iniuriæ, & præiudicij ipsius domini immediati, quando iste, eiusque nomine vicemagistratus, & officiales contradicant; secùs autem, vbi assentiatur, cum volenti, & assentienti non fiat iniuria, vt in specie in hoc eodem principatu, aduertitur *dicto disc. 54. de testam.* Ideoque dicta confirmatio non legitimationis ex integro, sed prædicti consensus, & approbationis speciem

ciem potiùs habere dicitur.

15 Hinc de consequenti resultare dicebā resolutionem alterius inspectionis circa declarationem ab eodem Principe factam non præiudicandi tertio, quoniam vbi etiam ista declaratio præseferret omnimodam reuocationem, & annichilationem dictæ confirmationis, adhuc nil
16 referret, dum confirmatio non requirebatur, vt suprà, sed obtenta fuit ad vberiorem cautelam, quæ propterea nocere non debet, nec potest; Multo igitur magis ex duplici consideratione; Primò nēpè, quod Princeps non processit per viam reuocationis, sed per viam declarationis, quæ non importat dispositionem, sed solum explicationem eius, quod inest de iure, cuius dispositione attenta gratiæ Principum ità etiam sine dicta declaratione in dubio veniunt interpraetandæ ex relatis *dicto disc.* 148. *de Regal.* & alibi sæpiùs; Et secundò, quia idem Princeps professus fuit dictam declarationem facere secundum iuris dispositionem, qua attenta nullum ius considerabile, vt supra agnatis actotibus quæsitum fuerat, ideóque gratia non importabat præiudicium considerabile.

Ac demum aduertebam, quod in omnem euentum, negari non posset, quin casus esset probabilitèr dubius, vt propterea dicta res iudicata iamdiù exequuta, & obseruata, dici non posset nulla, vel
17 iniusta, vt in isto gradu reuisionis tetractati mereretur; Quodque interim fuerit posseditrix in statu bonæ fidei, ac propterea inteet dictum motiuum præscriptionis, atque adhunc effectum consideratione digna esse dicebam duo motiua initio insinuata, rei iudicatæ, & præscriptionis.



DISC. CXCIV.

Taurineñ Renunciationis.

PRO

Comite Aurelio de Asinarijs.

CVM

Monasterio Monialium IESVS.

Responsum prò veritate extra Curiam.

De eadem materia potestatis Principis preiudicandi tertio: Et incidentèr, quando Princeps iudex laicus sit competens in causis Ecclesiasticorum, siuè istorum ius tollat; Et aliqua ad materiam renunciationis factæ per ingressuros in Monasterium.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De restitutione in integrū aduersus duas vel res conformes.*
3 *An promissio de faciendo, habeatur pro facto.*
4 *De solemnitatibus in renunciationibus, quæ fiunt per ingressuros Monasterium vel Religionem.*
5 *Quod renunciationes puellarum sint solita, & fauorabiles.*
6 *De distinctione inter Signaturam gratiæ, & iustitiæ, & de alia distinctione inter diuersas species restitutionis in integrum.*
7 *Quando non intret quæstio potestatis Principis tollendi ius tertij.*
8 *An Princeps possit facere gratiam proprio subdito in præiudicium non subditi.*
9 *De restitutione in integrum facilius concedenda venienti independentèr iure proprio.*
10 *De errore iuristarum assumendi quæstiones extraneas, & superfluas.*
11 *An, & quando Iudex laicus sit competens in causa cum persona Ecclesiastica.*

DISC.

DISC. CXCIV.



1 OLENTES duæ filiæ Comitis Aurelij senioris de Asinarijs habitum Monasticum suscipere in Monasterio sub inuocatione IESVS Ordinis S.Claræ, in quo iam educationis gratia morabantur, in instrumento inito super constitutione dotis præstandæ Monasterio, & cōsuetæ vitalitiæ præstationis facta per patris procuratorem, promiserunt suo tempore ad formam mandati procuræ amplam, facere renunciationem bonis paternis, & maternis, & forsan alijs, sed sequuta professione renunciatio neglecta fuit; Defunctaque postmodum matre ab intestato, pater deindè decedens, hæredem in testamento scripsit Octauiā alteram filiam nuptam, cum grauamine perpetuæ primogenituræ in linea filij, vel filiorum eiusdem; Quarè sequuto testatoris obitu, Monasterium ex persona dictarum monialium contrà dictam Octauiam, sententiam à Senatu Pedamontano de anno 1623. reportauit super duabus ex tribus partibus intestatæ maternæ hæreditatis, nec non super supplemento legitimæ in paternis bonis, confirmatam ab eodē Senatu de anno 1627. aduersùs quas de anno 1671. Comes Aurelius iunior dictæ Octauiæ nepos ex filio, ad breuem tempus defuncto, factus maior obtinuit rescriptum Principis super restitutione in integrum aduersùs dictas duas conformes, & lapsum temporis cum clausula, *quatenus suprema auctoritas extendatur, absque læsione iustitiæ*.

In hoc itaque statu ex parte eiusdem Comitis Aurelij causam excitantis contra Monasterium, super multis pro veritate consultus fui, & præsertim, an suprema potestas Principis extenderetur ad huiusmodi restitutionis concessionem contrà Monasterium personam Ecclesiasticam ab eius potestato exemptam, ex quo de consequenti manaret iurisdictio, vel competentia dicti Senatus; Et an dici posset adesse in dicta concessione læsionem iustitiæ, cum alia pleraque quæsita non viderentur nimio discursu digna, vel de illis incidentèr infrà mentio fiat, occasione agendi de dictarum sententiarum iniustitia.

Respondi itaque opus non videri assumere hanc altiorem inspectionem super suprema Principis potestate præiudicandi tertio non subditi, cum gratijs, & habilitationibus, quę proprio subdito concedantur; Et an huiusmodi gratia contineret læsionem iustitiæ, vel indigeret suprema Principis potestate; Cùm dictum rescriptum restitutionis in integrum directum eidem Iudici, & Tribunali cum dicta clausula, *absque læsione iustitiæ*, nullam contineat exorbitantiam, sed in substantia sit illa commissionis species, quam in Curia quotidiè practicat Signaturæ Iustitiæ Præfectus super restitutione in integrum, prout de iure, quæ denegenda non est, etiamsi adsint duas, vel tres conformes, quando prætendantur iniustæ, quoniam leges, quæ duabus, vel tribus conformibus disponunt, ampliùs sub disputationis trutina non ponendis, intelligendæ veniant de iustis, non autem de iniustis, ex relatis *disc. 38. de iudic.* atque videtur hodiè nimium vulgare, ac species notorij quotidiè decantati, & practicati.

2 (margin mark beside line "ſtæ, quoniam leges...")

Iniustitia verò dictarum sententiarum videbatur clara, decernendo successionē puellis, quæ recepta dote, ei renunciauerant; Nil obstante, quod ad actum renunciationis promissæ, deuentum non esset, quoniam licet apud nostros maiores, magna sit quæstio, in qua cum solita 3 scissura, nimiùm se inuoluisse videntur, an promissio de faciendo habeatur pro facto, ex relatis apud *Coccin. decis. 1895. & 1951.* quæ sunt repetitæ *decis. 393. par. 5. rec. & decis. 58. par. 6.* solitæ reputari magistrales, atque habetur *disc. 48. de donat. & disc. 138. de fideicom. et alibi*.

Attamèn id producit diuersos effectus translationis, nempè dominij bonorum, quæ in promissione deducta sunt, ac iuris tertij, cui medio tempore bona fuerint quæsita ex titulo singulari translatiuo dominij, quotiès promissio munita non sit hypotheca, cum alijs considerationibus, quæ pro consuetis nostrórum formalitatibus, vel superstitionibus fieri solent, secùs autem quoad ipsum promittentem, ac alios, ex eius iure venientes, eiusque personam repræsentantes, ne liceat pœnitere, propriamque promissionem impugnare, vt generalitèr locis relatis, & in specie consimilis promissionis

nis de renunciando factæ per puellam, volens suscipere habitum in monasterio apud *Merlin. contr.* 4. *lib.* 1.

Supponebatur dictas sententias principaliter fundatas esse in eiusdem promissionis inualiditate, ob non adhibitas solemnitates ex illis decretis Ducalibus,
4 vel Constitutionibus præscriptas in contractibus minorum, siue alias solemnitates statutas à Concilio Tridentino, sed desupèr insinuabam ea, quæ in hoc proposito habentur *disc.* 15 *de donat. disc.* 59. *de regular.* ac etiam *disc.* 40. *et in annot. ad Concil. Trid.* Insinuando quoque ea, quæ habentur *disc.* 13. *et* 14. *de renun-*
5 *ciat.* super consuetudine Italiæ, vt puellæ occasione carnalium, vel spiritualium nuptiarum, huiusmodi faciant renunciationes, quæ propterea iustæ, ac rationabiles reputantur, quoniam sufficit eas esse congruè prouisas; Atque ex hoc manat responsum ad obiectũ læsionis, quod regulando rem ab euentu pro eisdem leguleicis formalitatibus, frequenter aduersùs huiusmodi renunciationes deduci solet, vt in eadem renunciationum sede, & alibi.

Sed quidquid esset de præmissis, & alijs circa efficaciam, vel inefficaciam dictæ promissionis, aduertebam id respicere merita negocij principalis, & an de restitutione in integrum, aduersùs duas conformes respondendum esse, nec ne, non autem circa ipsam promissionem, ad effectum, vt Tribunal, non obstante obstaculo duarum conformium, de hoc cognoscere posset.

Atque stante dicto rescripto non lædendi iustitiam, aduertebam in proposi-
6 to, reflectendum esse ad distinctiones, quæ habentur *disc.* 30. *et* 31. *in Relat. Curiæ*, inter Signaturam Gratiæ, & Signaturam Iustitiæ, & inter illam restitutionem in integrum, quæ conceditur per Signaturam Iustitiæ, prout de iure in huiusmodi iudicialibus, an læsa sit iustitia, de qua propriè agitur *disc.* 38. *de iudic.* & illam restitutionem, quæ per viã veræ gratiæ aduersùs aliquod factum, vel non factum, concedatur in præiudicium tertij, cui ius quæsitum esset, & de quo suprá *dicto disc.* 148. *et* 177. *et alibi*.

Ac propterea in hac facti specie aduertebam, opus non esse assumere hanc inspectionẽ supremæ potestatis principis supèr gratijs tertio præiudicialibus, cum difficultas cessaret ex facto deficiẽtis vo-
7 luntatis, dũ Princeps noluit rescribere in forma Signaturæ Gratiæ, sed potiùs in forma Signaturæ Iustitiæ, ideóque extrà propositum remanere dicebam ea, quæ in notulis transmissis, nimium ab alto reassumpta erant super iure naturali, vel gentium, ac super ijs, quæ super potestate supremi Principis, tàm Iuristæ, quàm morales disputare solent circa requisitũ causæ publicæ, ex relatis *d. disc.* 148. *et* 177. ad quos remissiuè me habeo, vtpotè in puncto superfluo.

Prout superfluum, ac extrà punctum quæstionis, aduertebam esse alteram in eisdem notulis excitatam quæstionem, an scilicèt posita etiam potestate Principis
8 præiudicandi tertio ei subdito, id agere possit cum tertio non subdito, & super quo remissiuè quoque me habui, ad deducta *disc.* 143. *de Dote*, *et disc.* 8. *in Miscellan. Ecclesiast.* vbi de distinctione iurisdictionis, quæ exerceatur cum proprio subdito, quamuis indirectè, & per consequentiam, redundet in præiudiciũ non subditi, dum vt suprà nullus actus gratiæ, sed actus iustitiæ factus fuit.

Potissimè verò, & clariùs, quoniam etiam sine dicto rescripto, in eodem Senatu potuisset ad limites iustitiæ intentare idem remedium, dum iste modernus Comes veniebat independentèr ab eius auia, tanquam vocatus ad primogenituram.

Quamuis etenim veriùs sit, vt sententia lata cum herede grauato, vel cum alio legitimo possessore fideicommissi, seù primogenituræ, vbi seruatis seruãdis causa defensa, & citrà suspicionem collusio-
9 nis lata sit; afficiat etiam successores iure suo venientes, quamuis sufficit, eam latam esse cum legitimo contradictore, ex relatis *disc.* 40. *de iudic.* & *alibi*; Attamen longè facilius beneficium restitutionis in integrum impartiendum est successori independenti, cui prædecessoris culpa, vel negligentia præiudicare non potuit, quam heredi, vel alteri successori dependenti, cui auctoris negligentia præiudicet.

Atque hinc monemur de continuo er-
10 rore Professorum huius facultatis assumendi inutiles, & extraneas quæstiones, ac

ac inuoluendi materias ex deficiente omninò necessaria reflexione ad distinctiones casuum, ad effectus, de quibus agatur.

Demùm quoad punctum iurisdictionis, & competentiæ Principis, vel Iudicis sæcularis cum loco Ecclesiastico, &
11 exempto, insinuabam ea, quæ habentur *disc.* 58. *&* 94. *de iurisdict.* dum ista non erat causa noua, & integra, sed continuatio causæ antiquæ in eodem Senatu pendentis, & introductæ ab ipso monasterio tanquam actore.

DISC. CXCV.

Pisana, seù Liburnieñ deprædationis.

PRO

Carolo Longland.

CVM

Hæreditate Martini.

Responsum pro veritate extrà Curiam.

An, & quando pyratica deprędatio sit licita, nec nè; Et quatenùs illicita deregatur, an deprędator teneatur erga deprędatum ad damna, & interesse; Et de modo iustificandi casum deprędationis, & liquidandi valorem rerum deprædatarum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod in his, quæ sunt facti, & probationum, non de facili iudicium pro veritate efformetur.*
3 *In quo consistat pondus iudicandi, & consulendi.*
4 *De differentia circa probationes ad effectum assecurationis, & ad effectum deprędationis.*
5 *Probato delicto, contrà delinquentem leuiores probationes admittuntur super liquidatione.*
6 *De ratione differentiæ, de qua num. 4.*
7 *Quando procedat lex decernens iustificationem deprędationis infrà annum.*
8 *De iuramento in litem, vel suppletiuo.*
9 *Transactio per carceratum inualida.*
10 *An Procurator, vel institor possit transigere.*
11 *Etiam in transactione intrat læsio.*
12 *Dominus vendicat bona sua furata, vel deprędata à possessore, quamuis bonæ fidei.*
13 *Delinquens tenetur ad damna, et interesse.*
14 *Stygmata, vel signa probant dominium.*
15 *Deprędantur bona inimicorum, & bona amicorum.*
16 *De causis inducentibus bonam fidem.*
17 *E conuersò inducentibus malam fidem.*
18 *In casualibus attenditur initium actus.*
19 *Quando redimens rem alienam à furibus, vel hostibus, recuperet pretium.*
20 *Deferens vexillum inimicum, se supponit deprędationi.*

DISC. CXCV.



1 CVM Carolus Longland Anglus nauem haberet, cui pręfecit Petrum Vittingh paritér Anglum causa mercimonij sub vexillo proprij Regis, supponitur, quod olim Martinus cum eius naui pyratica, illam aggressus sub prætextu, quod in ea inuenisset quasdam mercium arcas, vel sarcinas, turcico stygmate obsignatas, non solùm dictas arcas, vel sarcinas mercium deprædatus fuerit, sed ipsammet nauim, eiusque instrumenta, aliasque merces, & pecunias, apponendo etiam Petrum institorem, & nautas sub vinculis, eo modo, quo cum hostibus infidelibus, vel cum publicis inimicis practicari solet, atque ita spatio quatuor circitér mensium detinuerit, deindèque per concordiam cum mediatione cuiusdam personæ qualificatæ initam cũ eodem Petro, nauem, & quandam partem mercium restituerit, ac personas libertati donauerit.

Quæstio autem hodié fit super restitutione reliquatum mercium, & pecuniarum,

rum, aliorumque bonorum, nec non super damnis, & intereſſe per eundem Carolum ex dicta cauſa paſſis.

Quatuor conſtituendæ videntur inſpectiones. Primò nempè ſuper probatione quantitatis, & qualitatis mercium, & bonorum, quæ ſupponũtur eſſe in naui per Martinum deprędata, & non reſtituta; Secundò poſita probatione, an obſtet concordia; Tertiò poſito, quod non obſtet, ſuper obligatione reſtituendi bona deprędata, ſiue eorum valorem; Et quartò ſuper damnis, & intereſſe.

Quatenùs pertinet ad primam inſpectionem, cum probationum releuantia, 2 pendeat à dicto, & fide teſtium, hinc indè inductorum, ac etiam ab alijs adminiculis, & circumſtantijs, ac propptereà ſit quæſtio potiùs facti, & arbitrij, iuxtà celebrem, verèque magiſtralem *textum in l.3. ff. de teſtib.* cum concordantibus relatis *diſc.32. de iudic.* Hinc proindè per abſentem, atque non omninò informatum de omnibus circumſtantijs facti, non de facili maturum iudicium pro veritate poteſt efformari.

Ad ſequentia tamen reflectendum venit, vt ex eis pro facti qualitate, benè iudicium efformetur, atque euitentur illa æquiuoca, quæ in hac facultate nimium frequentia eſſe ſolent, confundendo vnũ caſum cum altero, atque auctoritates, quæ vnum caſum percutiant, alteri appli- 3 cando, cum in hac reflexione, ſeù diſtinctione, totum iudicandi, & conſulendi pondus conſiſtat.

In hac namque materia probationis naufragij, aliorumque accidentium, quæ in mari contingunt, magna conſtituenda eſt differentia inter illam probationem, quæ facienda ſit ad effectum probandi caſum aſſecurationis pro cogen- 4 do in actione merè ciuili aſſecuratores ad ſoluendum pretium mercium aſſecuratarum, Et illam probationem, quæ facienda ſit per eum, qui indebitam, & criminoſam paſſus eſt deprædationem, ad effectum cogendi delinquentem deprædatorem ad refectionem rei deprædatæ, eiuſque, quod intereſt.

Priori etenim caſu nullum in aſſecuratoribus concurrit delictum, ob quod in eorum odium probationes, quamuis leues, & imperfectæ admitti, debeant nullaque ſubeſt præſumptio, vel ſuſpicio, quinimò res eſt in oppoſitum, quod ſcilicèt, potiùs vrget ſuſpicio, vel poſſibilitas fraudis in aſſecurato, qui pretioſarum mercium reuerà non oneratarum, neque periculo expoſitarum, aſſecurationem callidè procurare potuit, deindèque nauis naufragium affectare adhoc, vt pretium ab aſſecuratoribus per quandam ſpeciem furti ob modicum præmium ſolutum, conſequatur, Ideòque meritò circa probationem, ac liquidationem reſpectiuè proceditur cum aliquo rigore, & circumſpectione ex ijs, quæ habentur in his terminis aſſecurationis deducta *in tit. de credit. diſc. 106. cum pluribus ſeqq.* ac etiam poſtea per *Rotam in Romana aſſecurationis 26. Iunij 1673. coram Matthaio*, in qua tacito auctore, reaſſumuntur à me, locis citatis, deducta.

In altero autem caſu deprædationis qualis eſt ille, de quo agitur, res eſt in oppoſitum, quoniam in deprædato nullum concurrit delictum, nullaque conſiderari poteſt fraudis, & colluſionis præordinatio, & affectatio, ſed è conuerſo delictum, & culpa concurrunt in iniuſto, & illicito deprædatore, cui in caſu illicito latronis, & violenti ſpoliatoris, ac perturbatoris commercij nomen congruit.

Et per conſequens intrat vera, & recepta concluſio, quod in odium delinquentis, conſtito de delicto in genere, vel in ſubſtantia quoad quantitatem, & qualitatem rerum deprædatarum, admit- 5 tantur leues, & imperfectæ probationes, adeòvt aliqui velint, vt iuramento eius, qui deprædationem paſſus eſt, deferatur, ex ijs, quæ antiquioribus relatis habentur, apud *Farinacc. de furt. quaſt. 176. numer. 19. & ſeqq. & in fragm. par. 2. verbo iuramentum numer. 1005. Bellon. iun. conſil. 93. num. 9. & 10. Vermigliol. conſ. 27. numer. 19. Rub. de teſtam. ad pias cauſas cap. 98 num. 353. & ſeqq.* atque pluriès aduertitur *præſertim diſc. 22. de iudic. num. 16.* Et ſpecialitèr de caſu naufragij, vel deprædationis, quamuis in confuſo non diſtinguendo caſus, iuxtà ſolitum ſtylum collectorum *Maſcard. de probat. concl. 273.*

Vbi etenim verſaremur in priori caſu aſſecurationis rectè dici poteſt, quod ſibi imputet aſſecuratus, cur non benè ſibi 6 præcaucrit ſuper iuſtificationibus onerationis mercium aſſecuratarum, vt adueniente

niente casu naufragij, vel periculi eius actiones prosequi valeat contra assecuratores, dum est casus iam præuisus, & formidatus ab initio, ac etiam imputari potest, cur in primo loco post passum naufragium, vel alium casum, suas non fecerit probationes, iuxta formam præscriptam à Consulatu, siuè in ordinationibus ibi registratis, sed hæc omnia cessant in isto alio casu iniustæ deprædationis; quoniam dici non potest casus præuisus, & cogitatus, ob quem sibi præcauere debuerit, neque habet illam suspicionem fraudis, & affectationis, quàm habet dictus casus assecurationis, minùsque deprædato, obijci potest, cur illicò suas non fecerit iustificationes, dum idem deprædator Ducem nauis eiusque nautas, & ministros vinctos ad formam seruorum per tempus adeò notabile, detinuit, Ideòque ad has distinctiones, & differentias omninò reflectendum venit, cum aliàs manifestum sit æquiuocum, huiusmodi terminos, vel casus confundere.

Atque hinc resultat non solùm æquiuocum, sed euidentèr fabulosum esse applicare *textum in l. neminem Cod. de susceptor. præpos. lib.* 10. quoniam, vt pa-
7 tet ex tenore textus ex ijs, quæ *Bartolus*, & alij, ibidem obseruant, id procedit in ijs, qui iuxtà illorum temporum mores suscipiebant, tanquam per speciem muneris publici vehere merces, & pecunias de loco ad locum cum obligatione reddendi rationes, in quarum dispunctionibus pro eorum exoneratione sinistros casus allegare solebant dispersionis, vel furti, aut alterius deprædationis; cum tunc in eisdem susceptoribus intrare posset eadem ratio fraudis, & affectationis, quæ supra consideratur in illis, qui sunt solliciti de assecuratione, vt suprà, Ac propterea; in textu literalitèr assignatur ratio celeris notitiæ, & iustificationis, vt inquiri possint fures, vel deprædatores; Et per consequens manifestæ fabulæ speciem habet considerare istum textum adductum per *Mascard. dicta conclus.* 273. *num.* 11 *& seqq.* ad fauorem ipsius furis, & deprædatoris, adeòvt istud motiuum omni penitùs discursu indignum censendum veniat.

Præterea circa istam primam inspectionem probationis, quatenùs pro suppletione exceptionum, quæ dantur aduersùs testes, exhibeatur iuramentum, ponderandum est, quod æquiuocum quoque videtur procedere, cum puris, & simplicibus terminis iuramenti in li-
8 tem, quod solùm, & de per se deducatur pro fundamento intentionis; Vndè intrent ea; quæ in hac materia iuramenti in litem habentur deducta *disc.* 25. *de Iudic.* ac etiam *disc.* 8. *de Tutor. alijsque administrator.* & alibi, quoniam potiùs dicendum est, vt sit species iuramenti suppletiui, de quo *eodem disc.* 25. *de Iudic.* cum alijs, de quibus suprà pro remouendis scilicèt exceptionibus, quæ in dicto, vel in persona dantur ad testes illos criticando perindè, ac si ageretur de probatione contractus, vel alterius actus voluntarij initi in statu, & tempore pacifico, adeòvt actori imputari valeat cur meliores probationes sibi non parauerit, sibique meliùs non cauerit; Ac propterea, circa istam primam inspectionem cum huiusmodi considerationibus, & distinctionibus benè concludere videntur probationes magis distinctæ, ac diligentèr expensæ per Aduocatos pro parte dicti Caroli scribentes.

Quo verò ad secundam inspectionem, an scilicèt, obstet transactio inita inter Martinum deprædatorem, & Petrum deprædatæ nauis capitaneum, seù præpositum, omninò plana videtur pars negatiua ex pluribus fundamentis, quorum singula sufficerent, multò magis simul iuncta.

Primò nempè quoniam, vbi etiam Petrus, cum quo inita est concordia, esset principalis, ac dominus, qui de mercibus deprædatis, liberam haberet disponendi facultatem, adhuc tamen concordia inualida, nulliusque efficaciæ censenda esset, vtpotè facta cum illo, qui
9 iniustè, & tyrannicè vinctus detinebatur, iuxtà celebrem nimiumque vulgarem textum *in l. qui in carcere ff. de eo, qui metus causa, cum concordan. plenè deductis per Rot. apud Merlin. decis.* 506. *repetit. decis.* 26. *par.* 6. *recentior.* atque pluriès aduertitur præsertim *sub tit. de Alienat. & contract. disc.* 41. *cum alijs collectis per modernum Valeron. de transact. tit.* 6. *quæst.* 3. *numer.* 11. *& per tot.*

Secundò fortiùs, quia dictus Petrus, non

non erat Dominus, ideòque absque speciali mandato super rebus alienis transigere non poterat ex notorijs, non obstante, quod esset nauis Præpositus, quoniam id rectè consideratione dignum esset, quando ageretur de illis concordijs,
10 alijsque conuentionibus, quæ initæ essent circa opus, vel ministerium, cui præpositus esset, quia nempè quemadmodum præpositus fuit emptioni, & venditioni mercium, alijsque actibus mercimonij, & nauigij, regimen concernentibus, ita potuerit super casibus dubijs desuper contingentibus transigere, nullatenùs verò in casu, de quo agitur, vtpotè extra officium.

Et tertiò ratione enormissimæ læsio-
11 nis, quàm hodiè magis receptum est, etiam in isto contractu transactionis locū habere, ex relatis *sub tit. de empt. & vendit. disc. 27. & sub tit. de Alienat. & contract. disc. 50. num. 13.*

Super tertia inspectione nulla cadere videtur ratio dubitandi, quoniam vbi etiam deprædator ob stigmata hostilia aliqua excusatione dignus esset (quod neque subsistit, vt in inspectione sequen-
12 ti) adhuc tamen detecta veritate, id non excusat à restitutione bonorum, quæ deprædationi verè non subiacebant, sed solùm excusat à pœna ex ijs, quæ alijs relatis habentur, apud *Caball. consil. 136. Vermigliol. dicto consil. 271. & consil. 275.* atque aduertitur pluriès præsertim, suprà hoc *eod. tit. disc. 129. de regal. & disc. 5. de vsur.* & sæpiùs.

Maior itaque fortèque vnica dubitandi ratio ad quartam & vltimam inspectionem restringi videtur, an scilicèt, deprædator teneatur etiam ad damna, & interesse, idque pendet à puncto, an intret, nec ne iusta excusatio à dolo, & delicto; Vbi etenim excusatio non intraret, planum est venire quoque damna, &
13 interesse contra prædonem, vel furem, aliosque similes delinquentes, secùs autem è conuerso ex relatis *per Farinac. de furt. quæst. 167. num. 18. Vermigliol. consil. 275. in princ.* & passim cum sint principia notoria, & in foro quotidiana occasione spolij, vel attentatorum, & similium.

Quando itaque Martinus, qui piraticam artem exercebat, contentus fuisset sola deprædatione Arcarum, & Sarcina-

rum habentium stigmata turcica, tunc
14 probabilius dicendum esset, excusatione dignum reputari debere, quoniam cum regularitèr stigmata probent dominium, & pertinentiam, *l. stigmata, Cod. de fabr. lib. 11. vbi Luc. de Penn. Bart. & alij* de quibus *Maran. consil. 129. num. 3. Gratian. discept. 500. numer. 5. & seqq. Penia decis. 6. num. 17. iuxta Venetam impressionem;* Ita iustè credere potuit esse merces, & bona hostium, nil obstante, quod nauis esset amicorum, quoniam non implicat, vt in vna eademque naui amica, vel neutrali, adsint merces, & bona amicorum, & inimicorum, Ideòque tam lex,
15 quàm vsus belli concedunt deprædari bona inimicorum, & relinqui bona amicorum, iuxtà casum relatum *disc. 6. ex num. 3. de empt. & vendit.* ac etiam comprobatur *ex deductis per Dian par. 11. tract. 3. resolut. 1. in fine, vers. confirmatur hæc veritas, &c.*

Et quamuis ex parte Longlandi ingeniosè, ac laboratè probatum sit per scribentes, quod stigmata sint æquiuoca, quandoque adhiberi, vel relinqui solita pro euitandis hostium molestijs, vel aliquibus grauaminibus, quodque propterea Martinus deprædator teneretur inquirere veritatem ex apocis oneratorijs
16 vulgò di carico, eiusque iustificationibus; Attamen, quando aliud non concurreret, nimium dubitarem, quoniam Nauta exercens artem piraticam, non tenetur esse peritus Iurisconsultus, atque cum iuris subtilitatibus, se Iudicem constituere, ac huiusmodi exactas diligentias adhibere, sed potiùs sibi imputet Rector nauis, qui signa inimicorum adhibuit, vt in specie amici adhibentis vexillum Regis inimici, quamuis ex iusto motiuo, id quandoque fieri soleat, ad effectum excusationis à dolo, & consequentèr à damnis, & interesse aduertit *Stracca de naut. par. 3. numer. 23. fol. 133.*

Verùm ex alijs facti circumstantijs, nempè deprædationis totius nauis vna cum eius instrumentis alijsque bonis, & mercibus, dicta stigmata non habentibus eiusque retentionis continuatæ per notabile spatium quatuor mensium cum in-
17 tentione continuandi in futurum, nisi auctoritatiuus mediator se interposuisset, nec non appositionis sub vinculis Præpositi nauis, & nautarum, more hostium,

contrarium dicendum videtur, quod scilicet ita conuincatur de dolo, & delicto inexcusabili, dum more hostis deprædatus est nauem amicam, eiusque personas, & bona, in quibus stigmatum excusatio non intrabat, & per consequens ex regula *semel malus, sine ab vno crimine, &c.* conuincitur dolosus, & culposus deprædator amicorũ, quodque merces de quibus agitur, quamuis dicta stigmata non haberent, deprædatus esset.

Ad quod conferunt ea, quæ habentur de criminibus casualibus, vel aliàs excusatione dignis, vt excusatio non intret in eo, qui dabat operam rei illi-
18 citæ: adeòvt initium actus fuerit illicitum, & criminosum ex relatis per *Farin. quæst.* 126.*par.*2.*num.*60.*cum plurib.seqq. Fagnan. in cap. quidam de homicid.num.*3.

Et magis proximè conferunt ea, quæ ex *Spada cons.* 149. *num.* 5. *& seqq. lib.*1. *habentur deducta dicto disc.* 5. *de Vsuris*
19 *num.*16.*&* 17. ac etiam supra *d.disc.*129 *ad materiam textus in l. inciuile Cod. de furt.* quando scilicet ille, qui rem furtiuam emit, aduersùs dominum illã vendicantem excipere valeat de restitutione pretij saltem ex æquitatiua actione negociorum gestorum, vel de vtili in rem verso, quoniam distinctio est, quod si actus gestus fuerit cum bona fide, bonoque animo recuperandi rem pro Domino, intrat æquitas, & iusta excusatio, secus autem si conuincatur de malo animo, quoniam tunc potius præsumitur in dolo, emendo bona viliori pretio, quod non nisi in furtiuis pro frequentiori contingentia sequi solet, cum similibus considerationibus, quæ fieri possunt.

Tunc etenim deprædatio vniuersalis etiam nauis, eiusque instrumentorum, & personarum, aliorumque bonorum tur-
20 cico stigmate non obsignatorum esset excusabilis ad excludendum delictum, quando ipsa nauis deferret vexillũ Turcicum, vel alterius inimici, cum tunc iustè credere potuerit esse nauim inimicam vt in specie *Gram. cons. ciuil.* 24. *num.* 5. *&* 6. & de eodem vexillo loquitur *stracca vbi supra, Constant. in l. vnica Cod. de Class. lib.*11. *num.* 134. sed cum deferret vexillum Regis Christianissimi, & amici, nõ poterat illam aggredi iure hostili, sed solum iuxta leges, vel vsum nauigationis poterat illam visitare, & recognoscere ad effectum inspiciendi, an adessent bona inimicorum, illaque solum deprædandi, non autem generalem deprædationem facere potuit, dum ita delictum remanet inexcusabile.

Ideòque concludendo, nisi ex parte Martini deprædatoris, vel eius hæredis doceatur de aliqua iusta causa, ob quam etiam nauim, & personas, aliaque bona dictis stigmatibus non obsignata deprædatus est, dũ deferebat vexillũ Regis Christianissimi, & amici, de manifesto, & inexcusabili dolo conuinci videtur, Ideoque de consequenti pro obligatione refectionis damnorum, & interesse veniat respondendum.

DISC. CXCVI.

Seneñ Gabellæ, seù Contractus.

PRO

Gallichis cum Macinello.

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

De gabella soluenda pro contractibus, quando debeatur, nec nè, & de annullatione contractuum in casu non denunciatæ, & non solutæ gabellæ, quomodo, & quando procedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Plures contractus diuersi esse possunt in vna scriptura.*
3 *Gabella contractuum non debetur pro pignore.*
4 *Quando debeatur de contractu emptionis & venditionis.*

5 *Pactum*

5 *Pactum commissorium, vel resolutiuum procedit creditore volente.*
6 *Quid operetur clausula* ex nũc pro tũc.
7 *Emptio est perfecta non obstante reseruatione dominij, pendente solutione pretij*
8 *De differentia inter conditionem suspensiuam, & resolutiuam.*
9 *Augmentum, & decrementum pignoris est debitoris.*
10 *De inualiditate pacti commissorij, quando procedat.*
11 *Denunciatio facienda est etiam per exemptos à gabellis.*
12 *Adimplementum post terminum sufficit.*
13 *Nemo opponit defectum, quo ipse laborat.*
14 *Quid operetur lex adimens fidem scripturæ.*

DISC. CXCVI.



EXISTENS debitor Franciscus Pampurinus Salnatoris Gallicchi in quadã summa, pro ea de anno 1658. per apocam priuatam dedit in pignus domum, cuius pensiones cederent loco in-
1 tersuriorum crediti, ea lege adiecta, quod debitore infra nouennium non soluente sortem, ex nunc pro tunc domus censeretur vendita pro eodem pretio, dictæque obligationi accessit Mancinellus: Cumque defuncto creditore infra nouennium, quidam creditor anterior Fráncisci domum euicisset, hinc hæredes obtinuerunt condemnari Mancinellum fideiussorem ad dictæ summæ debitæ solutionem, pro qua obtinuerunt in concursu creditorum sibi deliberari pecuniã ex eius bonis retractam; Sed in hoc statu idem Mancinellus, vel eius creditores se opposuerunt, se fundando in nullitate dictæ scripturæ resultante à bannimentis gabellę annullantibus omnes scripturas non denunciatas infra mensem, non obstante, quod denunciatio, & respectiuè solutio gabellæ essent iam sequutæ, vtpotè extra dictum terminum, vndè desuper ex parte hæreditariorum creditorum consultus.

Respondi prenotandum esse in primis, quod scriptura de cuius efficacia, vel inefficacia agebatur, duplicem continet contractum, vnum nempè mutui sub pignore, & alterum emptionis, & venditionis, cum de iure non implicet, vt in vna, & eadem scriptura, siue publica, siue priuata, duo vel plures diuersi contractus contineãtur, quoties om-
2 nimoda, & positiua implicantia non prohibeat ex relatis apud *Dunozett. decis.543.num.102. & apud Bich. decis.314. num.5. & melius decis.406.nu.29. & seqq.* ac in specie istorum cõtractuum pignoris, & venditionis, ratione pacti commissorij, patet ex deductis *disc.8. & 9. de vsur. & in decisionibus ibi recensitis.*

Prò antecedenti autem contractu pignoris, gabella non debebatur, cum receptum sit apud DD. vt huiusmodi gabellæ contractuum iure communi
3 ignotæ, non debeãtur pro contractu pignoris, vt antiquioribus relatis habetur apud *Guttier. de gabell. quæst. 69. Gratian.discept.777.num.13. & seqq. Merlin. de pignor.lib.4.tit.5.quæst.168. num.1.*

Prout etiam de contractu emptionis, & venditionis tunc debetur gabella,
4 quando ipse sit iam purus, & perfectus in substantia, quamuis executio ad aliquod tempus, vel aliquem casum dilata sit, secus autem, vbi sit conditionalis conditione suspensiua, à cuius purificatione pendeat perfectio in substantia, cũ tunc non debeatur ex ijs, quæ alijs relatis habentur apud *Surd.decis.305.nu.16. & seqq. Nigr. de laudem.quæst.7.art.1.n.37 & seqq. Contr.discept 96.num.1.*

His itaque prænotatis dicebam, quod creditori, qui intra nouennium vixit, imputari non debebat cur denunciam non fecerit, atque gabellam non soluerit, dum in eo tempore vigebat solum contractus non gabellabilis pignoris; atque incertum erat, an alter contractus sequuturus esset, nec nè, dum termino durante, poterat debitor soluendo debitum, impedire ne alter contractus venditionis ad perfectionem reduceretur, clapso verò termino cum ob mortem interim sequutã creditoris superessent eius filij, & hæredes in pupillari ætate, intrabat absque dubio iusta excusatio.

Ac vlterius, cum huiusmodi pacta cõmissoria adijci soleant in gratiam creditoris, & ad sollicitandum debitorem eique incutiendum timorem, vt infra
5 statutum tempus impleat id, quod implere tenetur, hinc sequitur, vt non nisi creditore volente, locũ habeant, adeò

vt debitor contra inuitum creditorem illa exercere non valeat, quoties verba conuentionis non sint talia, vt obligationem ex parte creditoris quoque inducat, vt apud *Merlin. de pign. lib 5. quæst. 7 Leotar. de vsur. quæst. 8. num. 26. Ole. de cess. iur. tit. 5. quæst. 13. num. 23. Rot. decis. 330. num. 35. & seqq. par. 11. rec.* & aduertitur supra *sub tit. de feud. disc. 57. num. 3. disc. 33. de empt. & vend. & sepius alibi*, & per consequens ob non factam hanc declarationem, quam neque volentes facere poterant creditores, ratione pupillaris ætatis, contractus perfectæ emptionis, & venditionis adesse non dicitur.

Motiuabatur per Scribentes in contrarium, siue per iudicem iuxta commendabilem quidem stylum loci, quod stante clausula *ex nunc pro tunc*, contractus emptionis, & venditionis censere-
6 tur vsque ab initio perfectus dilata exequutione post nouennium ex auctoritate *Manent. cons. 130. num. 20. & seqq.* deducendo etiam ea, quæ habentur apud *Buratt. & add. decis. 179. num. 8. & Contr. dicta discept. 96.*

Verùm aduertebam in hoc procedi cum equiuoco, quoniam dictæ auctoritates, & aliæ apud eas, percutiunt casus diuersos, vel scilicet, vbi venditio sit ab initio pura, & perfecta, habita tamen fide de pretio, pro quo venditor dominiũ sibi reseruat de quo casu agitur præsertim apud *Contr. dicta discept. 96.* In his etenim terminis quidquid aliqui Doctores, vel potiùs collectores, & præsertim mo-
7 rales, æquiuocando dicant, opinando quod interim non sit verus, & perfectus cõtractus emptionis, & venditionis, neq; in emptorem transferatur dominium, sed remaneat in terminis locationis, & conductionis; Attamen id continet errorem, cum veriùs sit, contractum esse perfectum atque dominium in emptorem transferri, tàm ad effectum periculi, quàm omnes alios effectus, dictamque dominij reseruationem in substantia aliud non importare, nisi cautelam potioritatis aduersus alios emptores, & creditores ad effectum tollendi illum verè irrationabilem, ac iudaicum rigorem legalem, per quem aliàs anteriores creditores emptoris vincerent venditorem etiam in re propria, vt aduertitur in sua sede *sub tit. de empt. & vendit. & sub tit. de credito*, & alibi pluriès, ideòque merito ab initio debita est gabella.

Vel vbi sit pariter purus, & perfectus contractus in substantia, adeòvt ab initio transferatur dominium in emptorem, adijciatur tamen in casu alicuius non implementi, seu aliàs, pactum resolutiuum, quod de sui natura præsupponit actum iam perfectum, qui deinde resoluatur,
8 tanquam per speciem priuationis, quæ præsupponit habitum, vt aduertitur alibi frequentèr, & præsertim *disc. 73. de testam. & disc. 154. de fideicom.* vbi de distinctione inter conditionem suspensiuam, & resolutiuam, & in his terminis loquitur *Manent. vbi supra*.

Siue demùm vbi (vt in contractu donationis frequentiùs, rariùs autem in isto emptionis, & venditionis, in quo tamen adhuc quandoque datur casus) ad certum tempus, vel ad certum casum puta mortis venditoris, differatur solum exequutio, non autem substantia in quibus terminis procedunt ea, quæ habentur apud *Buratt. & adden. vbi supra*, & habetur *sub tit. de donat. disc. 30. & alibi.*

In nullo autem huiusmodi, vel similium casuum dici poterat, quod versaremur, dum emptio, & venditio concepta erat sub conditione suspensiua, quæ vt supra poterat deficere, ideòque
9 ab eius purificatione pendebat perfectio in substantia, adeòvt reuera interim domus continuaret in natura pignoris, & consequenter in dominio debitoris; Et si interim perijsset, vel aliàs deteriorationem passa esset, periculum fuisset debitoris, tanquam Domini, & è conuerso suum fuisset augmentum, non obstante conuentione emendi pro eadem summa debiti, quoniam intelligenda venit rebus in eo statu permanentibus, & ratione æquitatis de qua *disc. 32. de empt. & vendit. & alibi pluries*, quoties non constaret de conuentione, tanquam super quadam incerta alea hinc inde ab initio.

Ad excludendum item contractum emptionis, & venditionis, ponderabam inualiditatem huius pacti commissorij
10 iuxta deducta *dicto disc. 8. & 9. de vsuris*, sed in hoc solidum fundamentum constitui non poterat, cum incertus esset verus rei valor, ex quo pendet validitas, vel inualiditas, tanquam ex iustitia,

tia, vel iniustitia ex deductis locis citatis.

Difficultatem autem mihi inferebant verba edicti annullantia scripturam, eique fidem adimentia, non quidem ob defectum solutionis gabellæ, quo casu rectè intrarent dictæ inspectiones, an actus esset gabellabilis, nec ne; sed ex defectu denunciationis non factæ intra ter-
11 minum faciendæ de omnibus scripturis, & conuentionibus, tales quales illæ sint, & quamuis essent super contractu non gabellabili, vt innotescant gabellario, ad quem pertinet potius, quàm ad ipsos contrahentes inquirere, an actus sit gabellabilis, nec ne, vndè habemus, quod etiam exempti à gabella, pro introductione mercium teneantur tamen denunciationem facere, vt supra *disc. 57. & alibi*.

Verùm, in sensu etiam veritatis, dicebam hanc difficultatem rectè procedere, quando nunquam denunciatio, & respectiuè solutio gabellæ facta esset, secùs autem, dum vterque actus iam sequutus fuerat re integra, gabellario acceptante, & non allegante commissum, vel
12 aliam pœnam, minusque altera parte allegante nullitatem, dum ita quoties interim tertio ius quæsitum non sit, implementum etiam post tempus attenditur, vt apud *Rouit. decis. 53. nu. 10. Mantic. decis. 270. Add. ad Buratt. decis. 571. num. 6.* & pluries alibi aduertitur.

Potissimè verò, & clariùs, quoniam hoc onus denunciationis incumbebat vtrique Parti, & per consequens dicendus veniebat delinquens æquè vnus, ac alter contrahens, vndè sequitur, quod non admittatur quis ad obijciendum ad proprium commodum, & lucrum de illo crimine, quo ipse laboret, præsertim
13 contra fouentem causam onerosam, cuius in pari causa melior est conditio, vt occasione defectus inuentarij aduertitur *sub tit. de hæred.* cum similibus; Ac etiam quia huiusmodi leges, vel ordinationes annullant quidem actum, & adimunt fidem scripturæ, sed non tollunt substantiam veritatis debiti, de quo aliundè constet, neque faciunt, vt debitor ita liberationem obtineat, & locupletetur,
14 cum aliena iactura iuxtà ea, quæ à similí habentur *disc. 29. de feud. & disc. 143 de Dote* cum similibus.

DISC. CXCVII.

Auenionen. Redditionis Rationum.

PRO

N.

CVM

Camera.

Consilium pro directione.

An, & quando Officialis cum pecunia Fiscali possit ad sui commodum facere lucrum eum negotiationibus, vel cum aggijs, & permutationibus monetarum, vel aliàs, &c.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De Auctoritatibus hinc indè super articulo.*
3 *Expenditur decis. 285. Sanfelic.*
4 *De errore circa allegationes auctoritatum, siue modum eas deferendi.*
5 *Quomodo legibus sit deferendum, & cum quibus considerationibus.*
6 *Vt reflecti debeat ad historiam legalem, & diuersitatem temporum.*
7 *De eodem circa doctrinas.*
8 *De diuersis effectibus ciuili, & criminali, & illorum differentia.*
9 *De diuersitate casuum, & circumstantiarum.*
10 *Nimium in hoc defertur iudicis arbitrio, & quomodo istud interponi debeat.*
11 *Distinguntur plures casus, cum diuersis decisionibus.*
12 *De diuersis speciebus monetarum.*
13 *Quando præiudicium priuatum redundet etiam in præiudicium publicum.*
14 *De differentia inter puros officiales, & administratores ex officio, & habentes illam administrationem in appaltum.*
15 *Quando lucrum alias debitum domino, pertineat ad administratorem.*

DISC.

DISC. CXCVII.



N redditione, vel solidatione computorum, quam in Congregatione Camerali fecit N. pro administratione illius muneris, quod in hoc Prin-
1 cipatu Collateralis nuncupatur, distributoris scilicet, seù pagatoris stipendiorum, seù pagarum, quæ singulo quoque mense præstantur militibus præsidiarijs, alijsque stipendiatis in statu Auenionensi, & fortè etiã in Comitatu Venaisino, plures iuxta solitum per Cameræ Commissarium, & Rationatores excitatæ fuerunt difficultates, inter quas ad rem fuit illa, quod cum Cameræ officiales ad quos pertinet, illi dedissent pecunias argenteas, & bonas in tanta quãtitate, quantam, iuxta calculum arithmeticum, importarent militum stipendia; Attamen ista soluta non essent in eadem moneta integrè, sed solum in duabus ex tribus partibus, alia verò tertia pars iuxta solitum esset soluta in quadam moneta inferiori nuncupata *patacche*, habente minorem valorem, adeòut illud aggium, quod importat valor maior monetæ argenteæ, vel aureæ bonæ, attenta quantitate stipendiorum, ob tempus notabile decursum, importaret lucrum valdè considerabile, quod ad fauorem Cameræ, non autem officialis cedere debere, resolutum fuit, ideoque ex computis deducendum; Aliæ siquidem partitæ potius facti, quàm iuris inspectionem habebant.

Sequuta itaque ista resolutione, alijs Scribentibus pro officiali succumbente, iste meum petijt consilium, ad effectum deliberandi, an expediret quatenus bonum ius foueret, in reuisione in eadem Congregatione, vel eum tela iudiciaria in tribunali Cameræ illud experiri, vel è conuerso magis expediret honestam procurare concordiam; Atque de hac secunda parte, mihi visum est respondere.

Visis itaque Scribentium hinc indè informationibus, in eis consuetos huius facultatis errores adesse comperij, tractandi scilicet articulum cum auctoritatibus in abstracto, earumque congerie, quasi quod tota vis consisteret in maiori numero arithmetico, qui vni, vel alteri opinioni assisteret,

Siquidem Scribentes pro officiali, de-
2 ducendo in materia magistralem auctoritatem *Cumani consil.* 178. *num.* 2. *in secundo libro*, quem sequaces huius opinionis officiali fauorabilis, agnoscunt in Antesignanum, quod scilicèt, eius sit lucrum, allegabant *Dec. consil. 6. Alciat. consil.* 12. *numer.* 14. *lib.* 5. *Peregrin. de iur. Fisc. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 10. *Tondut. resolut. ciuil. par.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. *Larream allegat.* 33. *num.* 17. *Noguerol. allegat.* 5. *num.* 19. *& decis. Sanfelic. decis.* 285. *numer.* 78. *Bursatt. consil.* 325. *numer.* 12. *& seqq.* apud quos alij habentur.

E conuerso autem ex parte Cameræ dicebatur stare originalem auctoritatem *Bartoli*, eamque contra *Cumanum* esse veriorem, firmari dicebant apud *Franc. Marc. decis.* 201. *&* 202. *Farinac. quæst.* 171 *per tot.* ibique allegatum *Iodoc. in prax. & Boss.* quorum auctoritas magnificabatur, *Munoz. de ratiocin. cap.* 14. *num.* 27. *& seqq. & alios relatos apud Sard. consil.* 391. *Berlich. par.* 4. *conclus.* 57. *numer.* 82. *& seqq. Floresf. de Mena variar. lib.* 2. *quæst.* 21. *numer.* 162. *& seqq.* Pro hac opinione quoque deducendo *dictam decis.* 285. *Sanfelic. à princip. vsque ad numer.* 68. vbi latè de iuribus Fisci contra officialem.

Considerando igitur huiusmodi auctoritates, plures tam in ipsismet, quàm in Scribentibus, qui eas hinc indè transcribebant, animaduerti errores, & æquiuoca; Primò nempè, quod Scribentes circa *dictam decision.* 285. *Sanfelic.* ita
3 illam præsupponendo alicuius magni Tribunalis decisionem, proindèque maioris auctoritatis, iuxta ordinem recensitum *disc.* 35. *de Iudic. & in opusculo stylì, ac alibi pluriès*, non reflectebant, quod decisio propriè continetur in altera antecedenti 284. Super puncto, an publicani, seù Appaltatores iurium Fiscalium de huiusmodi lucris criminalitèr inquisiti, audiendi essent extrà Carceres per Procuratorem, vel è conuerso nonnisi in carceribus, quod pendet à qualitate criminis eiusque pœnæ; Alia verò subsequens *sub num.* 285. nil penitùs continet, quod percutiat causæ decisionem, nullumque verbum habetur ipsarum decisionum Auctoris, sed solùm registrantur

tur duæ informationes, hinc indè; Vna scilicèt, Aduocati Fisci scribentis ex officio contra Inquisitos, qui tunc erat *Capit. Galeot. auctor responsorum Fiscalium, & controuersiarum ex num. 1. ad 68.* & altera *à num. 69. ad finem*, Aduocati, & defensoris Inquisitorum; Vndè quælibet informatio continebat solita, & connaturalia extrema vitiosa, pro opportunitate clientis; Et per consequens neutra merebatur pro auctoritate considerari multóque minùs allegari, tanquam decisio, nec pro vna, nec pro altera parte,
4 & tamen in dies istas experimur ineptias, quod quando auctoritates allegantur, inspicitur solum in illis numeris, qui indicantur, ac de hoc loquantur, atque in cæca fidelitatæ desuper efformatur iudicium, non reflectendo ad illius Auctoris qualitatem, minùsque ad finem, vel effectum, ad quem ita ibi loquatur, quo nil ineptius, iuxtà monita de quibus *dicto disc. 35. de Iudic. & disc. 46. in relat. Curia, & in dicto opusculo styli, & alibi*.

Alterum aduertebam errorem, ipsorummet Auctorum, qui hinc indè allegabantur vt suprà, & præsertim dictorum Scribentium, hinc indè, apud *Sanfelic. di-*
5 *cta decis.* 285. procedendi scilicèt in sola litera antiquarum legum ciuilium de crimine peculatus, & de administratione, ac vsu pecuniæ Fiscalis loquentium, quas præsertim, & diligentèr de more expendunt dictus Fiscalis *Galeota, & Farinac. dicta quæst.* 171. non reflectendo ad id, ad quod reflecti debere sæpiùs aduertitur, an scilicèt, sint leges *Digestorum, vel Codicis* æditæ in Vrbe de tempore, quo in ea, Sedes Imperialis aderat, vel in Vrbe Constantinopolitana, postquàm ad eam dicta Sedes translata fuit ob mores, ac modum guberni j nimium immutatos ex mutatione Cæli, & ex alijs intermedijs contingentijs.

Et quod magis est, non reflectendo, ad id, ad quod reflecti debere, aduertitur nimium frequentèr, sed semper opportune præsertim suprà *disc.* 161. *& disc.* 1.
6 *de Seruit.* super historia scilicèt legali, ac super differentia temporum, quod nēpè, tunc vnum erat Imperium, vnaque Regiminis forma, adeò vt vbique cum eisdem viueretur legibus, nunc veró tot sunt diuersi principatus nimium diuersas habentes leges, ac stylos, ac regiminis formas, præsertim circa administrationem rerum Fiscalium, vt præcipuè occasione pœnæ fraudatorum aduertitur suprà *disc. 119. & alibi*; Et per consequens nimium euidens videtur error, ita indefinitè cum litera dictarum legum procedere.

Idemque error influit quoque in auctoritates, quarum aliæ sunt Italorum, aliæ Hispanorum, aliæ Gallorum, & aliæ
7 Germanorum, cum tamen huiusmodi, ac aliarum prouinciarum mores, ac styli nimium diuersi, penèque oppositi videantur, Quinimó in singulis prouincijs præsertim verò in Italia, & Germania, vtpotè maiorem principatuum scissuram patientibus, diuersi ac sæpiùs oppositi sunt Sigulorum principatuū mores, & styli, seù leges; Igitur ineptia manifesta, qua nulla maior, videtur ista consarcinandi in confuso auctoritates, ad huiusmodi reflexiones non aduertendo.

Tertió confundendo inspectionem criminalem ad effectum pœnarum, au scilicèt, intret crimen peculatus, vel fur-
8 tum, siuè illud genericum, quod explicari solet, cum nomine stellionatus, & ad quem effectum agi solet de natura pecuniæ administratæ, an sit verè, & propriè Fiscalis, vel potiùs impropriè, & remotè, & an agatur de Fisco verò, idest Principis Supremi, vel de administratore Ciuitatum subditarum, aut Baronum, & Dominorum inferiorum, cum alijs ponderationibus, de quibus apud allegatos, vt plurimum de isto effectu agentes, vt præsertim apud *Farinac. dicta quæst.* 171. *Bursatt. dicto consil.* 283. *& Sanfelic. dicta decis.* 284. *&* 285. Et inspectionem ciuilem faciendi, nec ne proprium illud lucrum, quod ex pecunia administrata factum sit, & ad quem effectum loquuntur *Cuman, Decius, Noguerol. & alij*, ob magnam differentiam, quæ dignoscitur inter vnam, & alteram inspectionem, quoniam respectu primæ, requiritur dolus, & malitia positiua, sinè quibus non datur delictum considerabili pœna criminali dignum, atque de facili intrant excusationes ponderari solitæ, præsertim veró illa vsus, vel iustæ credulitatis; Secùs autem ad alterum effectum ciuilem, se locupletandi de alieno, ac faciendi proprium illud lucrum, quod ad

ad alterum pertineat, iuxta distinctionem, quàm præsertim habemus in materia vsuraria, ac etiam conferunt ea, quæ in materia indebitæ, vel excessiuæ exactionis gabellarum habentur suprà *disc.* 71. Siue ea, quæ in materia alterationis, vel erroris computorum habentur suprà *disc.* 119. *& seq.* cum plerisque similibus.

Ideóque manifestus error est auctoritates, ita consarcinare, non distinguendo, an ad vnum, vel ad alterum effectum loquantur, ob adeò magnam diuersitatem inter vnum, & alterum, dum ad posteriorem ciuilem restitutionis, vel non bonificationis illiciti lucri, nil refert, an agatur de administratione publica, vel priuata; siuè in genere administrationis publicæ, an illa sit Fisci veri Principis Supremi, vel sit Baronis, aut alterius Domini inferioris, aut Communitatis subditæ, cum similibus.

Quartus demum error (neglectis alijs minùs considerabilibus, qui ponderari possent) est in idem ille confundendi prę-
9 dictas, & alias auctoritates, etiam cum præsupposito, quod non vrgerent alij errores, vel animaduersiones, de quibus supra, quia nempè omnes loquerentur, ad eundem effectum criminalem, siuè ad eundem effectum Ciuilem (ad quem in præsenti casu erat quæstio) omnesque loquerentur cum præsupposito eiusdem iuris communis, adeòvt nulla legum, vel stylorum diuersitas dignosceretur, quoniam adhuc magna inter eos viget diuersitas in figuratione casus, vel etiam ratione circumstantiarum ex quibus longè alteratur dispositio iuris; Et sic paritèr error est clarus in cumulo, & numero arithmetico auctoritatum vim constituere, cum principalitèr oporteat reflectere ad distinctionem casuum; Quinimò in eadem specie casus ad diuersitatem circumstantiarum, super quibus tamen impossibile est certas statuere regu-
10 las, ideóque ad hunc effectum lex introduxit Iudicis arbitrium, non quidem ex voluntate, vel ceruice, aut ex affectione, vel odio regulandum, sed ex dispositione, vel intentione iuris cum rectitudine boni, & iudiciosi viri, vt frequentèr sub diuersis materijs aduertitur.

Pro aliquali tamen cognitione, seù lumine ad effectum regulandi præsentem controuersiam, ac dignoscendi in quo casu versaremur, sequentes casus distinguendi, & considerandi videntur, alijs tamen non exclusis, de quibus in rei contingentia apud allegatos, cum maiori otio videri poterit.

Primus itaque casus est illius Thesaurarij, vel Capserij, siuè officialis, quocumque vocabulo nuncupetur, qui nul-
11 lum habens ministerium iuris, vel facti in exactione, habet solùm ministerium facti in custodia, & conseruatione pecuniæ fiscalis, seù aliàs publicæ, potiùs tanquàm speciem, quam tanquam genus, & quantitatem, adeòvt eius officium & administratio, redoleat speciem depositarij regularis, vt (ex: gratia) in Vrbe est Capserius Montis Pietatis, vel Banchi Sancti Spiritus, aliorumque banchorum, adeòvt dici non valeat, quod pecunia confundatur cum eius patrimonio, & efficiatur de eius dominio; Istoque casu quidquid sit de vna, vel altera specie criminis magis, vel minùs grauis, quod pendet à qualitate pecuniæ, & administrationis, vt supra, ad effectum tamen lucri, quod reportetur ex agio, vel commutatione pecuniæ de vna specie meliori in alteram deteriorem, semper ac indefinitè lucrum est illicitum, vtpotè redolens contractum rei alienæ inuito Domino.

Alter casus est officialis, & administratoris paritèr potiùs facti, quàm iuris, vt propriè est ille præsentis controuersiæ, & de quo præcisè loquuntur *Iodoc. & Boss. relati per Farinacc. dicta quæst.* 171 *num.* 43. quia nempè nullam habeat administrationem circa ipsam pecuniam, cuius exactio, vel alia administratio sibi incumbat, sed solùm habeat Ministerium facti, quod scilicèt, illam statutis temporibus recipiat à Thesaurarijs, alijsque officialibus, vel ministris, ad quos pertinet, vt eam soluat, & distribuat militibus, alijsque stipendiatis, vel assignatarijs; Istoque casu non intrat consideratio, de qua in casu præcedenti super omnimoda prohibitione vsus pecuniæ, eiusque commutationis in deterius ad proprium lucrum, quoniam recipiuntur in quantitate cum oblatione distribuendi etiam in quantitate, adeòvt periculum furti, vel alterius casus esset ipsis officialis, qui ità acquirit eiusdem dominium

dominũ in forma depositarij irregularis; Et per consequens isto casu cum eius industria non videtur prohibendus facere illud lucrum, quod absque aliquo damno, vel præiudicio eius, qui dat pecuniam, & eorum, quibus est soluenda, facere posset.

Puta (exemplificando in Vrbe) quod
12 per depositarium aliosque officiales, vel appaltatores, & debitores Cameræ, sibi detur ad hunc effectum pecunia in notabili quantitate in scutis auri nouarum stamparum habentibus inter negotiatores pro cursu cambiorum, siuè pro expeditionibus Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ quemdam extrinsecum maiorem valorem sub aggij vocabulo explicari solitum frequentèr insinuatum *sub tit. de cambijs*, & sub alio *de Regalibus*, *& de pensionibus*, *& de beneficijs*, *& alibi*, Inter priuatos autem, pro acquisitione victualium, aliarumque rerum vsualium, & præsertim in modica quantitate, id non habeatur in consideratione, adeòvt eiusdem vsus, & commoditatis sint huiusmodi scuti, ac illi stamparum veterum, si sit æquiualentia in moneta argentea iuliorum, & grossorum, ac similium specierum; Quinimò maioris commoditatis ista sit pro quotidiano, & minuto vsu, pro quo frequentiùs huiusmodi stipendia deseruiunt; Et tunc prohibendus non videatur iste officialis hanc adhibere industriam, commutandi acceptam pecuniam, quæ sibi data fuerit in specie meliori, in alteram inferiorem, respectu tamen vsus eiusdem æquiualentiæ, cum tunc nulli fiat iniuria, vel præiudicium, dum tam Cameræ debitrici, quàm stipendiarijs creditoribus, id nil præiudicat; Quod etiam in inferiori moneta ærea, quæ tamen quoad dictum vsum æqualem, atque eundem habeat valorem, licèt inter negotiatores, vel vbi agatur de magna quantitate ob maiorem commoditatem transportationis de loco ad locum, aliquem habeat maiorem extrinsecum valorem agij, vt (ex. gratia) contingit in Regno Neapolitano ob magnam copiam monetæ æreæ, & aliquam penuriam argenteæ, & aureæ, quoniam si officialis recipit monetam argenteam, vel auream, atque cum eius diligentia, & dexteritate, absque tamen aliqua concussione, & violentia curet, vt milites alijque stipendiarij libentèr suscipiant pagas in moneta ærea, ita faciendo aliquod lucrum ex aggio, paritèr id prohibitum non videtur.

Siuè quod sibi anticipatè data sit pecunia distribuenda prò pluribus mensibus, vel in fine cuiuslibet, ipse autem curet, eo intermedio tempore, pecuniam traficare, atque ex illa aliquod reportare lucrum, Et tunc paritèr ex eadem ratione prohibitum non videtur, cum paritèr interim suum sit periculum, nullumque dignoscatur tertij damnum, vel præiudicium, quotiès particularis prohibitio non accedat.

Sed si recipiendo pecuniam argenteam, vel auream, distribuat monetam inferioris valoris, adeòvt ad omnes effectus illa minùs valeat, vt est in casu, de quo supra *disc.126.* & contingit præsertim in Hispania in illa moneta nuncupata *de Velon*, ac etiam in hac facti specie verificari supponebatur in dicta moneta pataccarum, Et tunc aut debitum ipsius Cameræ, vel respectiuè Communitatis, & alterius, cuius vice solutio fiat, in hac specie monetæ consistat, adeòvt in illa soluenda debitum satisfiat, neque creditor illam recusare valeat (vt in facti specie in tertia parte ex consuetudine verificari supponebatur); Et tali casu lucrum Cameræ, vel Communitatis, siuè alterius, cuius nomine solutio fiat, esse debet, non autem officialis, vel ministri, qui nullum habere dicitur titulum, vel prætextum, ex quo tale lucrum faciat suum, vt in hac specie contingit, ideóque iustam dixi resolutionem.

Quatenùs verò debitum sit in pecunia bona, stipendiarij verò, vel assignatarij expressè nolint, & eis inuitis soluatur mala, & inferior, tunc non dicitur, quoad interessè bursale fraudari ipsa Camera, vel alter cuius vice, & nomine fiat solutio, sed dicitur fieri præiudicium, & fraus stipendiarijs vel assignatarijs, quibus soluitur minùs debito, vndè quodam modo inuiti hanc minorem solutionem recipere coguntur, Ideóque intrare videntur, ea, quæ de soluentibus minùs debito habentur *apud Sanfelic. decis.* 284. *&* 285. atque ita fraus, & præiudicium committi quoque dicuntur cum Principe, eiusque Camera, aut Communitate, cuius

cuius vice, & nomine fiat solutio, adeò vt crimen publicum quoque adesse videatur; quoniam quoad milites, aliosque inseruientes, & stipendiarios, ita
13 minùs recipiendo, non adeò benè, seruitium præstare possunt: Et quoad creditores, & assignatarios, nimium diminuitur existimatio, quæ è conuerso integrè, & punctualiter soluendo, augetur pro maiori, ac faciliori concursu negociatorum, vt in valore, & existimatione locorum Montium, aliorumque publicorum iurium praxis docet, vt proptereà luctum in officiali remaneat illicitum.

Tertius demum est casus illorum officialium, & ministrorum in quibus admixta sit aliqua administratio iuris, quia nempè onus exactionis eius periculo subeant, Et tunc quoties Cameræ, vel Domini nil interest, dum tam exactio, quàm exactæ pecuniæ periculum interim
14 eius damno cedit; aliqua industria citra subditorum concussionem, & iniustitiam prohibita non videtur, iuxtà casum de quo agit *Decius consil.6.* quotiès lex, vel consuetudo non prohibeat, cum in hac materia totum faciant leges, vel consuetudines, & styli.

Aliqua tamen differentia constituenda venit inter simplices officiales habentes illam administrationem in officio, & appaltatores, seù arrendatores principaliter agentes causam propriam ad industriam, & negotiationem, vt priori casu magis strictè, & rigorosè contra officialem procedendum sit, ex ea differentiæ ratione, quod isto casu habetur ad instar tutoris, qui vtilia gerere debet ad commodum pupilli, vel alterius cuius tutelam gerit, in altero autem appaltatoris iste dicitur procurator in rem, & vtilitatem propriam, vt aduertitur *dicto disc.71. hoc eod. tit.* Idcòque non placent ea, quæ habentur per Scribentes *apud Sanfelic. dicta decis.285.* parificando appaltatores officialibus.

Eatenùs verò in hac facti specie (aplicando ad rem) istum officialem excusa-
15 bilem fore dicebam, vt proptereà suum deberet esse lucrum, quatenus id ex antiqua consuetudine à superioribus tolerata proueniret, atque luctum referendum esset ad quandam speciem salarij, vel mercedis, quod ex facto pendebat.

DISC. CXCVIII.

Romana Officij.

Pro Marcellinis, cum Camera Populi.

Casus disputatus coram Iudicibus deputatis, & resolutus, vt infrà.

De eadem materia, & puncto de quo suprà *disc.3.* prorogationis officij ad vitam alterius; Et vendens officium non vacatum, ad quid officiali teneatur, an ad pretium, vel ad fructus donec vixit.

Et incidenter ad quid teneatur ille, qui concessionem à Principe obtinuit de re alterius.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quando confiscatio Apostolica reualidet actum aliàs inualidum.*
3 *Quomodo applicari debeant distinctiones desuper tradi solitæ.*
4 *Ad quid potissimè in hoc reflecti debeat.*
5 *De applicatione ad casum controuersię.*
6 *An contra donatarium Principis rei alienæ detur actio ad restitutionem.*
7 *Si vendatur officium alienum, quid restitui debeat.*
8 *De eodem, & de æstimatione vitæ hominis.*

DISC. CXCVIII.



DE eodem anno 1636. in quo per Conseruatores, Populi Vrbis, concessa fuit prorogatio superius peracta *disc.3.* concessa quoque fuit ista de officio
1 possesso per Attilium; prorogata ad Ioan. Franciscum fratrem natu minorem, eadem adamussim accedente Apostolica confirmatione Vrbani Octaui; Defuncto verò Attilio, continuante Camera Populi

Populi, in ibi enunciata prætensione inualiditatis, huiusmodi prorogationum, quodque propterea sequuta fuerit vacatio officij, istud præuio mandato Pontificio ad præscriptum Chirographi Innocentij Decimi enunciati etiam suprà *disc.* 14. venditum fuit, atque pretium de licentia Clementis Noni, erogatum in extinctionem æris alieni per eandem Cameram contracti pro expensis solemnis æquitationis eiusdem Pontificis, in adeptione possessionis in Basilica Lateranensi, iuxtà stylum; Quare Ioan. Franciscus superstes, eiusque pendente lite, defuncti hæredes, iudicium contra dictam Cameram instituerunt, coram Prælato iudice deputato, pro restitutione dicti pretij, atque sententiam fauorabilem reportarunt; Commissaque causa appellationis alteri Prælato; Cum ex parte actorum, tam in præcedenti, quàm in ista instantia præcipuum fundamentum constitueretur in deductis in specie *dicto disc.*3. iam publicæ luci edito, Scribentes veró pro Camera impugnarent responsiones, ibi datas ad impugnationem confirmationis Apostolicæ, ac etiam insisterent in eo, vt contra ipsos, tanquam donatarios Principis, dicti pretij, iam consumpti, nulla competeret actio; Vel quod, vbi competeret, illa restringeretur, ad quanti interest, & sic ad fructus pro tempore superuiuentiæ dicti Ioannis Francisci, per cuius obitum sequuta quoque fuisset vacatio; Hinc iudice quoque exoptante desuper, ex parte actorum requisitus fui ad scribendum, meumque pro veritate sensum proferendum.

Tres itaque erant puncti; Primò nempè de quò *dicto disc.*3. super dictæ prorogationis validitate; Secundò quatenùs illa valida esset, an contra ipsam Cameram competeret actio, nec ne; Et tertiò quatenùs competeret, an esset ad totum pretium, vel etiam ad fructus, quos dictus Ioannes Franciscus percepisset.

Quatenùs pertinet ad primum; Non controuertebam inefficaciam prorogationis ex sola potestate Conseruatorum, vt etiam admittitur *dicto disc.*3. ideòque disputatio restringebatur ad efficaciam
2 confirmationis Apostolicæ, in quà ibidem pro validitate actus constituitur fundamentum; In hoc etenim Scribentes pro Camera dicebant, quod *Dec. consil.* 341. in cuius auctoritate fundamentum constituitur, loquitur cum præsupposito, quod accedens quoque clausula, *& nihilominùs de nouo concedimus, &c.* quæ operatur, vt confirmatio transeat in speciem nouæ concessionis ex integrò, iuxtà ea, quæ habentur *disc.*2. *& 3. de feud. & alibi*, quodque cum eodem præsuppostio loquantur ibidem allegatæ *decis.* 1432. *Seraph. decis.*157. *par.* 6. *recentior.* vndè propterea cum in dicta confirmatione præfata clausula non adesset, minùsque altera *ex certa scientia*, quàm solùm, & de per se neque sufficere, quoties aliundè non constaret, quod confirmatio reuera esset, ex certa scientia, & in forma specifica, verius, magisque receptum est in Rota, & Curia, idcircò dicebant non suffragari, sed remanere in terminos simplicis confirmationis in forma communi, quæ nullum ius, vel robur tribuit actui confirmato, sed iuxtà eius naturam regulatur, quasi quod Pontifex præsupposuerit, seù crediderit, quod Conseruatores istam haberent facultatem.

His non obstantibus persistebam in eodem sensu, de quò *dicto disc.*3. quod scilicèr, ista confirmatio Apostolica robur, ac validitatem actui tribueret, omnemque suppleret defectum, tanquàm per speciem nouæ concessionis, iuxtà firmata in ibidem deductis auctoritatibus, ac etiam *dicto disc.*2. *& 3. de feud. & alibi pluriès*, cum alijs plenè deductis *per Barbos. in collect. ad cap. cum dilecta ex num.*12. *de confirmat. vtil. vel inutil.* qui fortè omnium latiùs hanc materiam Apostolicæ confirmationis pertractat, omnes recensendo opiniones: pluresque distinguendo casus, ac etiam cum eadem distinctione procedit *Fagnan. in cap. si quis eodem tit. de confirmat. vtili, vel inutili*, idemque est sensus Rotæ, in suprà allegatis decisionibus, ac etiam *dec.*145. *par.*7. *recentior. repetit. apud Carill. decis.*24 *apud Buratt. decis.* 93. *apud Coccin. decis.* 1763. & in alijs modernioribus pluttiès, quod scilicèt; Aut agitur de simplici confirmatione in forma communi, siuè certa scientia defectus, vel præiudicij, quod alteri inferretur, & tunc rectè procederent ea, quæ per dictos Scribentes in contrarium deducebantur, aut

verò de confirmatione in forma specifica, ex certa scientia, & tunc secus, sed procederent ea, quæ dicebantur ex hac parte; Ideóque punctus jetat potiùs facti, & applicationis, quàm iuris, an scilicèt, in vna, vel in altera distinctionis parte versaremur.

In huiusmodi autem applicationis regulatione dignoscitur idem consuetus, adeò frequentèr damnatus, & inculca-
3 tus error procedendi cum generalitatibus, vel in sola littera auctoritatum, & decisionum, quæ diuersos percutiant casus, & præsertim procedendi, cum distinctione, cum quà turba Scriptorum in superficiè procedere solet, an sit inserto tenore nec ne, quasi quod ex hac incertiore affirmatione, vel negatiua resultet natura confirmationis; vel an adsint, nec ne clausulæ prægnantes, & præsertim illa *ex certa scientia*, siue altera *supplentes*, aut altera, *Et nihilominus de nouo, &c.* cum similibus formalitatibus, quoniam reuera eum agatur de voluntatis quęstione, & facti principalitèr inspicienda est consubstantia, voluntatē ex illius facti particularibus circumstantijs desumendo, non autem ex simplici formalitate clausularum, & verborum, ipsis deseruientibus ad eiusdem voluntatis probationem, vel adminiculum, vnde propterea insertio tenoris est quidem vna species probationis, quòd confirmatio fuerit ex certa scientia specifica, sed non est vnica, & præcisa, cum aliæ species quoque admittuntur, puta, quia compendiosè narretur actus confirmatus in rebus, & partibus substantialibus, vel quia constet confirmationem emanasse, causa cognita, & prævio voto, seù consultatione alicuius Congregationis, aut peritorum ad id deputatorum, iuxtà ea, quæ habentur *dec. 193. & 210. par. 1. recentior.* vel quod agatur de defectu claro iuris, qui pateat in continenti, & cuius ignorantia danda non est in Papa, eiusque officialibus, siuè quod aliàs confirmatio euidenter inutilis remaneret, eiusque impetratio claram redoleret fatuitatem, cum similibus probationum speciebus, etiam per testes, vt aduertitur *per Barbos. vbi supra*, per quem præsertim expenditur *dicta decis. 193. par. 1. recentior.* & aduertitur supra *hoc eodem tit. disc. 93. nu. 7. & disc. 35. de Iudic. nu. 63. vers. adhuc tamen, & alibi.*

Principalitèt autem, ac potissimè aduertebam reflectendum esse ad circumstantias particulares casus, de quò aga-
4 tur, an scilicèt, gratia confirmationis sit singularis, & insolita super aliquo actu, de partibus cuius verisimiliter Papa plenam, & exactam cognitionem non habeat, vel è conuerso sit gratia solita concedi, & super re, cuius verisimilis habeatur notitia, reflectendo quoque ad qualitatem præiudicij exindè resultantis, adeòvt resultet verisimile, vel inuerisimile, à quò veré, ac principalitèr materia ambiguæ, & coniecturatæ voluntatis normam recipere debet, vt frequentèr tàm in vltimis voluntatibus, quàm in actibus inter viuos in hoc proposito ambiguæ, & coniecturatæ voluntatis aduertitur, istique videntur veri, ac proprij termini, seù veræ reflexiones, cum quibus materia regulanda videtur, non autem procedendo cū regulis, & propositionibus generalibus in abstracto, siuè cū litteris auctoritatum, & decisionū quæ diuersos percutiunt casus, diuersas habentes circumstantias.

Applicando autem ad rem cum non agatur de gratia singulari, & insolita, sed consueta, & frequenter concessa, minùsque agatur, de negotio existente in
5 remotis regionibus, sed in Vrbe, & in negotio publico, & notorio spectante ad Cameram Populi, de cuius statu Papa informationes recipere solet à Senatore, & à Fiscali Capitolino, qui frequentèr, ad eius audientiam admicti solent, ac etiam sint benè cognita Papæ officialibus, sitque defectus, qui consistit in mero puncto iuris iam noto, atque discusso, & deciso, vt in decisionibus in eodem *disc. 3.* relatis; Hinc de consequenti, vnum clarum, ac firmum esse dicebam, vt dicenda esset confirmatio ex certa scientia, atque principalitèr obtenta ad reualidationem, ac firmitatem actus, quem iam notum erat non esse validum.

Fortiùs verò attenta qualitate præiudicij, quod modicum, atque potiùs priuatum, quàm publicum erat, Siquidem attento eo tempore, quando adhuc sequuta non erat dicta prouisio Innocentij Decimi, emolumenta huiusmodi vacationum cedebant in vtilitatem confestuatorum prò tempore, vel erant ad

eorum

eorum dispositionem, adeòvt in his prorogationibus consideraretur sola ratio supplantationis successoris, non intrante altera ratione voti captandæ mortis, ob consensum possessoris officij, dicta verò ratio, stante vsu, adhuc cessat, quoniam illud damnum, quod Conseruatores præsentes, & actuales, ita sentiunt à gestis per prædecessores, compensatum remanet ab illo damno, quod cum eorum lucro per consimiles concessiones faciunt successoribus, & sic successiuè, vt in appaltibus considerari solet.

Ista etenim consuetudo non est noua, sed antiquissima, vt patet ex eisdem decisionibus, quæ illam non sufficienter probatam, ex quodam stricto iuris rigore declarant, relatis *eodem disc. 3.* ideòque stante dicta declaratione, pró eius continuatione ad inuenta fuit ista cautela ex actuum multiplicitate, ac subiectæ materiæ qualitate probabili, apud Pontifices eorumque officiales notoria.

Ad quod satis proximè conferre videtur, ea quæ habentur *sub tit. de dote disc. 22. & seqq. & disc. 143.* Super Apostolicis gratijs, quæ conceduntur prò reualidatione dotium excessiuarum contra formam Sixtinæ Constitutionis, quod in cis non intrant, ea, quæ aduersùs gratias obijci solent ex defectu subreptionis, vel obreptionis, aut defectu intentionis, quoniam sunt gratiæ notoriæ, consuetæ, & frequentes, non solitæ negari, & quæ alium non habent finem, aliamque non faciunt operationem, nisi reualidandi, id quod iam notorium est, esse aliàs inualidum.

Quò verò ad secundum punctum, an scilicèt, pro repetitione pretij competeret actio contra Cameram; Dicebam etiam cum eodem sensu veritatis, quod quando illa non fecisset alias dictas im-
6 pensas, neque debitum contractura fuisset, adeòvt liberalitas Papæ, ad id eam impulisset, aliàs non factura; Et tali casu ptò ea probabilius respondendum fore mihi videretur, ex ijs, quæ magis in specie habentur *disc. 43. de donat.* & magis generalitèr circa actionem, de in rem verso *disc. 72. de credito, & disc. 156. de dote, & alibi*; Sed quoniam expensa erat ex lege consuetudinis, & congruentiæ necessaria, illaque erat iam facta, atque debitum iam contractum, adeòvt, nisi istud pretium erogatum fuisset in eius dissolutionem, istam aliundè facere oportuisset, hinc sequitur, vt ad sit verbum, illudque duret, ideòque aliàs intraret locupletatio de alieno, iuxtà deducta in eisdem locis mox citatis, Adeòvt concessio Papæ non redoleret gratiosam concessionem de suo, sed potiùs licentiam erogandi hanc speciem pecuniæ in istum vsum ad tollendum obstaculum, quod resultabat à dicta prouisione Innocentij Decimi.

Demùm quoad tertium punctum, prò restitutione totius accepti respondendum fore dixi, non obstante subsequuto euentu ob possibilitatè, quòd possessor officij, vtpotè in statu valido, & in ætate con-
7 grua, potuisset illud vendere cum licentia Papæ, quæ cessante infirmitate, vel graui ætate, negari non solet, neque de iustitia potest, vel debet ex pluriès deductis in præcedentibus, & præsertim *disc. 6.*

Ad quod conferre obseruabam, ea quæ habemus de bonis mobilibus datis in dotem ad vsum, adeòvt soluto matrimonio, restituere sufficiat vsu consumpta, & talia, qualia sunt, & à quorum restitutione excusat lapsus longi, vel respectiuè longissimi temporis, ob præsumptionem consumptionis, iuxtà eorumdem speciem, seu qualitatem, Et tamen si vir ea vendat, atque pretium obtineat, tenetur ad istius restitutionem, neque excusatur ex eo, quod nisi vendidisset fuissent consumpta, *vt per Castren. in l. si æstimatis, ff. solut. matrimon. Vrsill. ad Afflict. decis. 270. in fine*; Siuè in hærede grauato excusato à restitutione illorum mobilium, quæ vsu consumuntur, vt nihilominus teneatur, si ea vendidit, & pretium obtinuit, *vt disc. 130. de fideicom. & fortè disc. 25. de legit. & detract. & alibi*; cum similibus.

Verùm omnem difficultatem cessare aduertebam, ex eo, quod præfatus Ioan. Franciscus Superstes de tempore mortis
8 Attilij erat in ætate annorum 45. Ac propterea, quando procedendum esset cum computatione, *text. in l. ad hæreditatum, ff. ad l. Falcid.* superessent anni quatuordecim, quorum fructus in huiusmodi vacabilibus longè maiores, quàm in perpetuis valorem æquant, & superant; Et quando, vt verius mihi vide-

tur procedendum esset cum illis considerationibus, de quibus suprà *disc.30. &* *latiùs disc.54. de donat. & alibi*, maius tempus æstimari debuisset, ob validum statum, ac fortem complexiorem, ideòque attendi non debet euentus, qui si cuti fuit breuis, ita poterat esse longissimus, vsque ad centum annos ob possibilem durationem vitę hominis ad dictam ætatem *ex relatis sub tit. de emphyth. & alibi pluriès.*

DISC. CXCIX.

Taurinen. bonorum.

Pro eodem de quo supra disc. CXCI.

Responsum ad causam cum sensu veritatis.

An Fisco competant remedia possessoria, & præsertim illud adipiscendæ ad bona, & iura delata deliquenti, vel indigno. Et de donatione facta per patrem filio, quando sit reuocabilis, vel onetari possit fideicommisso in exclusionem confiscationis bonorum filij donatarij.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An & quando Fisco pœnali competat remedium possessorium adipiscendæ ex remedio,* l. fin.
3 *In Fiscum non transit ius cognoscendi iura delata, & non agnita.*
4 *Remedium possessorium adipiscendæ non competit ei, qui semel possederit.*
5 *An Fisco competant alia remedia possessoria retinendæ, & reintegrandæ.*
6 *De differentia inter Fiscum hæredem anomalum, & hæredem verum.*
7 *An, & quando vnus sit alteri legitimus cōtradictor ad impediendum remedium possessorium adipiscendæ.*
8 *Iuramentum validat donationem inter patrem, & filium.*
9 *Quando id procedat, & quomodo intelligatur.*
10 *In vim reseruationis adijci possunt ex interuallo conditiones, & onera.*
11 *Declarationi donationis, an & quando sit deferendum.*

DISC. CXCIX.



1 IN eodem casu, de quo agitur supra *disc.CXCI.* ac etiam *discur.130. & 131. de feud.* diuersas præter stylum, facti series narrare oportet, ob varietatem articulorum, ac etiam quia super singulis, super quibus distincta responsa petita fuerunt, illa tantùm series transmissa fuit, quæ punctum præcisum pereuteret, & quandoque manca, & imperfecta, vt præsertim liquet ex *dicto disc.131. de feud.*

Quatenus, itaque pertinet ad præsentem casum, præsupponebatur in transmissa notula, id quod, respectu bonorum allodalium neglectum fuerat in alijs, vtpotè percurientibus articulos feudales, quod scilicèt, cupiens Marchio Planezzæ, qui primi Ministri illius Principatus celebrem apud Historicos, personam gessit, atque pleraque alia exercebat maiora munera, istis omnibus alijsque mundanis abdicatis, solitariam, ac pauperem vitam ducere, vt ita cælestibus magis vacaret, de anno 1667. post munerum dimissionem, Marchioni loci, quod nuncupatur Polonia, filio iam adulto, & vxorato oretenus, & de facto omnium bonorum feudalium, & allodialium possessorem, ac administratorem dimiserit; Deindèque de anno 1671. vltrà illam assignationem feudi, de qua agitur in dictis *disc.130 & 131. de feud.* per publicum instrumentum iuratum, eidem refutauerit feudum Montafiæ extrà illum Principatum, de directo dominio Ecclesiæ, atque in hoc instrumento narratum fuerit, quod vsque ab anno prædicto 1667. oretenus de omnibus bonis donationem filio fecisset, cum reseruatione vnius prædij sufficientis ad eius substentationem in statu paupertatis, & cum alijs reseruationibus exprimendis in instrumento desuper cōficiendo ob aliqua impedimenta adhuc non facto, quodqne propterea, tunc ad refutationem dicti feudi puram, & absque alia conditione deuenicbatur, reseruato super

super alijs magis oportunè, aliud instrumentum facere.

Postquam igitur dictus Marchio filius, præfato alio instrumento non confecto, inquisitus fuit de crimine, locis supra citatis enunciato, Marchio pater, antequàm transmitteretur inquisitio, per aliud instrumentum declarauit reuocare, quantum eius extenderetur potestas, quamcumque assignamentum, vel donationem filio factam, ac etiam ad præscriptum eius, quod iam in testamento à pluribus annis ante præfati Status mutationem condito, ordinauerat habuisse in animo adijciendi perpetuum, ac descendentium fideicommissum cum ordine primogenituræ, nec non priuationem delinquentium, iuxtà vulgarem passimque practicatam cautelam per plures dies antea, cum substitutione alterius proximè venientis, atque hoc stante, eadem bona cum dicto onere assignauit, ac dedit traditione quoque subsequuta eius ex dicto Marchione filio, nepoti primogenito, cōtra quem iam possessorem, stante pluriès enunciata sententia contumaciali in pœnam capitis, & confiscationum omnium bonorum, Fiscus vigore præfati instrumenti anni 1671. iudicium immissionis ad eadem bona instituit, ex remedio *l. fin. C. de edic. D. Adrian.* Qua re desuper quoque sicuti super alijs punctis, de quibus locis citatis peractum est, ex parte dicti Marchionis senioris, iura nepotis, vt decet tuentes, consultus.

Duplicem, respondendo, efformabam inspectionem; Vnam nempè ordinis super dicti intentati iudicij possessorij competentia, vel incompetentia, & alterum iustitiæ, seù meritorum in negotio principali; Atque in vtroque ad fauorem requirentis contra Fiscum, ad solam veritatem reflectendo, visum est respondere.

Quatenùs itaque pertinet ad primum punctum ordinis, vel competentiæ iudicij, dicebam quod ex veriori, ac recepta sententia agnoscente in auctorem
2 *Bald.* cum quó alij pertranseunt, ex relatis *per Menoch. de adipisc. remed.4. numer.293. & seqq. & Argel. de acquir. possess. quæst. 10. artic. 8. num. 131. & seqq.* Fisco eatenus istud remedium possessorium competit, quatenùs competeret etiam ipsi delinquenti, vel indigno, ex cuius persona, tanquàm hæres anomalus venire dicitur, illud peteret, Secus autem si veniat ex persona propria independenter ab eius auctore, & contra istius iudicium, vt contingit, quando veniat aduersùs alienationes, aliosque actus in eius fraudem factos, cum tunc sibi competat actio rescissoria ex *Ed. Jo de his, quæ in fraud.* in iudicio ordinario petitorij peragendo; Atque eatenùs ex persona auctoris, istud remedium ad bona, & iura sibi delata competit, quatenùs etiam
3 agnitio sequuta sit ab ipso principali, cum in Fiscum pœnalem, ex veriori, magisque recepta sententia, non transeant, ea quæ latent in animo, ac præsertim istud ius adeundi, vel agnoscendi, ex deductis supra *disc. 123. ac etiam discur. 160.*

Dupliciter autem ipsi Marchioni primo donatario, ex cuius persona, & iure Fiscus veniebat, istud remedium non competere, aduertebam; Primò nempè, quoniam cum supponeretur, quod ipse
4 possessionem bonorum iam obtinuerit, ac retinuerit vsque à dicto anno 1667. per spatium annorum circiter septem, ita plana remanebat incompetentia huius interdicti, quod solùm conceditur, ei, qui nunquam possederit, ad nouam possessionem obtinendum, non autem, ei, qui semel possederit, cum tunc alia interdicta reintegrandæ, vel retinendæ concedantur, non autem istud, ex plenè firmatis *decis. 34. post Turr. de Pact. fut. success. vbi concordantes, & habetur disc. 44. num. 10. & 63. de Iudic.*

Cogitabam pro ratione dubitandi, an istud motiuum posset esse potiùs Fisco proficuum, atque reo conuento præiudi-
5 ciale, adeòvt loco euitandi istud iudicium adipiscendæ, ita excitaretur Fiscus ad prætendendum aliud magis proficuū, magisque priuilegiatum remedium recuperandæ, vel retinendæ in vim dictæ possessionis anterioris sui auctoris.

Sed quamuis illud in responso edito non excitauerim, ne adeò duro aduersario, qualis est Fiscus, nouæ aperirentur prætentiones; Attamen credebam, quod quando etiam motiuum excitaretur, nullam haberet subsistentiam, dum etiam in hærede testato, vel intestato fauorabili non conceditur ex persona propria

remedium retinendæ, eo quia possessio defuncti in ipsum non transit absque actuali appræhensione, minùsque illud reintegrandæ, nisi quatenus auctor, illud intentauerit, vel spoliatum se dixerit, ex deductis *dicto disc. 44. de Iudic. & alibi.*

Multò igitur minùs in Fisco hærede anomalo, & odioso in quem, iuxtà de-
6 ducta *dicto disc. 160. & 123.* non transeunt ea, quæ in priuatum hæredem fauorabilem transeunt, dum ab eo potiùs alienus præsumitur animus principalis, cui succeditur, iuxtà ponderationes de quibus *dicto disc. 160.* ac etiam *sub tit. de legitima disc. 13.* adeòvt potiùs præsumendus sit animus, eo modo, quo proprio filio magis expediat, atque Fisco odibili noceat, & præiudicet, habendi se pro spoliato, ac habendi possessionem pro derelicta, vt propterea vtrumque interdictum non intret.

Et alterum erat fundamentum super eiusdem intentati remedij possessorij incompetentia, ex eo, quod ageretur cum
7 altero donatario habente parem titulum, & possessionem ab eodem auctore in vita, quo casu dicitur legitimus contradictor, cum quò agendum est in iudicio ordinario, & petitorio in quò diffiniendum est, an intret, nec ne dispositio *text. in l. quoties, C. de donat. quæ sub modo,* ex ijs, quæ ad materiam legitimi contradictoris habentur *disc. 43. & 44. de Iudic.* ac etiam *disc. 73. de Benefic. & alibi,* ac propterea ista prima inspectio plana videbatur ad fauorem possessoris.

Quo verò ad alteram in meritis negotij principalis, inanè reputabam opus assumere quæstionem, an illa dimissio bonorum, quam oretenus, ac de facto principalitèr filio fecit de anno 1667. importaret donationem, vel simplicem assignationem iure peculij, siuè administrationis, & ad effectum, vt idem filius vice, ac nomine patris absentis ex eorundem bonorum fructibus, iuxtà decorem,
8 ac statum, familiam substentaret, quoniam, vbi etiam fuisset iure donationis, adhuc effectus esset idèm ob prohibitam donationem inter patrem, & filium, siuè imperfectam atque pro libito reuocabilem, ex deductis *disc. 40. de donat.* cum notationibus, idque rectè Fiscales agnoscebant, dum totum fundamentum constituebant in iuramento contento in instrumento, vt suprà celebrato de anno 1671. Quamuis etenim istud in parte dispositiua contineret solùm refutationem perfectam feudi, Attamen supponebatur, quod Fiscales fundamentum constituerent in narratiua enunciante donationem ab initio, stante quod in dispositiua cum iuramento dicebatur, quod omnia narrata essent vera, ideòque ita intraret limitatio, de qua *eodem disc. 40. de donat.* super validitate, ac perfectione, & irreuocabilitate donationis inter patrem & filium ratione iuramenti.

Verùm id continebat fallaciam euidentem, quoniam tunc iuramentum in omnibus prohibitionibus, quæ à iure positiuo manant, hanc facit operationem tollendi huiusmodi prohibitiones, & ob-
9 staeula, quando deducendo huiusmodi prohibitiones ad praxim, vel vsum, resultaret peccatum, seù reatus periurij, cum directa impugnatione, adeòvt intraret dispositio, vel ratio *text. in c. cum contingat de Iur. iur. & in c. per vestras de donat. inter vir. & vxor.* Secus autem vbi impugnatio fieret à tertio, iuxtà casum de quò *sub tit. de Credit. disc. 10.* vel fieret ab eodem ex capite non compræhensionis, vel ex altero defectu naturali, ex quò de consequenti ipsum iuramentũ corruat, atque inefficax remaneat, puta ratione doli, metus, vel erroris, aut negatæ existentiæ, vel probationis; Et in summa, quod non sit impugnatio præcisa, & directa, ex quà dictus census oriatur, sed indirecta, iuxtà illam distinctionẽ, quæ *disc. 143. de dote, & alibi,* pluriès præsertim *sub tit. de alienat. & contract. prohibit.* habetur in materia potestatis laicalis derogandi, nec ne iuramento, atque in his terminis donationis habetur, quando reuocatio proueniat ex eius natura, quia nempè sit clara, & expressa causa mortis, & tamen adhibeatur iuramentum, quoniam istud non tollit facultatem reuocandi, vtpotè de natura actus, quoties illud simpliciter interpositum est, quæstione cadente, quando illud exprefsè adiectum sit promissioni de non reuocando, an corrumpat naturam actus, illudque transire faciat in donationem inter viuos, ex *deduc. per Merlin. decis. 665. repetit. decis. 9. par. 7. recentior.*

tior. & plurièś in sua Sede *sub tit. de donat.*

Applicando autem ad rem; Hinc esset impugnare hoc iuramentum assertorium, quando donator negaret assertionem, asserendo nunquam donasse contra iuratam narratiuam in instrumento factam, sed si donator affirmet de præsenti, id quod nudi facti est, quod scilicèt, dictam dimissionem bonorum in animo facere habuerit, non iure simplicia peculij, & administrationis, sed titulo donationis, non per hoc inferri potest, quod ista donatio simpliciter, & oretenus facta sinè aliquo iuramento, dici valeat iurata, adeòvt interr limitatio regulæ, ob iuratam assertionem ex internallo super eius facto, quoniam ita esset dare retrotractionem huius simplicis iuramenti assertorij ad actum gestum per quatuor annos antecedentes, quod nullo iure, nullaque ratione dici potest.

Omnem tamen dubitandi rationē cessare aduertebam, etiam vbi ageretur de donatione ab initio valida, & perfecta ob reseruatam facultatem adijciendi cō-
10 ditiones, & onera, seù faciendi reseruationes, vt exprimitur in eadem prædicta narratiua, in qua Fiscus totum fundamentum constituebat, quæ diuidi non poterat, tum ex regula, quod confessio in ciuilibus diuidi non potest, *vt disc. 23. de Iudic. num. 26.* Tum ex altero axiomate, vt vnus, & idem actus non possit in parte approbari, & in parte reprobari, potissimè, vbi non impugnatus, sed acceptatus fuit ab eo ex euius persona, & iure veniatur, atque hoc stante, absolutum remanet, vt conditiones, & oneraex interuallo adijci valeant, cum illæ censeantur in esse ab initio ex ijs, quæ habentur *sub tit. de fideicomm. disc. 134. cum plur. seqq. præsertim disc.* 138. & 140.

Alia quoque in idem suffragante conclusione, de quà locis citatis, ac etiam in sua sede *sub tit. de donat. pluries, præsertim disc. 36. & disc. 85. de feud.* quod
11 donator etiam ex interuallo illam etiam iuratam, & perfectam donationem, quæ absque dubio sit irreuocabilis, atque pœnitentiam excludat, declarare possit in ijs, in quibus ob aliquam dubietatem cadat terminus declarationis, vel interpretationis, cui declarationi est deferendum.

Potissimè verò, ac extra omne dubium, quando declaratio non tendat ad priuatum comodum, & interesse ipsius declarantis, illaque sit verisimilis, magis verò, si fomentum, vel adminiculum, aut primordium veritatis habeat; Hæc autem omnia insimul concurrere videbantur, quoniam vt patet ex deductis suprà *dicto disc. 160. de legitima*, & pluriès *sub titulo de fideicommiss.* cautela exclusiua confiscationis, videtur hodiè generalis, & ordinaria etiam in personis priuatæ fortunæ, multò magis in viro ordinis magnatitij, adeò prudenre, atque rerum mundi experto, & in patrimonio adeò pingui, & qualificato; Magis verò ob primordium veritatis cōprobatum à testamento condito tempore ab omni penitus suspicione remoto, vtpotè per plures annos ante dictam terminationem, in quó idem continetur, ac in vltimo instrumento de anno 1674. ad fauorem nepotis, quod potiùs præuentiuam testamenti executiuum continere dicitur, ideóque concludebam casum videri clarum, ac omnis disputationis dote indignum.

DISC. CC.

Romana Extinctionis Montis.

Discursus in ratione motiuandi.

Quomodo fieri debeat depositum pecuniæ restituendæ pro extinctione locorum montium cum illis Montistis, qui citati, non curant in termino comparere, & recipere pecuniam.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo fieri debeat depositum pecuniæ pro extinctione locorum montium, & per totum.*
3 *Deposita pupillorum, viduarum & similium fieri debent penès publicam aedem*
4 *Quando debitori liceat deponere in contumaciam creditoris.*

7 De-

5 *Depositarius montis, an sit idoneus pro recipiendo deposito dictarũ pecuniarũ.*
6 *Cedula bancaria inter negotiantes habent vim pecuniæ numeratæ.*
7 *De modo seruando in casu de quo supra, num.2.*

DISC. CC.



1 BTENTA per Ducem Hieronymum Matthæum à Clemente Decimo erectione montis pro extinguendis debitis sub grauloribus vsuris, cùm Tutores eiusdem defuncti vnici filij, & hæredis agnoscerent, non expedire, quoniam licet apparenter fructus montis essent minores, attamen de facto comperiebãtur graniores, stante consueto pacto eum capsore, quem idem Dux elegerat in depositarium, vt pro fructibus quolibet semestre soluendis ei liceret illum ponere sub cambijs, & recambijs; Hinc deliberarunt vendere quædam Castra Duci Lantes ad effectum erogandi pretium scutorum quinque mille circiter ad effectum extinguendi dictum montem in parte; cumque ad hunc effectum desuper necessaria est licentia apostolica stãtibus Constitutionibus pluries enunciatis *sub tit. de feud.* quæ prohibent alienationes bonorum iurisdictionalium, atque in Chirographo super hac licentia iuxtà stylum extenso pro consueto formulario contineretur, quod pecuniæ deponi deberent in banco eiusdem depositarij risico, & periculo Ducis debitoris infra terminum quindecim dierum assignari solitum montistis extractis ad eandem pecuniam recipiendam, ab inde vero citra risico, & periculo creditorum; dictus autem Pontifex Innocentius XI. Pontificatus initio, expertus dum esset Cardinalis aliqua inconuenientia ex ea resultari solita, quod inconsideratè per Pontifices subscribi solent Chirographa, quæ per ministros & officiales sub re scribenda proponuntur, eum ea sola notitia, quæ habetur ex quodam breui summario in eorundem Chirographorum pede apponi solito, determinasset illa non subscribere, nisi prius reuiderentur à me, tanquam eius Auditore, hinc in isto chirographo, quod fuit primum, aduerti, quod iniustum, ac irrationabile esset præfatum depositum penès priuatum capsorem per montis debitorem electum pro eo tempore, quo non ipsius eligentis, sed montistarum risico, ex periculo illud stare deberet, sed quod elapso præfato termino pecunia deberet asportari ad montem Pietatis, tum ob Apostolicas prouisiones Clem. VIII. & Pauli V. & aliorum Pontificum registratas in volumine statutorum eiusdem montis, vt deposita iudicialia, vel aliàs necessaria in præfato monte fieri deberent, & quibus prouisionibus in isto chirographo de more derogabatur, tum etiã quia ita dispositum videtur de iure com-
3 muni, vt deposita pecuniarum pupillorum, & mulierum, ac absentium fieri deberent penès publicam ædem sacram iuxtà ea, quæ agendo de isto monte Pietatis Vrbis insinuantur *sub tit. de cred. disc.68.* idque non solùm dicto depositario, sed omnibus alijs capsoribus, & mercatoribus nonum, & exorbitans visum esset, stante quod de præterito in plerisque similibus casibus ita seruatum fuisse dicebam, vt abusus, & corruptelæ potius nomen, hæc obseruantia dici mereretur. Siquidem quando creditor
4 pulsatus ad recipiendam pecuniam sit contumax, vndè propterea debitori liceat illam deponere iuxtà frequentem praxim, quæ habetur in materia extinctionis censuum ex pluries insinuatis in sua sede *sub tit. de censib. ac etiam disc.51. de dote*, & alibi, tunc lex fingit in odium contumacis, quod ipse verè à debitore pecuniam receperit, eamque receptam incontinẽti denuò in illo banco deposuerit ad proprium creditum iuxtà naturam nouationis pluriès insinuatam *eod. tit. de credito*, in quo est eius peculiaris sedes; vnde propterea iste capsor non dicitur amplius depositarius ex electione, & iudicio debitoris montis, sed ipsorum montistarum, quorum ficta voluntas non esset præsumenda, tanquam continens actum imprudentem deponendi pecuniam penès priuatum capsorem de facili subiectum decoctioni, vt quotidiana praxis docet, dum haberi potest publica ædes sacra tuta, & in qua dictum periculum verisimiliter non cadit; Aliàs etenim esset dare cumulum plurium exorbitantiarum, & fictionum contra omnia princi-

principiũ; Primò nempè super derogatione priuilegiorum montis, vt supra, Secundò per contumaciam non veram, sed fictam cum intimationibus, quæ prędicta fieri solent fingendo solutionem. Et tertiò fingendo dictam voluntatem, seù electionem inuerisimilem, ac proptereà dicendo, quod si de præterito id seruatum quandoque fuerit, error, & abusus potiùs dici meretur.

Et quamuis replicaretur, quod dum in
5 erectione montis, Pontifex approbauerat tunc depositarium, tàm super solutione fructuum, quàm etiam super deposito sortis in casu estractionis, ita hæc persona videbatur approbata, nedũ à Principe, sed etiam ab ipsismet montistis, qui emendo hęc loca montium, rectè sciebãt, vel scire debebant qualitatem depositarij, non tamen illud videbatur motiuum considerabile, vtpotè procedens, donec perseueraret natura montis, quæ post lapsum dicti termini omnino extingui, ac cessari dicitur, dum ex natura nouationis fingitur solutio, vt supra, adeòvt penitus extincto, & cessato isto termino fingatur pecunia indifferens ex voluntate eius domini deposita penès istũ capsorem, tanquam diuersum à depositario montis. Et quidem nimium durum, ac irrationabile videri dicebam, quod montistæ absentes, vel etiam præsentes infantes, pupilli, vel aliàs sub aliena administratione viuentes, aut etiam maiores non curantes aduertere ad huiusmodi ædicta, quæ affigi solent, ita montibus, & pretio priuati remanere deberent, quodque de facili fraudibus, & collusionibus locus esse posset, erigendo montem, & eligendo depositarium parum idoneũ, vt ita supplantarentur montistæ, quò nil absurdius.

Sed quoniam pro frequentiori praxi, quando fiunt huiusmodi emptiones, non habetur integra pecunia numerata, sed per ipsosmet capsores habita fide fiunt
6 cedulæ bancariæ, quæ inter negotiatores habent vim pecuniæ numeratæ, & sic magnum incommodum producebat ista praxis asportandi post quindecim dies pecuniam ab isto banco ad montem Pietatis, hinc ego met insinuaui, consului posse, decernendo in eodem Chirographo, quod pecunia etiam post lapsum
7 terminum prædictum vsque ad veram, & effectiuam solutionem continuaret in eodem banco, risico tamen, & periculo eiusdem Ducis debitoris, qui illũ capsorem eligerat, prout practicatum fuit, quamuis Tutores Ducis pupilli ita in se assumpserint periculũ decoctionis istius capsoris, quæ tractu temporis contingeret, sed eorum indemnitati consuluerunt cum obligatione alterius nimium idonei negotiatoris, qui in tali casu promisit ipsos tutores indemnes releuare.

DISC. CCI.

Romana Appaltuum.

PRO

Camera Apostolica.

CVM

Aliquibus Appaltatoribus.

Discursus in congressu.

De eadem materia de qua supra *disc.* 81. super priuilegio Fisci addictionis in diẽ, vel rescissionis ex capite læsionis. Et incidentèr, an Princeps successor obligetur facto prædecessoris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, siue casus controuersia.*
2 *Quæ læsio sufficiat in Fisco.*
3 *Dolus annullat actum.*
4 *De priuilegio Fisci circa addictionem in diem.*
5 *An successor in pralatura, vel beneficio teneatur stare locationi prædecessoris.*
6 *Quando Princeps successor obligetur facto prædecessoris, & de gratijs prauentiuis.*
7 *De eadem materia addictionis in diem de qua num. 4.*
8 *Non intrat, vbi adhibita sint solemnitates, & quid vbi remissa sint solẽnitates*
9 *Gratiæ exorbitantes, & praiudiciales debent strictè intelligi, & sufficit, vt aliquam faciant operationem.*

10 In

10 *in Chirographis alÿsque gratÿs attenditur solum id, quod continetur in summario.*
11 *Quales clausulæ debeant attendi.*
12 *Resolutio, &c.*

DISC. CCI.



RÆTENDENTIBVS Ministris Cameralibus initio Pontificatus Innocentij XI. non teneri ad obseruantiam quamplurium appaltuum concessorum per Clem. X. prædecessorem stantibus
1 maioribus oblationibus, quæ cum notabili Cameræ vtilitate fiebant, hinc de mandato eiusdem Papæ, tanquam eius Auditor interueni in eorumdem Cameralium solita Congregatione, vt inquireretur veritas, eaque à me referretur eidem Pontifici nolenti tollere ius tertij, atque à iustitiæ tramitibus deuiare. Quare in congressu desuper habito cum essem primus in discurrendo, tanquam vltimus, vel nouissimus Prælatus, distinguebam duas species appaltuũ, vnam nempè illorum, in quibus res non esset integra, quia nempè iam incepti essent, & alteram illorum, qui per annos, ac respectiuè menses præuentiuè facti erant, adhuc durantibus antiquis appaltibus adeòvt non essent incepti, ideóque res esset integra.

Quatenus pertinet ad primam speciẽ respondi pro appaltatoribus contra Cameram, quoties nõ constaret de læsione,
2 quæ in rebus fiscalibus sufficit in sexta parte iuxta firmata superius *hoc eod. tit. disc. 65.* & alibi pluriès, vel vbi non cõstaret sufficienter de illo dolo, de quo aliqua habebatur suspicio, ac diffamatio, quia nempè ex collusione inter aliquos ministros, & appaltatores facti es-
3 sent appaltus cum dolo, & mala fide pro ministri censu, vel pensione, intuitu vtilitatis, vel participationis dictorum ministrorum, vel aliorum, quibus ijdem ministri obsequi, vel gratificari cupiebant, cum tunc adesse diceretur dolus, qui etiam in priuatis sub aliena administratione legali viuentibus, causat absque dubio nullitatem actus, multo magis, ac extrà omnem dubitandi rationem in Fisco, tàm attenta dispositione iuris cõmunis, quàm clarius in hoc Principatu illa constitutionum Apostolicarum.

Seclusis namq; præfatis remedijs nullitatis, vel rescissionis respectiuè, aliud non suppetere dicebam remedium, nisi illud additionis in diem, quod non intrat re non integra, & post iam cep-
4 tum appaltum ex deductis *supra disc. 81. & disc. 46. de locato*, & alibi, vbi concordantes, atque in hanc sententiam omnes deuenerunt, adeòvt donec super dicto suspicato dolo haberentur probationes, quæ deerant etiam in læsione, cõclusum fuerit abstinendum fore ab appaltatorum molestijs.

Quo verò ad alteram speciem appaltuum, in quibus res erat adhuc integra; Quamuis aliqui motiuassent, quod Pontifex successor non ligaretur facto prædecessoris, attamen istud motiuum respuẽdum fore censui, quoniam ea, quæ in iure habentur de successore in Prælatura,
5 vel beneficio, vt stare non teneatur locationi factæ per prædecessorem ex deductis *disc. 25. & 51. de locat.* & alibi percutiunt Prælatos inferiores, non autem Principem supremũ non ligatum à regulis iuris positiui, eodem modo, quo in eodem Principe non procedunt ea, quæ
6 de impedita supplantatione successoris, cum præuentiuis concessionibus prædecessoris habentur supra *hoc eod. tit. disc. 3. & disc. 1. de emphytheus. ex deduct. disc. 1. de pension. & disc. 146. de dote*, & alibi pluries, potissimè verò in actibus correspectiuis, & onerosis gestis bona fide, & cum iusta sperataq; credulitate, quod Princeps, qui fecit actum, deberet super viuere, dum ratio dubitandi cadit, quando ob malum statum, in quo faciens reperiatur, intrar illa fraus præsumpta de qua *disc. 1. de Feud. & in eius annotat.* siue Quando agatur de concessionibus lucratiuis, & gratiosis, in quibus intrare valeant Constitutiones. Vrbani VIII. & & aliorum Pontificum reuocatiuè huiusmodi concessionum, vel aliæ considerationes, de quibus *dicto disc. 146. de dote, & alibi*, de quibus inanem dicebam esse laborem agere, vtpotè extra casum.

Neglecto itaque isto motiuo, cum nouæ oblationes essent duplicis qualitatis, quia nempè aliquæ erant adeò notabiles, quod sextam, imò quintam partem, & plus excederent, aliæ verò ad

istam

istam non ascenderent metam, idcircò eas distinguendò, quoad primam speciem dicebam, quod nulla caderet ratio dubitandi per argumentum à fortiori, dum etiam in iam cæptis, atque re adhuc non integra poterat actus rescindi ex isto capite læsionis, ideòque restringebatur difficultas ad aliam speciem, in qua intrabat solum præfatum remedium, seù priuilegium additionis in diem, quod recep-
7 tum est competere Fisco, dum rationes dubitandi, de quibus supra *dicto disc.* 81. percutiunt Ecclesias, & loca pia, vel Communitates, aut minores, ex ibi deductis.

Motiuabatur tamen in contrarium de duobus. Primò nempè, quod in Chirographis Pontificijs, quorum vigore Ministri Camerales dictos appaltus fecerant, remissæ fuerunt omnes illæ solennitates, quæ ex Apostolicis Constitutionibus, vel de iure communi essent necessariæ; adeòvt eia non obstantibus firmi, & validi esse deberent, suumque ef-
8 fectum sortiri, ideoque sicuti iuxta vnam opinionem relatam eodem *disc.* 81. quæ magis communis videtur, non intrat hæc addictio in diem, quando solénitates essent adhibitæ, sic à pari, cũ suprema Principis potestas fictum reddat verum ex insinuatis frequenter sub diuersis materijs.

Et secundò fortiùs, quod licet non in omnibus, sed in aliquibus Chirographis, expresse disponitur, vt appaltus validi, ac firmi esse deberent, suumque sortiri effectum, quamuis aliæ superuenirent maiores oblationes.

His tamen non obstantibus adhuc in eodem persistebam sensu, vt huic Fiscali remedio, seù priuilegio locus esse deberet, siquidem circa primum motiuum, aduertebam, quod cum ista Chirographa dicenda essent absque dubio à iure exorbitantia, & continentia rem Fisco præiudicialẽ, sufficiebat eis dare aliquam operationem, ne aliàs fatua, & inania remanerent, non autem, vt exorbitantiarum, vel specialium cumulus admicti deberet iuxtà valdè nota sępiusque firmata axiomata, ideòque cum hæc remissio solemnitatum suum, & quidem magnum operaretur effectum validitatis actus, qui aliàs irritus, ac inualidus esset, trahenda non erat ad hunc alium effectum. Accedente potissimum nimium rationis disparitate inter veritatem, & fictionem in hoc proposito, vndè propterea non intraret exequatio. Vbi namque reuera solennitates adhibetur illa præsertim edictorum, & publicationnm adhactam, tunc de animositate, vel æmulatione suspectæ videntur nouæ oblationes, quæ ab initio fieri poterant, dum ignorantia non valet allegari, istaque est ratio, cui innixa est dicta opinio denegans hoc fiscale priuilegium, quando solennitates adhibeantur, quæ ratio non est adaptabilis ad casum in quo illæ omictantur, licet ex Principis remissione illarum omissio non causet nullitatem actus.

Alicuius maioris ponderis, vel difficultatis videbatur alterum pro cuius remotione tres ponderabam responsiones, quæ simul iunctæ, vna alteram coadiuuãte, videbantur pro meo sensu efficaces. Primò nempè ex eodem superius insinuato axiomate, quod gratijs, ac dispositio-
9 nibus exorbitantibus sufficiat, aliquam dari operationem, nè fatuæ remaneant, in reliqnis verò attendi debere intellectum minus præiudicialem, ac propterea, vt intelligi deberent, vel de illis oblationibus, quæ non essent notabiles, sed modicæ, vel de illis, quæ re non integra superuenirent, ità desuper tollendo quæstiones, de quibus in eodem *disc.* 81. *hoc tit. ac etiam dicto disc.* 46. *de locato*.


Secundò, quod rectè allegari posset defectus intentionis Principis ex defectu scientiæ, sine qua voluntas, vel intentio præiudicandi tertio, ac tollendi ius Fisci danda non est, ex insinuatis supra *disc.* 148. *&* 177. & frequenter; Siquidem huiusmodi chirographa non leguntur per extensum per Papam; sicuti, neque leguntur supplicationes, vel cedulæ motus proprij, sed per Datarium, vel Thesaurarium, aliosque officiales,
10 qui offerunt ea signando, in calce fit breue summarium continens substantialia gratiæ, ad quæ Papæ respicit, an concedi debeant nec nè, alia verò in corpore sibi non innotescunt, & quæ propterea sustineri debent, quando sint adijci solita de stylo, tanquam consequutiua, vel connaturalia pro validitate gratiæ, non autem insolita, & exorbitantia ad instar eorum, quæ recepta habentur de imbreuiatura Notarij, vt possit eam in amplio-
ri

ri forma extendere in protocollo, vt hæc faculas concernat ea, quæ de ſtylo apponi ſolent, vel debent non alterata ſubſtantia, non autem ea, quæ concernant ſubſtantiam voluntatis partium, cũ ſimilibus, ideòque meritò in Dataria inoleuit ſtylus, quod gratiæ, ſiue ſint ad ſupplicationem, ſiue Motu proprio, non attenduntur, niſi ad limites ſummarij ad quod reuiſores gratiam reſtringunt caſſando ea, quæ in corpore adiecta eſſent à ſummario deuiantia, vel in eo non expreſſa, atque ad hunc effectum inſtitiosè, ac prudenter idem Pontifex Innocentius decreuit non ſubſcribere Chirographa, niſi prius eſſent à me reuiſa, & obſignata.

Et tertiò, quod in omnem euentum iſta eſſet gratioſa conceſſio, quæ caderet ſub dictis Conſtitutionibus reuocatorijs, vel quod reuocari mereretur eodem modo, quo reuocari ſolent gratuitæ cōceſſiones Cameræ præiudiciales franchitiarum, & exemptionum cum ſimilibus.

Quia verò in vno ex dictis appaltibus qui erant multi, adhuc non incæpti in numero viginti circiter, vltra conſuetum præcedens Chirographum, eo modo, quo in alijs, poſt inſtrumētum deſuper ad formam Chirographi ſtipulatum, acceſſerat etiam ampliſſimus motus proprius confirmatorius, in quo dicebatur, vt actus validus, ac firmus eſſe deberet, ſuumque plenarium ſortiri effectum, neque poſſet impugnari, etiam ex capite enormis, vel enormiſſimæ læſionis, hinc ſuper iſto appaltu, in quo intrabat motiuum læſionis, dum oblatio excedebat ne dum ſextam, ſed etiam quintam partem, ali-
11 qua maior habebatur difficultas, quam tamen non obſtare adhuc cenſui ex eiſdem reſponſionibus, de quibus proximè ſupra, præſertim ex ſecunda, & tertia, quas ad rem adaptari dicebam; Er vlterius, quoniam in eodem Motu proprio Papa expreſsè profitetur, illum concedere pro confirmatione geſtorum relatiuè ad Chirographum, & inſtrumentum indè propterea intraret receptum, ſæpiuſque inſinuatum axioma, quod confirmatio non alterat naturam confirmati in ſubſtantialibus, ſed ad eius limites intelligi, & operari debet, Potiſſimè verò, quia, tam in parte proœmiali, ex quā reguletur voluntas, quam etiam in diſpoſitiua, ad limites Chirographi, & inſtrumenti totum legitur reſtrictum, reliquũ verò ſuper non obſtantijs etiam ex capite læſionis continetur in clauſulis executiuis, quæ potius ex officialium formularijs adiectæ cenſentur citrà præciſam Principis voluntatem non præſumēdam; vt in ſui Fiſci præiudicium læſionem quãtumuis enormem, imò enormiſſimam canonizare voluerit, dum etiam in actibus priuatorum huiuſmodi clauſulæ, & cautelæ ſuper renunciatione, beneficio læſionis, ac remiſſione, & condonatione eius, quod res plus valeret negligi ſolent.

In meum votum alij concorditèr deuenerunt, atque deſuper capta reſolutio, approbata etiam fuit per pleniorem Congregationem Cameralem nuper ab
12 eodem Innocentio erectam, & conſtitutam ex omnibus illis Cardinalibus, qui fuerunt Theſaurarij, ac etiam ex tribus Cameræ Clericis, & ex ſolitis miniſtris Cameralibus nempè Theſaurario; Aduocato Fiſcali, & Commiſſario Cameræ, quibus etiam ego de mandato eiuſdem Papæ adiunctus fuit.



SVMMA,

SVMMA, SIVE COMPENDIVM

Eorum, quæ continentur in hoc Lib. II. DE REGALIBVS.



INDEX RVBRICARVM.

X.

De Mari, Fluminibus, Lacubus, Portubus, Ripis, Siluis, Montibus, Forestis, Piscationibus, vel piscationum iuribus; Venationibus, Pascuis, alijsque vsibus, & eorum prohibitionibus.
à num.125. ad num.134.

XI.

De Locis & Vijs publicis, & de Angarijs, & perangarijs, alijsque seruitijs.
Ac etiam de iure publici belli, ac de armamentis, & fortificationibus.
Et de iure creandi Titulatos, & Barones, concedendi nobilitatem, creandi Doctores, & Notarios, & erigendi Vniuersitates, & Academias.
à num.134. ad num.146.

XII.

De potestate condendi leges, eisque derogandi.
De iure concedendi gratias tertio praeiudiciales, vel tollendi ius tertij, ac reuocandi concessiones, seu aliàs inhabiles reddendi habiles remittendique delicta, & paenas, aliaue similia faciendi, quae in iure prohibita sint.
à num.147. ad num. finalem, &c.

SVMMARIVM.

I.

1 *Debent peti rerum principia, & quare.*
2 *Regalium vsus est antiquus, & de ratione.*
3 *In quibus dos principatuum, & Republicarum consistere solent.*
4 *Quare antiquitus non appellarentur regalia.*
5 *De causa ordinationis* tex. in c. vnic. *quae sint regalia.*
6 *Recensentur regalia contenta in dicto textu.*
7 *Quod non omnia in eo recenseantur.*
8 *Alia pertinent ad Principem magis, quã recensita, & quae sint.*
9 *Pertinent ad Principem, non autem ad Barones, & subditas Ciuitates.*
10 *Regalia penes priuatum desinunt esse regalia.*
11 *An, & quando sola possessio, sine titulo in his sufficiat.*
12 *Qualis ordo in hoc teneatur, &c.*

II.

13 *De differentia inter officia venalia, & officia ad iustitiam ministrandam.*
14 *Officiorum venalium sunt capaces etiam infantes, & mulieres, & quando secus.*
15 *Quod ista officia sint antiqua in iure explicata sub nomine militiarum.*
16 *In hac materia officiorum non datur certa regula, & quare, quodque agatur solum de illis Camerae Romanae.*
17 *Officia sunt de regalibus, & non possunt obtineri nisi ex concessione Papae.*
18 *Sunt regulariter vacabilia per mortem naturalem, vel ciuilem, & praesertim per Cardinalitiam dignitatem.*
19 *Non sunt in commercio, sine assensu Papae.*
20 *Est in commercio commoditas emolumentorum, & quid hoc importet.*
21 *Habentes assensum* Papae, *vel reseruationem decreti. vincunt eos, qui non habeant.*
22 *Hic assensus denegari non solet, nec debet, & quando denegari possit.*
23 *An in resignatione officiorum habeat locum regula de infirmis resignantibus.*
24 *Assensus, vel licentia in obligatione non praeiudicat pro casu vacationis.*
25 *De diuersis speciebus reseruationis decreti, earumque diuersis effectibus.*
26 *Quale ius habeant super officijs creditores non habentes reseruationem decreti.*
27 *De pluribus quaestionibus inter creditores officialis super validitate, vel operatione reseruationis decreti.*
28 *De imputatione erogati in emptionem officij in legitimam.*
29 *De donatione pretij vt supra erogati.*
30 *De praeuentione, vel absqua concessione officij adhuc non vacati.*
31 *De oneribus, quae officio incumbunt, &c.*

III.

32 *De origine, vel introductione locorum montium in quo consistant.*
33 *De alijs rerum vocabulis.*
34 *De qua specie locorum montium agatur.*
35 *Sunt iura regalia.*
36 *Dantur etiam loca montium non Cameralia, & non regalia.*

37 De



I.

PROEMIALIA.

De Regalium origine, ac introductione eorumque diuisione, & de aliquibus generalitatibus.



1 RERVM principia, & quidditatẽ, in legalibus quoque exquiri, congruæ applicationis, rectæque iustitiæ administrationis ratio exigit, vt ita quod suum est, cuique adaptatè tribuatur, & ne legum prouisio, quæ vni casui oportuna sit, alteri incongruè applicetur.

Quamuis itaque omni æuo, omnique Reipublicæ, vel dominationis generi, publici ærarij prouisio, vt publici, belli, & pacis occurratur indigentijs,
2 oportuna, quinimó necessaria in vsu fuerit, tanquam per illam dotem, quam omnes penè gentes, omni tempore, mulieri tribuerunt, cui Respublica, siue soluta sit, siue sub viro (qualis est Princeps) assimilatur, vt ita politici matrimonij onera decentem habeant substentationem.

Istaque dos, ex subditorum tributis, & oneribus, vel ex illa bonorum specie
3 constitui pro frequentiori vsu consueuit, in quibus natura insolitam, & excedentem exercuerit libertatem, vt ita hoc ingens naturæ beneficium, omnium cõmodo pariformiter cedat, non autem vt aliquorum priuatorum dominio, ac vtilitati solum subiaceat; Adeòvt si non omnia, quæ sub regalium genere, pro nostrorum temporum vsu cadunt, eorum tamen pars notabilior, apud antiquitatem quoque eamdem sortita sint fortunam, vel naturam.

Diuersa tamen apud Romanos, aliasque antiquas dominantes Nationes, ac Imperia, sortita sunt nomina; isto rega-
4 lium vocabulo Romanorum legibus, atque linguæ latinæ professoribus ignoto, ob Regij nominis apud Romanos, post vindicatam libertatem, nimiam odibilitatem, ac perhorrescentiam.

Cum igitur post tot, Hunnorum, Go-

thotum, Vandalorum, aliorumque barbarorum incursiones, quas Italia, post Sedis Imperialis translationem in Græ-
5 ciam passa fuerat, sub Longobardorum iugo, ac dominatione cum eorumdem legibus, illis Romanorum penè in obliuionem abitis, viueret, ijque Arrianæ hæresis sequaces, Catholicæ Religioni, Romanoque Pontifici molestias, magnaque præiudicia inferrent; Romanus verò Imperator, vel eiusdem Arrianæ hæresis pice contaminatus, vel Græci schismatis fautor, Ecclesiæ Romanæ eiusque Pontificis defensionem aduersùs Longobardos indebitè negligeret, cum Catholicæ fidei præiudicio. Hinc Pontifex, prænia Imperij dismembratione, Carolum Magnum, occidenti Imperatorem præfecit, cuius ope ab huiusmodi molestijs exemptionem reportauit; Exindeque eiusdem, aliorumque successorum potestas in aliquibus Italiæ partibus enituit; Eiusdem verò Imperatoris, ob dominationum scissuram, diminuta potentia, Cæsarei nominis, ac potestatis in Italia penè obliuio inducta est, donec illorum aliquam præbente renouationem accessus Henrici primi, quem cognomento Pium, Ecclesia Catholica Sanctorum Cathalogo adscriptum veneratur, ille etenim àRomano Pontifice euocatus aduersùs Græcorum molestias in Apuliam se contulit.

At sequuta per matrimonium cum vltima Normandorum prole, accidentali vnione Imperij, cum vtriusque Siciliæ Regnis, quæ tunc vnum solum Regnum constituebant; Exortisque adeò Italiæ perniciosis Guelfa, & Ghibellina factionibus; eum Imperator Fridericus Secundus Siciliæ Rex Ghibellinæ factionis tutela, & protectione suscepta, Romanoque Pontifici nimium esset infensus, Imperialemque auctoritatem, in plerisque Italiæ partibus restituere satageret; Hinc inter ipsum, & aliquas Lombardiæ confœderatas Ciuitates, asperum sequutum est bellum, cum ea pace, quæ apud Iuristas Constantiæ dicitur, sopitum.

Inter alias itaque desuper habitas conuentiones, ea fuit, vt firmum esse deberet, quænam iura regalia huiusmodi confœderatis Ciuitatibus remanerent, ac per eas exerceri possent; Cumque eorum enumeratio atque registratio inter feudales consuetudines sequuta esset; Hinc istud Regalium nomen, seù vocabulum prodijt, istaque conuentio in hac Regalium materia, pro communi lege haberi cepit, vsque deinceps recepta est; Ea autem iuxta ibi centum ordinem sunt.

Armandiæ; Via publica; Flumina nauigabilia, & illa ex quibus fiunt nauigabilia; Portus, Ripatica, Vectigalia, quæ dicun-
6 *tur etiam Tellonia, moneta, mulctarum pœnarumque compendia, Bona vacantia, Bona quæ ab indignis auferuntur, Bona contrahentium incestuosas nuptias, Bona condemnatorum, & proscriptorum, Angariæ, Perangariæ, & plaustrorum, ac nauium præstationes, extraordinaria collatio, Potestas constituendorum Magistratuum ad iustitiam expediendam, Argentaria, Palatia in Ciuitatibus consuetis, Piscationum redditus, & salinariæ, Bona committentium crimen maiestatis, & Thesauri iuxta certas portiones, &c.*

Non omnia tamen, ista conuentio continet iura, quæ hodie pro communi
7 Principum, & Republicarum praxi, iuris regalis existant, quinimo desunt ea, quæ maioris priminè ordinis, regiæque coronæ magis annexa censentur, non omnium etenim concessio pro regula facta est, sed aliquorum pro limitatione; firma in reliquis remanente regula apud
8 Imperatorem, cuius imaginem quilibet Princeps hodie in sua ditione præfefert, qui iura supremi Imperij habeat.

Eamdem regalium naturam, seù qualitatem, ex temporum, ac morum varietate pleraque alia in hac lege non recensita, sortita sunt, qualia præsertim sunt, armamenta, siue ius publici belli, & pacis, ac officia venalia, eaque iura super vectigalibus, alijsque iuribus Principis, quæ Romana Curia sub locorum montium vocabulo explicat, aliaue pro locorum moribus, vel legibus.

Omnium itaque præmissorum, aliorumque similium iurium regalium, sola pertinentia est supremi Principis, vel
9 Reipublicæ, quæ iura Imperij obtineat, Priuatis autem, quinimo Baronibus, & domicellis, subditisque Ciuitatibus eadem pertinentia pro generali regula denegata est, eiusdem Principis explicito non accedente priuilegio, vel eo implicito, quod legitima immemorabilis, vel cente-

centenaria non vitiosa possessio allegari posse concedat A;

Adeòque iura regalia priuato domino incongrua esse, apud Iuristas est re-
10 ceptum, vt eis, de priuatorum iure, vel dominio, ex Principis concessione effectis, antiqua regalium corrupta natura, nouam priuatorum, ac indifferentium bonorum sortiantur, & obtineant; Nisi concessio solam commoditatem, vel fruitionem perceptiat, pænes ipsum Principē, vel Rempublicam eorumdem iurium substantia adhuc remanente B.

Solam itaque huiusmodi iurium possessionem, quantumuis longam, nisi im-
11 memorabilis, vel centenariȩ non vitiosæ, qualitatem habeat, priuatis, alijsque Principe inferioribus non suffragari sine titulo magis receptum est, ideòque ad eiusdem tituli iustificationem possessorem cogi posse sub amissionis pœna, C. in solo retinendæ possessorio diuturni, nimiumque considerabilis temporis possessione suffragante, D. Firma, & generali regula desuper non cadente, ob nimiam morum, ac stylorum diuersitatem, quibus est deferendum.

Diuersus autem ordo in singulorum iurium examine adhibetur, quàm in eo-
12 rum enunciata lege sit adhibitus, vt pro Romanæ Curiæ forensi praxi, de ijs agatur, quæ magis vsus receperit, cum ob nimiam regionum, ditionumque varietatem, ad vnam Curiam, vel Ditionem, se restringere necessitas cogat, vt ad illationes exindè, vel consequentias, pro rationis, vel circumstantiarum identitate, congruè deueniri valeat.

I I.

De officiis venalibus.

Diuersa est venalium officiorum huiusmodi qualitas, ab ijs magistratibus, qui in Regalium textu feudali superius
13 insinuato registrantur, cum de illis, quæ ad iustitiæ administrationem deputentur, textus agat, de eis autem inferius agitur E; Ista verò officia, quæ pro frequentiori praxi venalia sunt, iustitiæ administrationem pro eorum natura non habent, nisi quatenùs, pro alicuius principatus moribus, aliqua accidentalis mixtura insit, eorum substantia in bursalibus emolumentis consistente, ob idque venalitatem licitè admittunt.

Hinc pleraque, infantibus, ac rusticis quinimò mulieribus congrua sunt, quoties personalem administrationem, vel in-
14 dustriam præcisè annexam non habeant, siuè quod per substitutum eadem administratio fieri valeat. F.

Antiqua est hæc Regalium species, ab ipsorum Romanorum moribus, ac legi-
15 bus deriuata, satisque in Romana Republica, vel Imperio frequens, sub diuerso tamen militiarum vocabulo appellata; Ideòque quod in Romanorum legibus in militijs statutum legitur, hodiernis venalibus officijs pro generali regula congruit, iis exceptis, in quibus diuersorum locorum leges, vel mores limitationem inducant, Cumque ex iam prænotatis, non de facili istius, omniumque aliorum iurium regalium materia
16 vniformem vbique applicabilem recipiat regulam, exindèque resultet consuetus connaturalis Iuristarum error, cum generalitatibus procedendi, siuè vnius Regionis, vel principatus res iudicatas, Scriptorumque traditiones alijs generalitèr applicandi, non distinguendo loca, & tempora, seù legum, ac morum diuersitatem, Hinc vt prò regula in omnibus iam statutum est, de Romanæ Curiæ officijs pro norma, seù idea agitur, vt exindè ducto argumento, iuxtà singularum regionum leges, ac mores, congrua fiat illatio, seù applicatio.

Stat itaque regula, vt huiusmodi officia, tanquam iura regalia, nonnisi ex
17 Principis priuilegio, vel concessione per scripturam obtineri valeant, siuè ex concessione illius inferioris magistratus, vel subditæ Ciuitatis, cui idem Princeps facultatem concesserit, adeòvt possessor ad tituli iustificationem cogi valeat, sin minùs

A. *Hoc tit. disc. 14. & 81. & in Supplemento.*
B. *Dicto disc. 81. & alibi.*
C. *Dicto disc. 14.*
D. *De iudic. disc. 44.*
E. *Infra num. 146.*
F. *Hoc tit. disc. 2. 6. 15. & in alijs.*

minùs officij priuationem pati meritò debeat G.

Ex regulari natura quoque eorum personalia, seù vacabilia sunt, atque per du-
18 plicem mortis speciem in Curia eorum vacatio sequitur, naturalis scilicèt, & ciuilis; sub istius genere cadente tum illa, quæ ex banno capitali, vel caducitate, seù priuatione ob crimen in ipsius officij exercitio resultet, tum etiam illa, quæ ex Cardinalitiæ dignitatis assequntione procedit H. Nisi de ijs officijs agatur, quæ ex priuilegio, vel erectionis lege pro regulæ limitatione perpetua sint, ad hæredes transmissibilia, quæ tamen nimium rara sunt, præsertim ex Cameralium genere, aliquibus Romani Populi, seù Capitolij Notariatus officijs istã sortientibus naturam, cum concessionis tamen renouatione in qualibet persona, feudorum ad instar I.

Eadem regalis qualitas, priuati commercij libertatem excludit, ideòque de vno in alium transferri, siuè alteri obli-
19 gari, aliuduè ius reale quouis modo imprimi sinè Papæ assensu, seù licentia, vetitum est, in obligatione, vel alio reali iure decreti reseruationem loco licentiæ per Curiæ stylo adhibendo L.

Priuati commercij libertate solùm admissa in ea fructuum, seù emolumen-
20 torum commoditate, quæ rei substantiam non feriat, nullumque ius reale imprimat, feudorum, aliorumque prohibitorum, & ecclesiasticarum pensionum ad instar, ideòque in vendente, vel cedente officium adhuc residet, eiusque persona vacationem regulat M.

Hinc in officijs manat, vsuque receptum est, quod in feudis alijsque prohi-
21 bitis habetur, vt ij, quibus ex Principis licentia, vel decreto, officij translatio facta sit, siuè hypotheca, aliuduè ius quæsitum, potiora habeant iura, omnesque alios vincant quantumuis temporis maiorem antiquitatem ex sola priuata conuentione habentes; Ex ea congrua ratione, quod ille, qui cum Principis auctoritate ius obtinet, prior esse dicitur, alijs omnibus neglectis, qui eadem legitima auctoritate sint destituti N.

Hanc autem auctoritatem, vel assensum, pro officij formali translatione,
22 siuè pro eius obligatione, quæ sub reseruationis decreti nomine, vt suprà explicari solet, Pontifex denegare non solet, nec debet, nisi grauis ætatis, infirmæque valetudinis, aliauè similis ratio, quę ob imminentem vacationem, fraudem redoleat, iustam denegandi causam prębeat; Ideòque stylus est huiusmodi licentiam, non nisi præuia officialis visitatione, cum aliquo competenti spatio concedendi O.

Quæstione cadente, an resignatione admissa ad breue autem tempus morte
23 sequuta resignantis eadem intret infirmorum, vel de viginti Cancellariæ regula, beneficialis, probabiliori existente negatiua cum diuersa vigeat ratio P.

Licèt item in distrahi, vel obligari pro-
24 hibitis, domini licentia, vel assensus, quoties clausula præiudicij præseruatiua munita non sit, illum operetur domino assentienti præiudicialem effectum, vt facto deuolutionis, vel vacationis casu, adhuc duret hypotheca, aliuduè ius tertio quæsitum, vt in feudali Sede aduertitur; Diuersum tamen est in officijs, prò Romanæ Curiæ praxi, vt assensus, vel decreti reseruatio suas quidem faciat operationes, contra ipsum officialem, eiusque creditores, aliosuè ab eo causam habentes, atque vt in ipsomet officio exercibile sit ius obtinentis decretum, donec ius durat officialis, non autem eo expirato per vacationem officij, quod liberum ad Cameram Papæ redit Q.

Huius autem reseruationis decreti, vel assensus variæ sunt species; Alia etenim
25 est, quæ pro frequentiori vsu, plenaria, & omnimoda sit, atque in reseruatario officij dominium præseferre videatur, vbi nempè officium, de alicuius pecunia in alterius persona ematur, non vt aliqua liberalitas cum eo exerceatur, vel beneficium aliquod conferatur, sed pro sola demonstratione personę, ex cuius mortis,

G. *Dicto disc.* 14.
H. *Dicto disc.* 2. *&* 5.
I. *Disc.* 5. *&* 17.
L. *Dicto disc.* 7. 10. *& seqq.*
M. *Dicto disc.* 7. 10. *& seq. & disc.* 16. *& seqq.*

N. *Dicto disc.* 10. *& sequ.*
O. *Disc.* 6.
P. *Ibidem.*
Q. *Dicto disc.* 10. *& seqq.*

mortis naturalis; vel ciuilis periculo vacatio sequutura sit, ità domino pecuniæ omnimoda fructuum, ac officij facta sit reseruatio, vt reseruatarius omnia percipiat officij emolumenta, atque ius habeat (noua tamen accedente licentia, sinè causa denegari non solita) officium vendendi, siuè officialem cogendi, vt vendat.

Ipsius autem reseruatarij mors naturalis, vel ciuilis, nullum causat præiudicium, atque Titularis vita, vel iure durante, omne ius ad hæredem transmittitur, siuè in hæreditate remanet, Titulari nudum nomen desuper habente, quamuis quoad Papam, pro casu vacationis, vel administrationis, hæc persona demonstrata, attendenda veniat; Eiusdemque reseruatarij creditoribus ius conceditur, eo modo quoad reliqua debitoris bona, & iura, officij natura non immutata, respectu vacationis R.

Altera est consimilis reseruationis decreti species, quæ dominium paritèr redolet, magis tamen limitata sit, ad ipsius reseruatarij vitam, seù dispositionem, vt propterea, eo defuncto absque facultatis disponendi exercitio, officium liberè pertineat ad officialem, ex occulta, vel implicita prætij donatione, vt proptereà transmissio ad hæredem, vt in præcedenti specie, non intret. S.

Tertia est species reseruationis, quæ dominium non redolet, sed potiùs speciem assensus, super hypotheca, vel affectione, iure crediti, fauore illius, qui pro officij emptione pecuniam officiali credit, siuè pro alio indifferenti debito, ita obligetur illud officium, quod iam obtineretur, tanquàm per superius insinuatam speciem illius assensus, qui super feudorum, aliorumque prohibitorum obligatione concedatur, toto exindè periculo officialis damno cedente, vt officij vacatione sequuta, ius creditoris saluum sit, in reliquis bonis experibile; Ideòque malè huic reseruationi, idem dominij tribuitur effectus, quem aliæ superius recensitæ species producunt, cum istius ille sit effectus potioritatis supra alios officialis creditores, quantumuis tempore anteriores, iuxtà eam speciem concursus, quæ inter creditores assensum habentes, & alios, qui eo careant in feudis, alijsque prohibitis cadit; Ac etiam pro competentia, vel exercitio iuris realis, vel facultatis cogendi ad vendendum officium. T.

26 Cessante verò iure, vel interesse reseruatarij, & Papæ, alijs quoque creditoribus hanc decreti reseruationem non habentibus, in actione personali, vel Iudicis officio deneganda non est facultas debitorem cogendi ad vendendum officium, vt ex pretio sibi satisfiat, eodem modo, quo in feudis est dispositum. V.

27 Ista verò decreti reseruatio, iuxtà præmissas species, ad effectum facultatis vendendi, siuè cogendi officialem ad venditionem; concedi non solet in ijs officijs, quæ Prælaturam cum aliqua administratione annexam habeant, vt sunt Clericatus Cameræ, aliauè officia Prælatitia in suis sedibus recensita, X. cum in priuatorum libito repositum esse non debeat huiusmodi officiales in statu Prælaturæ constitutos deponere; Eadem reseruatione ad alios effectus concedi solita reliquos operante, super concursu scilicèt, vel iure ad eiusdem officij fructus, & emolumenta, ac etiam ad pretium quatenùs de Papæ placito, ipsiusque officialis consensu, venditio sequatur.

Quæstio item in tertia reseruationis specie cadit, quæ creditum potiùs, quàm dominium redolet, super eiusdem reseruationis valida, vel inualida concessione, in aliorum creditorum officialis præiudicium, idque à facti circumstantijs pendet, subreptionis, vel obreptionis vitium redolentibus Y.

Altera quoque super æquali, vel inæquali plurium reseruatariorum concursu, qui in ipsius reseruationis concessione tempore inæquales existant, si causæ æqualitas accedat; Z. Et altera, an concessa pro sorte, suffragetur pro fructibus, idque paritèr à facti circumstantijs deci-

R. *Dicto disc.10.& seqq.*
S. *Disc.1.& 24.*

T. *Disc.10.& seqq.*
V. *Ibidem.*
X. *Hoc tit.disc.2.& in relat.Curiæ disc.31.*
Y. *Dicto disc.10.& seqq.*
Z. *Ibidem.*

decisionem expectat; An scilicèt, Iudicis officio, vel iure actionis, & ex stipulato debeantur. A.

Donationis item quaestiones in ista officiorum materia cadunt; Ac etiam im-
28 putationis in legitimam, aliauè iura, vbi absque decreti reseruatione, vel eum ea limitata, de pecunia vnius officium in persona alterius quaeratur; Verùm paritèr id certam non recipit regulam, cum facti, & voluntatis potiùs, quàm iuris dicenda veniat quaestio, pro facti qualitate, & circumstantijs decidenda, cum à voluntate erogantis pecuniam, totum pendeat; Imputationi tamen in legitima regula assistere videtur. B.

Licèt aliquando etiam ad donationem referatur. Cessante praesertim causa necessaria, videtur assistere regula, ex diuersa tamen etiam tacita voluntate limitationem recipien. Istaque donatio, causa mortis, potiùs quàm inter viuos censenda venit. C.

Super praeuentiua, vel abusiua adhuc non vacantium officiorum concessione,
30 vel translatione, eadem habetur dubitatio, quae in feudo, vel emphyteusi oriri solet, & propterea sub eisdem terminis decidenda videtur, an scilicèt, qui concessionem facit, ius habeat supplantandi successorem, cique praeiudicium inferendi. D.

Onera, quae officijs incumbunt, occasionalia sunt, idcóque cessato officio,
31 cessant, nisi ex officialis facto, priuatoque commodo, officium onere grauatum sit, vel vbi de illis agatur oneribus, quae durante officij possessione impleta non essent, cum alijs in sua sede. E.

III.

De locis montium, alijsque iuribus, cum Principe, vel cum Republica.

PRincipe, vel Republica, prompta pecunia in ingenti summa, ex bel-
32 li praesertim occasione, alijsque publicis causis indigente; Cum per illa emolumenta, quae ex vectigalibus, & gabellis, vel subditorum collectis, alijsuè contributionibus, & oneribus, siuè ex consuetis principatus iurium regalium prouentibus percipiuntur, oportunitati, vel indigentiae promptè occurri non possit; Hinc per implicitam, sortis, vel proprietatis venditionem, cuius pretium oportunum sit necessitatis remedium, sinè per quandam impositionis census speciem, ab eodem Papa, vel Republica priuatis conceditur huiusmodi iurium, seù emolumentorum in singulos annos participatio, quantitatiua potiùs, quàm quotitatiua, vt in singula centena, quae Principi, vel Reipublicae praestita sint, perpetuus super eisdem iuribus assignetur redditus, ad instar census, cum eiusdem acceptae sortis restitutione redimibilis. F.

Hoc itaque ius participandi de illis prouentibus, qui iuris publici, ac regalis existunt, sub locorum montium no-
33 mine in Romana Curia explicatur, vt quaelibet scuta centum in sorte, iuxtà praesentem statum, annuorum scutorum quatuor productiuum, vnum locum constituant; Alijs verò principatibus, vel Republicis diuersa adhibentibus vocabula, nempè iurium cum Rege, siuè Fiscalium, siuè comperarum, & similium in idem, spectato effectu conueniunt, idemque sonant.

Sed quia non omnium regionum, ac principatuum eadem est lex
34 vel forma; Hinc officiorum ad instar, de illis Romanae Curiae sermo erit, à quibus, cum sua proportione, ad illa aliorum locorum, illationes fieri, vel consequentiae trahi valeant.

Regalia quoque pro eorum regulari natura, haec iura reputantur, vtpotè per
35 Papam, vel Rempublicam concessa, super ijs emolumentis, quae iuris regalis sint; Eorum tamen ad instar, aliquando eiusdem Principis indulto, erectiones conceduntur super aliquibus bonis, quae pro dote

---

A. *Ibidem*.
B. *Disc*.150.
C. *Dicto disc*.1.24.*&* 150.
D. *Disc*.3.*& in supplemento*.
E. *Disc*.8.*& sequ*.

F. *Disc*.26.*cum pluribus seqq. & in disc*.163. *in supplemento*.

dote assignentur, per Communitates, ac per Barones, & quandoque etiam per
36 priuatos fiunt, ideòque discretio datur montium Cameralium, & non Cameralium, quamuis eadem sit omnium regula, idemque priuilegium.

Duplex in eis pretium datur, intrin-
37 secum, scilicèt, & naturale, primæ erectionis, vel concessionis, inter Camerã, & priuatum emptorem scut. centum pro quolibet loco, extrinsecum verò, vel accidentale illud est, quod ex priuata contractatione, seù priuato commercio, quandoque maius, quandoque verò minùs ratione bonæ, vel deterioris conditionis in commercio fit; Istud autem accidentale, siuè extrinsecum pretium, non alterat, ideóque solùm primæuum erectionis pretium intrinsecum pro extinctione restituendum est, siuè pluris, siuè minoris priuatus possessor ab altero priuato ex resignatione quæsierit. G.

Inter alios autem huius iuris regalis effectus, ille maior, ac præcipuus digno-
38 scitur, vt in priuato commercio, priuatauè contractatione non fit, sinè Principis assensu, qui per illum officialem præstari solet, qui Thesaurarius dicitur, per rogitum alterius officialis, qui Notarij vices in hoc gerendo, Secretarius appellatur, cuiusuè attestationious, super resignatione, ipsorumque locorum mõ-
39 tium libertate defertur; Ipsi Secretario obligatione incumbente de proprio reficere totum id quod emptoris interest assertionem esse minùs veram H.

Hinc officiorum venalium ad instar, sola priuata contractatio, absque officialium huiusmodi interuentu, & assensu,
40 commoditatis concessionem redolet, quę ipsorum locorum non tangit substantiam, penes priorem possessorem, venditione non obstante, adhuc remanente, exindèque resultat, quod venditore alteri cum præfato assensu, eadem loca resignante, posterioris resignatarij, cum assensu, potior erit conditio, eodem modo, quo in officijs dictum est. I.

Atque hinc, huiusmodi iurium, seù locorum libertas manat, quæ cotum cõ-
41 mercio, ac faeili contractationi magnum præbet fomentum, vt scilicèt, ab omnibus hypothecis, alijsque nexibus, & vinculis, quibus alia bona, & iura possessoris subiaceant, libera in emptorem, seù resignatarium transeunt, aliaque non retineant vincula, vel nexum, nisi ea, quæ in ipsa Secretarij assertione, vel fide, siuè in Thesaurarij literis desuper concedi solitis, quæ patentes dicuntur, exprimantur.

Id autem illi nimium probabili rationi innixum est, quod nouus emptor, vel
42 acquisitor, non priuari possessoris, ac venditoris fidem sequatur, minùsque eius conditionem inquirere satagat, sed publicam fidem Principis, eiusque officialium sequatur; Ita duplici actu occultato; In priori scilicèt possessore resignante, illo refutationis proprij iuris in manibus Principis, à quo obtinuit; Et altero efformationis noui iuris, quod idem Princeps per eius officialium organum concedit resignatario, qui directè, ac immediatè à Principe obtinere dicitur, ad instar resignationum, quæ in Papæ manibus fiant ad certæ personæ fauorem de beneficijs Ecclesiasticis, quibus in hoc proposito huiusmodi iura assimilata sunt. L.

Ista verò publica auctoritate non accedẽte, hæc loca montiũ donec penes priorem possessorem, vel alterum ab eo ex priuata conuentione causam habentem existant, quoad hypothecas, aliauè vincula, vel iura tertij, eamdem sortiuntur
43 naturam, ac alia priuata bona indifferentia, vt etiam penes tertium emptorem eadem retineant vincula, & affectiones; etiam si eum Iudicis auctoritate, ac per hastam publicam, vel per adiudicationem, acquisitio sequuta sit, dum cessante præmissa solemnitate auctoritatis magistratuum, seù officialium, quos desuper Princeps deputauit, ita cessat huiusmodi libertatis præmissa cõgrua ratio. M.
44 Quam etsi de iure sufficientem pontificia lex ad maiorem firmitatem, omneque dubium dirimendum robotauit. N.

Quæstione cadente, an eadem libertas, vel omnimoda securitas tertij, qui cum

G. *Disc.33.*
H. *Disc.27.& seqq.& in supplem. disc.163.*
I. *Disc.41.*
L. *Dicto disc.27.cũ seqq.& disc.163.in suppl.*
M. *Ibidem.*
N. *Ibidem.*

in qua erectio facta est, ac destinata fructuum solutio; Adeòque sub stabilium nomine veniant, vt sub eisdem alienandi prohibitionibus cadant, nisi erectionis lex aliter suadeat, ac etiam super eis census constitui valeant alijuè similes effectus exindè resultent, cum alijs in sua sede. T.

I V.

De Vectigalibus, Dohanis, Gabellis, pedaggijs, collectis, Datiis, fidis, taxis, contributionibus, aliisque publicis oneribus.

Singula hæc vocabula, de stricta Iuris censura, inter se diuersa sunt,
53 diuersamque significationem habent, ac naturam; Vectigal etenim, vtpotè à vehendo deriuatum, illud onus importat, quod Principi, vel Reipublicæ soluitur, in quadam mercium, quæ ad Ciuitatem, vel portum euehuntur, quota, quæ de iure communi octaua est portio, prò Ditionum autem, vel principatuum diuersis legibus diuersa est; Vrbis praxi docente, vt in illis mercibus, quæ ex Maritimæ nauigationis maiori commoditate, ac beneficio aduehantur, sit in septima, in illis autem, quæ per terram, siuè per flumen Tyberis à montibus, in nona, eaque frequentiùs in pecunia pro maiori euehentium commoditate soluitur, ad valoris mensuram, in eorundem tamen euehentium libiro existente solutione in ipsarum mercium quota, si commodum tamē id sit, & practicari valeat. V.

Ista verò species oneris publici, quæ in legibus Romanorum, sub hoc vectigalis
54 vocabulo explicari solet, prò quarundam aliarum legum particularium loquendi magis barbaro vsu, sub diuersis, *telonia, portorij, & scaricaturæ* vocabulis explicatur; In praxi verò, pro Italiæ præsertim frequentiori vsu, barbaro vocabulo *Dohanæ*, quod antiquis Iurisconsultis, ac linguæ latinæ professoribus ignotum est. X.

Introductionis formalis mercium vectigal est, vbi nempè, ita in portum, vel
55 Ciuitatem merces introducantur, vt ibi remaneant, & contractentur; Secus autem vbi transitus gratia, vt aliò euehantur. Y.

Quamuis autem à mercium Domino, ac introductore soluatur, re tamen, vel
56 effectu spectato, ab earum emptoribus, eiusque loci, vel Ditionis populo, illas contractaturo, fit solutio, ob pretij alterationem exindè resultantem, ideòque immunibus ex consueto pretio huius ratę fit deductio, vt ita solùm intrinsecum, ac naturale persoluant. Z.

Prò huius vectigalis grammaticali si-
57 gnificatione, magisque frequenti vsu, mercium euectionis, vel introductionis onus est, quod alicubi tamen pro extractione magis, quàm pro introductione persoluitur, iuxtà varios locorum, ac ditionum mores, ita præsertim in Italia Neapolitanæ Ciuitatis praxi docente.

Idem barbarum *Dohanæ* vocabulum, promiscuè, pro illo quoque onere adhi-
58 betur, quod Principi, vel Reipublicæ, pro publicis animalium pascuis, hibernis præsertim, & alicubi etiam æstiuis, quæ sint de Principi reseruatis, atque de iuribus Regalibus, ex quadam introductione effecta sint, præsertim verò pro ouibus; Isto pascuorum pretio, alicubi sub nomine *fidæ* quoque explicari solito, *diffidæ* vocabulum adhibendo pro quadam maiori, ac pœnali solutione; ob pascuorum fracturam, seù violationem, extrà tempus, vel modum permissum, Idque inter publica onera recensetur, ob necessitatem, quę sumendi pascua animalium Dominis quamuis inuitis incumbat, cum pretij aliàs reperibilis alteratione, in qua vectigal, seù onus publicum consistit. A.

Pedagiorum nomine, in stricta, legalique significatione, illa veniunt onera, quæ pro mercibus, vel pro onustis ani-mali-

T. *Tit. de feud. disc. 92. & hoc tit. disc. 92.*
V. *Disc. 65. & 67. hoc tit.*
X. *Proximè supra.*
Y. *Disc. 63.*
Z. *Dicto disc. 67.*
A. *Disc. 94. & 95.*

malibus, siuè pro gregalibus animali-
59 bus, ad industriam, & alicubi etiam pro hominibus persoluantur, ratione transitus per portam, pontem, scapham, viam, aliumuè locum, & alicubi per naues, per aliquam maris partem transeuntes, siuè portum aliquem intrantes; Istaque frequentiùs onera vniformia, & materialia sunt, non ratione valoris mercium, sed per capita transeuntium, vel prò qualitate nauium, aliorumque instrumentorum pro diuersis quoque moribus B.

Gabellarum nomine, in stricta, & pro-
60 pria significatione, illa veniunt onera, quæ insensibilitèr, occasione vsus victualium, aliorumque vsualium, cum aliqua, intrinseci, & naturalis pretij alteratione, ab emptoribus supportantur; Quamuis etenim ad instar vectigalis, seù dohanæ, per venditorum manus, materialis solutio fiat, reuerà, tamen spectato affectu, ab emptoribus fieri dicitur, ità quandam exactorum, seù administratorum ipsis venditoribus personam, seù figuram gerentibus, vt illud scilicèt, extrinsecum, alteratumque pretium, quod pro gabella exigunt ab emptoribus, ipsius gabellæ domino, ac impositori restituant, naturali, ac intrinseco suarum mercium, & rerum, seù victualium pretio contenti, ne aliás publica, & regalia iura, in priuatam cedant vtilitatem, illicitaque de alieno locupletatio resultet; Ideóque non venditorum, sed emptorum immunitas, vel exemptio
61 spectanda est, vt isti vilius emant, non autem, vt illi carius vendant; Vt pro frequentiori vsu illæ sunt gabellæ, quæ super pane, vel farina, vino, oleo, carnibus, piscibus, fructibus, alijsque similibus imponuntur C.; Istaque onerum species omnibus, Principi scilicèt, vel Reipublicæ imponenti, popoloque persoluenti (quando debitæ moderationis
62 metam non excedat) omnium commodior reputatur; Gabellarum etiam vocabulo contractibus congruente, quæ pro diuersis regionum moribus diuersam habent regulam. D.

Collectarum vocabulum triplicem habet significationem, merè realium scilicèt, merè personalium, & mixtarum;
63 Reales etenim illæ sunt, quæ pro modo facultatum, atque vt vulgò dicitur *per as & liberam*, persoluuntur, possessoris qualitate non curata; Personales, quæ à personis subditis præstentur, certam habentibus qualitatem, ac propterеá personæ qualitas attenditur, nulla bonorum, seù virium ratione ha bita, vel constituta differentia; Mixtæ verò, quæ à personis quidem subditis præstandæ sunt, bonorum tamen ratione, ac pro modo facultatum.

Istæque species præsertim duę priores, merè reales, ac merè personales, suas quoque habent sub distinctiones, inter ordinarias scilicèt, & fixas, ac extraordinarias, seù accidentales, ac variabiles; Ordinariæ siquidem reales illæ sunt, quæ perpetuæ, ac inuariabiles, in vniformi quota, vel quantitate in singula tempora Principi, vel Reipublicæ præstentur, tanquàm per speciem decimæ spiritualis, quæ parocho persoluitur, siuè tanquàm per speciem canonis, vel census, aut tributi; Personales autem, in singulis quibusque annis, alijsuè certis statutis temporibus, in vniformi, ac inuariabili summa, per capita personarum persoluuntur, ideòque capitationis nomen, seù vocabulum habent; Extraordinariæ verò, siuè accidentales, in stricta significatione sub contributionum, & taxarum, seù datiorum, vel impositionum nominibus veniunt. E.

Atque hinc immunium, vel exemptorum obligatio pendet, pro ijs bonis, quæ à subditis in eos obuenerint, & quæ
64 priùs laicalibus oneribus penès subditos priores dominos subiecta erant, vt scilicèt, prima species merè realium, ordinariorum, ac fixorum, tanquàm species decimæ, ipsa bona principalitèr afficiat, personæ qualitate, vel immunitate neglecta; secùs autem, vbi de alijs agatur speciebus, ideòque non iuris, sed facti, & applicationis desuper quæstiones cadunt, quando scilicèt, vnam vel alteram

B. *Disc.131.& 156.*
C. *Disc.52.& seqq.& 155.hoc tit.& disc.5.& 6.Miscellan.Eccles.*
D. *Disc.49.*
E. *Disc.96.& seqq.*

alteram speciem collectæ, siuè onerum redoleant. F.

Aliæ verò gabellarum, & onerum personalium, vel mixtorum species plures habent quæstiones, super Secularium quoque priuilegiatiua exemptione, illa præsertim Fisci, vel Ciuitatis, quæ gabellæ domina sit, de quibus in sua sede videndum, cum plurès habeant distinctiones compendio non facilè congruas. G.

Super imponendi facultate quæstiones etiam cadunt, quàm solis Papæ, & Imperatori nonnulli in legali simplici-
65 tate ambulantes, tribuunt, alijs Principibus licèt supremis, & absolutis denegando; Contraria verò vsu recepta est regula generalis, quæ omnibus assistit Principibus, ac Dominis, vel Ciuitatibus, iura regalla, atque supremi principatus potestatem, ac Imperium in propria Ditione habentibus, quamuis iure feudi regalis, & dignitatis principatum ab alio obtineant, illumque in solo alti dominij ratione superiorem agnoscant; Nisi lex inuestituræ, seù altera scripta, vel non scripta lex, aliter disponat. H.

Eadem è conuerso regula generalis subditis, Baronibus, & domicellis, ac
66 Ciuitatibus resistit, nisi Principis explicita licentia, vel concessio accedat, siuè illa implicita, quæ, ex immemorabili, vel centenaria vitiosum initium non habente, manat, cum ius indicendi publica onera, inter regalia numeretur, ideòque Principi competat; I. Regionum moribus tamen magnam desuper partem habentibus, dum alicubi Principes publica onera, Communitatibus, in certa quantitate pro personarum, vel fumantium domorum numero indicunt, ipsarumq; Communitatum partes remaneant exactionis modum indicere, qui pro locorum moribus, vel qualitate varius est, adhuc tamen Principis, vel supremi Magistratus assensu, seù licentia desiderata. K.

Aliæ quoque dantur extraordinariæ collectæ, seù contributiones, & taxæ,
67 quæ comparatiuè ad præcedentes, priuatæ magis, quàm publicæ dicuntur, pro priuatis scilicèt locorum, & populorum indigentijs, vel commoditatibus, & quæ comparatiuè ad singulos priuatos, publicarum nomen, seù vocabulum quoque habent, Communitariuæ nuncuparæ; siuè vbi pro singulorum in aliqua territorij parte, bona habentium, necessitate, vel commoditate, per Communitatis speciem, collectæ, vel contributiones indicantur, ideòque super immunium, & exemptorum obligatione frequentès cadunt quæstiones, certam non de facili regulam recipientes, vtpotè à diuersis decisionem expectantes distinctionibus, in sua sede videndis. L.

Super gabellarum, & dohanarum fraudibus, earumque pœnis, & commissis,
68 frequentès praxis quæstiones producit, certam paritèr non habentes regulam, cum ab ipsarum gabellarum, vel onerum legibus, vel à locorum moribus, ac stylis decisio nimium pendeat, vt in propria sede aduertitur. M.

Quamuis autem præmissæ sint singulorum vocabulorum legales, ac propriæ
69 significationes, adhuc tamen certa desuper non cadit regula, cum pro vario loquendi vsu, eadem vocabula confundi soleant, eorumque promiscuus vsus adhiberi, illo præsertim vectigalium, omne genus onerum aliquando complectente, Ideòque non in rerum vocabulis, sed in rei veritate, ac substantia immorandum venit.

Vulgi quædam communis opinio, vel
70 traditio penè generalis est, vt prò cadaueribus de loco ad locum vehendis gabella, vel dohana solui debeat, Quod tamen omni caret iuris, ac rationis fundamento, ideòque erronea est opinatio. N.

Suppl.Theat.Lib.2.de Regal. T 2 CAP.

F. *Disc.* 50. *&* 51. *& disc.* 2. *Miscellan. Ecclesiastic.*
G. *Disc.*44.*&*45.
H. *Disc.*63.*&* 64.*de feud.*
I. *Proximè supra.*
K. *Disc.*43.*hoc tit.& disc.*5. *Miscellan.Eccles.*
L. *Disc.*98.*& seqq.*
M. *Disc.*69.87.88.*&* 152.
N. *Disc.*166.*in supplemento.*

V.

De Salinis, & Salariis, aliisque salis materiam concernentibus,

71 Diuersa est Salina à Salaria; Salina etenim est ille locus terreus, vel aqueus in quo salis materia effoditur, vel fabricatur; Salaria veró denotat priuatiuum ius vendendi, seù distribuendi salem in principatu, seù loco, aut in prouincia, iuxtà distributos fines, pro alterato pretio, quod excedat intrinsecum, seù naturale pretium materiæ. O.

Iuris regalis vbique est hæc posterior species, ideòque non nisi Principi, vel
72 cui ipse concesserit, ea competit, nedum ratione iuris priuatiui, seù prohibendi, quod naturali libertati contrarium, de supremo Principi competentibus dicitur, dum priuatis, vel subditis incongruum est, sed etiam, ob complicantiam gabellæ, quæ ita inest, atque à subditis insensibilitèr exigitur, in ea alterati, & extrinseci pretij parte, quæ ab inuitis soluitur, aliàs non soluenda, si libertas emendi suppeteret. P.

Super prima verò, Salinarum specie, quæstio cadit, an publici, ac regalis iuris de earum regulari natura censeri debeant; Alijs communi cuidam vsui in-
73 nixis affirmantibus; Alijs verò negantibus, ex legum ciuilium dispositione, quæ priuatis aliorum prædiorum more, eas decernunt, atque de eorum dominio, & vtilitate supponunt; Q. Ea verò apud Iur-istas recepta videtur distinctio, inter magnas, suique natura publicas Salinas terrestres, quæ mineralium, magnarumque fodinarum speciem habent,
74 vt in ea Italiæ parte, quæ Calabriæ dicitur, ac etiam in ea Poloniæ regione, quæ Velista nuncupatur, praxis docet; Siuè in maritimis, vt in Italia in ea parte, quæ Apulia nuncupatur, inter Garganicum montem, & Iapigios, seù Barensem prouinciam, magnæ habentur, minores verò sunt in Emilia, quæ Ceruienses dicuntur; Aliæuè propè Vrbem ad ostia Tyberina; R. Priuatæ verò, quæ modicæ sint, in ptiuatis fundis, vel puteis, seù fontibus, salitas aquas habentibus. Moderno verò, tempore de facto, saltim pro Italiæ moribus, vt fraudibus occurratur, quibus salariæ Principis subiacebant, priuatæ sunt prohibitæ, vel suffocatæ, earumque vsus aboletus, ideòque ambæ species, inter regalia meritò recenseri debent.

Maiores itaque forus desuper audie quæstiones, cum huiusmodi salatiarum,
75 vel salinarum appalatoribus, vel conductoribus, quandam aleę speciem ementibus, iuris scilicèt, priuatiui vendendi, vel distribuendi, intra præfinitos fines præfinitumque tempus, certam, ac statutam salis quantitatem ab eis, pro conuento pretio soluendam, siuè illam integram percipiant, ac vendant, siuè non, vt proindè periculo se exponant, soluendi nimis alteratum prerium materiæ, non habitæ, vel quæ habita, finito statuto tempore inutilis remaneat, atque post determinatum tempus, in commercio sit prohibita, adeòvt in ipso iure vendendi, maiorique venditione, ipsius appaltus substantia, Appaltatorisque vtilitas consistere dicatur; Isto periculo ab eo lucro compensato, quod reportatur ex facultate reuendendi, seù distribuendi pro longè maiori pretio, quám ipsi soluant. S.

Pretium verò à legibus appaltus, vel à consuetudine statutum, in ea distri-
76 butione, quæ populis subditis fiat, est, inalterabile, nedum augmento, sed etiam diminutione prohibitis; Augmento scilicèt, dum nouam redoleret gabellam; Et diminutione, cum id Principi locatori, vel futuro appaltui præiudiciale dicatur, vt in sua sede latiùs aduertitur. T.

Casuum belli, vel pestis, seù ipsarum salinarum sterilitatis contingentia,
77 frequentès parere solet quæstiones defalchi, seù restauri, in sua sede in notabili parte recensitas; Et eò præsertim decisionem recipientes, an casus rei substan-

O. *Disc.* 105. *& seqq.*
P. *Ibidem*.
Q. *Vt supra*.
R. *Ibidem*.
S. *Ibidem*.
T. *Ibidem*.

substantiam, vel potiùs fructus perceptionem feriat; Ista etenim substautia in priuatiuo iure vendendi consistit, maior autem, vel minor fructus, in minoris, vel maioris quantitatis vendirione esse dicitur; Causa verò diminurionis, vel sterilitatis attenditur; Vbi etenim ea, ex locatoris, eiusque officialium, vel ministrorum parte culposa sit, actionem conductori prębet ad totalem interesse refectionem etiam lucri amissi, si veró voluntaria, sed non culposa, vtporè iustæ causæ fomētum habens, pensionis remissionem ad ratam producit, absque illis intolerabilis damni requisitis, quæ in casu considerantur, Vbi veró merè casualis, distinctio est an causam productiuam, seù substantiam, vel potiùs fructus percutiat, vt primo casu, damnum quale, quale sit, refici debeat, in altero autem intolerabilitatis requisitum desideratur, iuxtà omnium locationū generales regulas V.

Illa præsertim consuetæ speciei, seù qualitatis salis mutatio, quæ à salinarum sterilitate, alionè impedimento resultat,
78 salinatori præiudicialis, ac remissionis quandoque productiua reputatur; Vbi ex maritimo, terrestre, siuè ex Cerueiensi, vel Hostiensi, magis humido, minùsque saliro, alterum pariter maritimum, magis verò durum, & salitum Apuliæ, distribuere oporteat, cum deterior qualitas in salinarore melior reputetur X.

Eadem salinatori, vel appaltatori prohibitione incumbente, quæ in publica-
79 nis, seù gabellarum, & dohanarum conductoribus præcedenti, rubrica insinuata est, circa appaltus extrema tempora, consueta maiorem affectandi venditionē, vel distributionem, quæ salariæ domino, vel sequenti appaltui præiudicialis censetur. Y.

In magnis autem nimiùmque fecundis salinis, ea congrua ratio cadit, alijs minerijs, ac fodinis, seù magnarum pisca-
80 tionum, & venationum locis quoque congrua, vt iuris regalis censendæ sint, meritòque Principes, vel Respublicæ, iuris publici effecerint, vt ita scilicèt ingēs, ac insolita naturæ fæcunditas, ac liberalitas, omnium loci incolarum commodo, ac beneficio pariformitèr cedat, cum penes Principem, vel Rempublicam, pro eiusdem Reipublicæ dote politicique matrimonij supportatione deseruiant, ita illa ferendo publica onera, quæ aliàs ex incolarum collectis, & contributionibus ferre oporteret. Z.

VI.

De mineriis, ac mineralibus, alijsque fodinis, & excauationibus, ac Thesauris.

Ex eadem proximè superius insinuata ratione, vt ingens, ac insolitum
81 naturæ beneficium, non aliquorum priuato, sed omnium publico commodo cedere debeat, vbique vsu receptum est, vt auri, & argenti fodinæ, quas vulgò minieras dicimus, publici, ac regalis iuris esse dignoscantur, vt propterea priuato dominio incongruant, quamuis in priuatis fundis, vel prædijs existant.

Sub quæstione verò est, an idem, in ferri, æris, & lapidum, aliorumque minera-
82 lium fodinis, dicendum sit; Idque ex legum ciuilium sensu ab ea distinctione decisionem recipit, an in solo publico, vel priuato existant, vt primo casu iuris publici, ac regalis esse censeantur; In altero autem priuati, ita tamen, vt metallorum aliorumque similium effossoribus, ob publicam vtilitatem, ipsis priuatis dominis effodere negligentibus, eis inuitis, effossionem facere liceat, decima domino, aliaque decima Principi, vel Reipublicæ persoluenda; Adhuc tamen, certam, ac generalem id non recipit regulam, cum à singularum Ditionum, vel principatuum varijs legibus, vel stylis id pendeat, normamque recipiat; Pro frequentiori vsu, in metallis præsertim ferri, vel æris, vtporè bellicis instrumentis ipsiusque Principis, vel Reipublicæ vsui magis adaptatis, eiusque hostibus, vel emulis denegandis, vt iuris regalis, ac publici adhuc existant, ad lapidum vsualium, non autem valdè pretiosorum, quæ gemmarum speciem habeant, siuè ad sulphuris, siuè

Suppl. Theat. Lib. 2. de Regal. T 3 vitrio-

V. *Ibidem & disc.* 159.
X. *Disc.* 107. *& seq.*
Y. *Ibidem.*
Z. *De feud. disc.* 2. *& in supplemento.*

vitrioli, vel terræ aliquibus vſibus opportunæ, priuatorum iure reſtricto, in illis fodinis, quæ in eorum prædijs exiſtant.

In rebus verò manufactis, ſiuè hominis induſtriam habentibus, quas ab anti-
83 quo, ſub terræ ſuperficie, citra aliquam hominum memoriam exiſtentes, ex caſus, vel fortunæ beneficio, ſiuè ex effoſſoris induſtria,& diligentia reperiri contingat, quæſtio item cadit, an publici, & regalis, vel priuati iuris eſſe cenſeantur, eaquæ iuris communis diſpoſitione attenta, neutro caſu iſtam habent naturam, dum in priuatis fundis ad priuatos Dominos pertinere dignoſcuntur, eodem modo, quo exceptis illis auri, & argenti, in alijs fodinis ſtatutum eſt; In locis verò publicis, vtpotè nullius, occupantis fierent.

Poſterior autem diſtinctionis pars, ex generali vſu, naturæ mutationem ſortita eſt, vt quæ in locis publicis exiſtant, iuris publici, & regalis eſſe cenſeantur, abolito vſu facultatis, quàm leges ciuiles præoccupatoribus concedunt; Prior autem pro ditionum, vel principatuum diuerſis legibus, vel moribus, diuerſas habet regulas, frequentiùs autem etiam manufacta opera, auri, & argenti, ſiuè illius nimium pretioſi lapidis, qui ſub gemmarum genere veniat, publici, ac regalis iuris cenſeantur; Reliqua verò priuatum ſequantur dominium;Quæſtione cadente inter directum, & vtile, quoties hæc diuiſa ſint, probabilitas verò maior, magiſque receptus vſus vtili aſſiſtit. A.

In theſauris quoque, legum ciuilium diſpoſitione attenta, illa in primis adhi-
84 betur diſtinctio, inter theſaurum, & pecuniam abſconditam, vt theſauri nomine ſolùm veniat, auri, & argenti, ac gemmarum, aliarumque nimis pretioſarum rerum congeries, quæ ſupra hominum memoriam, omninò incertum, ac ignotum habeat dominum, ac poſſeſſorem; Talique poſita qualitate plurès cadunt diſtinctiones inter loca publica, & prophana, & loca ſacra, & fundos priuatos, vt primo & ſecundo caſu publici, ac regalis iuris cenſeantur, certa portione inuentori aſſignata; In altero autem totum domino, qui etiam inuentor ſit, deferatur; Vbi verò diuerſus à domino ſit inuentor, certa inter eos diſtributione ſtatuta, quoties ex caſu, vel ex licita induſtria, ſinè aliquo ſortilegij crimine ſequatur, cum tunc Fiſcus, nunquàm turpitèr quæſitum totum occupet; diuerſa tamen eſt penè vbique praxis, pro ditionum, ſeù principatuum diuerſis legibus, ac ſtylis, ex quibus etiam in fundis priuatis certa portio, quamuis nullum admixtum ſit crimen, Fiſcalis, ſeù regalis iuris eſſe cenſetur, ideòque vbi caſus, vel fortunæ beneficium, nimium diligens, benè que cuſtoditum annexum non habeat arcanum, magnum etiam in re propria, quinimò in perſona redolet maleficium, ob Fiſcalium conſuetos rigores, & moleſtias; Pecunia verò abſcondita iuris eſt priuati. B.

Hinc generalis vbique inoleuit vſus, effoſſionum, ſeù excauationum, etiam in priuato fundo prohibitiuus, abſque
85 Fiſcalium ſcientia, & licentia, quæ pro diuerſis Regionum, ſeù principatuum ſtylis, diuerſas habet leges, ac formulas, quas exactè ſeruare expedit, ne beneficium in maleficium, vt ſupra conuertatur; Duplici huiuſmodi prohibitionis aſſignari ſolita ratione; Vna ſcilicèt, ne ea, quæ iuris regalis ſint, atque ad Principis Fiſcum pertinent, à priuato occupentur effoſſore; Et altera, ne effoſſione extrinſecè in priuato ſolo initium affectatè habente, in publico tamen ſequatur effectus.

Sub Iudice verò, adhuc indeciſa pendet quæſtio ſuper ijs theſauris, alijſque pretioſis rebus, quæ in ſacris, vel Eccle-
86 ſiaſticis locis, & fundis exiſtant, an ad prophanum Fiſcum quoque pertineant, vel ad pontificium, ſiuè ad ipſam Eccleſiam, vtpotè à temporali imperio, ac iuriſdictione exemptam, quod varias de more opiniones habet, à locorum tamen ſtylis, vel moribus ſaltim de facto deciſionem, id recipere ſolet, ideòque certam non habet regulam. C.

Effoſſionum autem, ſeù fodinarum
87 emolumenta, quæ in dies, & tempora percipiuntur, an ſortis, vel fructuum ſpeciem

A. *Diſc.* 147. *hoc titulo, & diſc.*160. *de dote*.

B. *Eod.diſc.* 147.*& tit.de ſeruit.diſc.*47.

C. *Eodem diſc.*147.

speciem redoleant, sub dotis, ac vsusfructus, & fideicommissi sedibus agitur, cum id regalium peculiarem non percutiat materiam. D.

Atque vbi verum, vel interpretatiuum ex Principis edicto, vel naturæ benefi-
88 cio, ius priuatiuum in huiusmodi mineralium vsu, & venditione accedat, eadem, quæ in salinarum, & salariarum appaltibus dicta sunt, huiusmodi fodinarum, siuè excauationum appaltibus, vel concessionibus ad certùm tempus, penè in omnibus congruere videntur, dum non in ipsius materiæ intrinseco, ac naturali valore, sed in iure vendendi intrà statutum tempus, locatio, & conductio, aliauè fruitio consistere videtur, vt in sua sede latius. E.

V I I.

De Fisco, ac iuribus Fiscalibus pœnalibus, ac successoriis, in bonis scilicet, proscriptorum, aliorumue delinquentium, siue in vacantibus, vel naufragatis, aut aliàs derelictis, certùm non habentibus dominum, ac possessorem.

IPsius Fisci pertinentia in genere, ex magis communi, receptaque sententia, iuris regalis censetur, vt propterea, quatenùs ad prophanum, vel sæcularem pertinet, ad solùm Principem,
89 vel ad Rempublicam, quæ iura Principis habeat, non autem ad subditos, ac subordinatos Barones, seù domicellos, minùsque ad subditas Ciuitates pertinere dignoscatur, nisi Principis accedat explicitum priuilegium, siuè illud implicitum, quod ex immemorabili, vel centenaria possessione, quæ vitiosum non habeat initium, resultet; Aliqua in Baronibus, vel domicellis, aut subditis Ciuitatibus, Fiscali effigie remanente, pro delinquentium punitione, ac pro priuatis mulctis, & pœnis, non autem pro generalibus confiscationibus; Id autem omnium ferè regalium ad instar, certam, ac generalem non recipit regulam ob nimiùm regionum, ac principatuum diuersam praxim, diuersasque leges, ac stylos, quibus deferendum venit. F.

In Episcopis verò, alijsque locorum Ordinarijs, ac Prælatis, Ecclesiasticis quæstio est, consuetam habens non mo-
90 dicam opinionum scissuram, an Fiscum habeant, iuraque Fiscalia, vel potiùs vnicus sit Romani Pontificis, vel vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ Fiscus, idque paritèr, pro regionum, & principatuum diuersis moribus, vel stylis, diuersam haber praxim.

Fisci verò, vnius, vel alterius posita pertinentia, triplicem ille naturam, seù
91 speciem habet, successoriam scilicèt, fauorabilem, pœnalem odibilem; Et alteram magis fauorabilem, & priuilegiatam, quæ in publicis Reipublicæ, vel principatus bonis, ac iuribus consistit.

Successoria ea est, quæ in bonis vacantibus, nullum habentibus priuatum dominum, ac possessorem cadit; Qualia censentur bona naufragata, seù aliàs
92 habita pro derelictis, & quæ ex legum ciuilium placito, nullius dicuntur, ideòque primo occupantis fiunt, cum hæc ex generali Principum, vel Republicarum vsu publici, ac regalis iuris esse censeantur, ideòque de iuribus Fisci sint.

Frequentius verò, in ijs contingit bonis, quæ vacantia dicuntur, quia nullum habeant legitimum, testatum, vel intestatum, defuncti Domini, ac possessoris hæredem, quia nempe non extante testamentario, nullus intra decimum ciuilem gradum per agnationem, vel cognationem coniunctus, minusque con. iux superfit, cum post istos fiscus, hæredis, ac successoris locum occupet, veri ac fauorabilis in vniuerso actiuo, ac passiuo iure successoris, & hæredis personam gerendo, si defunctus eiusdem Principis subditus existat; Vbi verò non sit subditus, vel respectu alterius Ecclesiasticæ qualitatis, ab eius iurisdictione, ac
93 imperio exemptus, non modica est quæstio, consuetam habens opinionum scissuram,

D. *Disc.160.de dote.*
E. *Disc.117.hoc tit.*
F. *Disc.160.& 161.hoc tit.*

ram, an fiscum laicalem, vel porius Ecsiam particularem cuius seruitio defunctus additus esset, vel formalem Ecclesiam diæcesanam, hæredem habeat; Id autem à legitima consuetudine primam decisionem recipit, eaque cessante, vna opinio distinguit inter ea bona, quæ soli sint, siuè loco circumscribantur, atque sub territoriali iure cadant; Et alia, quæ personæ inhæreant, illamque sequãtur, vt hæc posterior species personæ naturam, seù exemptionem sortiatur, ideòque Ecclesiam habeat hæredem; Prima verò sub vacantium genere veniat, atque ad sæcularem fiscum pertineat; Alia verò probabilior magisque recepta opinio, in sæcularis fisci exclusionem, totum Ecclesiæ defert, ijs exceptis bonis, quæ, de ipsius Principis, vel Domini, Reipublicæ directo sint dominio, cum quo vtile, vel subalternum ob legitimi successoris defectum, excluso fisco consolidetur; G. Id autem non ex fiscali, vel regali iure prouenit, sed ex natura, seù
94 operatione dominij directi, quamuis illud priuatum sit, vt vtile, & subalternum, defecto legitimo hæredeb, (fisco excluso) ad se attrahat H.

Plures verò pro diuersis locorum moribus vltra decimi gradus coniunctos, &
95 coniugem, dantur successores, qui fisci successionem quoque excludant, eique praeferantur; Hospitalia scilicet, Collegia, Congregationes, & adunantiæ, siue monasteria in bonis nouitiorum, ità tamen, vt in hospitalibus, & Collegijs, alijsque adunantijs, fixa, & perpetua verificetur vitæ additio; Id autem neque certam ac generalem recipit regulam, quam in singulis regionibus, vel ditionibus consuetudo præbet I.

Præfata in Clericis, & Ecclesiasticis personis quæstione cadente laicalium bonorum respectu, quæ ex maiorum successionibus, vel ex personali industria, aliaue fortunæ beneficio, ac aliàs quam Ecclesiæ, vel clericatus occasione parta
96 sint, vt prophani patrimonij censeantur, idèòque prophanum legitimum habeant hæredem; In alijs etenim, quæ sub Ecclesiastico cadunt patrimonio, dubitandi occasio abest, dum in eis clericus Ecclesiam habet hæredem necessarium, aliter disponendi interdicta facultate, quã peculiare indultum Apostolicum nõ tribuat, eaque accedente, illã habet conditionem, vt ad exercitium deducatur, quo cessante, vel effectum non sortiente, subintrat regula, quæ Ecclesiæ assistit, cum dispensatiuum indultum, fisco prodesse non debeat L.

In ijs quoque iuribus, quæ spiritualia sint, vel annexam habeant spiritualitatem, ista fiscalis successio non admittitur,
97 vt in Ecclesiastico iurepatronatus, ex magis probabili sententia, praxis docet; Nisi de illo agatur, quod reale sit, ipsis bonis annexum, eorumque accessorium, cum tunc bonorum dominum, ac possessorem sequatur M.

Altera verò pænalis, ac odibilis est fisci successio, quæ anomalæ hæreditatis speciem redolet, in proscriptorum bo-
98 nis generaliter cadens, sub vniuersali omnium bonorum confiscatione pro forensi loquendi vsu, explicari solita.

Duplicem verò speciem ista successio apud Iuristas habet; vnam scilicet ex iuris communis dispositione manantem, qualis est ea, quæ pro vtriusque diuinæ, ac humanæ maiestatis læsione resultat; Alteram verò, quæ ex locorum, vel ditionum, seù principatuum legibus particularibus, pro aliquibus manat criminibus, quibus ius commune hanc non indixit pænam, vt temporalis Ecclesiæ Ditionis, vel principatus frequentior fortè praxis docet, vt ea crimina, quæ capitis pænam habent, hanc alteram publicationis bonorum, pro regula penè generali, annexam habere videantur.

Hinc manat quæstio, an in vno territorio, vel principatu, sequuta confisca-
99 tio, omnia complectatur bona, quæ in alijs territorijs, vel principatibus quoque existant, ad singulorum Principum, vel dominorum fauorem, ita quolibet in suo confiscante; Idque nimiam habet opinionum scissuram, pluresque recipit distinctiones, ac declarationes compendio incongruas, ideòque in sua sede videndas N.

Regu-

G. *Disc.149. hoc tit. & tit. de feud.disc.72.*
H. *Ibidem.*
I. *Dicto disc.149. & in supplemento.*
L. *Dicto disc.149.*
M. *Tit. de iur.patron.disc.38.*
N. *Hoc tit.disc.161. in supplemento.*

Regalis iuris quoque illud est, vt
100 fiscus ea bona capiat, quæ ab indignis, auferri, atque fisco applicari lex disponit; O. Vbi verò de veris, vel contumacialibus pœnis, vel mulctis particularibus à lege, vel ab homine in-
101 dictis agitur, id iuris regalis non est, sed cuilibet Iudici, vel magistratui congruit; Certa & generali regula neque desuper cadente, ob diuersam ditionum, ac principatuum praxim, diuersásque leges, vel stylos.

Plura verò in hoc iurium fiscalium pœnali genere cadere solēt, quæ applicationem, vel pertinentiā percutiunt, siue an, quæ in vita delinquentis de-
102 clarata non sunt, post mortem, declarationem, vel prosequutionem habeant; Vel an fiscus illo transmissionis beneficio potiatur, quo alter hæres potiri deberet, ac similia non ipsum ius regale in habitu, vel substantia, sed eiusdem modum, vel exercitium respicientia, quæ proinde in sua sede videnda sunt P.

Præcipua cadente quæstione super hominis priuata facultate, istud fisca-
103 le ius, in aliquibus bonis tollendi, vel prohibendi, vt in ijs præsertim praxis docet, quæ ex alterius vltima voluntate, vel dispositione obuenientia, hanc habeant legem, vt fisco non quærantur; Aliquibus hanc potestatē negantibus; Affirmantium verò magis communis receptaque opinio est, vbi positiuæ fraudis in dubio non præsumendæ probatio non accedat; Q. Adeo fauorabili hac dispositione reputata, vt etiam, ea complectatur bona, quæ necessariam habeant successionis, vel dispositionis speciem, grauamen eis adijciendi interdicta fa-
104 cultate, qualis præsertim ea est liberorum, vel parentum necessaria portio, quæ legitima dicitur R.

Filiorum quoque numerus ex legum ciuilium placito hoc fisci pœnale ius impedit, vel minuit; Quod tamen certam non recipit regulam pro
105 diuersa ditionum, ac principatuum praxi ex legum, vel morum diuersitate manantem; S. Eaque diuersa quoque est in eo fiscali iure, quod pro fi-
106 liorum crimine à parentibus legitimā quoque aufert eis debitam T.

Restitutiones criminosi in gratiam Principis varias quoque producunt quæstiones super publicatorum bonorum recuperatione, diuersam pariter habentes praxim, vel decisionē,
107 pro diuersis legibus, vel moribus, siue pro diuersa restitutionis formula, vel tenore, ideòque pariter certæ, ac generalis regulæ incapacitatem id habet, cum similibus in sua sede recensitis V.

Altera demum illa est fisci species, quæ, publicorum iurium, siue dotis reipublicæ, vel principatus administrationem percutit; Istaqueomnium
108 fauorabilior, magisque priuilegiata est fisci species, præsertim verò, pro tacita hypotheca, vel potioritate aduersùs anteriores creditores, in bonis postea quæsitis, alijsque pluribus priuilegijs, & fauoribus, quæ fisco aduersus debitores, & administratores conceduntur; Ea etenim pœnali fisco denegantur, ac etiam alteri successoric, quamuis magis fauorabilis censeatur, dum iure priuati vtitur; Ideóque illa iuris regula, quæ in dubio pro fisco iudicari debere decernit, tertiam hanc fisci speciem percutit, non autem alias priores, præsertim verò secundam pœnalem, quæ oppositam potius habet regulam, vt contra fiscū in dubio sit iudicandum, quodque sub bono Principe fisci causa semper mala sit X.

Ea tamen, quæ à prima, vel secunda specie obueniunt, tertiæ fauorabilis, ac priuilegiatiuæ speciem sortiun-
109 tur, illorum scilicet bonorum, vel iurium respectu, quæ fisco iam quæsita sint, quodque tanquam fiscalia bona, vel iura sub generica fiscalis patrimonij administratione sint posita, vt aduersùs administratores, vel occupatores idem, ac generale sit priuilegiū, ad

O. *Dicto disc.* 160.
P. *Dicto disc.* 160.
Q. *Dicto disc.* 160.
R. *Ibidem.*
S. *Dicto disc.* 160.
T. *Ibidem.*
V. *Disc.* 148. & 160.
X. *Dicto disc.* 160.

ad instar eorum, quæ de odibili vsurarum, vel fructuum specie in iure statuta sunt, quod licet ad superfætationem, vel anatocismum inhabiles penes debitorem sint, penes tamen administratorem, vel tertium indifferentium bonorum, ac sortis naturam sortiantur, ideòque nouos fructus, vel vsuras producere prohibitionem non habeant.

Fiscalium bonorum, vel iurium administratoribus, ac etiam Appaltatoribus pro diuersis regionum, ac principatuum legibus, vel stylis minus fi-
110 deles reddentibus rationes, seù alias iura fisci fraudantibus, graues indictæ sunt pænæ, in Ecclesiæ præsertim temporali ditione, vltra censuras aliasuè personales pænas decupli, quæ diuersas producũt quæstiones non de facili sub compendio cadentes, vt in alijs plerisque contingit, ideòque in sua latiori sede videndas Y.

VIII.

De Monetis.

Regalis iuris esse facultatem cudendi monetas non ambigitur; ideòque Baronibus, ac Domicellis,
111 vel subditis ciuitatibus iura supremi principatus non habentibus denegari non dubitatur, nisi supremi Principis indultum accedat.

Quamuis autem ille, qui supremi Imperij, ac principatus iura in sua ditione obtinet, positiua, vel humana lege, cui dispensare, vel derogare potest, solutus sit; Illam tamen directiuam vim, quam etiam ex humana le-
112 ge Princeps patitur, inhoc monetarum iure, magis fortè, quàm in alijs sentire videtur, vt bonæ ligæ, seù materiæ ad eius intrinseci valoris normã monetam cudere debeat; Ita quoque publici boni principatus, ac Reipublicæ politicis exigentibus rationibus, ob ingentia damna, & præiudicia, quæ subiectis populis, ipsique Reipublicæ, vel principatui deterior
113 monetæ qualitas producit; Z. Ideòque in ea, cui maior, & accidentalis immeritus valor ex Principis auctoritate tribuitur, gabellæ, seù collectæ speciem in esse videtur eodem modo, quo in sale alijsque ius priuatiuum habentibus, vt superius adnotatur A.

Adhuc tamen istius quoque regalis iuris species certæ, ac generalis regulæ incapacitatem patitur, ob consuetam dirionum, ac principatuum le-
114 gum, ac praxis diuersitatem, ideòque fatuitatem redolet, cum antiquis Romanorum legibus, vel cum ijs Interpretum traditionibus, quæ ab eis deriuant, vbique procedere, cum tunc diuersa esset ratio, quod vnum esset Imperium cum vnica lege, & Principe.

Priuati verò potiùs, quàm publici iuris sunt illæ, quas frequenter forus audit, quæstiones, super moneta-
115 rum alterato valore, an creditorum, vel debitorum commodo, vel respectiuè incommodo cedere debeat, siuè an obligationis, vel solutionis tempus inspici debeat, ideòque sub crediti, & debiti, & Ecclesiasticarum pensionum sedibus id potius cadit, ibique videndum B.

Criminum quoque sedem, seù materiam potius, quàm Regalium percutit monetæ fabricatio, vel falsificatio, seù tonsio; Illa iuris regalis in-
116 spectione cadente, quæ fori competentiam, super huiusmodi causarum cognitione, vel criminis punitione percutiat, an scilicet priuatiua ad Barones aliosue inferiores magistratus, ipsius Principis, eiusque magistratuum cognitio, & competentia sit ob eius maiestatis, vel regalis iuris læsionem.

Internum verò magis, quàm externum forum illæ percutiunt quæstio-
117 nes, quæ de facultate contractandi pecuniam, reprobationi destinatam habentur,

Y. *Disc.* 119. *& seqq.*

Z. *Hoc tit. disc.* 126. *& seqq.*

A. *Ibidem & in Miscellan. Eccles. disc.* 4.

B. *Dicto disc.* 126. *& seqq. hoc tit.*, *tit. de cred. disc.* 139. *&* 140., *& de pension. disc.* 34. *&* 35.

bentur, quando imminentis prohibitionis habeatur notitia.

Priuati quoque iuris altera est quæstio, an vectigalium, aliorumque publicorum iurium, vel priuatorum e-
118 tiam bonorum conductori, vel administratori, eam liceat soluere iam reprobatam pecuniam, quæ ante prohibitionem exacta sit, quam respuendi facultas non erat C.

IX.

De pluribus Regalium speciebus; nempe, De nundinis, & mercatis; De ponderibus, & mensuris; De iuribus priuatiuis, & prohibendi; De tractis, extractionibus, & Represaliis.

PVblicas, ac solemnes nundinas celebrandi facultas ex magis recepto iuristarum sensu, regalis iuris
119 est, ideòque nonnisi ex Principis priuilegio explicito, vel eo implicito, quod ex immemorabili, vel centenaria resultat, ea competit; Triplici id suadente ratione; Ea nempè ob præiudicium, quod publicis vectigalibus & dohanis resultat; Altera iurisdictionis magistri nundinarum, quæ ordinarijs Iudicibus, & magistratibus, cum extraordinarijs insolitis processibus summarijs, ac inordinatis more castrorum potius, quàm Ciuitatis præiudicat; Et tertia, politica vel status, ob magnam populorum etiam exterorum, & non subditorum affluentiã, ac adunantiam, quæ Principi suspecta esse debet.

Vbi ergó præmissæ non vrgeant rationes, quia scilicet de illis minoribus, ac priuatis nundinis agatur, quæ ex alicuius solemnitatis causa, siue pro victualium meliori vsu, vt monopolijs reuenditorum occurratur ad priuati populi commoditatem, ac absque his exemptionum, & iurisdictionis circumstantijs fiant, & quæ ad differentiam, sub mercati vocabulo explicari solent, ius regale non intrat; Bene tamen localis magistratus licentia, seu facultas desideratur, ob genericam adunantiarum prohibitionẽ, vt conuenticulis, & tumultibus occurratur; Quæstione disputari solita, super priuilegiatiua facultate, publicas, ac solemnes nundinas celebrandi, an per diuturni temporis non vsum amittatur; Siue an obtenta facultas reuocatione, vel annullatione digna sit ob præiudicium, quod alterius loci nundinis inferatur; Vel an liceat consuetum locum immutare, cũ similibus D.

Pondera, & mensuras, iuris communis dispositione attenta, cuiusli-
120 bet loci Magistratus statuere potest, vt venditorum fraudibus, ac deceptionibus occurratur; Ex quodam tamen penè generico principatuum, vel respectiuè Ciuitatum, vel prouinciarũ vsu, de iuribus regalibus ad Principem pertinentibus, reputari solent, vel ex ratione, vt in vniuerso principatu pro maiori subditorum commoditate vnica sit, ac vniformis ponderum, & mensurarum taxa, vel quia ius prohibendi vsum aliorum ponderum, & mensurarũ, quæ publicum stygma, vel signum non habeant, sub zecchæ vocabulo explicari solitum, vectigal, seu gabellam implicitam, seu occultam habeat E.

Eadem implicitæ gabellæ publiciuè oneris ratio magis, quàm altera, im-
121 peditæ, vel ademptæ naturalis libertatis, frequentius inter iura regalia recensere facit priuatiua, seu prohibendi, ac respectiuè cogendi ius, in illis vsibus, qui humano victui, vel commercio necessarij sint iuxta ea, quæ de sale insinuata habentur, vt in molendinis, furnis, macellis, alijsque tabernis, & apothecis victualium, habetur; Vbi etenim non extrinseci, ac alterati pretij vtilitatem id percutiat, sed solum, vt monopolijs occurratur, sub cuiuslibet Magistratus potestate cadit; Regulariter autem ius priuatiuum, extrinsecum ac alteratum rerum pretium producit, atque vectigalis, vel gabellę speciẽ redolet, ideòque

C. *Disc. 68. de credit.*

D. *Disc. 131. & 132. hoc tit.*
E. *Disc. 130. hoc tit.*

quę non nisi ex Principis priuilegio explicito, vel ex eo implicito, quod ab immemorabili, seù non vitiosa centenaria resultat, Baronibus, & Domicellis, subditisque Ciuitatibus, multo magis priuatis, id non conceditur nisi iusta causa, quæ ob aliquod accidens ex iuris communis dispositione, vel ratione aliquam desuper prouisionem per locorum magistratus adhiberi posse suadeat, vt in penurioso, vel aliàs calamitoso tempore praxis docere solet F.

Frugum, ac victualium aliarumque mercium, & rerum extractionibus
122 prohibitio extra Ditionis, vel principatus fines, vbique meritò viget; Duplici congrua ratione impellente; Ea nempè, vt publicæ occurratur annonæ, & ne mercatorum, ac dardanariorum auaritia, penuriam in eo loco introducat, in quo natura, benefica, & liberalis fuit; Et altera, vt Principis, ac Reipublicæ intersit, inquirere, ac scire, ad quæ loca, per quasuè personas ex propria Ditione, fruges, ac merces aliaue bona euehantur, ne cum hostibus, vel suspectis id sequatur; Ideòque iuris regalis est tractatum, seù extractionum, concessio, quæ ex communi vsu loci, temporis, ac modi, taxam, seù regulam habere solet; Certa tamen ac generali desuper non cadente regula, cum à singulorum principatuum legibus, vel stylis, vel à singularum concessionum formulis decisionem recipiat.

Eiusdem veró concessæ facultatis exercitium, accidentalis superuenta penuria, siue publicæ annonæ necessitas, vel oportunitas, iustè impedit, quamuis onerosam, & correspectiuam causam concessio foueat cum debita refectione, vel deductione eius, quod interest G.

Annona verò, priuati iuris cuiuslibet Ciuitatis legum ciuilium dispositione attenta, reputatur, sub Princi-
123 pis tamen protectione, quæ magis proxima illius Ciuitatis est, in qua sit sua sedes; Ideoque calamitosi temporis qualitate, vel dardanariorum malitia, aliauè simili iusta causa impellente, Ordinarijs, ac inferioribus magistratibus, facultas est cogendi, ad victualium, ac rerum venditionem, vel respectiuè emptionem, aliquo iusto quoque pretio taxato, quod iuris tertij positiuam læsionem non redoleat; Illa veró iuris regalis, ac fiscalis annonaria prouisio reputatur, quæ Principis, vel Reipublicæ peculiare munus concernat, pro gratuita scilicèt in toto, vel in parte panis, aliorumque victualium distributione populis facienda, idque illum præsertim percutit effectum fiscalis exemptionis à vectigalibus, & gabellis H.

Represaliarum concessio iuris regalis censetur, cum illæ legum prohibi-
124 tionem habeant, ideòque ad alium non pertinent, nisi ad illum, qui legibus derogandi, vel dispensandi potestatem habeat, quod tamen à locorum, vel principatuum stylis, vel moribus recipit regulam I.

X.

De Mari, Fluminibus, Lacubus, Portubus, Ripis, Siluis, Montibus, Forestis, Piscationibus, vel piscationum iuribus; Venationibus, pascuis, aliisque vsibus, & eorum prohibitionibus.

Legum ciuilium dispositione attenta omnia hæc publici iuris esse censentur, vt sub Principis quidem, vel Reipublicæ protectione, ac
125 dominio habituali esse censeantur, Quoad vsum verò, ac fruitionem, omnium sunt, cum cuilibet in mari, vel lacubus aut fluminibus piscationis, vel nauigationis vsum, atque in Siluis, montibus & forestis illum venationis natura concedere videatur.

Communis verò quædam introductio, iuris regalis effecit illas maris, seù

F. *Disc. 144. & 145. hoc tit. & in supplemento.*

G. *Disc. 133. & in annot.*

H. *Disc. 44. & 45. & 125. & in supplemento.*

I. *Disc. 148. hoc tit.*

seù lacuum, & fluminum, seù fontiũ, ac etiam nemorum,& forestarum partes, in quibus natura, præter communem consuetudinem, magnam, ac extraordinariam exercuerit liberalitatem, cum magna piscium, vel auium, aliorumuè animalium, vel pascuorum aliorumque fructuum copia, vt propterea piscatio, seù venatio, illam non habeat incertam, ac laboriosam aleã, quam pro magis communi vsu habere solet, sed potius magnum redoleat prouentum.

Ea etenim nimium probabilis ratio, quæ magnarum fodinarum occasione superius insinuata est; iuris regalis hæc effecit, vt ea liberalitas, quam in loco natura exercuit, non in aliquorum potentium, & preoccupantium priuatam, sed in omniũ incolarum publicam, & coæqualem cædat vtilitatem, quæ inesse dicitur, vbi ad Principis, vel Reipublicæ ærarium, huiusmodi naturalis beneficij emolumenta pertineant, ità ijs consulendo publicis oneribus, quæ aliàs cum ipsorum incolarum collectis, vel contributionibus, & gabellis ferre oporteret L.

Eadem quoque ratio publici iuris effecit nimium commoda, & insolita pascua in vectigalium, & dohanarum rubrica superius insinuata, occasione explicandi onus fidæ, ac disfidæ M.

Piscationis igitur, seù venationis prohibitionem facere Baronibus, & domicellis, vel subditis Ciuitatibus non conceditur, sed de Principi reseruatis est, ideòque eius priuilegium
127 exigitur, explicitum, vel sæpius enunciatum implicitum; Nisi ratio priuati dominij aliter exigat; Ecclesiasticæ Immunitatis desuper cadente quæstione, quæ à distinctionibus in suis sedibus latius recensitis decisionẽ recipit, an scilicet huiusmodi prohibitiones, quę ex Principis auctoritate, vel priuilegio fiant, siue per Barones, vel domicellos, vel subditas Communitates, in quibus eas facere liceat, Clericos, & Ecclesiasticos afficiant N.

In illis præsertim pascuorum prohibitionibus huiusmodi quæstione cadente, quæ ex concordi Ciuium consensu in aliquibus territorij parti-
128 bus per Cõmunitates fiant, sub bannitarũ, seù defensarum vocabulo explicari solitis, vt ita cum illarum pascuorum pretio, ac emolumentis, publicis occurratur oneribus, ac indigentijs, quod ab alijs distinctionibus recipit decisionem O.

Quamuis item cuilibet priuato cõmunis sit, fluminum, seù lacuum, aliarumque aquarum in publico solo
129 existentium vsus pro molendinis, siue ædificijs, vel pro hortorum, ac pratorum irrigationibus, vt præoccupantis potior conditio sit, alterius tamen vsu, vel industria non impeditis iuxta varios locorum, ac Regionum mores; In nauigabilibus tamen, vel quæ alteri nauigabili deseruiant, siue aliam habeant publicæ causæ rationem, id non conceditur, ideoque iuris regalis censentur, cum hæc publica causa, vel commoditas priuatarum aquarum fundorum, ac prædiorum dominis vsum, ac libertatem impediat P.

Illa autem impedimenta, quæ nauigationis maris naturali libertati prę stantur, pro vectigalium, seù peda-
130 giorum solutionibus, vectigalium, ac pedagiorum, seù gabellarum materiam concernunt, vt in eorum rubrica superius insinuatum est; Alia verò quæ maris iurisdictionem, vel dominium, aliamuè superioritatẽ concernunt sub politicis potius, quàm legalibus cadũt regulis, ac rationibus

Portuum maris ius publicum, ac regale in habituali dominio, ac protectione dicitur, omnium verò com-
131 mune quoad vsum, eodem modo quo de ipsius maris nauigatione habetur, vt propterea, hostibus, vel suspectis

Suppl. Theat. Lib. 2. de Regal. V pro

L. *De feud. disc. 2. & hoc tit. disc. 147. & 134*
M. *Disc. 94. & 95.*
N. *Disc. 134. & Miscellan. Eccles. disc. 40.*
O. *Tit. de seruitut. disc. 35. & seqq.*
P. *Tit. de seruit. disc. 31. & hoc tit. in supplemento disc. 171.*

prohibeatur ingressus Q. Vectigalium, & pedagiorum materiam potius concernentibus illis oneribus, quæ pro ipsorum ingressu, ac mora ferre pro diuersis locorum moribus congruit; Idemque in maris ripa statutum est, vt in nullius dominio, in omnium verò vsu sit R.

Diuersa verò est Fluminum, & lacuum ratio, vt riparum, & portuum, ac adiacentium arborum priuatum sit

132 dominium adiacentium prædiorum, ita tamen, vt nauigationis vsus, & commoditas non impediatur, nisi aliud suadeat consuetudo; Quamuis etenim in hac regalium lege, ripatica inter iura regalia censeantur; Vectigalium tamen, seù pedagiorum speciem id potius redolet S.

Super portuum libertate quæstiones forus audire solet, tàm pro publicorum onerum, & vectigalium exemptione, quàm pro confluentium

133 securitate, quæ sub saluiconductus vocabulo ex communi loquendi vsu explicari solet; Ac etiam pro ementiũ, & contractantiũ assecuratione quodque aliena bona, & merces à dominis molestias non recipiant, vbi citra fraudem id sequatur, quod tamen certam ac generalem non recipit regulam, cũ à regionum, vel principatuum legibus, vel stylis decisionem expectet; Idque nundinis, alijsque publicis emporijs commune esse solet T.



X I.

De locis, & Viis publicis; Et de Angariis, & perangariis, aliusque seruitiis.

Ac etiam de iure publici belli, ac de armamentis, & fortificationibus.

Et de iure creandi titulatos, & Barones, concedendi nobilitatem, creandi Doctores, & Notarios, & erigendi Vniuersitates, & Academias.

THeatra, aliaue publica Ciuitatum loca, & viæ publicæ ac flu-

134 minum pontes iuris communis dispositione attenta, sub Principis protectione, & sub Ciuitatum, intra quarum fines, & territoria existunt, dominio habituali; In actuali autem, ac prohibitiuo dominio sunt nullius, dũ sub omnium publico, & communi vsu esse dicuntur; Nulla Baronum, vel domicellorum habita mentione, cum Romanorum legibus isti non innotescant V.

Ob illam verò status mutationem, quam penè in omnibus alijs rebus, Romani Imperij scissura, totque principatuum, ac dominiorum diuisio in-

135 duxerunt, certa, ac generalis desuper statuta non est regula, ob ditionum, ac principatuum diuersas leges, ac stylos, præsertim verò super secunda dominij specie, an potius penes locorum Communitates, vel penes Barones, & domicellos existant; Quod etiam de fluminibus, forestis, alijsque publicis, & communalibus bonis, sub quæstione est, quæ pariter à locorum diuersa praxi decisionem recipit X.

Vbique tamen, ex Iuristarum communi

Q. *Disc.* 129.
R. *Disc.* 138.
S. *Ibidem.*
T. *Dicto disc.* 129.

V. *Disc.* 135. *& seqq.*
X. *Tit. de feud. disc.* 2. *& in annot.*

muni sensu receptum videtur, vt hæc & similia, iuris regalis esse censeantur, ad aliquos effectus diuer-
136 sam pariter habentes praxim, pro eisdem Ditionum, ac principatuum diuersis legibus, ac moribus; Primò nempe ad illum iuris prohibendi liberum vsum, siue aliquibus priuatiuam facultatem concedendi, vt in eis faciant, vel alijs facienda concedant, quæ aliàs omnibus communia esse debent, vt in Ciuitatum plateis frequens praxis docet Y.

Secundò ad effectum indicendi pedagia, aliaque onera pro illo transitu vel vsu, qui aliàs liber, & publicus est.

Tertiò pro priuatiua competentia, seù cognitione criminum, quæ in vijs publicis, alijsque locis huiusmodi patrari contingat, quasi quod ita lædi quodammodo dicatur maiestas Principis, sub cuius custodia, & protectione existunt.

Et quartò super cura, & refectione, iureque indicendi collectas, & contributiones, pro constructione, & refectione, seù custodia, cum similibus, certam tamen, vt præmissum est non recipientibus regulam, ob legũ, ac morum insinuatam diuersitatem Z.

Viarum autem, ac ponrium, aut similium locorum, publico vsui deseruientium, duplicis generis, forus quæstiones audit; Primò nempè inter pri-
137 uatos prædiorum dominos, intra quorum fines viæ existant, aliosque priuatos, vel populos, super libertate, ac iure transitus, viæque publicæ substantia, seù qualitate, cum illæ quæstiones, quæ priuatam transitus, vel vsus facultatẽ iure seruitutis percutiunt, sub diuersa seruitutum sede cadant A.

Et altera inter Principem, eiusue magistratus, & Barones, seù Domicellos, vel Communitates, super viarum, & pontium, aliorumue locorum huiusmodi qualitate, an iuris regalis, magisque publici totius principatus ad præmissos aliosue similes effectus existant, vel potius publici quidem iuris, comparatiuè ad priuatum dominium singulorum dicantur, priuati autem, seù localis, comparatiuè ad præmissam maiorem publicitatem.

Illæ siquidem viæ verè publicæ, atque iuris regalis, sub immediata supremi Principis cura, & protectione esse dicuntur, quæ iuxta regionum,
138 varios loquendi vsus, Consularium, seù Militarium, aut Basiliearum, vel Regiarum, seù Romanarum stratarum, nuncupationem habentes, ab vna Ciuitate ad alteram, siue à Ciuitate ad Mare, vel ad publicum nauigabile flumen, initium ac finem habeant, seù aliàs inter duas verè publicas existant extremitates, adeòvt, non vnius, vel aliquorum adiacentium populorum, pro eorum priuata communicatione, vsum concernant, sed pro vniuerso humano commercio totiusque orbis habituali commoditate deseruiant.

Istæque viæ, quas discretè Vrbis loquendi vsus Romanas appellat, sunt illæ quas leges ciuiles publicas reputant, aliæ verò priuatarum, ac respectiuè vicinalium vocabula sortiuntur, quamuis comparatiuè ad illas merè priuatas vias, quarum vsus iure simplicis seruitutis competat, publicæ quoque sint; Ideoque super vna vel altera specie, seù qualitate, facti potius, quàm iuris cadunt quæstiones certam proinde, ac vniformem non recipientes regulam, vtpotè à singulorum casuum qualitate, & circumstantijs decisionem expectantes B.

Quamuis autem verè publicarum, ac militarium, vel consularium refectio Reipublicæ sumptu, vel ex omnium populorum æquali onere,
139 contributione facienda sit, inæqualitas tamen aliquando dignoscitur pro maiori, vel minori populorum vsu; Idemque de fluminum pontibus, alijsque huiusmodi; Priuatarum autem ad Communitates, vel populos, quibus

Suppl. Theat. Lib. 2. de Regal. V 2 prin-

Y. *Dicto disc. 135. & 142. & in annot.*
Z. *Disc. 139. cum pluribus seqq.*
A. *Disc. 136. & seq. & tit. de seruit. disc. 23.*

B. *Disc. 136. & seq.*

principaliter desorniant C.

Regalis quoque iuris censentur angariæ, & perangariæ, quæ certi seruitij necessitatem præseferunt à mer-
140 cedis præstatione, vel exemptione distinctionem recipientes; Ea etenim, quæ naturali libertati aduersantur, atque inuitos ad alienum seruitium cogunt, vtpotè legibus contraria, non nisi ex priuilegio Principis, qui legibus derogare potest, obtinentur; Nisi diuturna immemorabilis, vel centenaria possessio, ptiuilegij præsctiptionem inducat; Adhuc tamen omninò certam, ac generalem id non recipit regulam, ob diuersas Ditionum, ac principatuum leges, vel mores, ex quibus etiam maior, vel minor vsurpationis, vel concussionis mala præsumptio, vel iuris resistentia manat, ideòque pro locorum qualitate, factique circumstantijs decisio regulanda est D.

Publici belli ius (quisquis antiquiorum temporum fuerit stylus) ex
141 communi vbique recepto sensu, de Regalibus est maioribus, ac primi ordinis, Supremo Principi priuatiuè competentibus, vt inferioribus non facilè concedatur ex eo priuilegio, quod in alijs regalium generibus manare solet E.

Sub hoc autem belli iure, pro magis communi, ac recepto vsu, terrestria, ac maritima armamenta, arciumque munitiones, aliæuè fortifi-
142 cationes cadunt, illa fortium domorum, seù palatiorum munitione, seù fortificatione subditis, ac inferioribus concedi solita, quæ pyratarum, seù bannitorum, & latronum, vel priuatatum inimicitiarum tutelā concernat, quod patiter certam, ac generalem non recipit regulam pro diuersis ditionum ac principatuum legibus ac moribus.

Dignitates Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum conferre solius supremi Principis est,
143 ideòque primarij regalis iuris censetur; Idemque in nobilium ac rectorum feudorum concessione hodierna praxis docet, quidquid seruaret antiquitas; Ideòque vt in propria feudorum sede habetur, ea quæ per subditos, ac inferiores conceduntur, impropria feuda potius censenda sunt, ex præfato publici belli priuatiuo iure, cum verum feudum primi ordinis militiam redoleat, ideòque nonnisi habenti ius publici belli, hos milites constituere conceditur F.

Doctoratus gradum, vel Notaria-
144 tus officium concedendi facultas, iuris quoque regalis est; Cuius etiam censentur, publicarum Vniuersitatum vel Studiorum, seù Academiarum erectio.

Nobilitatis item concessio est de Regalibus, quoniam reddere nobilem illum, qui ex natura, vel legis dispositione sit ignobilis, atque ità ve-
145 rum reddere id quod verum non sit, solius est Principis, qui legibus derogandi facultatem habet; Ciuitatibus, vel Collegijs aut nobilium adunantijs facultate competente, eorum gremio adscribendi eos, qui nobilitatem iuridicam iam habentes, tanquā tales agnoscantur, vt proindè, non collationem nobilitatis, vel status mutationem, sed veritatis agnitionem, eiusque declarationem, quod iam inest, id redoleat, siue pro ipsorum recipientium priuato præiudicio, eodem modo, quo subditis Ciuitatibus ciuilitatem concedere fas est, vt in præeminentiarum magis peculiari se de aduertitur G.

Magistratuum creatio ad iustitiam ministrandam in Regalium lege inter hæc iura recensetur; Contrarium verò
146 praxis docet, vt Barones, & domicelli, ac etiam subditæ Ciuitates hanc habeant facultatem; Ideòque illis videtur Magistratibus referendum, qui vniuersalem in tota ditione, vel principatu habeant potestatem.

De

C. *Ibidem*.
D. *Tit. de feud. disc. 51. & 65. & hoc tit. disc. 146.*
E. *Tit. de feud. disc. 52. & 58.*
F. *Dicto disc. 52. de Feud.*
G. *Tit. de Præeminent. disc. 30. & 35. & in alijs*.

XII.

De potestate condendi leges, eisque derogandi, de iure concedendi gratias tertio praeiudiciales, vel tollendi ius tertii, ac reuocandi concessiones, seu aliàs inhabiles reddendi habiles, remittendique delicta, & poenas; aliaue similia faciendi, quae in iure prohibita sint.

NOuas leges condendi, atque antiquas corrigendi, seù moderandi, aut eis dispensandi facultas,
147 iuris regalis, supremique Imperij est, ideóque soli Principi conceditur, non autem subditis Ciuitatibus, vel Baronibus, & domicellis, alijsuè Magistratibus, nisi ipse Princeps concedat; Vel nisi de eo maiori Magistratu agatur, qui ob absentiam Principis eius vicariam potestatem in omnibus exerceat, vt (ex:gr:) in Italia in Proregi-
148 bus Regnorum, vtriusque Siciliae, & Status Mediolani Gubernatoribus praxis docet; Quamuis etenim alij in eadem Italia supremi, ac primi ordinis habeantur Magistratus, omnium penè iurium regalium, supremiuè Imperij exercitium habentes, cum aliqua etiam potestate in casibus particularibus dispensandi legibus, vel aliqua eis aduersantia demandandi, vt (ex: gr:) in Ecclesiae Romanae temporali Ditione Italica plurès sunt Apostolicae Sedis Legati, qui aliquarum Prouinciarum, vel Ciuitatum regimini praeficiuntur, adeòvt Principis vicarias partes, ac figuram gerant, non tamen absque pontificia specifica auctoritate, vel confirmatione, ista conceditur facultas, ordinandi leges, antiquis contrarias, iurisque communis directè correctorias constitutiones, aliquas legum species condendo in ijs, quae secundum, vel praeter commune ius esse dignoscantur, siuè eiusdem iuris interpraetationem contineant, cum pleraque iuri contraria speciali-bus indultis, & facultatibus referenda veniant.

Alijs verò inferioribus Magistratibus, vel subditis, merèque subordinatis Ciuitatibus, ac domicellis, & Ba-
149 ronibus, generalitèr statuta, & leges condendi absque Principis praeuia licentia, vel subsequuta confirmatione, facultas denegatur; Et eo magis in enunciata Ecclesiae temporali ditione, ob Egidianae Constitutionis praescriptum, ijs exceptis, quae ipsius iuris communis obseruantiam, vel declarationem, vbi dubium sit, concernant; Siuè vbi de illis agatur legibus, quas in rei propriae concessione Baro, vel Ciuitas adijciat, cum eam speciem redoleant illarum conuentionalium legum, quas in contractibus cuiliber priuato adijcere licèt.

Non omnis tamen eiusdem Principis confirmatio, ad id sufficiens reputatur, sed in ijs, quae iuri communi,
150 seù etiam particulari, ab ipso Principe specificè confirmato, contraria sint, illa confirmationis species desideratur, quae in forma specifica dicitur, inserto scilicèt ipsius legis tenore; Siuè quod aliàs de certa eiusdem Principis scientia constet, vt in ijs confirmationibus praxis docere solet, quae praeuia alicuius Magistratus, vel Congregationis examine, ac voto, conceduntur.

Altera verò species confirmationis, quae praefata circumstantia non accedente, in forma communi dicitur, in ijs, quae iuri contraria sint, insufficiens reputatur, solùmque prohibitionis obstaculum tollit, in ijs, quae iuxta, vel praeter leges statuantur.

Istam verò speciem, vel naturam, habet illa confirmatio, quae praesumpta dicitur, quia nempè ex sola longissimi temporis obseruantia praesumatur, nisi de ijs agatur, quae fauorabilia potiùs quàm odiosa dicenda sint, vtpotè restitutiua antiquarum legum, quas moderniores aboleuerint, vt in statutis foeminarum, & cognatorum exclusiuis, atque agnationis fauorem concernentibus pro nostris Italiae moribus receptum habemus; Vel nisi

nisi immemorabilis, aut centenaria obseruantia sit à vitioso initio non infecta, ex cuius consueta virtute, ac operatione, meliorem titulum specificæ confirmationis allegare liceat; Aut quod de illius Ciuitatis, vel Domicelli lege agatur, quæ in statu libero legislatoris, condita sit, quamuis subsequens eiusdem status immutatio subiectionem produxerit, si nouus superior cum consuetis legibus continuari concesserit, vel permiserit. H.

Gratias tertio non præiudiciales, à iure tamen exorbitantes, atque legum
151 correctionem, vel dispensationem implicitè continentes, concedendi facultas paritèr iuris regalis, supremique Imperij est, illegit mos nempè legitimis natalibus restituendi pro honoribus alijsque effectibus, qui tertij ius non tollant, neque lædant; Siuè delinquentibus, & criminosis præsertim verò condemnatis indulgendi, quando Partis offensæ præiudicium esset, ob eius pacem, seù consensum, cum similibus, quæ licèt merè gratiosa sint, quia tamen legum correctionem implicitam habent, ius Reipublicæ in vniuersum lædere videntur; Ideòque subditis Baronibus, & Domicellis, vel Magistratibus, id pro regula non conceditur, nisi eiusdem Principis priuilegium, vel generalis, aut particularis legitima consuetudo huius regulæ suadeat limitationem.

Magis verò extra quæstionem, negatiua regula locum obtinet, vbi de concessionibus, & gratijs tertio præ-
152 iudicialibus, quæ alienum ius tollant, minuant, vel impediant, agatur; Istam etenim potestatem, ipsimet Principi, qui supremi Imperij iura habeat, absque publicæ necessitatis, vel vtilitatis iusta causa, quamplurès denegant; Magis verò communis, vsque recepta opinio, pro externo iudiciario foro concedit, in ijs omnibus, quæ, diuinum, vel naturale ius non lædant, sed ab humana, seù positiua lege manent; Iustæ causæ deficientiam in id
153 considerando, vt idem Princeps suam reguler voluntatem, siuè quod eamdem non benè regulatam ipse, vel successor reuocet, seù moderetur; Aut quod, vbi ea dubia sit, & interpretatione digna, Iudices, & Magistratus ex huiusmodi iustæ causæ affirmatiuo, vel negatiuo interuentu, arbitriū regulent, benignam, vel latam, aut respectiuè strictam, & rigorosam adhibendo interpretationem. I.

Concessiones item factas & gratias reuocandi, siuè in beneficijs, vel of-
154 ficis institutos destituendi facultas, iuris regalis, ac supremi Imperij est, non nisi supremo Principi competens, cuius potestas easdem habet quæstiones, cum eisdem insinuatis distinctionibus, quatenùs ad externum pertinet forum decidendas, ijs, ad quos magis pertinet pro foro interno decisione reseruata; Ea potissimum distinctione attendenda, an concessio de cuius reuocatione, vel destitutione agitur, gratiæ, & causæ lucratiuæ speciem habear, vel potius è conuerso iustitiæ, & onerosæ, vel correspectiuæ causæ. L.

Quamuis etenim maiores Nostri, in altera ordinariæ, & absolutæ potestatis distinctione, magnam vim
155 constituere soleant; Moderno tamen tempore pro forensi praxi fabulæ speciem id redolere videtur, dum pro communi stylo, vel formulario, potestatis plenitudo semper interponi solet, vbi accedat voluntas, ad quàm propterea omnes rediguntur quæstiones, quotiès ea clara, & expressa non sit, vbi præsertim iustæ causæ fomentum desit, vel iustitiæ ratio resistat, si aliàs ius tertij saltim in fama, vel existimatione lædat, vt præsumi non debet, vt in sua sede latiùs. M.

Supremas defunctorum voluntates, commutandi, vel destruendi, fidei-
156 commissis præsertim, & maioratibus dero-

H. *De hac materia legum, & statutorum tit. de iudicijs disc. 35. & tit. de success. ab intest. pluries.*

I. *Disc. 148. hoc tit.*
L. *Eodem disc. 148.*
M. *Eodem disc. 148.*

derogandi, iuris Regalis pariter, supremique Imperij est, vt soli Principi, vel ijs, quibus ipse concesserit, ad quoscumque subditos priuatiuè competat; Illa tamen in ipso supremo Principe à foro pariter exulante antiquiorum potestatis quæstione, ex eo quod iuris naturæ præceptum sit, supremas morientium voluntates exequi, ac seruari, cum verius á positiuæ legis benignitate id pendeat; Solumque in piarum dispositionum, vel earum, quæ iurisiurandi religionem habeant, ista potestatis in Principe sæculari quæstio cadit, vt soli Pontificiæ potestati id reseruatum sit. N.

N. *Tit. de fideicommiss. in summa ex num. 2. & 295. & seqq.*



ram, an fiscum laicalem, vel potius Ecclesiam particularem cuius seruitio defunctus addictus esset, vel formalem Ecclesiam diæcesanam, hæredem habeat; Id autem à legitima consuetudine primam decisionem recipit, eaque cessante, vna opinio distinguit inter ea bona, quæ soli sint, siuè loco circumscribantur, atque sub territoriali iure cadant; Et alia, quæ personæ inhæreant, illamque sequātur, vt hæc posterior species personæ naturam, seù exemptionem sortiatur, ideòque Ecclesiam habeat hæredem; Prima verò sub vacantium genere veniat, atque ad sæcularem fiscum pertineat; Alia verò probabilior magisque recepta opinio, in sæcularis fisci exclusionem, totum Ecclesiæ defert, ijs exceptis bonis, quæ, de ipsius Principis, vel Domini, Reipublicæ directo sint dominio, cum quo vtile, vel subalternum ob legitimi successoris defectum, excluso fisco consolidetur; G. Id autem non ex fiscali, vel regali iure prouenit, sed ex natura, seù
94 operatione dominij directi, quamuis illud priuatum sit, vt vtile, & subalternum, defecto legitimo hærede, (fisco excluso) ad se attrahat H.

Plures verò pro diuersis locorum moribus vltra decimi gradus coniunctos, &
95 coniugem, dantur successores, qui fisci successionem quoque excludant, eique præferantur; Hospitalia scilicet, Collegia, Congregationes, & adunantiæ, siue monasteria in bonis nouitiorum, ità tamen, vt in hospitalibus, & Collegijs, alijsque adunantijs, fixa, & perpetua verificetur vitæ addictio; Id autem neque certam ac generalem recipit regulam, quam in singulis regionibus, vel ditionibus consuetudo præbet I.

Præfata in Clericis, & Ecclesiasticis personis quæstione cadente laicalium bonorum respectu, quæ ex maiorum successionibus, vel ex personali industria, aliouę fortunæ beneficio, ac aliàs quam Ecclesiæ, vel clericatus occasione parta
96 sint, vt prophani patrimonij censeantur, idèoque prophanum legitimum habeant hæredem; In alijs etenim, quæ sub Ecclesiastico cadunt patrimonio, dubitandi occasio abest, dum in eis clericus Ecclesiam habet hæredem necessarium, aliter disponendi interdicta facultate, quā peculiare indultum Apostolicum nō tribuat, eaque accedente, illā habet conditionem, vt ad exercitium deducatur, quo cessante, vel effectum non sortiente, subintrat regula, quæ Ecclesiæ assistit, cum dispensatiuum indultum, fisco prodesse non debeat L.

In ijs quoque iuribus, quæ spiritualia sint, vel annexam habeant spiritualitatem, ista fiscalis successio non admittitur,
97 vt in Ecclesiastico iurepatronatus, ex magis probabili sententia, praxis docet; Nisi de illo agatur, quod reale sit, ipsis bonis annexum, eorumque accessorium, cum tunc bonorum dominum, ac possessorem sequatur M.

Altera verò pænalis, ac odibilis est fisci successio, quæ anomalæ hæreditatis speciem redolet, in proscriptorum bo-
98 nis generaliter cadens, sub vniuersali omnium bonorum confiscatione pro forensi loquendi vsu, explicari solita.

Duplicem verò speciem ista successio apud Iuristas habet; vnam scilicet ex iuris communis dispositione manantem, qualis est ea, quæ pro vtriusque diuinæ, ac humanæ maiestatis læsione resultat; Alteram verò, quæ ex locorum, vel ditionum, seù principatuum legibus particularibus, pro aliquibus manat criminibus, quibus ius commune hanc non indixit pænam, vt temporalis Ecclesiæ Ditionis, vel principatus frequentior fortè praxis docet, vt ea crimina, quæ capitis pænam habent, hanc alteram publicationis bonorum, pro regula penè generali, annexam habere videantur.

Hinc manat quæstio, an in vno territorio, vel principatu, sequuta confisca-
99 tio, omnia complectatur bona, quæ in alijs territorijs, vel principatibus quoque existant, ad singulorum Principum, vel dominorum fauorem, ita quolibet in suo confiscante; Idque nimiam habet opinionum scissuram, pluresque recipit distinctiones, ac declarationes compendio incongruas, ideòque in sua sede videndas N.

Regu-

G. *Disc.149. hoc tit. & tit. de feud.disc.72.*
H. *Ibidem.*
I. *Dicto disc.149. & in supplemento.*
L. *Dicto disc.149.*
M. *Tit. de iur.patron.disc.38.*
N. *Hoc tit.disc.161. in supplemento.*

Regalis iuris quoque illud est, vt
100 fiscus ea bona capiat, quæ ab indignis,
auferri, atque fisco applicari lex di-
sponit; O. Vbi verò de veris, vel con-
tumacialibus pœnis, vel mulctis par-
ticularibus à lege, vel ab homine in-
101 dictis agitur, id iuris regalis non est,
sed cuilibet Iudici, vel magistratui
congruit; Certa & generali regula ne-
que desuper cadente, ob diuersam di-
tionum, ac principatuum praxim, di-
uersasque leges, vel stylos.

Plura verò in hoc iurium fiscalium
pœnali genere cadere solēt, quæ appli-
cationem, vel pertinentiā percutiunt,
siue an, quæ in vita delinquentis de-
102 clarata non sunt, post mortem, de-
clarationem, vel prosequutionem ha-
beant; Vel an fiscus illo transmissio-
nis beneficio potiatur, quo alter hæ-
res potiri deberet, ac similia non ip-
sum ius regale in habitu, vel substan-
tia, sed eiusdem modum, vel exer-
citium respicientia, quæ proinde in
sua sede videnda sunt P.

Præcipua cadente quæstione super
hominis priuata facultate, istud fisca-
103 le ius, in aliquibus bonis tollendi, vel
prohibendi, vt in ijs præsertim praxis
docet, quæ ex alterius vltima volun-
tate, vel dispositione obuenientia,
hanc habeant legem, vt fisco non quæ-
rantur; Aliquibus hanc potestatē ne-
gantibus; Affirmantium verò magis
communis receptaque opinio est, vbi
positiuæ fraudis in dubio non præsu-
mendæ probatio non accedat; Q.
Adeo fauorabili hac dispositione re-
putata, vt etiam, ea complectatur bo-
na, quæ necessariam habeant suc-
cessionis, vel dispositionis speciem,
grauamen eis adijciendi interdicta fa-
104 cultate, qualis præsertim ea est libe-
rorum, vel parentum necessaria por-
tio, quæ legitima dicitur R.

Filiorum quoque numerus ex le-
gum ciuilium placito hoc fisci pœna-
le ius impedit, vel minuit; Quod ta-
men certam non recipit regulam pro
105 diuersa ditionum, ac principatuum
praxi ex legum, vel morum diuersita-
te manantem; S. Eaque diuersa quo-
que est in eo fiscali iure, quod pro fi-
106 liorum crimine à parentibus legitimā
quoque aufert eis debitam T.

Restitutiones criminosi in gratiam
Principis varias quoque producunt
quæstiones super publicatorum bo-
norum recuperatione, diuersam pari-
ter habentes praxim, vel decisionē,
107 pro diuersis legibus, vel moribus, si-
ue pro diuersa restitutionis formula,
vel tenore, ideòque pariter certæ, ac
generalis regulæ incapacitatem id ha-
bet, cum similibus in sua sede recen-
sitis V.

Altera demum illa est fisci species,
quæ, publicorum iurium, siue dotis
reipublicæ, vel principatus admini-
strationem percutit; Istaque omnium
108 fauorabilior, magisque priuilegiata,
est fisci species, præsertim verò, pro
tacita hypotheca, vel potioritate ad-
uersùs anteriores creditores, in bonis
postea quæsitis, alijsque pluribus pri-
uilegijs, & fauoribus, quæ fisco ad-
uersus debitores, & administratores
conceduntur; Ea etenim pœnali fisco
denegantur, ac etiam alteri successo-
ri, quamuis magis fauorabilis cen-
seatur, dum iure priuati vtitur; Ideó-
que illa iuris regula, quæ in dubio
pro fisco Iudicari debere decernit, ter-
tiam hanc fisci speciem percutit, non
autem alias priores, præsertim verò
secundam pœnalem, quæ oppositam
potius habet regulam, vt contra fiscū
in dubio sit iudicandum, quodque
sub bono Principe fisci causa semper
mala sit X.

Ea tamen, quæ à prima, vel secun-
da specie obueniunt, tertiæ fauorabi-
lis, ac priuilegiatiuæ speciem sortiun-
109 tur, illorum scilicet bonorum, vel iu-
rium respectu, quæ fisco iam quæsita
sint, quodque tanquam fiscalia bona,
vel iura sub generica fiscalis patrimo-
nij administratione sint posita, vt ad-
uersùs administratores, vel occupa-
tores idem, ac generale sit priuilegiū,
ad

O. *Dicto disc.* 160.
P. *Dicto disc.* 160.
Q. *Dicto disc.* 160.
R. *Ibidem.*
S. *Dicto disc.* 160.
T. *Ibidem.*
V. *Disc.* 148. & 160.
X. *Dicto disc.* 160.

ad instar eorum, quæ de odibili vsurarum, vel fructuum specie in iure statuta sunt, quod licet ad superfætationem, vel anatocismum inhabiles penes debitorem sint, penes tamen administratorem, vel tertium indifferentium bonorum, ac sortis naturam sortiautur, ideòque nouos fructus, vel vsuras producere prohibitionem non habeant.

Fiscalium bonorum, vel iurium administratoribus, ac etiam Appaltatoribus pro diuersis regionum, ac principatuum legibus, vel stylis minus fi-
110 deles reddentibus rationes, seù alias iura fisci fraudantibus, graues indictæ sunt pœnæ, in Ecclesiæ præsertim temporali ditione, vltra censuras aliasuè personales pœnas decupli, quæ diuersas producũt quæstiones non de facili sub compendio cadentes, vt in alijs plerisque contingit, ideòque in sua latiori sede videndas Y.

VIII.

De Monetis.

Regalis iuris esse facultatem cudendi monetas non ambigitur; ideòque Baronibus, ac Domicellis,
111 vel subditis ciuitatibus iura supremi principatus non habentibus denegari non dubitatur, nisi supremi Principis indultum accedat.

Quamuis autem ille, qui supremi Imperij, ac principatus iura in sua ditione obtinet, positiua, vel humana lege, cui dispensare, vel derogare potest, solutus sit; Illam tamen directiuam vim, quam etiam ex humana le-
112 ge Princeps patitur, Inhoc monetarum iure, magis fortè, quàm in alijs sentire videtur, vt bonæ ligæ, seù materiæ ad eius intrinseci valoris normã monetam cudere debeat; Ita quoque publici boni principatus, ac Reipublicæ politicis exigentibus rationibus, ob ingenria damna, & præiudicia, quæ subiectis populis, ipsique Reipublicæ, vel principatui deterior
113 monetæ qualitas producit; Z. Ideòque in ea, cui maior, & accidentalis immeritus valor ex Principis auctoritate tribuitur, gabellæ, seù collectæ speciem in esse videtur eodem modo, quo in sale alijsque ius priuatiuum habentibus, vt superius adnotatur A.

Adhuc tamen istius quoque regalis iuris species certæ, ac generalis regulæ incapacitatem patitur, ob consuetam ditionum, ac principatuum le-
114 gum, ac praxis diuersitatem, ideòque fatuitatem redolet, eum antiquis Romanorum legibus, vel cum ijs Interpretum traditionibus, quæ ab eis deriuant, vbique procedere, cum tunc diuersa esset ratio, quod vnum esset Imperium cum vnica lege, & Principe.

Priuati verò potiùs, quàm publici iuris sunt illæ, quas frequenter forus audit, quæstiones, super moneta-
115 rum alterato valore, an creditorum, vel debitorum commodo, vel respectiuè incommodo cedere debeat, siuè an obligationis, vel solutionis tempus inspici debeat, ideòque sub crediti, & debiti, & Ecclesiasticarũ pensionum sedibus id potius cadit, ibique videndum B.

Criminum quoque sedem, seù materiam potius, quàm Regalium percutit monetæ fabricatio, vel falsificatio, seù tonsio; Illa iuris regalis in-
116 spectione cadente, quæ fori competentiam, super huiusmodi causarum cognitione, vel criminis punitione percutiat, an scilicet priuatiua ad Barones aliosue inferiores magistratus, ipsius Principis, eiusque magistratuum cognitio, & competentia sit ob eius maiestatis, vel regalis iuris læsionem.

Internum verò magis, quàm externum forum illæ percutiunt quæstio-
117 nes, quæ de facultate contractandi pecuniam, reprobationi destinatam habentur,

Y. *Disc.* 119. *& seqq.*

Z. *Hoc tit. disc.* 126. *& seqq.*
A. *Ibidem & in Miscellan. Eccles. disc.* 4.
B. *Dicto disc.* 126. *& seqq. hoc tit.*, *tit. de cred. disc.* 139. *&* 140., *& de pension. disc.* 34. *&* 35.

bentur, quando imminentis prohibitionis habeatur notitia.

Priuati quoque iuris altera est quæstio, an vectigalium, aliorumque publicorum iurium, vel priuatorum e-
118 tiam bonorum conductori, vel administratori, eam liceat soluere iam reprobatam pecuniam, quæ ante prohibitionem exacta sit, quam respuendi facultas non erat C.

IX.

De pluribus Regalium speciebus; nempe, De nundinis, & mercatis; De ponderibus, & mensuris; De iuribus priuatiuis, & prohibendi; De tractis, extractionibus, & Represaliis.

PVblicas, ac solemnes nundinas celebrandi facultas ex magis recepto iuristarum sensu, regalis iuris
119 est, ideòque nonnisi ex Principis priuilegio explicito, vel eo implicito, quod ex immemorabili, vel centenaria resultat, ea competit; Triplici id suadente ratione; Ea nempè ob præiudicium, quod publicis vectigalibus & dohanis resultat; Altera iurisdictionis magistri nundinarum, quæ ordinarijs Iudicibus, & magistratibus, cum extraordinarijs insolitis processibus summarijs, ac inordinatis more castrorum potius, quàm Ciuitatis præiudicat; Et tertia, politica vel status, ob magnam populorum etiam exterorum, & non subditorum affluentiã, ac adunantiam, quæ Principi suspecta esse debet.

Vbi ergó præmissæ non vrgeant rationes, quia scilicet de illis minoribus, ac priuatis nundinis agatur, quæ ex alicuius solemnitatis causa, siue pro victualium meliori vsu, vt monopolijs teuenditorum occurratur ad priuati populi commoditatem, ac absque his exemptionum, & iurisdictionis circumstantijs fiant, & quæ ad differentiam, sub mercati vocabulo explicari solent, ius regale non intrat; Bene tamen localis magistratus licentia, seu facultas desideratur, ob genericam adunantiarum prohibitionẽ, vt conuenticulis, & tumultibus occurratur; Quæstione disputari solita, super priuilegiatina facultate, publicas, ac solemnes nundinas celebrandi, an per diurni temporis non vsum amittatur; Siue an obtenta facultas reuocatione, vel annullatione digna sit ob præiudicium, quod alterius loci nundinis inferatur; Vel an liceat consuetum locum immutare, cũ similibus D.

Pondera, & mensuras, iuris communis dispositione attenta, cuiusli-
120 bet loci Magistratus statuere potest, vt venditorum fraudibus, ac deceptionibus occurratur; Ex quodam tamen penè generico principatuum, vel respectiuè Ciuitatum, vel prouinciarũ vsu, de iuribus regalibus ad Principem pertinentibus, reputari solent, vel ex ratione, vt in vniuerso principatu pro maiori subditorum commoditate vnica sit, ac vniformis ponderum, & mensurarum taxa, vel quia ius prohibendi vsum aliorum ponderum, & mensurarũ, quæ publicum stygma, vel signum non habeant, sub zecchæ vocabulo explicari solitum, vectigal, seu gabellam implicitam, seu occultam habeat E.

Eadem implicitæ gabellæ publiciuè oneris ratio magis, quàm altera, im-
121 peditæ, vel ademptæ naturalis libertatis, frequentius inter iura regalia recensere facit priuatiua, seu prohibendi, ac respectiuè cogendi ius, in illis vsibus, qui humano victui, vel commercio necessarij sint iuxta ea, quæ de sale insinuata habentur, vt in molendinis, furnis, macellis, alijsque tabernis, & apothecis victualium habetur; Vbi etenim non extrinseci, ac alterati pretij vtilitatem id percutiat, sed solum, vt monopolijs occurratur, sub cuiuslibet Magistratus potestate cadit; Regulariter autem ius priuatiuum, extrinsecum ac alteratum rerum pretium producit, atque vectigalis, vel gabellę speciẽ redolet, ideò-
que

C. *Disc. 68. de credit.*

D. *Disc. 131. & 132. hoc tit.*
E. *Disc. 130. hoc tit.*

que non nisi ex Principis priuilegio explicito, vel ex eo implicito, quod ab immemorabili, seù non vitiosa centenaria resultat, Baronibus, & Domicellis, subditisque Ciuitatibus, multo magis priuatis, id non conceditur nisi iusta causa, quæ ob aliquod accidens ex iuris communis dispositione, vel ratione aliquam desuper prouisionem per locorum magistratus adhiberi posse suadeat, vt in penurioso, vel aliàs calamitoso tempore praxis docere solet F.

Frugum, ac victualium aliarumque mercium, & rerum extractionibus
122 prohibitio extra Ditionis, vel principatus fines, vbique meritò viget; Duplici congrua ratione impellente; Ea nempè, vt publicæ occurratur annonæ, & ne mercatotum, ac dardanariorum auaritia, penuriam in eo loco introducat, in quo natura, benefica, & liberalis fuit; Et altera, vt Principis, ac Reipublicæ intersit, inquirere, ac scire, ad quæ loca, per quasuè personas ex propria Ditione, fruges, ac merces aliaue bona euehantur, ne cum hostibus, vel suspectis id sequatur; Ideòque iuris regalis est tractarum, seù extractionum, concessio, quæ ex communi vsu loci, temporis, ac modi, taxam, seù regulam habere solet; Certa tamen ac generali desuper non cadente regula, cum à singulorum principatuum legibus, vel stylis, vel à singularum concessionum formulis decisionem recipiat.

Eiusdem veró concessæ facultatis exercitium, accidentalis superueunta penuria, siue publicæ annonæ necessitas, vel oportunitas, iustè impedit, quamuis onerosam, & correspectiuam causam concessio foueat cum debita refectione, vel deductione eius, quod interest G.

Annona verò, priuati iuris cuiuslibet Ciuitatis legum ciuilium dispositione attenta, reputatur, sub Princi-
123 pis tamen protectione, quæ magis proxima illius Ciuitatis est, in qua sit sua sedes; Ideoque calamitosi temporis qualitate, vel dardanariorum malitia, aliauè simili iusta causa impellente, Ordinarijs, ac inferioribus magistratibus, facultas est cogendi, ad victualium, ac rerum venditionem, vel respectiuè emptionem, aliquo iusto quoque pretio taxato, quod iuris tertij positiuam læsionem non redoleat; Illa veró iuris regalis, ac fiscalis annonaria prouisio reputatur, quæ Principis, vel Reipublicæ peculiare munus concernat, pro gratuita scilicèt in toto, vel in parte panis, aliorumque victualium distributione populis facienda, idque illum præsertim percutit effectum fiscalis exemptionis à vectigalibus, & gabellis H.

Represaliarum concessio iuris regalis censetur, cum illæ legum prohibi-
124 tionem habeant, ideòque ad alium non pertinent, nisi ad illum, qui legibus derogandi, vel dispensandi potestatem habeat, quod tamen à locorum, vel principatuum stylis, vel moribus recipit regulam I.

X.

De Mari, Fluminibus, Lacubus, Portubus, Ripis, Siluis, Montibus, Forestis, Piscationibus, vel piscationum iuribus; Venationibus, pascuis, aliisque vsibus, & eorum prohibitionibus.

Legum ciuilium dispositione arrenta omnia hæc publici iuris esse censentur, vt sub Principis quidem, vel Reipublicæ protectione, ac
125 dominio habituali esse censeantur, Quoad vsum verò, ac fruitionem, omnium sunt, cum cuilibet in mari, vel lacubus aut fluminibus piscationis, vel nauigationis vsum, atque in Siluis, montibus & forestis illum venationis natura concedere videatur.

Communis verò quædam introductio, iuris regalis effecit illas maris, seù

F. *Disc. 144. & 145. hoc tit. & in supplemento.*

G. *Disc. 133. & in annot.*

H. *Disc. 44. & 45. & 125. & in supplemento.*

I. *Disc. 148. hoc tit.*

seù lacuum, & fluminum, seù fontiũ, ac etiam nemorum,& forestarum partes, in quibus natura, præter communem consuetudinem, magnam, ac extraordinariam exercuerit liberalitatem, cum magna piscium, vel auium, aliorumuè animalium, vel pascuorum aliorumque fructuum copia, vt propterea piscatio, seù venatio, illam non habeat incertam, ac laboriosam aleã, quam pro magis communi vsu habere solet, sed potius magnum redolcat prouentum.

Ea etenim nimium probabilis ratio, quæ magnarum sodinarum occasione superius insinuata est; iuris regalis hæc effecit, vt ea liberalitas, quam in loco natura exercuit, non in aliquorum potentium, & preoccupantium priuatam, sed in omniũ incolarum publicam, & coæqualem cedat vtilitatem, quæ inesse dicitur, vbi ad Principis, vel Reipublicæ ærarium, huiusmodi naturalis beneficij emolumenta pertineant, itá ijs consulendo publicis oneribus, quæ aliàs eum ipsorum incolarum collectis, vel contributionibus, & gabellis ferre oporteret L.

Eadem quoque ratio publici iuris effecit nimium commoda, & insolita pascua in vectigalium, & dohanarum rubrica superius insinuata, occasione explicandi onus fidæ, ac diffidæ M.

Piscationis igitur, seù venationis prohibitionem facere Baronibus, & domicellis, vel subditis Ciuitatibus non conceditur, sed de Principi reseruatis est, ideòque eius priuilegium
127 exigitur, explicitum, vel sæpius enunciatum implicitum; Nisi ratio priuati dominij aliter exigat; Ecclesiasticæ Immunitatis desuper cadente quæstione, quæ à distinctionibus in suis sedibus latius recensitis decisionẽ recipit, an scilicet huiusmodi prohibitiones, quę ex Principis auctoritate, vel priuilegio fiant, siue per Barones, vel domicellos, vel subditas Communitates, in quibus eas facere liceat, Clericos, & Ecclesiasticos afficiant N.

In illis præsertim pascuorum prohibitionibus huiusmodi quæstione cadente, quæ ex concordi Ciuium consensu in aliquibus territorij parti-
128 bus per Cõmunitates fiant, sub bannitarũ, seù defensarum vocabulo explicari solitis, vt ita cum illarum pascuorum pretio, ac emolumentis, publicis occurratur oneribus, ac indigentijs, quod ab alijs distinctionibus recipit decisionem O.

Quamuis item cuilibet priuato cõmunis sit, fluminum, seù lacuum, aliarumque aquarum in publico solo
129 existentium vsus pro molendinis, siue ædificijs, vel pro hortorum, ac pratorum irrigationibus, vt præoccupantis potior conditio sit, alterius tamen vsu, vel industria non impeditis iuxta varios locorum, ac Regionum mores; In nauigabilibus tamen, vel quæ alteri nauigabili deseruiant, siue aliam habeant publicæ causæ rationem, id non conceditur, idcoque iuris regalis censentur, cum hæc publica causa, vel commoditas priuatarum aquarum fundorum, ac prædiorum dominis vsum, ac libertatem impediat P.

Illa autem impedimenta, quæ nauigationis maris naturali libertati pręstantur, pro vectigalium, seù peda-
130 giorum solutionibus, vectigalium, ac pedagiorum, seù gabellarum materiam concernunt, vt in eorum rubrica superius insinuatum est; Alia veró quæ maris iurisdictionem, vel dominium, aliamuè superioritatẽ concernunt sub politicis potius, quàm legalibus cadũt regulis, ac rationibus

Portuum maris ius publicum, ac regale in habituali dominio, ac protectione dicitur, omnium verò com-
131 mune quoad vsum, eodem modo quo de ipsius maris nauigatione habetur, vt propterea, hostibus, vel suspectis

Suppl. Theat. Lib. 2. de Regal. V pro

L. *De feud. disc. 2. & hoc tit. disc. 147. & 134*
M. *Disc. 94. & 95.*
N. *Disc. 134. & Miscellan. Eccles. disc. 40.*
O. *Tit. de seruitut. disc. 35. & seqq.*
P. *Tit. de seruit. disc. 31. & hoc tit. in supplemento disc. 171.*

prohibeatur ingressus Q. Vectigaliũ, & pedagiorum materiam potius concernentibus illis oneribus, quæ pro ipsorum ingressu, ac mora ferre pro diuersis locorum moribus congruit; Idemque in maris ripa statutum est, vt in nullius dominio, in omnium verò vsu sit R.

Diuersa verò est Fluminum, & lacuum ratio, vt riparum, & portuum, ac adiacentium arborum priuatum sit
132 dominium adiacentium prædiorum, ita tamen, vt nauigationis vsus, & commoditas non impediatur, nisi aliud suadeat consuetudo; Quamuis etenim in hac regalium lege, riparia inter iura regalia censeantur; Vectigalium tamen, seù pedagiorum speciem id potius redolet S.

Super portuum libertate quæstiones forus audire solet, tàm pro publicorum onerum, & vectigalium exemptione, quàm pro confluentium
133 securitate, quæ sub saluicondvctus vocabulo ex communi loquendi vsu explicari solet; Ac etiam pro ementiũ, & contractantiũ assecuratione quodque aliena bona, & merces à dominis molestias non recipiant, vbi citra fraudem id sequatur, quod tamen certam ac generalem non recipit regulam, cũ à regionum, vel principatuum legibus, vel stylis decisionem expectet; Idque nundinis, alijsque publicis emporijs commune esse solet T.



X I.

De locis, & Viis publicis; Et de Angariis, & perangariis, aliisque seruitiis.

Ac etiam de iure publici belli, ac de armamentis, & fortificationibus.

Et de iure creandi titulatos, & Barones, concedendi nobilitatem, creandi Doctores, & Notarios, & erigendi Vniuersitates, & Academias.

Theatra, aliaue publica Ciuitatum loca, & viæ publicæ ac flu-
134 minum pontes iuris communis dispositione attenta, sub Principis protectione, & sub Ciuitatum, intra quarum fines, & territoria existunt, dominio habituali; In actuali autem, ac prohibitiuo dominio sunt nullius, dũ sub omnium publico, & communi vsu esse dicuntur; Nulla Baronum, vel domicellorum habita mentione, cum Romanorum legibus isti non innotescant V.

Ob illam verò status mutationem, quam penè in omnibus alijs rebus, Romani Imperij scissura, torque principatuum, ac dominiorum diuisio in-
135 duxerunt, certa, ac generalis desuper statuta non est regula, ob ditionum, ac principatuum diuersas leges, ac stylos, præsertim verò super secunda dominij specie, an potius penes locorum Communitates, vel penes Barones, & domicellos existant; Quod etiam de fluminibus, forestis, alijsque publicis, & communalibus bonis, sub quæstione est, quæ pariter à locorum diuersa praxi decisionem recipit X.

Vbique tamen, ex Iuristarum communi

Q. *Disc.129.*
R. *Disc.138.*
S. *Ibidem.*
T. *Dicto disc. 129.*

V. *Disc.135. & seqq.*
X. *Tit. de feud. disc.2. & in annot.*

muni sensu receptum videtur, vt hæc & similia, iuris regalis esse censeantur, ad aliquos effectus diuer-
136 sam pariter habentes praxim, pro eisdem Ditionum, ac principatuum diuersis legibus, ac moribus; Primò nempe ad illum iuris prohibendi liberum vsum, siue aliquibus priuatiuam facultatem concedendi, vt in eis faciant, vel alijs facienda concedant, quæ aliàs omnibus communia esse debent, vt in Ciuitatum plateis frequens praxis docet Y.

Secundò ad effectum indicendi pedagia, aliaque onera pro illo transitu vel vsu, qui aliàs liber, & publicus est.

Tertiò pro priuatiua competentia, seù cognitione criminum, quæ in vijs publicis, alijsque locis huiusmodi patrari contingat, quasi quod ita lædi quodammodo dicatur maiestas Principis, sub cuius custodia, & protectione existunt.

Et quartò super cura, & refectione, iureque indicendi collectas, & contributiones, pro constructione, & refectione, seù custodia, cum similibus, certam tamen, vt præmissum est non recipientibus regulam, ob legũ, ac morum insinuatam diuersitatem Z.

Viarum autem, ac pontium, aut similium locorum, publico vsui deseruientium, duplicis generis, forus quæstiones audit; Primò nempè inter pri-
137 uatos prædiorum dominos, intra quorum fines viæ existant, aliosque priuatos, vel populos, super libertate, ac iure transitus, viæque publicæ substantia, seù qualitate, cum illæ quæstiones, quæ priuatam transitus, vel vsus facultatẽ iure seruitutis percutiunt, sub diuersa seruitutum sede cadant A.

Et altera inter Principem, eiusue magistratus, & Barones, seù Domicellos, vel Communitates, super viarum, & pontium, aliorumue locorum huiusmodi qualitate, an iuris regalis, magisque publici totius principatus ad præmissos aliosue similes effectus existant, vel potius publici quidem iuris, comparatiuè ad priuatum dominium singulorum dicantur, priuati autem, seù localis, comparatiuè ad præmissam maiorem publicitatem.

Illæ siquidem viæ verè publicæ, atque iuris regalis, sub immediata supremi Principis cura, & protectione esse dicuntur, quæ iuxta regionum,
138 varios loquendi vsus, Consularium, seù Militarium, aut Basilicarum, vel Regiarum, seù Romanarum stratarum, nuncupationem habentes, ab vna Ciuitate ad alteram, siue à Ciuitate ad Mare, vel ad publicum nauigabile flumen, initium ac finem habeant, seù aliàs inter duas verè publicas existant extremitates, adeòvt, non vnius, vel aliquorum adiacentium populorum, pro eorum priuata communicatione, vsum concernant, sed pro vniuerso humano commercio totiusque orbis habituali commoditate deseruiant.

Istæque viæ, quas discretè Vrbis loquendi vsus Romanas appellat, sunt illæ quas leges ciuiles publicas reputant, aliæ verò priuatarum, ac respectiuè vicinalium vocabula sortiuntur, quamuis comparatiuè ad illas merè priuatas vias, quarum vsus iure simplicis seruitutis competat, publicæ quoque sint; Ideoque super vna vel altera specie, seù qualitate, facti potius, quàm iuris cadunt quæstiones certam proinde, ac vniformem non recipientes regulam, vtpotè à singulorum casuum qualitate, & circumstantijs decisionem expectantes B.

Quamuis autem verè publicarum, ac militarium, vel consularium refectio Reipublicæ sumptu, vel ex omnium populorum æquali onere, &
139 contributione facienda sit, inæqualitas tamen aliquando dignoscitur pro maiori, vel minori populorum vsu; Idemque de fluminum pontibus, alijsque huiusmodi; Priuatarum autem ad Communitates, vel populos, quibus

Suppl. Theat. Lib. 2. de Regal. V 2 prin-

Y. *Dicto disc. 135. & 142. & in annot.*
Z. *Disc. 139. cum pluribus seqq.*
A. *Disc. 136. & seq. & tit. de seruit. disc. 23.*
B. *Disc. 136. & seq.*

principaliter deseruiant C.

Regalis quoque iuris censentur angariæ, & perangariæ, quæ certi seruitij necessitatem præseferunt à mer-
140 cedis præstatione, vel exemptione distinctionem recipientes; Ea etenim, quæ naturali libertati aduersantur, atque inuitos ad alienum seruitium cogunt, vtpotè legibus contraria, non nisi ex priuilegio Principis, qui legibus derogare potest, obtinentur; Nisi diuturna immemorabilis, vel centenaria possessio, priuilegij præscriptionem inducat; Adhuc tamen omninò certam, ac generalem id non recipit regulam, ob diuersas Ditionum, ac principatuum leges, vel mores, ex quibus etiam maior, vel minor vsurpationis, vel concussionis mala præsumptio, vel iuris resistentia manat, ideòque pro locorum qualitate, factique circumstantijs decisio regulanda est D.

Publici belli ius (quisquis antiquiorum temporum fuerit stylus) ex
141 communi vbique recepto sensu, de Regalibus est maioribus, ac primi ordinis, Supremo Principi priuatiuè competentibus, vt inferioribus non facilè concedatur ex eo priuilegio, quod in alijs regalium generibus manare solet E.

Sub hoc autem belli iure, pro magis communi, ac recepto vsu, terrestria, ac maritima armamenta, arciumque munitiones, aliæuè fortifi-
142 cationes cadunt, illa fortium domorum, seù palatiorum munitione, seù fortificatione subditis, ac inferioribus concedi solita, quæ pyratarum, seù bannitorum, & latronum, vel priuatarum inimicitiarum tutelā concernat, quod pariter certam, ac generalem non recipit regulam pro diuersis ditionum ac principatuum legibus ac moribus.

Dignitates Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum conferre solius supremi Principis est,
143 ideòque primarij regalis iuris censetur; Idemque in nobilium ac rectorum feudorum concessione hodierna praxis docet, quidquid seruaret antiquitas; Ideòque vt in propria feudorum sede habetur, ea quæ per subditos, ac inferiores conceduntur, impropria feuda potius censenda sunt, ex præfato publici belli priuatiuo iure, cum verum feudum primi ordinis militiam redoleat, ideòque nonnisi habenti ius publici belli, hos milites constituere conceditur F.

Doctoratus gradum, vel Notaria-
144 tus officium concedendi facultas, iuris quoque regalis est; Cuius etiam censentur, publicarum Vniuersitatum vel Studiorum, seù Academiarum erectio.

Nobilitatis item concessio est de Regalibus, quoniam reddere nobilem illum, qui ex natura, vel legis dispositione sit ignobilis, atque ità ve-
145 rum reddere id quod verum non sit, solius est Principis, qui legibus derogandi facultatem habet; Ciuitatibus, vel Collegijs aut nobilium adunantijs facultate competente, eorum gremio adscribendi eos, qui nobilitatem iuridicam iam habentes, tanquā tales agnoscantur, vt proindè, non collationem nobilitatis, vel status mutationem, sed veritatis agnitionem, eiusque declarationem, quod iam inest, id redoleat, siue pro ipsorum recipientium priuato præiudicio, eodem modo, quo subditis Ciuitatibus ciuilitatem concedere fas est, vt in præeminentiarum magis peculiari se de aduertitur G.

Magistratuum creatio ad iustitiam ministrandam in Regalium lege inter hæc iura recensetur; Contrarium verò
146 praxis docet, vt Barones, & domicelli, ac etiam subditæ Ciuitates hanc habeant facultatem; Ideòque illis videtur Magistratibus referendum, qui vniuersalem in tota ditione, vel principatu habeant potestatem.

De

C. *Ibidem*.

D. *Tit. de feud. disc. 51. & 65. & hoc tit. disc. 146.*

E. *Tit. de feud. disc. 52. & 58.*

F. *Dicto disc. 52. de Feud.*

G. *Tit. de Præeminent. disc. 30. & 35. & in alijs.*

XII.

De potestate condendi leges, eisque derogandi, de iure concedendi gratias tertio præiudiciales, vel tollendi ius tertii, ac reuocandi concessiones, seú aliàs inhabiles reddendi habiles, remittendique delicta, & pœnas; aliaue similia faciendi, quæ in iure prohibita sint.

NOuas leges condendi, atque antiquas corrigendi, seû moderandi, aut eis dispensandi facultas,
147 iuris regalis, supremique Imperij est, ideóque soli Principi conceditur, non autem subditis Ciuitatibus, vel Baronibus, & domicellis, alijsuè Magistratibus, nisi ipse Princeps concedat; Vel nisi de eo maiori Magistratu agatur, qui ob absentiam Principis eius vicariam potestatem in omnibus exerceat, vt (ex:gr:) in Italia in Proregi-
148 bus Regnorum vtriusque Siciliæ, & Status Mediolani Gubernatoribus praxis docet; Quamuis etenim alij in eadem Italia supremi, ac primi ordinis habeantur Magistratus, omnium penè iurium regalium, supremiuè Imperij exercitium habentes, cum aliqua etiam potestate in casibus particularibus dispensandi legibus, vel aliqua eis aduersantia demandandi, vt (ex: gr:) in Ecclesiæ Romanæ temporali Ditione Italica plurès sunt Apostolicæ Sedis Legati, qui aliquarum Prouinciarum, vel Ciuitatum regimini præficiuntur, adeòvt Principis vicarias partes, ac figuram gerant, non tamen absque pontificia specifica auctoritate, vel confirmatione, ista conceditur facultas, ordinandi leges, antiquis contrarias, iurisque communis directè correctorias constitutiones, aliquas legum species condendo in ijs, quæ secundum, vel præter commune ius esse dignoscantur, siuè eiusdem iuris interpretationem contineant, cum pleraque iuri contraria specialibus indultis, & facultatibus referenda veniant.

Alijs verò inferioribus Magistratibus, vel subditis, merèque subordinatis Ciuitatibus, ac domicellis, & Ba-
149 ronibus, generalitèr statuta, & leges condendi absque Principis præuia licentia, vel subsequuta confirmatione, facultas denegatur; Et eo magis in enunciata Ecclesiæ temporali ditione, ob Egidianæ Constitutionis præscriptum, ijs exceptis, quæ ipsius iuris communis obseruantiam, vel declarationem, vbi dubium sit, concernant; Siuè vbi de illis agatur legibus, quas in rei propriæ concessione Baro, vel Ciuitas adijciat, cum eam speciem redoleant illarum conuentionalium legum, quas in contractibus cuilibet priuato adijcere licèt.

Non omnis tamen eiusdem Principis confirmatio, ad id sufficiens reputatur, sed in ijs, quæ iuri communi,
150 seù etiam particulari, ab ipso Principe specificè confirmato, contraria sint, illa confirmationis species desideratur, quæ in forma specifica dicitur, inserto scilicèt ipsius legis tenore; Siuè quod aliás de certa eiusdem Principis scientia constet, vt in ijs confirmationibus praxis docere solet, quæ præuia alicuius Magistratus, vel Congregationis examine, ac voto, concedantur.

Altera verò species confirmationis, quæ præfata circumstantia non accedente, in forma communi dicitur, in ijs, quæ iuri contraria sint, insufficiens reputatur, solùmque prohibitionis obstaculum tollit, in ijs, quæ iuxta, vel præter leges statuantur.

Istam verò speciem, vel naturam, habet illa confirmatio, quæ præsumpta dicitur, quia nempè ex sola longissimi temporis obseruantia præsumatur, nisi de ijs agatur, quæ fauorabilia potiùs quàm odiosa dicenda sint, vtpotè restitutiua antiquarum legum, quas moderniores aboleuerint, vt in statutis fœminarum, & cognatorum exclusiuis, atque agnationis fauorem concernentibus pro nostris Italiæ moribus receptum habemus; Vel nisi

derogandi, iuris Regalis pariter, supremique Imperij est, vt soli Principi, vel ijs, quibus ipse concesserit, ad quoscumque subditos priuatiuè competat; Illa tamen in ipso supremo Principe à foro pariter exulante antiquiorum potestatis quæstione, ex eo quod iuris naturæ præceptum sit, supremas morientium voluntates exequi, ac seruari, cum verius á positiuæ legis benignitate id pendeat; Solumque in piarum dispositionum, vel earum, quæ iurisiurandi religionem habeant, ista potestatis in Principe sæculari quæstio cadit, vt soli Pontificiæ potestati id reseruatum sit. N.

N. *Tit. de fideicommiss. in summa ex num.* 2. *&* 295. *& seqq.*



SVPPLEMENTVM
LIBRI XVI.
PAR. I.
TIT. DE IVRISDICTIONE.

INDEX
ARGVMENTORVM
IN DISCVRSIBVS
Qui continentur in hoc Supplemento tituli de Iurisdictione.

Disc.

Disc. CXV.

Maioricen. Fructuum, seù Distributionum.

Qualem iurisdictionem habeat exequutor in partibus deputatus in exequutorialibus Auditoris Cameræ, vel alterius Tribunalis Curiæ.

Et qualem iurisdictionem in ciuilibus habeat Iudex criminalis eiusdem Tribunalis A. C. Et incidentèr quales dicuntur fructus Canonicatus, & quales distributiones quotidianæ.

Disc. CXVI.

Romana Iurisdictionis.

De Iurisdictione, & potestate Collegij Cardinalium Sedevacante.

Disc. CXVII.

Romana Castri Orciani.

An, & quam iurisdictionem habeant Iudices delegati Sede Papali vacante, & pręsertim Auditores Rotæ; Et an citatio ad dicendum contrá commissionem, sit præcisé necessaria ad inducendam, & firmandam iurisdictionem.





INDEX CAVSARVM

Quę continentur in hoc Supplemento Tit. de Iurifdictione ordine alphabetico per Diœcefes difpofitus.

SVPPLE-



SVPPLEMENTVM THEATRI



LIB. III.

DE IVRISDICTIONE.

Adnotationes ad Discursus iam æditos à Disc. I. ad totum XCV.

SVMMARIVM.

62 De

A Disc. I. ad totum XXI.



1 N istis omnibus discursibus agitur de illis controuersijs, quæ inter Episcopos, aliosque locorum Ordinarios ex vna, & Prælatos inferiores ex altera, haberi solēt super ordinaria, vel delegata iurisdictione spirituali, vel Episcopali, omnesq; cadunt sub eisdem conclusionibus, ac theoricis, quæ hodiè videntur firmæ, ac receptæ, adeòvt forenses controuersiæ reverà, facti potiùs, & applicationis, quàm iuris dicendæ veniant;
2 Atque hinc sequitur, vt ista materia incapax censeuda sit aliquarum regularum generalium, quæ indefinité quibuscumque casibus applicari valeant; quoniam eisdem regulis, hodié firmis, in abstracto præcognitis, ac præsuppositis, adhuc tamen tota vis consistit in earum congrua applicatione ad singulos controuersiarū casus, iuxtá eorum indiuiduas circumstantias, ad quas propterea principalitér est reflectendum; Idque omnibus penè fori quæstionibus, tàm spiritualibus, quàm prophanis in quacunque materia commune videtur.

Hinc proindé sequitur, vt semper magis, ac magis erroneus detegatur, atque de ineptia manifestè conuincatur error eorum, qui cum generalitatibus, vel cū inani auctoritatum cumulo, sub cæca fide, in omni casu ad litteram indefinitè procedunt, non distinguendo (vt nostri dicunt) leprem á lepra, siue triticum, ab hordeo; ac palea, alijsque frugibus, sed omnia indigestè in eorum horreo repertoriorum consarcinando, atque exindè, cum eadem confusione extrahendo, ac moliendo, malum panem ita conficiunt; Est etenim iste error, quo nullus maior, & clarior, & tamen mundus adeó cæcus effectus est, vt id non videat, neque agnoscat, & resipiscat, sed potiùs leguleici vulgi plausum habeat.

Quia veró occasione consimilium quęstionum, quas post huius libri ęditionem disputare occasio dedit, easdem regulas, vel theoricas, atque modum eas
3 applicandi reassumere oportuit; Præsertim veró id contingit *in Baren. Iurisdictionis*, de qua infrà *disc.* 1. *huius Supplem.* & qui continuando ordinem antiquum est *disc.*96. & *in alio sequenti in Beneuentana*; Hinc proindé ad illos pro his omnibus relatio sufficere debet; Ac propterеá in priorum singulis, adnotatur solùm causarum status, & an hoc medio tempore aliquam notabilem receperint alterationem.

Idemq; contingit in contentis *disc.*22. & 23. in quorum casu quæstio non est cū
4 altero Prælato contendente de actiua iurisdictione in loco, vel in personis, aut causis priuatiuè ad Diecesanum, vel etiam cumulatiuè, cum iure præuentionis, aut distributiuè, sed est cum ipsismet subditis contendentibus cum Episcopo, vel cum alio, quem non controuertatur esse eorum Diœcesanum, & Ordinarium, de modo, vel de loco exercendi cum eis illam, quam iam habeat iurisdictionem, & potestatem, quia nempè prætendant, vt nonnisi in loco iudicari debeant, neque extrá proprios lares trahi possint, dum super isto etiam controuersiarū casu, aliquid *eod. disc.* 96. insinuatur, ideòque ad illum, etiam pro huiusmodi quæstionibus relatio sufficere debet.

Reliqui veró discursus concernunt potiùs quæstiones competentiæ, vel in-
5 competentiæ fori in causis particularibus, inter eos, qui in suis respectiuè generibus, sint generalitèr Iudices, & Magistra-

gistratus; Cadat autem quæstio, an ratione personæ, vel bonorum, seù ex alio accidenti dici valeant competentes; vt in illis contingit controuersijs, quæ inter Ecclesiasticum, & sæcularem forum haberi solent; siue inter iudices ordinarios, & alios ad certum causarum genus deputatos; Vel posita in vtroque Iudice, seù Magistratu competentia, quæstio sit maioris, vel minoris competentiæ, quodque vna vincat, vel suffocet alteram; Verùm super his, ac similibus quæstionibus certæ generales statui non possunt regulæ, quibuscumque casibus applicabiles, cum á singulorum casuum particularibus circumstantijs, magis verò á Principatuum, seù Tribunalium stylis, ac praxi longè diuersam decisionem expectent; Ac propterea idem intrat semper damnabilis error cum generalitatibus procedere, atque de istis agitur etiam infrá *disc.* 57. *& seqq.*

Ad Disc. I.

His itaque generaliter prænotatis; quatenùs ad singularum causarum
6 statum pertinet; Causa *Toletana*, de qua *disc.* 1. (quod sciam) aliam prosequutionem non habuit in Curia, sed concessis solitis exequutorialibus, punctus est in exequutione, seù modo practicandi, ob qualitatem personæ, quæ possidet Prioratum, aliasque circumstantias.

Ad Disc. II.

Siluit etiam, ac silet causa, de qua *in Conuersanen. disc.* 2. dum ob aliquem rigorem, qui tentus fuit circa ea,
7 quæ ordinem iudiciarium concernunt, productum ab aliquibus superstitiosis iuris subtilitatibus, ille Episcopus, qui post Prædecessorū tam diuturnum silentium causam reassumpserat, itá perterritus, vlteriorem neglexit prosequutionem, vsqueadó ad aliam Ecclesiam trāslatus fuit, atque in eadem negligentia perseuerat successor, forsan ob Ecclesiæ impotentiam, vel grauamen; Istaque est ratio, ob quam ex frequentiori praxi huiusmodi causæ iurisdictionales, raró habent finem, atque ita deterior est conditio Episcoporum; Potissimè vbi Prælatura inferior sit membrum alicuius Religionis constituentis Vniuersitatem, seù Rempublicam, vt in præsenti; Vel quod sit Monasterium dari solitum in commendam Cardinalibus, vel Prælatis maioris potentiæ; Vel quia non omnium Episcoporum idem est zelus, vel æqualis habilitas; Vel quia Ecclesiarum status, litium substentationis expensas cum tela iudiciaria non patiatur.

Ea quoque accedente fortiori ratione, quod ipsimet subditi assueti habere huiusmodi inferiores Prælatos, sub quorum regimine suauiùs fortè videtur eorum iugum, circa viuendi licentiā, quàm sub illo Episcoporum, qui diligentissimi, atque tenacissimi sunt suorum iurium defensores.

Ad Disc. III.

IN casu, de quo in *Vulturarien. disc.* 3. alia etiam defuit occasio disputandi,
8 quia fortè inferior Prælatus, acquiescēdo resolutionibus, non impugnat Episcopi delegatam iurisdictionem; & è cōuersó Episcopus ista contentus, non curat de ordinaria inquirere, quam inferior Prælatus pacificè exercet, itá prudentiùs agendo, nè aliás prosequendo litem, istā quoque amittat, iuxtá id, quod contingit eiusdem Religionis consimili Prælato in casu, de quo suprá *disc.* 1. dum super delegata solùm iurisdictione, qua Ordinarius contentus erat, mota fuit lis, cuius exitus causauit in Prælato inferiore amissionem etiam ordinariæ non impugnatæ.

Ad Disc. IV.

ALia sequuta nō est innouatio in casu, de quo *in Fauentina disc.* 4. quia
9 fortè ad limites istarū resolutionum Partes se contineant; Cúmque plures con-

simi-

similes quæstiones contigissent super Clericis sæcularibus, aliisque inseruiẽtibus Ecclesiarum huius Hierosolymitanæ Religionis, cum istis resolutionibus, istoque discursu pluriès processum fuit; Præsertim verò consimilis quæstio disputata fuit in Rota in vna *Imolen.* de qua agitur infrà *disc.* 101. ideóque ibi videndum erit.

Ad Disc. V.

DE facto in casu contento in *Theatina*, de qua *hoc disc.* 5. subditi se
10 consouent in rebellione, etiam respectu iurisdictionis delegatæ, quæ nullam reuerà patitur controuersiam; Idque ex iudiciarij ordinis rigore super purgatione prætensorum attentatorum, ob spretũ cuiusdam inhibitionis A. C. ideóque causa introducta est in Rota; Sanctiùs verò esset, vt omnes istæ controuersiæ priuatiuè ad alia Tribunalia, committerentur Sacræ Congregationi Concilij, quæ in forma summaria, eas breuitèr decideret, eo modo quo sequutum est *in præcedentibus discursibus* 3. *&* 4. ideóque videndum erit quid per Rotam firmetur.

Ad Disc. VI.

IN causa *Maceraten.* seù *Tolentina* contenta in hoc discursu, aliud se-
11 quutum non est, dum ob cautelam á me consultam, remouendi scilicèt exindè familias colonorum, & operariorum, qui quandam populi speciem constituebant, adeòvt curæ animarum, & administrationis Sacramentorum, ac iurium parrochialium cessauerit occasio, sublata fuit quæstionis radix, & causa productiua, cum reverà, posita situatione intrà Diœcesis limites, punctus non videretur substentabilis, atque resolutio iusta remaneret.

Ad Disc. VII.

PAritèr in casu, de quo *in Asloricen.* contenta hoc discursu, aliud quod
12 sciam, sequutum non est, nisi ob Procuratoris mortem, causa, vt frequentèr contingit, defensores mutauerit; facti verò potiùs, quàm iuris est eius punctus principalis, super existentia Apostolici priuilegij pro territorij separatione, cum eo posito, de potestate Papæ non dubitetur, vt pluriès insinuatur.

De conclusione autem concernente compromissum, & an istud sapiat speciem alienationis, vt propterea ijs indigeat so-
13 lemnitatibus, quæ in alienatione desiderantur, agitur *lib.* 1. *de feud. disc.* 49. *& lib.* 7. *tit. de alien. & contract. probib. disc.* 1. vbi etiam, & in alijs sequentibus de earumdem solemnitatum præsumptione resultante à longissimi temporis obseruantia, quodque in huiusmodi controuersijs inter Ecclesias hinc indè, non intret Bulla Vrbani VIII. quæ hanc substulit præsumptionem, eam præseruando, quæ ex centenaria resultat.

Ad Disc. VIII.

IDem est huius discursus punctus, qualis in præcedenti *in Hispalen.* su-
14 per Apostolico priuilegio veram territorij separationem inducente, vt facti potiùs, quàm iuris esse dignoscatur, paritèrque ignotus est causæ status, & an vlteriorem habuerit progressum.

Quædam verò alia causa inter Archiepiscopum, & Capitulum Hispalen. ex vna, & Prælatos, vel Rectores Ecclesiarum, seù locorum, sub hoc indulto
15 comprehensorum, super iure decimandi, disputata in Rota, ostendit, quod indultum suum effectum sortitum sit, dum disputatum fuit, an per hanc separationem sublatum fuerit ius decimandi, quod habebant Archiepiscopus, & Capitulum vniuersales illius Diœcesis decimatores, ex deductis *sub tit. de decim. disc.* 1. *& seq.* Atque in ista controuersia aliquæ resolutiones (me tamen in causa non scriben-

te) Archiepiscopo, & Capitulo fauorabiles prodierunt.

Illæ veró perpensis decisionum fundamentis non placuerunt. Ista etenim quæstio, de qua agitur *titulo de decimis disc.* 12. an scilicèt dismembratio ab antiqua Ecclesia, nouaque erectio tollat ius decimandi, percutit casum nouæ erectionis parochialis, cum dismembratione partis territorij, & populi antiquæ parochiæ, adeóvt vtraque remaneat in eodem diœcesano territorio, nullaque adsit implicantia, vt noua tanquam filialis, adhuc in parte remaneat antiquæ matrici subiecta, quodque ista aliqua ex prioribus iuribus retineat, ex deductis *d. disc.* 12. *de decim.* ac etiam in proposito iuris sepeliendi *sub tit. de paroch. disc.* 28. siue vbi de exemptiuo ageretur priuilegio, firmis remanentibus Ecclesia, & populo intrà antiquæ Diœcesis limites, vt propterea Diœcesano aliquæ antiquæ ordinariæ, ac plenæ iurisdictionis, & superioritatis remaneant reliquiæ.

Id autem practicabile non est in hac specie formalis separationis territorij, quod sub proprio Prælato, cum vera qualitate nullius constituatur, quoniam, vt plures casus distinguendo aduertitur suprà *disc.* 1. *& seqq.* & infrà *disc.* 96. ita constitui dicitur quædam noua omninó independens Diœcesis, cuius Prælatus pontificalium exercitio, & Episcopali dignitate exceptis, omnia habet, quæ vero Ordinario diœcesano competunt, etiā ex Concilij Tridentini, & Apostolicarū Constitutionum delegata iurisdictione, ideòque habetur, ac si nunquam fuisset de illius Diœcesi, cuius Episcopo, neque remanet illud ius reuerentiale, quod in locis exemptis intrá diœcesis fines remanentibus competit, vt infrà *disc.* 35. *& alibi*, vt praxis docet in tot Episcopatibus de nouo erectis, cum dismembratione partis alterius diœcesis, iuxtà casus recensitos infrà *sub tit. de praeminent. disc.* 6. Et per consequens improprium est, vt Episcopus diuersæ diœcesis remaneat decimator tanquam Parochus vniuersalis suæ diœcesis.

16 An autem sub nomine Regis Hispaniarum, vel alicuius Regni veniant superaddita, vel vnita Regna, & dominia, agitur *d. tit. de preeminent. disc.* 29. *& sub tit. de benefic. disc.* 29.

Ad Disc. IX.

17 IN ista *Anglonen.* in qua agitur de eodem puncto iurisdictionis delegatæ in loco exempto in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, ob translationem Episcopi tunc id zelantis ad Metropolitanā Ecclesiam Nazarenam, vt infrà *disc.* 20. incertum est, an aliud sequutum sit, & qualem obseruantiam habeant resolutiones.

Ad Disc. X.

18 IDem in *Lunen.* vel *Sarzanen.* de qua isto *disc.* 10. conscius tamen qualitatis Episcopi, firmitèr credo, quod resolutiones Sac. Congregationis suam habeant obseruantiam, quodque illa non negligatur, potissimè, dum reuera prætensio Prælati inferioris super territorio separato, & qualitate Nullius, ad effectum effugiendi delegatam iurisdictionem, nulli probabili innixa videbatur fundamento.

Ad Disc. XI.

19 ISta causa *Aprutina* docet, & comprobat id, quod insinuatur suprà *disc.* 2. *& 4. & alibi pluries*, quod scilicèt erroneum sit in huiusmodi causis procedere cum legalibus rigoribus, & cum tela iudiciaria, quoniam irá Episcopi, potissimé pauperum, vel etiam diuitum, sed nimium granatarum Ecclesiarum, terrentur huiusmodi lites substinere; ideòque earum prosequutionem negligunt, atque exindè resultant Ecclesiarum præiudicia, & quod magis est alia grauiora præiudicia, quæ resultant animarum saluti, & spirituali administrationi Sacramentorum, & diuinorum, & criminum punitioni in huiusmodi locis acephalis; Ideòque vt dixi commendabilius esset, quod Sacra Congregatio Concilij omnes

istas

istas reassumeret causas, easque breuitèr, & summarié more Principis omni appellatione postposita terminaret. Et de improbabilitate istius resolutionis habetur latiùs infrà *disc.96. & seq.*

Ad Disc. XII.

POst editas decisiones in discursu enunciatas in ista causa *Beneuentana* 20 ob subsequutam mortem Procuratoris huius partis, Aduocatorum quoque, pro frequenti praxi, immutatio sequuta est, ideòque ampliús in causa non scripsi, adhuc tamen Archiepiscopus causam est prosequutus, atque plures aliæ prodierunt decisiones præcedentibus conformes, & Archiepiscopo fauorabiles, nempè 12. *Maij 1670. coram Emerix, & 23. Ianarij 1671. coram Priolo.*

Istæ autem resolutiones potiùs laudâde videntur, quoniam vt pluriés insinuatur, etiam illa loca, quæ extrà omnem controuersiam, propter Apostolicum indultum clarum, vel ob immemorabilem benè probatam, reperiuntur in hoc statu, deberent supprimi, atque Episcopis subijci, vel saltém declarari, quod Concilij Tridentini sensus fuerit de istis etiam locis disponere circà delegatam iurisdictionem, vt etiam insinuatur infra *disc. 16.*

Ad Disc. XIII.

ISta causa *Marsicen.* post eius statum in discursu recensitum, denuò pro-21 posita fuit in Signatura Gratiæ ad instâtiam Capituli, seù Cleri, porrecta noua commissione in Rota ex motiuo iurium, ac processuum de nouo repertorum, sed omninò reiectum fuit.

Ad Disc. XIV.

PRobabile est, quod in ista *Firmana*, alia innouatio sequuta non sit, dum 22 in Archiepiscopatu vsque ad initium anni 1674. continuarunt idem Cardinalis Gualterius, & ex eius dimissione nepos, quorum ambo in omnibus meam adhibebant operam, & tamen de ista causa aliud motiuatum non audiui; Atque denuò reflectendo ad iam deducta in discursu, videntur, quod solida sint, cum ita sit prorsús impossibile practicare istam speciem separationis territorij, præterquã ex quadam rara, & priuilegiatiua separatione ficta, iuxtà casum, de quo infrà *disc.20. & 33.*

Ad Disc. XV.

DEcisio Rotæ, quæ prodijt in ista causa Sancti Seuerini in discursu enunciata ad fauorem Commendatarij, 23 ansam dedit ministris eiusdem Commêdatarij nimium dilatandi fimbrias in exercitio omnimodæ iurisdictionis Episcopalis etiam delegatæ in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum cum Clero, & populo sæculari viuente in territorio Episcopi; Quare cum in discursu enunciatus recursus directus, & præcisus super ista causa ad Sacram Congregationem Concilij admissus non fuisset, vt ibidem aduertitur, atque Episcopus nollet redire ad Rotam; Hinc ad aliam viam conuolatum est, consulendo scilicèt eamdem Sacram Congregationem generalitér, & in abstracto, an iste Commissarius, eiusque Vicarius, & Clerici possint in propria Ecclesia exempta exercere curam animarũ, & administrare Sacramenta, & verbum Dei prædicare Clero, & populo sæculari independentèr ab Episcopo; Atque sub *die 2. Augusti 1670.* prodijt negatiua resolutio, & meritò quacumque ipsius Abbatiæ, eiusque membrorum, & Clericorum, ac inseruientium, quantumuis amplissima exemptione non obstante, quoniam vt sæpiùs dictum est, ista suffragatur

in ra-

in ratione passiua quoad Ecclesias, & personas eis inseruientes, sed non in ratione actiua cum Clero, & populo sæculari, qui viuit in territorio Episcopi, & est de grege sibi commisso; Istaque ratio reverà nullam admittit responsionem.

Non datur etenim fortè in Ecclesia Catholica, totoque genere Ecclesiarum, vel personarum regularium maior exẽ-
24 ptio, quàm illa Hierosolymitanæ, seù Meleuitanæ Religionis, cui ex quadam ratione iustitiæ potiùs, quàm gratiæ illã meritò concessam fuisse est receptissimũ; Et tamen vt insinuatur super *disc.* 1. & in decisionibus in ea causa editis, & præsertim prima, non per hoc Magnus Magister, vel Prior Ecclesiæ in his se ingerit cum Clero, & populo sæculari Insulæ, ijs exceptis, qui sint seruientes cum tribus requisitis, de quibus suprà *disc.* 4. *& alibi pluriès*.

Ità quoque in Protectore Almæ Domus Lauretanæ, quod scilicèt ipsa Sacra Cappella intra columnarum ambitũ declaratur esse de vero territorio separato, & Nullius, eiusq; Protector verus, ac plenus Ordinarius, cum omnimoda iurisdictione, etiã in cõcernentibus curã animarũ, & iura parochialia cum Cappellanis, ministris, Colonis, & famulis, ex deductis infrà *disc.* 33. Et tamèn non per hoc Protector, eiusque Vicarius, & Cappellani, alijque ministri se ingerunt cum Clero, & populo non habente dictam qualitatẽ seruitij vt ibi.

Actum quoque fuit de eodem puncto præfinitionis numeri, de quo infrà *disc.* 20. vbi videndum, vt quo magis fieri potest, euitetur illa earumdem rerum repetitio, quæ tamen in ista practica facultate est ineuitabilis.

Et quamnis in hac disputatione habita in Sacra Cõgregatione Scribentes pro Commissario acritèr in eo insisterent, quod ità esset implicitẽ circumscribere dictam Rotæ resolutionẽ, cum tamen eadem Congregatio partes ad ipsam Rotã iam remiserit, vt ipsa iudicet, an eius decisio reuocanda sit; Attamen replicabam, etiam in sensu veritatis (atq; Congregatio admisit) quod vnus punctus nullam habet cum altero connexionem, quoniám in eo casu, de quo in discursu, agebatur de actu particulari, compatibili in Prælato inferiori collationis sci-
25 licèt beneficij, dum actus collationis, vel prouisionis beneficiorum non est de illis actibus iurisdictionalibus, qui sint præcisè affixi territorio, vt sine illo exerceri non possint *Lotter. de benef. lib.* 1. *quæst.* 34. *num.* 8. *Buratt. decis.* 222. *nu.* 9. *decis.* 156. *num.* 8. *par.* 10. *recent.* & sepiùs, atque vbi beneficium sit curatum, ita tamen, vt non intret forma concursus inducta per Concilium Tridentinum, tunc ius Ordinarij non consistit in collatione, seù prouisione beneficij, sed solùm in eius exercitio, vt scilicèt prohibitum sit iam prouiso curam exercere cum populo subdito ipsi Ordinario, nisi priùs ipse præuio examine, de eius idoneitate tàm circá vitam, & mores, quám circà litteraturam certior reddatur, ex ea nimis congrua, & conuinccnti ratione, quod cum ipse sit primus, ac maior Pastor ouium, sibi commissarum, ad eum inquirere pertinet, an inferiores, & subordinati ministri, vel Custodes ouilis sint apti, nec nè.

Ad Disc. XVI.

Alia, quod sciam in ista causa disputatio habita non fuit, atque de hac
26 materia collationis ordinum, vel concessionis literarum dimissorialiũ ad eos suscipiendos in illis locis, qui sint sub huiusmodi Prælatis inferioribus, agitur in annotationibus ad Concil. Tridentin. *lib.* 14. *disc.* 14 & latiùs incidentèr *sub tit. de pension.* in Supplemẽto *in Conimbricen. pensionum*, vbi materia magis examinatur potestatis Abbatis conferendi; De hoc etiam puncto, an scilicèt isti Prælati nullius concedere possint literas dimissoriales, agit *Flores de Mena quæst.* 24. quæ est finalis, sed pro exterorum non multùm plausibili stylo in multis euagatur, & non descendit ad ea, quæ stringunt; Videtur itaque, quod obseruantia sit controuersiæ Iudex, & potissimè si Prælatus sit in possessione celebrandi Synodum, & habendi concursus ad parochiales, quoniàm tunc si facit, quod est plus, concedendum est quod minus.

Ad

Ad Difc. XVII. & XVIII.

NEque iftæ caufæ pro mea notitia vlteriorem habuerunt difputatio-
27 nem, ob pluriès affignatam rationem, quod Epifcopi, vtplurimùm pauperes, vel nimium onerati, fi zelo impellente iftud opus affumant cum inani fumptu, ob quofdam iuridicos rigores, abftinent ab vlteriori profequutione, ideòque vtplurimùm deterior eft eorum conditio.

In cafu autem, de quo *difc.*18. prodijt ibi allegata *decif.*373. *par.*11. *recent.* quæ eft apud illas *Bichy decif.*459. vnà tantùm parte informante, & firmat quãdam extrauagãtem fpeciem Nullius, feù territorij feparati, in quodam Monafterio Monialium fito intrà Oppidum, quod eft indubitatè in Diœcefi, & de Diœcefi, ideòque pro mea praxi, per Sacram Congregationem Concilij pluriès deducta negligi confueuit, atq; in nulla haberi confideratione, quoniàm reverà priuilegiorum amplitudo operari quidem poteft maiorem, vel minorem exemptionem, non autem territorium feparatum, cum qualitate Nullius, vbi non dicatur, prout non dato vero, & materiali territorio diftincto dici, vel concedi non folet, nifi in quibufdam fingularibus, nimiumque raris cafibus, vt præfertim eft ille, de quo infrà *difc.*33. Almæ domus Lauretanæ, pro componendis acerrimis litibus, quæ diù actæ fuerunt inter Epifcopum, & Protectorem.

Et de rationibus in ifto *difc.*18. pon-
28 deratis fuper cuftodia claufuræ formalis potiùs quàm materialis, habetur actum infrà *lib.*14. *in Mifcellan. ecclefiaft. difc.* 16. *& in annot. ad Concil. Trident. difc.* 36. & de eadem delegata iurifdictione fuper claufura Monafterij exempti, infrà *difc.*26.

Ad Difc. XIX.

AD aliquos annos per Epifcopum fucceflorem reaffumpta fuit ifta caufa in Rota *coram Taia*, atque Epifcopo folùm informante, me quoque pro
29 eo fcribente fub die 30. Iunij 1673. ad eius fauorem prodijt refolutio, quæ in fenfu veritatis probabilis, benèque fundata vifa eft, non folùm quia fituatio eft indubitata ex eadem Bulla Sixti V. fuper vnione ad fauorem Collegij, idq; fufficit quotiès non doceatur de priuilegio Apoftolico, vel immemorabili fuper territorio feparato, fed etiam quia poft vnionem penè per fęculum adeft continuatum exercitium iurifdictionis, cum vifitatione, alijfque actibus, ideòq; eft merè intrufiua exemptio, quæ fapit fpeciem rebellionis aduerfus proprium Epifcopum; Videbimus autem quid in noua difputatione deducetur, dum ex parte Collegij obtenta fuit noua audientia.

Ad Difc. XX.

QVinque fuerunt huius controuerfiæ puncti in difcurfu infinuati; Atque fuper eorum primo præfixionis determinati numeri Clericorũ,
30 affumpta denuò difputatione in eadem facra Congregatione Epifcoporum, & Regularium; Cùm Archiepifcopus Tranenfis curaffet, vt Miniftri Regij, ac etiam Agentes Communitatis conquererentur de exceffiuo numero non permittendo, idque non modicam faceret impreffionem (& quidèm meritò); Dicebam fcribẽdo pro Archiepifcopo Nazareno, quod id refpiciebat numerum Clericorum in genere, ob præiudicium, quod tàm Regiæ iurifdictioni, quàm etiã Communitati exindè refultat ratione Ecclefiafticæ immunitatis realis, & perfonalis, nullatenùs curato, an Clerici promouerentur per vnum, vel per alterum Prælatum, fiuè an vnius, vel alterius Ecclefiæ feruitio adfcriberentur; Et per confequens, quod dum tàm Regiæ, quàm Communitatis iufta conquæftio per-

percutiebat etiam ipsum Diœcesanum, quando iste vellet, vel deberet in hoc parcé agere, dabam manus, vt idem fieret à Nazareno, non autem vt ipse Diœcesanus vellet præcipi deberet alteri ieiunium, sibi vero licitum esset ad satietatem, & vltrá crapulari; Ac propterea me laudante, imò proponente prodijt rescriptum, quod vterque abstineret à nouis Clericorũ ordinationibus inconsulta ipsa Sac. Congregatione, quoniam reverà hinc indè mihi non placebat tantus numerus, cum euidenti Communitatis, & Sæcularium supplantatione, ideòque nimium commendabile esset id, quod in discursu insinuatur, vt scilicèt vbique generica fieret numeri præfinitio ad proportionem populi.

Quatenùs veró, seclusa dicta consideratione præiudicij Regis, & Communitatis, pertinet ad punctum quæstionis inter ipsos Prælatos, dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod iniusta esset quærela; Siquidèm tunc posset Diœcesanus conqueri, quando per magnum numerum Clericorum, qui huic Ecclesiæ adscribuntur, ipse penuriam pateretur promouendorum pro seruitio suarũ Ecclesiarum, sed cum id in facto non verificaretur, non videbatur quidnam sua interesset, an illi de populo, qui per ipsum non assumuntur, sint potiùs laici, quàm Clerici huius Ecclesiæ, excepto quodam nimium remoto interesse potiùs Parochi, quám diœcesani ob exẽptionem á cura animarum, & á iurisdictione parochiali, sed istud interesse, iuxtà communem praxim in hoc proposito non solet reputari considerabile.

Atque ad id probandum deducebam exemplum practicum Regularium, qui iuxtà contingentias in aliquibus Ciuitatibus, & locis etiam mediocribus ob redditum, & bonorum affluentiam habent Monasteria numerosa magnis Ciuitatibus congrua, ideòque sequitur, quod personæ de illo clero, & populo assumunt statum regularem, atque fiunt Religiosi in aliquo considerabili numero habita loci proportione, sed non per hoc diœcesano conceditur id impedire, nisi quando resultaret dictum inconueniens, quod ità aliæ Ecclesiæ remanerent sine ministris, & cultu, cùm iustè Sacra Congregatio eius arbitrium interponeret;

Multò igitur magis in præsenti, quod iste Archiepiscopus considerandus non est tanquàm simplex inferior Prælatus natiuè subditus diœcesani, solùmque accidentalitér, & priuilegiatiuè exemptus.

De duabus autèm Ecclesijs particularibus subiectis diœcesano, nempé Sanctę Mariæ, & S.Iacobi in discursu enunciatis, agitur *sub tit. de Parroch. disc.* 27. occasione controuersiæ iuris sepeliendi inter eas vertentis; Et de alia Ecclesia S. Sepulchri Religionis Hierosolymitanæ, agitur infrà *sub tit. de praeminent. disc.* 9. occasione agendi de quęstione præcedentiæ.

Alter punctus est circà affixionem
31 Edictorum, & Cedulonum in locis publicis, atque super hoc alia huc vsque habita non fuit disputatio, minusque super tertio processionum, & super quarto confessariorum.

In quinto autèm honorificorum tractatuum, qui remissus fuit Sacræ Congregationi Rituum, ab ista prodijt resolutio fauorabilis Archiepiscopo Nazareno, vt scilicèt Regularibus licitum esset in eorum Ecclesijs exemptis honorificè eum tractare, quodque inciuilis modus, quem ipse Diœcesanus tenere velit in suis Ecclesijs, vel ab eius ministris, & subditis teneri mandet, non debeat arctare exemptos, ijs exceptis, qui iurisdictionem denotent, vt sunt thronus erectus, & erectio Crucis, ac benedictio populi, & delatio mozzettæ, siuè vsus pontificalium, iuxtà distinctionem, de qua infrà *hoc eodem tit. disc.* 31. vbi de materia exercitij iurisdictionis, vel vsus pontificalium in aliena Diœcesi, ibique loca concordantia allegantur.

Ad Disc. XXI.

ALium progressum pro mea notitia non habuit ista causa, quia fortè
32 Archiepiscopus Salernitanus acquieuerit, cum eius prætensio reverà nullum habeat probabile fundamentum.

Ad

Ad Disc. XXII & XXIII.

SVper his discursibus alia disputatio habita non est, atque in eis deducta benè procedere videntur, & conferunt, quæ deducuntur infrà *in Baren. disc.96.*

Ad Disc. XXIV.

AD materiam huius discursus, cuius casus pariter aliam non habuit disputationem, conferunt ea, quæ habentur infrà *in Calaritana residentia disc.98.* magis verò ad rem est casus *in Calagur-ritana, & Calciaten. residentiæ*, disputatus in Congregatione Concilij, an scilicèt Episcopus teneatur saltèm in temporibus à Concilio statutis residere, atque habere Tribunal in vna ex his Cathedralibus inuicèm æquè principalitèr vnitis, attenta consuetudine residendi in Oppido de Longron, atq; iuxtá cōtenta in isto discursu prodierunt binæ resolutiones, vt apud Cathedralem residentia, & Tribunal esse debeant. Et quamuis Ego post resolutiones in causa scribens pro Episcopo in eadem Congregatione ad effectum obtinendi nouam audientiam, magnum constituerem fundamentum in præsupposita antiquissima immemorabili, vel saltèm centenaria obseruantia, quasi quod ita posset allegari priuilegiū Apostolicum, vel alter titulus melior, iuxtá deducta *disc.3. de alien. & contr act. prohib. disc.21. de iudic.* & alibi; Attamen post mutationem status, cùm essem Auditor Innocentij XI. occasione recursus habiti per Episcopum ad Signaturā gratiæ, comperij, quod hoc præsuppositum non benè verificaretur, ideòque Signatura canonizauit iudicium Cōgregationis; Prædicto tamen retento præsupposito aduertebam, scribens, vt suprà tanquàm Aduocatus, quod dicta præsumptio priuilegij Apostolici, vel concordiæ, magnum haberet fomentum probabilitatis. Vbi etenim agitur de vnica Cathedrali, & Diœcesi, tunc intrat ratio, de qua in discursu, quod scilicèt, dum in eo loco Sedes Apostolica situauit Cathedram, præsupponendum est quòd ille locus fuerit reputatus opportunus, atque aliàs esset redarguere eandem Sedem de irrationabili iudicio; In præsenti autèm cum essent duæ Diœceses amplæ, nimium probabile videbatur, quod per concordiam statutus esset iste locus, qui præsupponebatur situatus in confinio, tùm ob maiorem commoditatem subditorum vtriusq; Diœcesis, tùm etiam, vt ità eligendo locum tertium, tollerentur æmulationes inter duas Cathedrales, & anpotiùs apud vnam, quàm apud alteram residentia esse deberet.

Ad Disc. XXV.

SVper hoc discursu aliud non occurrit adnotatione dignum, dum ob mortem Procuratoris de quæstione ampliùs actum esse non audiui, vel quia Partes concordauerint, vel quia causæ defensores mutauerint.

Ad Disc. XXVI. & sequen.

AD istam materiam iurisdictionis delegatæ Ordinarij loci visitandi
33 Monasteria Monialium exempta, quoad concernentia custodiam clausuræ materialis, & formalis, ac etiam electionē Abbatissæ, videnda sunt ea, quæ habentur *lib.14. Miscellan. Ecclesiast. disc.16. & in adnotat. ad Concil. Trident. disc.36. & tit. de Regular. disc.1. 24. & 50.*



Ad

Ad Disc. XXIX. cum tribus sequentibus.

De antiquo statu Regularium antequàm superuenirent Apostolica priuilegia super eorum exemptionibus,
34 & in quibus istæ moderatæ fuerint, vel suffragentur, nec nè, cum alijs ad eandē materiam exemptionis Regularium, agitur in sua materia *sub titulo de Regular. disc. 1. & in Miscellan. Ecclesiast. disc. 14. cum pluribus seqq.* & aliquid insinuatur occasione exemptionis decimarum, in sua materia *sub titulo de decim. disc. 1. & seqq.* & occasione accessus ad processiones *in adnot. ad S.C.T. disc. 2. 3. 5. & 36.* & alibi; Atque de casu præciso, de quo agitur *in hoc disc. 29.* fit mentio infrà in *Neapolitana censurarū disc. 99. hoc eod. tit.*

Cūmq; post longum silentium nouus Prior Messanæ adijsset Sacram Congregationem Immunitatis aduersus resolutiones, atque in eis perstitum sit de anno 1674. idcircò denuò de isto casu agitur infrà *disc.* 104.

Ad Disc. XXXIII.

Agitur in hoc discursu de iurisdictione Protectoris Almæ Domus Lauretanæ, atque super punctis in eo contentis alia disputatio, quæ innotescat, habita non fuit, fortè quia non
35 omnium Episcoporum idem est zelus, ac propterea ob qualitatem Protectorum pro tempore, multa tolerantur, vel dissimulantur ab Episcopis, qui aliquando, quæ sua sint, non autem, quæ Ecclesiæ, sibique commissarum animarum quærere solent.

Postquám verò euasi Auditor Papæ Innocentij, adfuit occasio agendi de hac iurisdictione, & exemptione respectiuè magis in prophanis cum Gubernatoribus, ac Magistratibus sęcularibus, quám in spiritualibus cum Episcopis; Atque aduertebam, nè incideretur in æquiuocea, distingui debere Apostolica indulta, quæ de ista exemptione, ac iurisdictione agunt, illud enim amplissimum Pauli V. de quo agitur in discursu, percutit solùm iurisdictionem spiritualem, cum Episcopo Lauretano, alijsque locorum Ordinarijs, ideóque clarus error est illud trahere ad iurisdictionem sęcularem, & negotia prophana; Alia verò percutiunt etiam iurisdictionem temporalem, dum inhibetur etiam Legatis, & Gubernatoribus, alijsque Officialibus, & Magistratibus, verùm sunt longè magis restricta, quoniàm non loquuntur de familia, sub cuius nomine veniunt vxor, filij, famuli, & alij, ex deductis *disc. 13. de præeminent.* sed solùm loquuntur de ipsis ministris, & seruientibus, ideòque in quæstionibus, quæ coram me habebantur frequẽtes super fori declinatoria, aduertebā, quod error erat respectu iurisdictionis laicalis deducere indultū Pauli V. atque ità vnā speciem iurisdictionis, vel exemptionis, cum alia confundere.

Quo verò ad personas ipsorum ministrorum, & seruientium, aduertebam idē, quod firmatur in hoc discursu, quod scilicèt ad effectum, vt quis dici valeat minister, vel seruiens, aut verus familiaris opus est, vt cum annuo, vel menstruo stipendio, cum quo viuat perpetuò, seù pro maiori parte vitæ, ac principalitèr illi seruitio sit addictus, atque non sufficit, si aliud agens ministerium principale, accidentalitèr inseruiat in aliquo opere, vel in aliquo tempore, vt occasione agendi de inseruientibus Palatio Apostolico, vel Castro S. Angeli in Vrbe, aduertitur infrà *disc.* 107.

Et quamuis replicaretur ex parte Agētium pro Cardinali Protectore, quod stipendium reputari non debeat necessarium, quoniàm imò maiori censendi sunt digni priuilegio illi, qui gratis, & absque mercede inseruiunt, quàm stipendiati, iuxtá exemplum militum; Attamen aduertebam id rectè procedere præsupposito dicto essentiali requisito seruitij, & familiaritatis formalis, principalitèr, & pro maiori parte vitæ, vt eo posito desiderandum non veniat alterum stipendij, nè aliàs alma Domus cogatur priuari beneficio, quod habeat gratuitos ministros, & inseruientes ex motiuo deuotionis, vel intuitu huiusmodi exēptionis, quæ stipendio æquiualeat, non autem vt modicum, & accidentale seruitium sufficiat. Moti-

Motiuabam pro necessitate dicti alterius requisiti annui, vel menstrui, aut diurni stipendij sufficientis ad substétationem, ea, quæ habentur pluriès *sub tit. de benefic.* in proposito familiaritatis Cardinalium, super oopulatiuo concursu mētis, & dentis. Verùm obseruabam, quod non intrat paritas ob diuersitatem rationis, quod scilicèt in familiaritate Cardinalium adest magis considerabile prę iudicium Ordinariorū collatorū, ratione reseruationis, ac etiam ipsiusmet Sedis Apostolicæ, ob regulam 31. seù 32. quibus àliàs de facili multæ fieri possent fraudes.

Ex his itaque concludebam, quod plena exemptio ad formam dictorum indultorum non intraret respectu eorum, qui aliquod modicum, & accidentale præstent seruitium; Adhuc tamen isti aliqua potiri debeant prærogatiua, ob quam ad idem gratuitum alliciātur seruitium, adinstar eorum, quæ habemus in militibus exemplificatis in discursu, vulgò nuncupatis de militia, quod licèt non gaudeant illis militaribus priuilegijs, quibus gaudent illi, qui sunt in Castris, & papilionibus, vel in præsidijs, adhuc tamen aliquibus potiuntur prærogatiuis.

De puncto autem militum, quando isti verè dicantur tales ad effectum fori militaris, & quando verè iste intret cum priuatiua, vel cumulatiua cum ordinarijs Iudicibus, & magistratibus locorum, agitur infrà *d. disc.* 107.

Ad Disc. XXXIV.

Vlteriorem disputationis progressum ista controuersia non habuit; 36 *Disceptationes verò Cardinalis Albitij* in fine huius tituli registratæ, magnam apud Ecclesiasticæ eruditionis Professores quæstionem excitarunt, an Cardinales Diaconi in eorum diaconijs, vel Titulis benedictionem solemnem populo dare valeant, eo modo, quo eam extrà controuersiam dant Cardinales presbyteri, ad instar Episcoporum in proprijs Ecclesijs, pluribusque editis, pro vtraq; sententia scripturis, nimia quidèm, Hebreaica, græca, & latina eruditione refertis, de mense Septembris 1668. affirmatiua prodijt resolutio Sac. Congregationis Rituum, cum Clementis IX. Pontificio decreto roborata, licere scilicèt benedicere, iuxtà sensum præfati Cardinalis in allegatis disceptationibus.

Inter alios autèm, qui hanc affirmatiuam opinionem comprobarunt, fuit doctus Cardinalis Brancatius perpetuæ lectionis vir, qui tanquàm vnus ex dictę Rituum Congregationis Cardinalibus eruditum, ac elaboratum edidit votum, quod hodie habetur impressum in quodam volumine continente octo eiusdem Cardinalis dissertationes, quarum præsens est septima intitulata *de Benedictione Diaconali pagina* 243. atque post eum in eodem volumine registratæ sunt tres alię eruditorum virorum scripturæ, quarum aliquæ eandem tuentur affirmatiuam opinionem, & aliquæ substinent negatiuam, siuè quæstionem cum quibusdam distinctionibus componere, atque diffidentes antiquorum Canonum, & Conciliorum, vel Patrum traditiones conciliare curant; Quia verò articulus ex S. Congregationis decreto, ac etiam Summi Pontificis oraculo est iam decisus, alia desupèr non cadit ratio dubitandi, adhuc tamen dictæ scripturæ commendabiles, nimiumque proficuæ remanent pro omnimodo, exactoque diaconalis ordinis statu, officio, ac potestate, & benedicendi facultate.

In proposito autèm istius iurisdictionis Cardinalium in eorum Titulis, vel in Basilicis Patriarchalibus ratione Archipresbyteratus, aut in illis locis, quorum habèt protectionē, sępiùs aduertere cōsueui, & pręsertim occasione Constitutionis Gregorij XV. de exemptorū priuilegijs erroneū videri applicare illos terminos, qui hoc eodem titulo frequentèr habentur de Prælatis inferioribus exemptis ab Episcopo, intrà cuius limites, vel Diœcesim existant, quoniàm exemptorum superior est Papa, in Vrbe autem verè non datur ista contradistinctio, licèt consideretur illa intellectualis, quæ pluriès enunciatur inter Papam, vti Papam, & eundem vti Episcopum, sed omnes sunt subditi, atque non dantur exempti, sed isti considerantur tanquàm eiusdem Papæ Vicarij particulares, discre-

Suppl. Lib. 16. par. 1. de Iurisdict.

Ad Disc. XXIX. cum tribus sequentibus.

DE antiquo statu Regularium antequàm superuenirent Apostolica
priuilegia super eorum exemptionibus,
34 & in quibus istæ moderatæ fuerint, vel
suffragentur, nec nè, cum alijs ad eandē materiam exemptionis Regularium, agitur in sua materia *sub titulo de Regular. disc. 1. & in Miscellan. Ecclesiast. disc. 14. cum pluribus seqq.* & aliquid insinuatur occasione exemptionis decimarum, in sua materia *sub titulo de decim. disc. 1. & seqq.* & occasione accessus ad processiones *in adnot. ad S.C.T. disc. 2. 3. 5. & 36.* & alibi; Atque de casu præciso, de quo agitur *in hoc disc. 29.* fit mentio infrà in *Neapolitana censurarū disc. 99. hoc eod. tit.*

Cùmq; post longum silentium nouus Prior Messanæ adijsset Sacram Congregationem Immunitatis aduersus resolutiones, atque in eis perstitum sit de anno 1674. idcircò denuó de isto casu agitur infrà *disc.* 104.

Ad Disc. XXXIII.

AGitur in hoc discursu de iurisdictione Protectoris Almæ Domus Lauretanæ, atque super punctis in eo
contentis alia disputatio, quæ innote-
35 scat, habita non fuit, fortè quia non
omnium Episcoporum idem est zelus, ac propterea ob qualitatem Protectorum pro tempore, multa tolerantur, vel dissimulantur ab Episcopis, qui aliquando, quæ sua sint, non autem, quæ Ecclesiæ, sibique commissarum animarum quærere solent.

Postquám verò euasi Auditor Papæ Innocentij, adfuit occasio agendi de hac iurisdictione, & exemptione respectiuè magis in prophanis cum Gubernatoribus, ac Magistratibus secularibus, quàm in spiritualibus cum Episcopis; Atque aduertebam, nè incideretur in æquiuoca, distingui debere Apostolica indulta, quæ de ista exemptione, ac iurisdictione agunt, illud enim amplissimum Pauli V. de quo agitur in discursu, percutit solùm iurisdictionem spiritualem, cum Episcopo Lauretano, alijsque locorum Ordinarijs, ideóque clarus error est illud trahere ad iurisdictionem secularem, & negotia prophana; Alia verò percutiunt etiam iurisdictionem temporalem, dum inhibetur etiam Legatis, & Gubernatoribus, alijsque Officialibus, & Magistratibus, verùm sunt longè magis restricta, quoniàm non loquuntur de familia, sub cuius nomine veniunt vxor, filij, famuli, & alij, ex deductis *disc. 13. de præeminent.* sed solùm loquuntur de ipsis ministris, & seruientibus, ideòque in quæstionibus, quæ coram me habebantur frequētes super fori declinatoria, aduertebā, quod error erat respectu iurisdictionis laicalis deducere indultū Pauli V. atque ità vnā speciem iurisdictionis, vel exemptionis, cum alia confundere.

Quo verò ad personas ipsorum ministrorum, & seruientium, aduertebam idē, quod firmatur in hoc discursu, quod scilicèt ad effectum, vt quis dici valeat minister, vel seruiens, aut verus familiaris opus est, vt cum annuo, vel menstruo stipendio, cum quo viuat perpetuó, seù pro maiori parte vitæ, ac principalitèr illi seruitio sit addictus, atque non sufficit, si aliud agens ministerium principale, accidentalitèr inseruiat in aliquo opere, vel in aliquo tempore, vt occasione agendi de inseruientibus Palatio Apostolico, vel Castro S. Angeli in Vrbe, aduertitur infrà *disc.* 107.

Et quamuis replicaretur ex parte Agentium pro Cardinali Protectore, quod stipendium reputari non debeat necessarium, quoniám imò maiori censendi sunt digni priuilegio illi, qui gratis, & absque mercede inseruiunt, quàm stipendiati, iuxtá exemplum militum; Attamen aduertebam id rectè procedere præsupposito dicto essentiali requisito seruitij, & familiaritatis formalis, principalitèr, & pro maiori parte vitæ, vt eo posito desiderandum non veniat alterum stipendij, nè aliàs alma Domus cogatur priuari beneficio, quod habeat gratuitos ministros, & inseruientes ex motiuo deuotionis, vel intuitu huiusmodi exēptionis, quæ stipendió æquiualeat, non autem vt modicum, & accidentale seruitium sufficiat.

Moti-

Motiuabam pro necessitate dicti alterius requisiti annui, vel menstrui, aut diurni stipendij sufficientis ad substẽtationem,ea, quæ habentur pluriès *sub tit. de benefic.*in proposito familiaritatis Cardinalium,super oopulatiuo concursu mẽtis, & dentis. Verùm obseruabam,quod non intrat paritas ob diuersitatem rationis, quod scilicèt in familiaritate Cardinalium adest magis considerabile prẹiudicium Ordinariorũ collatorũ, ratione reseruationis, ac etiam ipsiusmet Sedis Apostolicæ, ob regulam 31. seù 32.quibus àliàs de facili multæ fieri possent fraudes.

Ex his itaque concludebam, quod plena exemptio ad formam dictorum indultorum non intraret respectu eorum, qui aliquod modicum, & accidentale præstent seruitium; Adhuc tamen isti aliqua potiri debeant prærogatiua, ob quam ad idem gratuitum alliciãtur seruitium, adinstar eorum, quæ habemus in militibus exemplificatis in discursu, vulgò nuncupatis de militia, quod licèt non gaudeant illis militaribus priuilegijs, quibus gaudent illi, qui sunt in Castris, & papilionibus, vel in præsidijs, adhuc tamen aliquibus potiuntur prærogatiuis.

De puncto autem militum, quando isti verè dicantur tales ad effectum fori militaris, & quando verè iste intret cum priuatiua, vel cumulatiua cum ordinarijs Iudicibus, & magistratibus locorum, agitur infrà *d. disc.*107.

Ad Disc. XXXIV.

VLteriorem disputationis progressum ista controuersia non habuit; 36 *Disceptationes verò Cardinalis Albitij* in fine huius tituli registratæ, magnam apud Ecclesiasticæ eruditionis Professores quæstionem excitarunt, an Cardinales Diaconi in eorum diaconijs, vel Titulis benedictionem solemnem populo dare valeant, eo modo, quo eam extrà controuersiam dant Cardinales presbyteri, ad instar Episcoporum in proprijs Ecclesijs, pluribusque editis, pro vtraq; sententia scripturis, nimia quidèm, Hebraica, græca, & latina eruditione refertis, de mense Septembris 1668. affirmatiua prodijt resolutio Sac. Congregationis Rituum,cum Clementis IX.Pontificio decreto roborata,licere scilicèt benedicere, iuxtá sensum præfati Cardinalis in allegatis disceptationibus.

Inter alios autèm, qui hanc affirmatiuam opinionem comprobarunt, fuit doctus Cardinalis Brancatius perpetuæ lectionis vir, qui tanquàm vnus ex dictę Rituum Congregationis Cardinalibus eruditum, ac elaboratum edidit votum, quod hodie habetur impressum in quodam volumine continente octo eiusdem Cardinalis dissertationes, quarum præsens est septima intitulata *de Benedictione Diaconali pagina* 243. atque post eum in eodem volumine registratæ sunt tres alię eruditorum virorum scripturæ, quarum aliquæ eandem tuentur affirmatiuam opinionem, & aliquæ substinent negatiuam, siuè quæstionem cum quibusdam distinctionibus componere, atque diffidentes antiquorum Canonum, & Conciliorum, vel Patrum traditiones conciliare curant; Quia veró articulus ex S. Congregationis decreto, ac etiam Summi Pontificis oraculo est iam decisus,alia desupèr non cadit ratio dubitandi,adhuc tamen dictæ scripturæ commendabiles, nimiumque proficuæ remanent pro omnimodo, exactoque diaconalis ordinis statu, officio, ac potestate, & benedicendi facultate.

In proposito autèm istius iurisdictionis Cardinalium in eorum Titulis, vel in Basilicis Patriarchalibus ratione Archipresbyteratus, aut in illis locis,quorum habẽt protectionẽ, sępiùs aduertere cõsueui,& pręsertim occasione Constitutionis Gregorij XV.de exemptorũ priuilegijs erroneũ videri applicare illos terminos, qui hoc eodem titulo frequentèr habentur de Prælatis inferioribus exemptis ab Episcopo,intrà cuius limites, vel Diœcesim existant, quoniàm exemptorum superior est Papa, in Vrbe autem verè non datur ista contradistinctio, licèt consideretur illa intellectualis, quæ pluriès enunciatur inter Papam, vti Papam, & eundem vti Episcopum, sed omnes sunt subditi, atque non dantur exempti, sed isti considerantur tanquàm eiusdem Papæ Vicarij particulares, discre-

secretiuè ad Cardinalem Vicarium, tanquàm Vicarium generalem, eo modo, quo in aliquibus magnis Ciuitatibus cōsiderantur aliqui Vicarij Monasteriorum Monialium discreti à Vicario generali, cum similibus, cum non implicet deputari Vicarium Generalem pro tota Diœcesi, & tamen restringi eius iurisdictionem, cum aliquibus personis, vel locis, eum quibus ipse Episcopus eam sibi reseruet, vel Iudices, & Vicarios deputet particulares.

Ad Disc. XXXV.

37 IN isto casu pariter pro mea notitia, alia sequuta non est disputatio, adhuc tamen praxis resolutionis non videtur pacifica, sed cum prudentialibus temperamentis, quorum rerera incomparabilitèr Curia Romana est Magistra, effugi solet casus quæstionis.

Ad Disc. XXXVI.

DE materia contentorum in hoc discursu, super iurisdictione scilicèt
38 delegata priuatiuè ad locorum Ordinarios prætensa per Nuntium Apostolicum Regni Neapolitani, agitur etiam *lib. 14. in Mistellan. Ecclesiastic. disc. 16. & seqq. & disc. 23.* vbi etiam de iurisdictione delegata, quam Ordinarij locorum habent, cum Regularibus, eorum exemptiuis priuilegijs non obstantibus; Atque in adnotationibus agitur de iurisdictione concessa per Constitutionem 75. Vrb. VIII. Ordinarijs locorum priuatiuè ad proprios Prælatos, & Regulares contra Monasteria exempta, an cōplectatur eiusdem Nuntij Commissarios, & Ministros & concluditur negatiuè.

Ad Disc. XXXVII.

DE ista causa non audiui ampliùs
39 actum, & de materia obligationis exemptorum accedendi ad Synodum, & obseruandi Constitutiones Synodales, agitur *in annot. ad S. C. T. lib. 14. disc. 30.*

Ad Disc. XXXVIII. & XXXIX.


DE priuilegijs, & exemptionibus
40 Basilicæ Lateranensis, & Ecclesiarum, quæ in eius solo constructæ sint, vltrà deducta in his discursibus, agitur *in Surrentina sub tit. de parroch. disc. 9.*

Ad Disc. XL. cum seqq. ad XLIV. & XCV.

AGitur in his discursibus de iurisdictione ordinaria, vel delegata Ordinarij diœcesani visitandi Hospitalia, aliaque pia loca, per laicos administrata,
41 ac reuidendi rationes administratorum, & de hac eadem materia agitur *in adnot. ad Concil. Trident. disc. 5.*

Ad Disc. XLV.

AD materiam huius discursus super Conseruatorijs, & adunantijs mu-
42 lierum, quæ non sint veræ moniales, videnda sunt ea, quæ habentur latiùs deducta *sub tit. de Regular. disc. 50. & in Supplemento eod. tit. disc. 73.*



Ad

Ad Disc. XLVI. cum duobus seqq.

SVper iurisdictione Episcopi cum secularibus pro defensione bonorum,
43 & iurium Ecclesiæ per censuras, aliaque remedia, non dedit occasio vlteriùs agere; Et de recusatione Episcopi in causa propriæ Mensæ, vel Ecclesiæ, agitur *sub tit. de benef. disc.3.*

De facultate autem Baronum, vel Ciuitatum concedendi nobilitatem, vel
44 ciuilitatem, & de materia ciuilitatis, agitur infrà *in tit. de præminent. disc.30. & & seq. & disc.35. & 38.*

Ad Disc. XLIX.

DE iurisdictione Conseruatorum priuilegiorum Regularium *sub tit.*
45 *de Regular. disc.1. 51. & 52. & in Miscellan. Eccles. disc.1. & in adnot. ad Concil. Trident. disc.46.* ideòq; ibi videndus.

Ad Disc. L.

DE districtu Vrbis, de quo agitur in hoc discursu, occasione aliarum
46 controuersiarum prophanarum, agitur pluriès *sub tit. de regal. disc.72. & 94.* & in spiritualibus in iam citato *disc.1. de præminent. & in Miscellan. Eccl. disc.1. & in relatione Curiæ Romanæ disc.2.* occasione agendi de diuersis personis formalibus, quæ concurrunt in eadem materiali persona Papæ.

In præfatis tamen locis non descenditur ad hanc speciem mixtam, quod scilicèt Ecclesia Cathedralis sit extrà districtum modernum. quadraginta milliarium in circuitu, Oppida veró, seú loca, in quibus contingant causæ sint intrà.

Quamuis autem in discursu scripserim pro negatiua, ex ea ratione, quod vicinitas regulanda est à situatione Cathedralis, tanquàm à capite, seù corde corporis Diœcesani, eundemque sensum etiam pro veritate haberem; Maturiùs tamen reflectendo ad punctum, non modica mihi superest ratio dubitandi, ex duplici ratione; Primò nempè, quia non implicat, vt in aliquo eiusdem Diœcesis loco, alter Prælatus, quamuis inferior, etiam priuatiuam, multò veró magis cumulatiuam iurisdictionem habeat cum Ordinario Diœcesano, ad terminos *tex. in cap. auditis de præscript. cum concordantibus*, de quibus suprà *disc.1. cum pluribus seqq.* Ergo multó magis id acquirere potest Vicarius Papæ, cùm ita non resultet monstrum dandi duo capita in eodem corpore, vel duos Sponsos eiusdem Sponsæ, cum id procedat quando dandi essent duo Episcopi, vel Prælati, coæquali iure in Cathedrali, & in vniuersa Diœcesi, secùs autem vbi agatur de iurisdictione restricta ad certum locum, vel certam territorij partem, vt in præsenti sequi dicitur.

Et secundò, quia vt etiam in discursu, ac alibi insinuatur, non benè arguere licet ab ijs, quæ generalitèr in omnibus alijs Orbis Diœcesibus in iure statuta sunt, ad hunc districtum, seù circundarium Vrbis, quoniàm in effectu est Diœcesis Episcopatus Romani, cum quadam specialitate non incongrua in eo Episcopatu, qui est annexus Papatui, quod scilicèt intrà eandem Diœcesim habeat plures coadiutores Episcopali quoque dignitate prædiros, inter quos quædam distributio partium eiusdem Diœcesis facta sit, vt ità quilibet cognoscat quid sibi commissum sit; Ideòque nil prohibet, quin Episcopo alienæ Diœcesis adiacentis, ac stantis de per se independentèr ab Episcopatu Romano, Papa commiserit gubernium alicuius partis sibi adiacentis territorij.

Clariùs verò quoniàm, vt aduertitur *d. disc.1. hoc eodem tit.* ac etiam *d. disc.72. & 94. de Regalib.* Districtus spiritualis idest Diœcesanus Vrbis est milliarium centum in circuitu, subsequutæ verò immutationes, & præsertim vltima facta per Statuta Vrbis, quæ laicalia potiùs censentur, non alterant statum Diœcesanum, ex pluriès insinuata certa propositione, quod à finibus temporalibus inferre non licet ad spirituales, & è contrà, ideòque etiam ipsa Ciuitas, totaque Diœcesis ista extrà ambitum quadraginta milliarium est de hac Diœcesi, eiusq; pars.

Et licet de vsu recepto stylo Cardinalis Vicarius, qui Papæ vicès in hoc Episcopatu gerit, & implet, non exer-

ceat suam iurisdictionem, nisi intra hunc modernum ambitũ, seù districtũ quadraginta milliarium; Attamen id prouenit, quia Papę placuit eius Officialis potestatem ità restringere, ea in restanti territorio sibi remanente.

Ad idem conferre videntur ea, quæ habentur *in Vasionen. sub tit. de benef. disc.* 27. in proposito concordatorum Galliæ, quod scilicèt non implicet, vt ad certos effectus, vna, & eadem Diœcesis diuersæ sit qualitatis, & naturę; Nimium tamẽ in hoc obseruantiæ tanquam bonæ interpreti deferendum videtur.

Ad Disc. LI. cum duobus seqq.

SVper his discursibus occasio non dedit aliàs disputare, atque de con-
47 tentis *disc.* 52. super prohibitione, quam Episcopi habent conferendi ordines subditis aliorum Episcoporum, & Prælatorum, agitur *in adnot. ad Concil. Trident. disc.* 14. *& ad disc.* 52. conferunt in parte ea, quæ habentur suprà *ad disc.* 50.

Ad Disc. LIV.

DE ista materia iurisdictionis Capituli sede vacante, & deputationis
48 Vicarij agitur *sub tit. de Canonic. & Capitulo disc.* 24. *cum pluribus seqq.* ac etiam *in adnot. ad Concil. Trident. disc.* 31. ideòque locis citatis est videndum.

Ad Disc. LV.

RAtionabile est assumptum, de quo hoc discursu, vt scilicèt Clericus, qui habitum, & tonsuram non deferat, neque in diuinis inseruiat, quinimò, quod
49 expresse, & per actum positiuum dimittat Clericatum, atq; se declaret secularem sine licentia, vel consensu sui Ordinarij, quamuis priuetur priuilegio fori, alijsque Clericalibus priuilegijs, adhuc tamen subiectus remaneat eidem Ordinario, vel alteri Ecclesiastico Prælato, & Superiori, adeòut in pœnam duplici subiaceat foro; Ex ea congrua ratione, quod cum obtinendo adscribi per Episcopum clericali militiæ, quendam quasi contractum de mutuo consensu inierit, non potest illum ex solo eius placito dissoluere, cum distractus exigat eundem reciprocum, vel simultaneum contractum, cum quo est initus, ex vulgari axiomate, vt vnumquodque vinculum dissoluendum sit eo modo, quo est ligatum.

Ac etiam quia esset dare inęqualitatẽ, & claudicationem in iure damnatã, quoniàm Episcopus, vel alter Prælatus non posset ipsum Clericum inuitum dimittere à militia clericali, eumque laicum declarare, quando aliàs de iure declarandus non esset, iuxtà pluriès resoluta per Sacram Congregationem Episcoporum, & alteram Concilij, adeòut hodie id sit extrà controuersiam; Et è conuerso posset ipse Clericus pro libito illum statum deserere, quod est fortiùs, quoniàm iuxtà vsum militiæ terrestris, faciliùs conceditur Duci dimittendi militem, quã huic deserendi militiam.

Et quamuis status clericalis in minoribus sit retractabilis, adeòut non possit quis inuitùs cogi ad perseuerandum in illo, cùm iste status imprimatur solùm per primum ordinem sacrum Subdiaconatus, in cuius susceptione emittitur votum castitatis, & suscipitur status clericalis irretractabilis; Attamen id rectè considerabile est, vt Episcopus teneatur, iusta causa non accedente, acceptare dimissionem, quodque aliàs à denegatione detur recursus, vel appellatio, cuius Iudex eandem admissionem faciat, non autem, vt priuata auctoritate liceat eam facere.

Atque ex eadem ratione mihi nunquã placuit ità simpliciter, ac indefinitè sumpta illa propositio, quæ per ora aliquorum modernorum Collectorum huiusmodi rerum ecclesiasticarum volitat, quod scilicèt ille Clericus in minoribus, qui clericatum iam dimisit, atque statum secularem per aliquod tempus retinuit, possit pro libito quandocunque sine licentia Episcopi, vel alterius proprij Prelati habitum, & tonsuram reassumere, atque in diuinis inseruire, ob indelebilem characterem in anima impressum; Quoniàm quidquid sit de puncto, an sola prima tonsura, quæ non est ordo, sed solùm

solùm introductio ad ordines inducat istam impressionem characteris; Vbi etiã admittenda sit opinio affirmatiua; Attamèn videtur intelligendum, vt id fieri debeat seruatis seruandis, cum consensu scilicèt, seù licentia Superioris, iuxta idem exemplum militiæ sęcularis, quod militi dimisso, vel discedenti à militia, non licèt absque consensu Ducis pro libito ad illam redire; Ac etiam fortiùs ob dictam aliam rationem claudicationis, quoniàm Episcopus, vel alter Superior Ecclesiasticus non potest eum cogere ad reassumendum habitum, & statum clericalem; Benè tamen intrat idem, quod de dimissione dictum est, quod scilicèt Episcopo, vel Superiore sine iusta causa denegante consensum, iste suppleri debeat, ac possit per Iudicem appellationis, vel recursus ipso Episcopo, vel Superiore audito, atque seruatis seruandis, quoniàm multæ iustæ causæ concurrere possunt, iuxtà casuum circumstantias, quod vel ratione scandali in populo, vel ob alia iusta motiua non expediat id permittere, ideòque error semper mihi visus est cum solis generalitatibus in hoc procedere.

Ad Disc. LVI.

DE ista materia celebrationis Synodus, & obligationis ad illum accedendi, siuè de obligatione obseruandi Constitutiones Synodales, eisque subiacendi, agitur *in adnot. ad Concilium Trident. disc.* 30.

50

Ad Disc. LVII. cum pluribus seqq. ad LXIV.

51 IN his discursibus agitur de materia competentiæ fori, in qua dari non potest certa regula, cum reverà totum pendeat ex particularibus casuum circumstantijs, præsertim verò ex Principatuum, seù Regionum stylis, vtpotè ab antiquo introductis, in eo scilicèt intermedio spatio, in quo ista pars Orbis vixit sine facultate legali, vt aduertitur præsertim infrà *disc.*94. vbi plures distinguuntur casus; Ac propterea in ista præsertim materia in dies experimur illum errorẽ adeò Iuristis merè pragmaticis connaturalem procedendi cum generalitatibus, vel cum litera legum, & Canonum, & doctrinarum non distinguendo loca, tempora, personas, & causas, aliasque circumstantias, & quasi quod opiniones, & regulæ, quæ habentur in Curia, præsertim per Tribunalia vtriusque Signaturæ Gratiæ, & Iustitiæ, ad quæ de his controuersijs agere pertinet, attendi debeant tanquàm leges firmæ in toto Orbe, & è conuerso idem opinantur Professores aliarum ditionũ, quo nil absurdiùs.

Et de eadem materia competentię fori, agitur etiam infrà *disc.*65. *& seqq. & sub tit. de iudic. disc.*3. *& in adnot. ad Concilium Trident. disc.*33.

Ad Disc LXIV.

OCcasione huius discursus casualitèr potiùs quàm studiosè hic registrati, expertus sum consuetos effectus varietatis humanorum ingeniorũ, quodque frequentèr accidunt ea, quæ iuxtà mei Conciuis Horatij Flacci lepidum dicterium, eodem tempore bilem, ac risum promouent; Siuè quod verificentur ea, quæ alibi insinuata sunt, vt hodiè non ad veritatem, & iustitiam scribatur, sed ad adulationem, quodque Scriptores dicendi potiùs veniant stipendiarij milites, in literaria politica militia, factionario more illorũ Duci, pro illa scribentes potestate, quam sequuntur, vel à qua premia sperant, quo nil absurdiùs; Apud aliquos etenim Magistratus illius Regni displicuit, admirando, quod Regis Catholici in Curia Aduocatus scriberet contra iurisdictionem Regis, adeò vt libri publicationi aliquam implicitam dederint suspensionem; E' conuerso autèm in Curia aliqui zelantes, sed indocti inferioris tamen spherę Ecclesiasticæ ta-

52

le scandalum e onceperunt, ex eo, quod hic ritus dictus fuerit in ipso principali Tribunali Magnæ Curię Vicarię tolerabilis, vt præces pro suspensione Congregationi Indicis porrexerint; In Curia verò hæc simplicitas neglecta fuit, nè dicam irrisa, rectè agnoscendo, quod explicitè dicitur id; esse cōtra ius, atq; obseruantiam referēdo præsumpto priuilegio Apostolico, per quod Ecclesiastica immunitas, ac iurisdictio præseruatur; In dicta verò alia Ciuitate ille Officialis, ad quē vtpotè Regiæ iurisdictionis delegatum hæc peculiaritèr pertinent, capere non potuit claram veritatem Prorcgi à me insinuatam, quod iste scribendi modus verum Regis contineret seruitium, è cōnuerso autem, quod illæ propositiones, cum quibus Aliqui ex illis Officialibus procedebant, Regem potiùs offenderent, sed id excusabilitèr percipere non de facili potuit, ex defectu intellectus potiùs quàm voluntatis, quoniam licèt ex consuetis stultæ fortunæ iocis, ad illius primi ordinis Magistratū ascēdisset, longè tamen infrà mediocritatem eius musa canebat, atque in nomine caput album, re tamen immaturè viride habebat.

Dicebam etenim, quod idem ritus in verbis expressè declarat, quod esset cōtra iuris dispositionem; Ac propterea, vt re, & nomine Catholici, ac pijssimi Regis euitaretur iniuria, vt contra magnam ab eo professatam catholicam pietatem, talem legem proferri, vel practicari permittat, dicendum est, vt ista antiqua consuetudo referenda sit illi Apostolico priuilegio, quod in vim immemorabilis allegari potest, eo modo, quo in altero Siciliæ vlterioris Regno, refertur illa auctoritas, vel iurisdictio, quam exercet illud Tribunal, quod *Monarchia* appellatur, ac etiam in aliquibus actibus referunt plerique alij Principes, eorumque Magistratus, & Consilia, seù Tribunalia, intùs & extrà Italiam, quando in causis, & negotijs spiritualibus illas apponunt manus, quas ex iuris dispositione apponere non possunt, cùm ità longè minus malum sit, quàm propriæ potestati laicali referre.

Potissimè verò, quod hoc præsumptū priuilegium à verisimilitudine, vel probabili ratione, non est omninò alienum ob Tribunalis amplitudinem, & negotiorum multiplicitatem, & per consequens prorsùs improbabile, remanet assumptum id subscribendi, vel practicandi in alijs Tribunalibus inferioribus Regni, contra verisimilem voluntatem pijssimi Regis; Tùm ex regulari natura consuetudinis, vt attendatur in casu præciso, vel indiuiduo, & non admittatur extensio, ex insinuatis *sub titulo de iudic. disc. 21. & sub tit. de benefic. disc. 30.* & alibi pluriès, ac etiam in hoc discursu; Tùm clariùs ob magnam rationis diuersitatem, dum alijs minoribus Tribunalibus adaptabilis non est ea ratio, quæ potuit esse non improbabilis causa, seù motiuum huius concessionis, vel permissionis.

Præsupponebatur, quod motiuantes in contrarium, illi inniterentur fundamento, quod isti ritus M. C. V. ex Regia auctoritate initio illorum voluminis registrata, habeant vim legum in toto Regno, ad instàr Capitulorum, & Pragmaticarum, & per consequens, quod nō minus in ipsa M. C. quàm in omnibus alijs Ciuitatibus, & Regni Tribunalibus practicari debeant; Quamuis etenim primum, ac Supremum Tribunal potiùs politicum, quàm ciuile, quod Consilij Collateralis dicitur, ac etiam alia duo maiora Tribunalia, illud nempè S. Cons. quod S. Claræ, seù Capuanæ appellatur; Et alterum Regiæ Cameræ summariæ huiusmodi Ritibus non subiacere præsupponatur; Attamen id prouenit, ex eo, quod sunt Tribunalia maiora, & sphæræ superioris, ad quæ respectiuè habentur ab illo M. C. V. appellationes, vel recursus; Vel quod sint Tribunalia de nouo erecta, vel reformata post compilationem dictorum rituum sub diuersis legibus, vel ritibus, vt est præsertim Tribunal Sac. Consilij, quod erectū fuit per Regem Alphonsum Primum de Aragonia, vt aduertitur *sub titulo de iudicijs disc. 32.* Ritus verò in scripturam, seù volumen redacti fuerunt, ex auctoritate Reginæ Ioannæ Primæ, atque Collaterale est Tribunal ipsius Regis, quod neque per Constitutiones, Capitula, & Pragmaticas ligatur, dum eis derogare, vel dispensare potest; Atque Regia Cancellaria habet suos Ritus particulares, vtpotè in materia diuersa, sed

respe-

respectu Audientiarum Præsidialium, aliarumq; inferiorum Curiarum Regiarum, vel Baronalium, est indubitatum, quod in eis isti Ritus pro lege seruandi sunt.

Verùm id continet æquiuocum clarũ, ac solemne, quoniàm, non respectu istorum rituum, qui à sola approbatione Regia hunc habent vigorem, sed etiam respectu ipsarummet Constitutionum, Capitulorum, & Pragmaticarum istæ inualidæ essent, ex defectu potestatis, ad terminos Tex. *in Auth. cassa, & irrita, Cod. de Sacrosan. Eccl. & in cap. Ecclesia S. Mariæ de Constitutionibus*, cum notis concordantibus; Ideòque eatenùs est sustentabilis, quatenùs attendatur ratio superiùs considerata, antiquæ scilicèt, & immemorabilis consuetudinis, ex cuius virtute, vel operatione allegari valeat Apostolica concessio; Ac propterea dicebam, quod illi, qui cum dicto fundamento Regiam iurisdictionem tueri volebant, ità potiùs Regem offendebant, suæque iurisdictioni, & potestati præiudicabant, quodque vnicum fundamentum, quod aliquam habeat probabilitatem, est illud, de quo in discursu; Retenta tamen eadẽ protestatione in eodẽ discursu facta, nil desupèr firmaui.

Ad Disc. LXV. & seqq.

PRocedit idem, quod dictum est suprà *disc. 57. cum seqq.* ideóque aliud repetere non congruit.

Ad Disc. LXVIII.

VIde dicta *in Bononien. Subhastationis*, per sororibus de Cataneis.

Ad Disc. LXIX. & LXXII. & LXXX.

DE priuilegio electionis, & variationis fori, de quo in his discursibus agitur, ad materiam *Tex. in l. vnic.*
53 *C. quando Imperator*, nimium rarò in ciuilibus disputatur in Curia, in qua frequentiùs in criminalibus de hoc agitur; Et de hac Insula Meleuitana, & de duplici persona, quam gerit, Magnus Magister S. Hierosolymitanæ Religionis, agitur *in Miscellan. Ecclesi. disc. 4.*

Ad Disc. LXX.

SVper contentis in hoc discursu, in quo agitur de domibus Cardinaliũ, & de recognitione corporis delicti in
54 loco immuni, occasio non dedit agere, ideòque nil pro nunc obseruatione dignum aduertere occurrit.

Ad Disc. LXXI.

PAritèr alia non adfuit occasio dispu-
55 tandi de articulo contento in hoc discursu super competentia scilicèt ratione loci contractus, vbi iste inter absentes celebratus fuerit, ideòque ad iam deducta sufficit relatio.

Ad Disc. LXXIII.

NOn dubitatur de regula firmata in hoc discursu, vt rationes reddi debeant in loco administrationis, quod-
56 que extrà illum non teneatur administrator illas reddere; Verùm quando casus præbeat, quód extrà illum locum causa agatur ratione appellationis, aut priuilegij vnius ex contrahentibus, vel ex partium consensu, dubitari contingit, an

an vna Partium instante, teneatur altera libros ad Curiam asportare, siue pati, quod altera pars eius sumptu, & periculo illos asportet, iuxtà cauthelam adhitam *in Ferrarien. Pensionis*, de qua agitur *decis. 32. par. 10. recent.* & quæ consideratur etiam *decis. 110. ead. par. 10. n. 5.* Atque in vna *Perusina exhibitionis librorum* inter Comitem Piancianum, & Socios Appaltatores Thesaurariæ Vmbriæ disputata coram Thesaurario de anno 1673. iudicatum fuit pro asportatione, & Camera, proponente *Imperiali*, approbauit iudicatum, etiam cum denegatione appellationis suspensiuæ, ex dispositione *tex. in l. Prætor ait in fin. ff. de eden. vbi Angel. Castr. Ias. & alij, & d. decis. 110. par. 10.* ex quibus patet, quod ista est materia arbitraria, ideòque certam, ac generalem non admittit regulam, cuicumque casui applicabilem, cùm decisio pendeat ex singulorum casuum circumstantijs, ex quibus hoc arbitrium est regulandum, & præsertim vbi suspiciones accedant, ob quas congruat vt ipse iudex libros videat, vel super eis adhibeat iudicium plurium peritorum, quod non fit de facili, ac benè practicabile in loco, in quo existāt; Adhuc tamen circumspectè procedendum videtur in hoc arbitrio, quod nō est ità de facili interponendum, quando plusquam vrgens causa non suadeat, dumlegalis, ac naturalis ratio suadet, vt in loco gestæ administrationis rationes dispungi debeant, saltèm in ijs, quæ sunt facti, quamuis in Curia, vel in alio loco, in quo sit iudex appellationis, discuti, ac decidi debeant articuli iuris exindè resultantes.

Ad Disc. LXXIV. & LXXVI. & LXXXVII.

IN dies contingit in Signatura Iustitiæ, vel Gratiæ agi de hac materia vnionis causarum coram vno iudice, siue
57 quod vnus alteri inhibeat ratione maioris competentiæ, aut connexionis, & ne pro vno, eodemque puncto, vel articulo cogatur quis eodem, vel diuerso tempore plures lites coram diuersis Iudicibus, atque in diuersis locis sustinere; Reverà tamen desupèr omninò certa, & generalis regula cuicumque casui applicabilis, statui non potest, cum decisio pendeat ex singulorum casuum circumstantijs, atque in dies varia prodeant dictorum Tribunalium rescripta; Et de eadem materia agitur *sub tit. de Seruit.* ad materiam tetractus *disc. 96.* vbi habetur an causa, quæ pendeat super fideicommisso, vel alio iure contrà illum, qui retractum intentauerit super pertinentia ædificij retrahentis, obstet nec ne iudicio retractus, vt illius prosequutionem impediat.

Ad Disc. LXXVII. LXXIX. & LXXXI.

IDem, quod dictum est in annotatione proximè præcedenti, adaptatur contentis in his discursibus super pun-
58 cto, an & quando causa ciuilis præiudicet criminali, vel è contrà, adeòvt vnus Iudex alteri inhibeat, quoniam in dies in Curia ab vna, vel altera Signatura Gratiæ, vel Iustitiæ, diuersæ prodeunt resolutiones, iuxtà singulorum casuum circumstantias, ac etiam in alijs Principatibus, iuxtà eorum varios stylos, ideòque non de facili punctus aptus est recipere regulas certas, & vniformes, quæ generalitèr omnibus casibus sint adaptabiles; Benè tamen regulæ, seù propositiones in his discursibus contentæ, attendi debent in dubio; Et quando stylus particularis, vel particulares facti circumstantiæ, iustè contrarium non suadeant; De casu autem, de quo *disc. 79.* agitur in meritis ciuilitèr *sub tit. de testam. disc. 33.* sed quoad punctum remissionis causæ ad Iudicem ciuilem in omnibus his tribus discursibus alia disputatio habita non fuit.



Ad

Ad Disc. LXXVIII.

RArum est in Curia disputari de puncto contento in hoc discursu,
59 super foro scilicèt militari, cùm etiam Principatus sæcularis sit pacificus, multo verò magis alter Pontificius, cuius ratione causæ spirituales, vel fori Ecclesiastici, ratione causarum, vel personarum, aut rerum in Curia aguntur; Ad hanc autem materiam fori militaris, inter Iudicem scilicèt militum, & Iudicem ordinarium ciuium, quinimò inter plures Iudices, & Magistratus eiusdem fori militaris, putà inter Ducem Classis maritimæ, & Ducem alterius militiæ terrestris, plura deducunt *De Marin. in add. ad Reuerter. decis.* 81. *& De Luca ad Franch. decis.* 88. vbi in casus contingentia videri possunt cōcordantes applicabiles iuxtà facti circumstantias.

Ad Disc. LXXXII. & LXXXIII.

SVper his discursibus circà probationem iurisdictionis ex viuæ vocis o-
60 raculo, & iurisdictionem Camerarij Riparū, alia defuit occasio disputandi; atque circà primum, videtur quod decisio nimium pendeat ab obseruantia, seù stylo, quoniam si aliquis officialis in faciem Papæ plures, ac reiteratos faciat actus, tunc videtur, quod ei sit deferendum, atque pro validitate respondendum, ex deductis *sub tit. de donat. disc.* 2. *num.* 24. E conuersò autem, vt huiusmodi assertioni deferendum non sit in ijs, quæ non nisi per ipsum Principem concedi solent, & in quibus officialis sit potiùs exequutor, & minister id adijcere solitus pro stylo antiquo, priusquam facultates reformationem reciperent, conferunt quæ habentur *sub tit. de Regal. disc.* 174. *& seq.*

Ad Disc. LXXXIV.

SVper puncto, an Auditor Cameræ habeat iurisdictionem in beneficiali-
61 bus, ac etiam in matrimonialibus, videri possunt ea, quæ insinuantur *in Relat. Curiæ lib.* 15. *disc.* 34. vbi de hoc Tribunali, eiusque facultatibus.

Ad Disc. LXXXV.

DE iurisdictione, & facultatibus Thesaurarij generalis, & Camera-
62 rij, agitur *in d. Relat. Curiæ disc.* 11. *&* 35. Et de sportulis, vel participatione pœnarum *sub tit. de iudic. eod. lib.* 15. *disc.* 39.

Et quando Iudex ordinarius efficiatur delegatus *eod. tit. de iurisd. disc.* 3. Et de Iudicibus particularibus Annonæ, & similibus, de quibus hic incidentèr agitur *tit. de Regal. disc.* 125. *& in d. Relat. Curiæ disc.* 38. *& seqq.* Et de iurisdictione Iudicis, vel Præfecti Annonæ, an sit priuatiua ad Iudices ordinarios locorum, vel sit cumulatiua, agitur apud *SanFelic. decis.* 290.

Ad Disc. LXXXVI. & LXXXVII.

AD materiam istorum discursuum, in quibus agitur de hærede, vbi sit
63 conueniendus, si bonæ sint in pluribus locis, siue vbi tractanda sit causa fideicommissi, vel maioratus, si paritèr bona sint in diuersis locis, vel cohæres sortiatur diuersos foros, videnda sunt ea, quæ deducuntur *sub tit. de successión. ad intestat. disc.* 9. *& supra num.* 57.

Ad Disc. LXXXVIII.

SVper contentis in hoc discursu, an scilicèt condemnatus in Curia Ba-
64 ronali, audiri valeat in Curia Gubernatoris, vel Auditoris Cameræ, defuit vlterior occasio disputandi, vtpotè in materia extrà propriam sphęram, & exercitium.

Ad Disc. LXXXIX. & XC.

PAritér ad hanc materiam *tex. in l. si Roma*, non dedit occasio aliàs di-
65 sputare, atque de hac pluralitate personarum formalium in vna materiali agitur sub pluribus materijs, & præsertim *sub tit. de preeminent. disc. 1. & seqq. & disc. 29. & tit. de Regular. disc. 32. & in Relat. Curiæ disc. 2. & tit. de feud. disc. 61. & sæpius.*

96 Et de concordatis Galliæ in materia beneficiorum agitur *sub tit. de benefic. disc. 27.*

Ad Disc. XCI.

DE ista Congregatione Regularium *in Relat. Curiæ disc. 16.* & de modo
67 tractandi causas Regularium *sub tit. de Regular. disc. 1. & 22. & in annot. ad Concil. Trid. disc. 38.* sub Clemente X. ex decreto Congregationis deputatæ ab eodem Pontifice confirmato, innouata est declaratio Constitutionis Sixti V. vt in Sacris Congregationibus non tractentur causæ contentiosæ; Verùm desupèr certa non cadit regula, adeòvt sub ipsomet Pontifice, id non seruari frequentèr praxis doceat, cum pro arbitrio Sacræ Congregationes id practicent.

Ad Disc. XCII.

DE Religionibus militaribus, & quando sint verè tales, earumque
68 professores veri Religiosi, præsertim circa necessitatem Nouitiatus, aliosque effectus *sub tit. de Regularibus disc. 46. & 49. & 50. & in annot. ad Concil. Trident. disc. 13. & 39. & tit. de Regal. disc. 84.*

Ad Disc. XCIII.

DE vestibus Clericorum, & de requisitis Concilij Tridētini ad hoc
69 vt Clerici gaudeant priuilegio fori, alijsque priuilegijs Clericalibus, vel an laicis prohibeantur vestes Clericorum, vel Religiosorum, *in annot. ad Concil. Trident. disc. 24. & tit. de testam. disc. 34. & sæpiùs, & suprà num. 49.*

Ad Disc. XCIV. & XCV.

IAm notatum suprà *num. 51. & pluriès*; & de contentis Disc. XCV. *suprà num. 41.*



DISC.

Sequuntur Discursus ex integro cõtinuando numerum Discursuum iam editorum.

Bareñ Iurisdictionis.

Pro Archiepiscopo cum Archipresbytero Oppidi Acquauiuæ.

Casus disputatus coram Cardinalibus à Sanctissimo deputatis, & pendet, vt infrà:

De eadem materia, de qua suprà *dist. 1. cum pluribus seqq.* super quæstionibus iurisdictionalibus haberi solitis inter Episcopos, seù Diœcesanos, & Prælatos inferiores, prætendentes habere iurisdictionem ordinariam, seù quasi episcopalem in aliquo loco, eiusque clero, & populo.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones Rotæ in causa.*
3 *De ratione, ob quam cum aliqua euagatione præter stylum plenè vniuersa materia reassumatur.*
4 *De obligatione Episcopi probandi situationem loci controuersi in sua Diœcesi.*
5 *Improbatur, & quod fundata sit Episcopi agentis intentio, non existente alio Episcopo in causa.*
6 *De probatione dictæ situationis in isto casu.*
7 *Damnatur euagatio in superfluis.*
8 *De probatione territorij separati, & Nullius.*
9 *De differentia inter probationem per priuilegium, & alteram per immemorabilem.*
10 *An immemorabilis possit probari per scripturas.*
11 *Quod non deferatur assertionibus Episcopi.*
12 *De quæstione cum Prælato inferiori infrà Diœcesim.*
13 *Quid cum istis Prælatis Concilium Tridentinum innouauerit.*
14 *De casu præciso controuersiæ.*
15 *Quando dicatur consuetudo, & quando præscriptio.*
16 *Quod præscriptio raro, vel vnquam reducatur ad praxim, & de ratione.*
17 *Qualis fuerit causa, vel occasio abusuum, & præiudiciorum in Ecclesijs.*
18 *Possessio, quæ prouenit ex facultate, non attenditur, neque est apta ad præscriptionem.*
19 *De consuetudine illarum partium circa frequentes Episcopatus sine Diœcesi, & circa huiusmodi diuisionem, vel scissuram iurisdictionis Episcopalis.*
20 *De circumstantia particulari in casu controuersiæ.*
21 *De operatione possessionis centenariæ allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.*
22 *An, & quando facultati obstet exhibitio tituli.*
23 *De difficultate, quæ in ista causa caderet.*

DISC. XCVI.



1 INCERTVM est ex quo principio Archipresbyter Oppidi Aquæuiuæ, consueuit quoddam regimen spirituale habere illius cleri, ac respectiuè populi, non solùm circa connaturalem sibi incumbentem curam sacramentalem, sed etiam circa curam iurisdictionalem; Atque de anno 1321. quidam Archiepiscopus per eius literas agnouit, & declarauit de antiqua consuetudine fauore Archipresbyteri constare; Ortisque postmodum controuersijs, atque commissa per Sedem Apostolicam causa Episcopo Vigilieñ, ab isto de anno 1455. prodijt quædam sententia præfatarum literarum canonizatoria, super qua sententia dictæ consuetudinis approbatiua, eodem anno obtenta fuit quædam confirmatio Apostolica, fortè per organum Pœnitentiarij, iuxtà illius tẽporis stylũ.

Non acquiescentibus verò Archiepiscopis successoribus, introductaque propterea lite in Rota, initum fuit compromissum in personis Cardinalium Sauli, & Pallauicini, qui laudum quoque protulerunt Archipresbytero fauorabile, aduersùs quod in gradu appellationis, vel reductionis ad arbitrium, introducta denuò causa in eadem *Rota coram Coccino*, infirmato dicto laudo, prodierunt plures

2 plures resolutiones Archiepiscopo fauorabiles, reseruatis in possessorio tantùm ad fauorem Archipresbyteri quibusdam actibus minoris sphæræ, qui Vicario foraneo potiùs pro frequentiori stylo quodammodò competere videntur, vt patet *in decis.* 441. 448. 506. & 919. *inter impress. eiusdem Coccini*; Atque ita lite quiescente, per longissimum tempus pacificè obseruatum fuit.

Cùm autem Sede Archiepiscopali vacante, nouus eiusdem Oppidi Baro, ex dicti Archipresbyteri consensu, seù licentia, thronum elatum, vulgò baldacchinum, in illa Ecclesia Collegiata erexisset, hodiernus verò Archiepiscopus successor, id impugnasset, cum subsequuta remotione, ex ijs, quæ scribendo fauore Baronis habentur deducta *in hoc eod. lib. sub tit. de preemin. disc.* 26. In eo intermedio spatio litis, idem Archipresbyter, Baronis potentia, & assistentia fretus, antiquas reassumendo prætensiones, quinimò vltrà eas fimbrias dilatando, in plenariæ, ac omnimodæ iurisdictionis Episcopalis exercitio se intrusit, etiam in causis matrimonialibus, & criminalibus, ac alijs, quæ posita etiam tanquam certa ordinaria iurisdictione Prælati inferioris, cadunt sub iurisdictione, quam Concilium Tridentinum, & Apostolicæ Constitutiones Episcopo, seù Diœcesano delegatunt. E conuersò autem Archiepiscopus, ad huiusmodi intrusionem impediendā, suamq; tuendam iurisdictionem ad plures actus processit; Quare reassumpta causa *in ead. Rota coram Priolo* in locum *Coccini* iam defuncti subrogato, datoque dubio, an constaret de attentatis hinc indè, *sub die* 26. *Ianuarij* 1671. prodijt resolutio Archiepiscopo fauorabilis, constare scilicèt de attentatis per Archipresbyterum in decem, & pluribus capitibus, vel speciebus attētatorū, reseruato de alijs videre.

In hoc itaque statu, de vtriusque Partis consensu Clemens X. causam commisit doctrina, & probitate nimiùm qualificatis Cardinalibus Brancaccio, & Odescalco, quorum secundus hodiè tam dignè Sedem Petri obtinet sub nomine Innocentij XI. cū facultate procedēdi sūmariè, & sola facti veritate inspecta, quacumque appellatione remota; Atque assumpta coram istis Cardinalibus disputatione, cùm Scribentes pro Archipresbytero, penè volumina conficiendo, inuoluerent omnia, quæ super huiusmodi iurisdictionalibus cōtrouersijs inter Episcopos, & inferiores Prælatos apud Do-
3 ctores, & in Rotæ decisionibus scripta habentur, confundendo, vt dici solet, triticum, aliasque fruges, ac etiam paleam, & fœnum; Hinc proindè, eisdem Cardinalibus desiderantibus, & laudantibus pro materiæ, atque in ea cadentiū æquiuocorum dilucidatione opportunum censui præter stylum, ac genium, per quandam speciem compendij, plures inter se diuersas reassumere quæstiones, vt ita dignosceretur, quānā regulæ, vel auctoritates cōgruant illi casui, vel quæstioni, quam disputari contingat, atque ita euitentur confusiones, & æquiuocorum incursus, planaque (vt reverá esse videtur) fiat illa materia, quæ ex quadā communi credulitate inuoluta reputatur, cum reverà non sit.

Prima igitur quæstio, quæ in hac materia cadit, ea est, quæ controuersi loci situationem percutit, quia nempè inferior Prælatus, qui in possessione sit iurisdictionis spiritualis, & quasi Episcopalis in aliquo loco, eiusque clero, & populo, vicino Episcopo prætendenti in eodē loco plenam legem diœcesanam, omnimodamque iurisdictionem Episcopalem, ordinariam, & delegatam, vel saltim delegatam, objiciat de non situatione intrà fines suæ diœcesis, quodque propterea sibi tanquam actori incumbat onus id iu-
4 stificandi, cùm aliàs reo sufficiat vincere per non ius; Potissimè verò vbi locus sit in aliqua extremitate, adeòvt non sit vndiquè circumdatus à diœcesi Episcopi actoris, sed vigeat possibilitas existentiæ intrà alias adiacentes diœceses, iuxtà firmata in his terminis apud *Dunozet. sen. decis.* 309. cum alijs relatis suprà *disc.* 11. & 12. Vndè propterea, cùm pluriés occasio dederit mote Aduocati scribere pro huiusmodi Prælatis inferioribus, super hoc non probato situationis præsidio magnam vim constituere consueui, atque iuxtà diuersam Iudicum capacitatem, non semel motiuum plausum habuit, illudq; litibus, & causis insensibilem finem dedisse videtur, eodem modo quo praxis probat in casu, de quo apud *Dunoz. iun. decis.* 426. & 457. & in eo

in casu, de quo suprà *d. disc.* 11. quamuis in eo casu ego scriberem pro Episcopo, & in plerisque alijs.

5 Verùm reflectendo ad veritatem, istud confugium inferiorum Prelatorum, alio Episcopo viciniore in causa non existente, nullius soliditatis perpetuò mihi visum est, quodq; disputationis trutina indignum esset, tanquam in re habente speciem notorij, vt etiam aduertitur *dicto disc.* 11.

Siquidèm, præsupposito principio hodiè receptissimo, de quo suprà *disc.* 1. *& in plurib. seqq.* quod scilicèt, iuxtá opinionem, quam inconcussé Romana Curia sequitur, per Dionysium primum totus Orbis diuisus esset in Diœceses, cum Episcopatibus, & Archiepiscopatibus, adeòvt quilibet locus, qualis qualis ille sit, sub aliquo Episcopo, vel Archiepiscopo esse debeat, ignoto primitiuæ Ecclesię isto vsu huiusmodi inferiorum Prę latorum, seù locorum Nullius Diœcesis; Adeòvt neque hodiè præsumantur, nisi probentur.

Cùm huiusmodi controuersiæ non vigeant inter personas priuatas, quæ intrá alicuius loci lares morentur, adeòvt alijs adiacentibus Episcopis non innotescant, sed in ea Regione, vel Prouincia, notorij speciem habere soleant; Hinc proindè sequitur, prorsùs improbabile esse, quod si locus controuersus esset in altera Diœcesi, vel quod id cadere posset in quæstione, illc alter Episcopus negligeret.

Alia etiam accedente consideratione, quod scilicèt, etiam in huiusmodi locis territorij verè separati, & Nullius, citrà controuersiam per Concilium Tridentinum quamplures actus demandantur Episcopo viciniori, vt occasione ordinum Sede vacante, vel ad alios effectus aduertitur *in adnotationibus* ad idem Concilium, ac etiam *disc.* 16. *& alibi*. Vt etiam demandantur per Constitutiones Apostolicas, illam præsertim Gregorij XIV. super Immunitate Ecclesiastica, cum similibus; Et per consequens ita certificatum remanet, absque alia probationis necessitate, quisnam sit ille vicinior, cui magis hæc situatio assistat, ob nimium improbabile silentium, & acquiescentiam aliorum adiacentium Episcoporum, qui desupér interesse habere possent; Ac propterea admittere in hoc proposito genericam propositionem, de actore non probante, seù de reo vincente per non ius, mihi semper visum est, vt contineat vnam ex simplicitatibus, vel superstitionibus Iuristarum.

Et nihilominùs, vbi etiam in suis casibus, huiusmodi quæstio disputationis trutina digna reputanda esset; Ea tamen neque imaginariè in præsenti cadebat;

6 Tùm quia supponebatur situatio huius Oppidi, intra viscera, siuè in circumdario huius Diœcesis, non autem in aliqua extremitate, adeòvt cadere posset præfata dubietas, vel possibilitas existentiæ in altera Diœcesi, iuxtá casus, de quibus *d. disc.* 11. & 12. *& in alijs*; Tùm etiã clariùs, quia eædem superiùs enunciatæ literæ Archiepiscopi de anno 1221. & sentẽtia Episcopi Vigilieñ de anno 1455. ipsaque Apostolica confirmatio desupér obtenta, in quibus iste prætensus inferior Prælatus totum fundamentum constituebat, id supponunt, & comprobant; Vt etiam plura alia Alexandri III. aliorumque Pontificum documenta comprobant, vt etiam facit obseruantia á Concilio Tridentino citrà, super visitatione, alijsque concernentibus saltèm ab eodẽ Concilio delegatam iurisdictionem.

Atque hinc sequebatur superfluam, prorsùsque inanem chartarum repletio-

7 nem continere ea, quæ Scribentes pro Archipresbytero plené consarcinabant, super concernentibus istum punctum, seù istam quæstionem, iuxtá modernorũ pragmaticorum vitium, quod redolet detestabilem, atque omninó contemptibilem ineptiam, euagandi scilicét super ijs, quæ à casu quæstionis extranea sunt, nilque ad eam conferunt.

Idem in omnibus cadere dicebam, respectu eorum, quæ latiùs deducebantur super altera quæstione, quæ vt aduertitur suprà *disc.* 1. *& in alijs plurib. seqq.* potiùs facti, quàm iuris dicenda est, super iustificatione scilicét territorij verè separati, cum qualitate Nullius.

Hodiè siquidèm iuris theorica in ab-

8 stracto omninó plana est, nullamque admittit quæstionem, quæ sola remanet facti, & applicationis, vt scilicét ista qualitas non præsumatur, sed per allegantẽ probanda sit; Ista veró probatio ad duas tantúm species restringitur; Vnam scilicét per priuilegiũ Apostolicum expres-

sum, & clarum, super ipsa separatione territorij, cum concessione plenæ, ac omnimodæ quasi Episcopalis iurisdictionis, actiuæ cum Clero, & populo in eo viuente; Nullatenùs curatis Apostolicis priuilegijs super exemptione á iurisdictione, & potestate Diœcesani quantumuis ampla, & effrenata, quoniam ab exemptione, & iurisdictione passiua, non infertur ad iurisdictionem actiuam, & ad territorium separatum; Et altera est species probationis per immemorabilem, bené conclusam, cum suis hodiè vulgaribus requisitis, ante motam litem, cuius tempus est subducendum.

Cum ea differentia inter vnam speciem, & alteram, quod prima, quotiès
9 priuilegium sit clarum, & explicitum, facere dicitur probationem promptam, quæ Prælato inferiori sufficit etiam in iudicio possessorio manutentionis, quod per Episcopum intentatum esset; Altera verò species per immemorabilem exigit canonizationem per tres sententias conformes, interim non retardata Episcopi manutentione in possessione Episcopalis iurisdictionis ob assistentiam iuris, quæ in iurisdictionalibus ex quadam specialitate sola sufficit, vt *in eod. disc. 1. cum plurib. seqq.* firmatur; Et est hodiè theorica, seù conclusio firma, & recepta; Ac propterea, vt dictum est, quæstiones cadunt solùm super applicatione ad factum.

Ista verò applicatio nullatenùs in præsenti controuersia cadere poterat, quoniam nullum adest Apostolicum indultũ super separatione territorij, minùsque probatio immemorabilis, tam in actu, quàm in potentia, ob certam impossibilitatem illam faciendi, subducto tempore litis à tempore tam antiquo iam pendentis, vt suprà.

Neque præfatæ literæ Episcopi de anno 1221. super consuetudine in hoc proposito aliquam probationem producere poterant; Tùm quia illæ percutiunt consuetudinem exercendi iurisdictionem in aliquibus actibus, vel casibus particularibus ad terminos *tex. in cap. auditis de præscript.* cum præsupposito existentiæ loci intrà diœcesim, & per consequens id potiùs excludit separationem territorij, & qualitatem nullius.

Tùm etiam quia, licèt reiecta opinione antiquiorum, credentium quod immemorabilis esset improbabilis aliás, quàm
10 per testes, non autem per scripturas, ex ea ratione, quod scripturæ supponunt initium, quod est immemorabilis destructiuum, cum probabiliùs receptum sit, vt etiam per scripturas ea iustificari possit ex firmatis *decis.* 168. *par.* 10. *recent.* & habetur pluriès sub diuersis materijs, & præsertim *sub tit. de iurepatron. disc.* 57. *&* 58. cuius materiæ occasione supèr rigorosa forma desiderata in potẽtibus, de ista specie probationis agi contingit, ac etiã *tit. de iudic. disc.* 22. vbi generalitér de materia præscriptionis; Nihilominùs id procedit, quando documenta, quæ canonizant, seù enunciant immemorabilem, non solùm sint authentica, sed non suspecta; Putà quia sint documenta Apostolica de quibus præsertim agitur *d. decis.* 168. *par.* 10. *recent.* vel similia, quibus eadẽ congruat ratio; Secùs autem vbi (vt in præsenti) agatur de assertione Episcopi.

Cùm etenim ipse sit prohibitus facere huiusmodi dismembrationes, vel concessiones, vtpotè redolentes formalem
11 alienationem bonorum, ac iurium Ecclesiæ etiam vbi de parochialium, aliarumque inferiorum Ecclesiarum diuisione, vel dismembratione agatur ex ijs quæ alijs relatis, habentur apud *Otthob. decis.* 6. *& decis.* 224. *par.* 10. *recent.* cum alijs *sub titulo de alienat. & contr. prohib. disc.* 1. *& sub tit. de Paroch. disc.* 35. *& sub tit. de iurepatron. disc.* 4. *&* 11. & alibi pluriès; Multò veró magis in ista grauiori materia dismembrationis, & separationis territorij, ac iurisdictionis Ecclesiæ Cathedralis, cùm id, priuatiué ad quemcumque, pertineat ad Pontificem, vt in his terminis apud *Duran. decis.* 226. *&* 446. *apud Royas decis.* 211. & aduertitur suprà *disc.* 2. *& in alijs*.

Hinc proindè sequitur, vt huiusmodi assertionibus nullateuùs deferendum sit, nè id quod est directè prohibitum, indirectè sequatur, atque ita fraus fiat legi, quæ verbis potiùs, quàm rebus imposita diceretur.

Si etenim in rebus minoris momenti, in quibus licèt Episcopus non habeat liberam dispositionem, habet tamén cõpetentiam ex iusta causa, alijsque requisitis accedentibus id desupèr agere, vel opera-

operari valeat, vt sunt diuisiones, dismẽbrationes, vel vniones inferiorum Ecclesiarum, vel canonizatio iurispatronatus, & similia, adhuc eadem procedit conclusio, vt Episcopi assertionibus aliundè nõ iustificatis, non deferatur, ex deductis in locis proximè citatis; Multò magis, & absque dubio, vt præmissum est, in ista materia, in qua nullam habet competentiam, nec potestatem, dum sunt actus solius Pontificiæ potestatis, vt in specie assertionum, vel enunciatiuarum Episcoporum, habetur apud *Zarat. decis.* 10. *& 21. & decis.* 440. *par.* 13. *& decis.* 21. *par.* 14. *recent & disc. seq.* in cuius casu dictæ decisiones prodierunt.

Dicebantur tamen hæc ad superabundantiam, quoniam admissa etiam prædictarum literarum validitate, & efficacia, perindè ac si Apostolici documenti vim haberent; Adhuc tamen nil concludebatur ad istum effectum territorij separati, atque plenariæ, & omnimodæ iurisdictionis cum qualitate Nullius, dum earumdem literarum tenore attento, illa potiùs excluditur, solùmque canonizatur consuetudo super iurisdictione Prælati inferioris, sub diuerso diœcesano, & in loco existente intra limites diœcesis, & per consequens paritèr extranea erant, atque superflua, & inutilem chartarum repletionem continebant ea, quæ deducebantur huiusmodi materiam, vel probationem territorij verè separati, cum omnimoda iurisdictione quasi Episcopali percutientia.

Quinimò neque eædem literæ consuetudinem canonizant super vniuersa ordinaria iurisdictione in eo loco, & populo, eiusque territorio, sed solùm super aliquibus actibus, & casibus particularibus ad terminos, ac materiam *tex. in d. cap. auditis de præscript.* de quo suprà *d. disc.* 1.

Tertia igitur est ista quæstio inter Diœcesanum, & inferiorem Prælatum super ordinaria vniuersali, vel respectiuè par-
12 ticulari iurisdictione, in aliquo loco Diœcesis, eiusque Clero, & populo, adeòvt præcedentes quæstiones non cadant, sed solùm agatur de illis Prælatis, de quibus propriè agit *d. tex. in cap. auditis*, ac etiã Constitutio Bonifacij VIII. registrata *in cap. cum persona de priuil. in 6.* super forma iustificandi huiusmodi

Suppl. lib. 16. par. 1. de Iurisdict.

iurisdictionem, de cuius materia agitur suprà *disc.* 5. Ac etiam agitur per Concilium Tridentinum *sess.* 23. *de reformat. cap.* 20. & in plerisque alijs locis, in quibus loquitur de Abbatibus, & Archidiaconis, alijsque Dignitatibus diuersa habentibus vocabula, qui hanc habeant speciem iurisdictionis.

In ista verò specie quæstionis, hodiè post Concilium Tridentinum, duæ intrãt
13 inspectiones; Vna scilicèt super legitima huius iurisdictionis, & potestatis cõpetentia, super qua Concilium nihil innouauit, ideòque proceditur cum terminis generalibus iuris communis canonici; Et altera, posita huiusmodi legitima potestate, seù competentia, super eius moderatione per idem Tridentinũ Conciliũ, & subsequutas Apostolicas Constitutiones inducta, ex illa iurisdictione, & potestate delegata; quæ Diœcesanis, seù locorum Ordinarijs attributa est, in causis scilicèt criminalibus, & matrimonialibus, in collatione Ordinum, in concursu Parochialium, in approbatione Confessariorum, & Concionatorum, ac in alijs, iuxtà ea, quæ præsupposita ista ordinaria inferiori iurisdictione, habentur declarata suprà *in Vulturarien. disc.* 3. *& in Anglonen. disc.* 9. *& in alijs plurièś*, *& in adnotationibus ad idem Concilium Tridentinum*.

Siuè vbi (vt in præsenti) titulus concessionis huiusmodi inferioris iurisdictionis, non haberet causam vniuersalem, sed solùm particularem restrictam ad certos casus, vltrà dictam iurisdictionem delegatam intrat alia ordinaria in reliquis casibus, vel actibus non concessis, vel non præscriptis, iuxtà terminos, ac materiam *d. tex. in cap. auditis*, cum concordantibus *d. disc.* 1.

Super secunda itaque inspectione iurisdictionis delegatæ per Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, nulla cadit quæstio, cum per idem Concilium, & Constitutiones respectiuè, derogetur quibuscumque priuilegijs, vel consuetudinibus, alijsque obstantijs, siue quod ista non sit derogatio formalis, & omnimoda, sed concessio illius Apostolicæ iurisdictionis, & Superioritatis, quã ipsa Apostolica Sedes mediantibus eius Commissarijs, & delegatis exercere poterat, ac solebat.

C 2 Et

Et per consequens (applicando ad rē) vbi etiam, neglectis dictis Rotæ decisionibus, omnimodam iurisdictionem Episcopalem, ac Diœcesanam, etiam ordinariam Archiepiscopo deferentibus, atque Archipresbytero denegatibus, procedendum esset cum præfatis literis,& cū sententia Episcopi Vigiliesi earum canonizatoria, iuxtà omnimodam eiusdem Archipresbyteri prætensionem; Adhuc tamen, extrà omnem quæstionem remanet, vtraque Archiepiscopi iurisdictio, ordinaria scilicèt in alijs casibus, de quibus dictæ literæ non loquuntur ad terminos *d. tex. in cap. auditis*; Et delegata in illis casibus, & actibus, de quibus loquuntur Concilium,& Apostolicæ Constitutiones; Ac propterea manifesté intrusiuam, & temerariam, quæ nullo posset velamine offuscati, dicebam esse modernam innouationem, assumendi exercitium iurisdictionis delegatæ, ac etiam ordinariæ in casibus, & actibus, qui extrà præfatas literas, & sententias respectiuè remanent.

Vnicus itaque causæ punctus restringebatur ad dictam ordinariam particularem iurisdictionem ad certos casus latiùs restrictam, an scilicèt de eius legiti-
14 ma competentia constaret, Atque in hoc, iuxtà hactenus deducta, & in allegatis Rotæ decisionibus coram Coccino firmata, pro Archiepiscopo probabiliùs respondendum videbatur; Ex duplici namque fonte huiusmodi iurisdictionis competentia resultare solet, vel scilicèt ex illo Apostolicæ concessionis, de cuius efficacia, eius veritate, ac validitate posita, non est dubitandum, quoniam si Pontifex facere potest id, quod est plus, cōcedendo scilicèt separationem territorij cum omnimoda iurisdictione, & potestate; Quinimó etiam illum locum decorando cum prærogatiua Cathedralitatis, ex deductis *sub tit. de de præmin. disc. 6.* multò magis concedere potest id, quod est minus; Vel ex præscriptione, cuius terminus propriè in præsenti cadit.

Quamuis etenim in hac materia consuetudinis terminus adhiberi soleat; Attamen id ex quodam loquendi vsu potiùs
15 prouenit, quoniam, vt alibi pluriès aduertitur, consuetudo propriè cadit in Vniuersitatibus plurium personarum complexiuis, quas omnes pariformiter tangat, coæquali iure tanquam per speciem legis, quæ omnes tangit; Vbi verò agatur de tollendo ius vni, illudque alteri deferendo, tunc præscriptio, non autem consuetudo dicitur, quamuis agatur de corporibus vniuersalibus, efformantibus vnam personam formalem, seu intellectualem, constitutā ex multis personis materialibus, putà de vna Ciuitate, vel populo, præscribente contrà alteram, siuè de Capitulo, vel Monasterio, quinimó de Prouincia, vel Regno, aut vniuersa Religione, &c. multò veró magis vbi inter singulares Dignitates, seù Prælaturas, vt aduertitur *d. disc. 21. de iudic. num. 6.* vbi de hac materia præscriptionis, atque pluriès alijs relatis firmatur per *Rot.* & præsertim *apud Gregor. & add. decis. 191. & in alijs relatis per adden. ad decis. 20. par. 3. recent.*

Cùm itaque in hac facti specie, nulla desupèr adesset Apostolica concessio; Hine proindé totum ius huius Archipresbyteri restringebatur ad præscriptionem, sub consuetudinis vocabulo, vt su-
16 prà impropriè explicatam, cuius præsidium hodiè, vt aduertitur *d. disc. 21. de iudic. & disc. 3. de alienat. & contract. prohibit. & alibi*, remanere videtur quodammodò ideale, vtpotè nunquam, vel nimiùm ratò ad praxim reducibile, præsertim in huiusmodi Ecclesijs; Vel quia factum positiuum, vel negatiuum cum negligentia, vel permissione aliquorum Prælatorum, præiudicare non possit successoribus ex propria persona venientibus, ipsique Ecclesiæ, quæ assimilatur pupillo viuenti sub Tutore; Vel quia deducere oporteat tempora vacationis Sedis, ac etiam ea tempora, quæ ante Concilium Tridentinum quandam speciem vacationis habere videbantur; Ac proptereà multi in Ecclesijs irrepserunt abu-
17 sus, multaque resultarunt inconuenientia, & præiudicia, quod scilicèt Ecclesiæ Cathedrales,& Metropolitanæ dabantur in commendam Cardinalibus, & Prælatis, qui à Curia non discedendo, eas more prædiorum, ad solum fructum, per Vicarios, aliosque inferiores ministros administrabant, vt de Abbatijs,& beneficijs simplicibus hodiè fieri praxis docet.

Item fortiùs, quia ex ijs, quæ habentur suprà *in Tirassonen. disc. 22.* possessio
18 huiusmodi Archipresbyterorum, aliarumque

rumque localium dignitatum, seù inferiorum, potiùs facultatiua dicenda videtur iuxtà auctoritates, & decisiones, quæ in his terminis specialibus habentur deductæ *d.disc.22. & duob. seqq.*

Idque si generalitèr procedit in omnibus Prouincijs, vel Regionibus, faciliùs dicendum est in Italia, atque inter Italiæ prouincias, vel Regiones, in illis,
19 quæ hodiè efformant Regnum Neapolitanum, & inter istas omnium magis in hac Apuliæ parte, seù prouincia, in qua in hoc proposito aliquæ dignoscuntur singularitates exorbitantes, quæ alibi fortè non practicantur; Siquidem, vltrà incongruam proximitatem trium Metropolitanarum Ecclesiarum, istius nempè, ac Tranensis, & Sypontinæ, quæ omnes extrá montes vix vnius Cathedralis qualificatam diœcesim constituerent; Maior dignoscitur exorbitans singularitas, quæ vt aduertitur *disc.6. de præemin. in fin.* & alibi, Græcorum moribus potiùs, quàm Romanæ Ecclesiæ auctoritati referenda forté videtur, quod scilicèt quilibet locus, vix vnius leucæ, vel parùm plus ab alio distans, suum habeat Episcopum, absque diœcesi, & cum valdé exiguo territorio, adeóvt Episcopi, potiùs quandam figuram gerere videantur localium Rectorum, seù Plebanorum cum vsu pontificalium.

Et quod magis est, magisque ad rem confert; siuè id prodierit ex ijsdem Græcorum moribus pro eo tempore, in quo Constantinopolitano Imperatore retinēte dominationem istarū partium, ad oras maris Adriatici, & Ionij, Constantinopolitanus Patriarcha, temerè, ac de facto, in spirituali, & pontificia administratione se ingerebat; Vel quia sic bellorum, aliorumque accidentium, ac frequentis mutationis dominiorum ratio exigeret, in ista Regione magis, quàm alibi dignoscebantur huiusmodi Episcopalis iurisdictionis diuisiones, ac scissuræ; Siquidem intrà Apuliæ breuem ambitū, etiam hodiè de facto dignoscuntur quāplures Prælati inferiores cum qualitate Nullius, in cuius possessione saltim existant; In Oppidis scilicèt Altamuræ, Terlitij, Putigniani, Fasani, & Cirignolæ, & aderat priùs in alio Oppido Rutigliani, vt aduertitur suprà *disc.* 2. Atque vt etiam insinuatur suprà *disc.*23. in angusto *Supplem.lib.16.par.1.de Iurisdict.* territorio Archiepiscopatus Tranen., duo tantùm habente nimiùm adiacentia Oppida pro diœcesi, Baruli scilicét, & Corati, cum sola distantia vix duarum leucarum, nimium plani, & commodi itineris etiam pedestris, adhuc tamen, ex Archiepiscoporum concessionibus, vel permissionibus, aut quia sic exigerent illorum temporum calamitates, & contingentiæ, vtriusque Oppidi populus, & Clerus, consimili antiquæ consuetudini innixi, prætensionem habent, vt extrá proprios lares trahi non valeant, ibique à proprio Archipresbytero, vel Vicario eorum causæ cognosci debeant, vt etiam *eod. disc.* 23. agitur de consimili prætensione, quam habent quædam Ciuitati quoque adiacentia Oppida Metropolitanæ Ecclesiæ Tarentinæ, cum plerisque similibus casibus nimium frequentibus, inter quos admiratione dignus videtur ille recensitus suprà *hoc eod. tit. disc.* 24. de nimium paupere, & exigua diœcesi Acernen.; Et alter de quo plenè agit *Campanil. in diuersor. iur. canonic. rubric.* 11. *cap.* 23. agendo de non minus paupere, & exigua Ecclesia Laquedonen., cuius ipse fuit Episcopus, quod cū vniuersa diœcesis constituta esset ex duobus tantùm adiacentibus obscuris, & exiguis locis vix vnam competentem plebaniam constituere aptis, quilibet ex eis prætendit habere proprium Vicarium, propriumque Tribunal separatum, quo nil absurdiùs, tunc etenim ex deductis *in d. Tirassonen. disc.*22. aliqua maior facultas in causarum decisione localibus Rectoribus, vel Vicarijs (semper tamen in figura Vicariorum foraneorum) congruè, ex quadam æquitate concedenda videtur, quando ratio distantiæ, & asperitatis, nimiæque populi incommoditatis ita exigat, iuxtà casum, de quo *in d. Tirassonen.* Secùs autem in hac facti specie, quod istud Oppidum ipsi Metropoliticæ Ciuitati nimiùm adiacet cum sola distantia duarum circitèr leucarum plani, nimiumque commodi itineris; Et per consequens antiqua consuetudo, vel obseruantia referenda videtur illorum temporum moribus, iuxtà præfata alia exempla in Regione nimium frequentia, dum in hac eadem diœcesi, alia quoque loca, vel Oppida consimilem prætensionem habent, & præsertim illud, quod appellatur

latur Casa maxima, cuius Archipresbyter eadem quoque phrenesi laborat.

Aliqua item ratio, vel circumstantia
20 pro ista beneuola, & facultatiua prærogatiua, seù commoditate in hoc Oppido Acqueuiuæ dignosci videtur, quod scilicèt, ita docentibus aliquibus traditionibus, & probabilibus argumentis, quando Metropolitana Ciuitas, tot Saracenorum, vel Schysmaticorum incursiones passa est, siuè inter ipsosmet Christianos, intestinorum bellorum clades, ac propterea Archiepiscopus in ea residere, ac Tribunal erectum habere prohibitus fuerit, in isto Oppido residentiam habuerit, ad instar eorum, quæ insinuantur *sub tit. de praemin. disc.* 3. agendo de Ecclesia Cæsaraugustana; Et per consequēs quod cessatis impedimentis, adhuc huic Oppido in memoriam huius prærogatiuæ, ac etiam beneuolæ receptionis, & tractationis proprij Pastoris, in illorum temporum calamitatibus, Archiepiscopi ex gratitudinis motiuo, istam beneuolam, vrbanam tamen, & facultatiuam concesserint, vel permiserint prærogatiuam, ne scilicèt Clerus, & populus, assuetus extrá lares non trahi, sed ibi á proprio Archiepiscopo iudicari, in futurum ibidem á proprio Rectore, vel Archipresbytero in aliquibus causis, & actibus iudicaretur, semper tamen facultatiuo iure, adeòvt in effectu idem Archipresbyter Vicarij foranei, cum aliqua maiori, & extraordinaria iurisdictione, & facultate, personam gereret, vel figuram faceret, iuxtà exempla, de quibus suprà *d. disc. 22. & seqq.* Et per consequens, quod huiusmodi possessio, seù obseruantia, vtpotè facultati referibilis, ad legitimam præscriptionem apta non esset.

Est benè verum, quod quando verificabilis esset immemorabilis, vel saltèm centenaria pacifica, & non interdicta, vel
21 contradicta possessio, tunc illa esset nimium considerabilis; Non quidem in ratione præscriptionis, ad cuius presidiū recurrere nimium imprudens reputandum est consilium, vt pluriès alibi aduertitur, & præsertim *d. disc. 3. de alienat. & contract. prohib. & disc. 21. de iudic.* sed ex altera ibidem insinuata regula, seù cōclusione nimium frequentèr in omni ferè materia deducta præsertim *sub tit. de iure patron.* ac etiam *sub altero de feud.* quod scilicèt possessor centenarius facultatem habet allegandi quemcumque titulum, de mundo meliorem, & sic ipsum Apostolicum priuilegium, quo accedente, planum esset, quod omnes præmissæ cessarent difficultates, vt in specie aduertitur *disc. seq.* vbi de hoc puncto, vel operatione centenariæ latiùs.

Et quamuis scribendo more Aduocati, dicerem, quod ista præsumptio, vel facultas intrare non posset, stante titulo
22 infecto, & vitioso, cui Archipresbyter innitebatur, dictarum scilicèt literarum Archiepiscopi de anno 1221. ac propterea intraret vna de duabus conclusionibus, vel scilicèt illa, quæ vulgò tribuitur *Geminiano cons. 96.* vt retinens apud se titulum infectum, per illum in mala fide constituatur, ac propterea nullum temporis spatium ei suffragari valeat; Vel altera deducta ex theorica *Innocentij in cap. dudum de decim.* vt scilicèt exhibitio tituli de cuius irrelevantia constet, excludat possibilitatem alterius tituli melioris, ex deductis *sub tit. de regal. disc.* 47. Attamèn, reflectendo ad veritatem, agnoscebam huiusmodi obiectum non subsistere, dictasque conclusiones non intrare; Tùm quia difficile est illas, & præsertim secundam ad praxim reduci ob tot requisita desiderata in tituli produtione, vel exhibitione, vt huiusmodi restrictionis præiudicialem effectum operetur, iuxtà *cons. 94. Lanarij, & decis. 218. par. 6. & 29. par. 7. recent. cum alijs dicto disc. 47. de regalib. & disc. 3. de alienat. & contract. prohib.* & alibi, & presertim *in Romana Palatij de Frangipanijs sub tit. de emphyt. in Supplem. & in Rota decisione in eo casu edita 4. Decembris 1673. coram Rondanino*; Tùm fortiùs quia dictæ literæ non continent priuilegium, vel concessionem ipsius Archiepiscopi, qualis est casus, de quo apud *Duran. d. dec. 226 & 446. & apud Royas decis. 211. & suprà disc. 2.* Ac propterea dici posset, quod constaret incontinenti de infectione, (quod tamen neque omninò tutum esset, cum posita centenaria, allegari posset eiusdem concessionis confirmatio Apostolica) sed continet solùm antiquæ consuetudinis declarationem, seù canonizationem, & sic per viam iustitiæ potiùs, quàm gratiæ, eo modo, quo in materia

ria

ria iurispatronatus habemus.

Verùm difficultas tolli videbatur ex facto, quod scilicèr ob antiquas lites, iuxtà præmissam facti seriem non verificaretur centenaria pacifica, ex qua ad huiusmodi effectum, vel operationem inferri posset; Adhuc tamen, reflectendo ad veritatem, respectu aliquorum actuum particularium, qui non docebantur contradicti, aliquam habebam difficultatem, ob dispositionem Textus *in cap. auditis de præscript.* ex eisdem pōderationibus, de quibus supra *dicto disc.* 1.

Beneuentana Iurisdictionis.

Pro Archidiacono Ecclesiæ Metropolitanæ, cum Archiepiscopo.

Casus decisus per Rotam, pro Archiepiscopo, & pendet.

De eadem materia, de qua *disc. præcedenti*, super territorio separato Prælati inferioris, & plena iurisdictione Episcopali; Et quid in hoc operetur centenaria, vel quadragenaria cum titulo.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum decisionibus.*
2 *Quod istæ quæstiones sint hodie potiùs facti quàm iuris.*
3 *De situatione in Diœcesi.*
4 *Ciuitas, & omnia loca Diœcesis efformant vnum, & idem territorium, vnumque corpus indiuiduum sinè intersecatione aliorum corporum.*
5 *De Episcopatibus habentibus loca, & Ecclesias cum dicta intersecatione, & qua ratione.*
6 *De vnione plurium Diœcesum, & diuersis vnionis speciebus.*
7 *De inspectione facti, an adesset, nec nè centenaria.*
8 *Quod centenaria præscriptio ad id non sufficiat.*
9 *Aliud est considerare centenariam in ratione præscriptionis, & aliud in ratione facultatis allegandi titulum meliorem.*
10 *De ratione, ob quam immemorabilis suffragetur, & de differentia inter immemorabilem, & centenariam, diuersisque centenariæ speciebus, & de initio.*
11 *De operatione decreti irritantis.*
12 *Quænam sit maior, an centenaria, vel immemorabilis.*
13 *De ratione, ob quam non de facili verificatur in hac materia territorij separati probatio præsumpta, quæ resultat ab antiqua possessione.*
14 *Quod ista sit quæstio facti.*
15 *De adminiculis, & argumentis comprobantibus possessionem Prælati.*
16 *Quod confessiones Episcopi in hac materia attendantur.*
17 *Declaratur quando, & quomodo attendantur.*
18 *De alijs adminiculis, & argumentis.*
19 *De iurisdictione cumulatiua Prælati inferioris, & compatibili cum illa Ordinarij, ad terminos* Tex. in C. auditis.
20 *Quod ista iurisdictio non adeò praiudicet Ecclesiæ.*
21 *Reus potest cumulare plures exceptiones diuersas, imò contrarias.*
22 *An, & quando mala fides adsit, quæ obstet præscriptioni.*

DISC. XCVII.



1 Rchidiacono Metropolitanæ Ecclesiæ Beneuentanæ, ab antiquissimo tēpore existente in possessione Prælaturæ, & plenę quasi Episcopalis iurisdictionis in Castris Circelli, Pagani, Collis, Forcellati, Montis Irsini, S. Angeli, & Roccatellæ, quandam speciem Archidiaconalis Diœcesis constituentibus; In earumque Cleris, & populis, Archiepiscopus, circa annum 1650. cum præsuppositio, quod ea sita essent in sua Diœcesi, prætensionem excitauit, ordinariam iurisdictionem, ac diœcesanam legem exercere, vel saltém delegatam per Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, introductaque causa in Rota *coram Zarata*, me in ea non scribente,

bente, *sub diebus* 13. *Maij* 1652. *&* 27. *Ianuary* 1653. prodierunt resolutiones Archiepiscopo fauorabiles, quæ habentur impressæ *inter illas Zarata decis.*10. *&* 21. & quarum posterior est repetita *decis.*304. *par.*11. *recent.* atque ad earum normam expedita sententia, ista per alias duas etiam Rotales *coram Cerro, & Taia*, confirmata fuit, atque decisiones *coram Taia*, habentur impressæ *decis.*440. *par.*13 *recent. & decis.*21. *par.*14. quamuis istæ sint potiùs super articulo diuerso præscriptionis scilicèt iurisdictionis ordinariæ, ad terminos *Tex. in cap. auditis de præscript.* vt infrà.

In hoc autèm statu per modernum Archidiaconum nouitèr prouisum per mortem prædecessoris, cum quo præmissus litis cursus habitus fuit, ad huius penè mortuæ, atque vt dici solet quatriduanæ causæ defensionem assumptus fui, post scilicèt tres conformes Rotales; Cumq; iam paratæ essent informationes pro noua disputatione, super dictarum sententiarum iustitia, vel iniustitia, superuenta vacatio Sedis Archiepiscopalis per mortem Archiepiscopi impedimentum præstitit, atque in hoc statu causa reperitur.

Recognitis itaque decisionibus desupèr editis, & præsertim primis *coram Zarata*, cum quibus aliæ sequentes procedunt, dicebam, tàm in quodam congressu pru directione, quàm scribendo
2 ad causam, quod quæstio restringebatur ad solum factum, cuius potiùs quàm iuris erat, dum ex insinuatis *disc. præcedenti*, iuris theoricæ, vel regulæ iam videntur hodiè planæ effectæ, nullam, vel modicam admittentes disputationem; Primò nempè super facto situationis locorum intrà huius Diœcesis limites, vt in decisionibus præsupponitur; Et secundò, an verificaretur centenaria pacifica possessio Archidiaconi in plena, & omnimoda quasi Episcopali iurisdictione independentèr ab Archiepiscopo, quod paritèr nudi facti erat, super præsupposita scilicèt non veritate illorum actuum iurisdictionalium, quos decisiones præsupponunt per Archiepiscopum exercitos fuisse; Remanente solùm quæstione iuris super centenariæ operatione in hac materia quatenus eius probatio adesset; Vbi etenim in facto verificaretur dicta situatio intrà Diœcesim, atque cessaret sufficiens probatio dictæ centenariæ pacificæ, per nullum actum interruptæ, tunc in congressu ad veritatem dicebam, quod opus esset desperatum saltèm circa iurisdictionem delegatam, quodque solùm assumi posset punctus iurisdictionis ordinariæ vniuersalis, vel particularis, ad terminos textus *in cap. auditis de præscript.* dum hic punctus remanebat nouus, ac indecisus, cum in præfatis decisionibus ad hanc distinctionem non descendatur, iuxtà deducta *disc. præcedenti*, *& supra disc.* 1. *cum pluribus seqq.*

Quatenùs itaque pertinet ad primum punctum situationis; Attento præsenti statu de facto huius Diœcesis, eius si-
3 tuationis probatio adesse videbatur; Tùm ob extrinsecas iustificationes per testes, aliasque species, quæ in decisionibus deducuntur; Tùm etiam ob iuris præsumptionem, quam alio Episcopo non comparente, sufficere aduertitur *eod. disc. præcedenti*; Quamuis etenim loca controuersa non essent in Diœcesis circundatio, sed in extremitate confinantiæ, cum pluribus Diœcesibus suffraganeorum eiusdem Ecclesiæ Metropolitanæ, nempè Vulturaricn., Larincn., Boianen., & Guardien.; Attamèn cum in adeò famosa lite per diuturnum tempus peracta, atque in ea Prouincia satis notoria nullus ex prædictis Episcopis se opposuerit, ità de plano tolli videbatur illa contraria possibilitas, quæ desupèr considerari solet.

Hinc proindè totus punctus restringebatur ad illam præsuppositam facti circumstantiam, cuius plures antiquæ enunciatiuæ, aliæque iustificationes dabantur, & super quibus, non visis alterius Partis responsionibus, maturum pro veritate iudicium efformare non potui, quod scilicèt Oppida Morconi, & Limosani, quæ cum quibusdam Castris, & locis annexis, intermediant, antiquitùs essent Ciuitates habentes proprios Episcopos, propriasque Ecclesias Cathedrales, ac Diœceses, quodque deindè vnita fuerint huic Ecclesiæ Beneuentanæ, cuius propterea defacto reputantur Diœcesis.

Isto etenim facti præsupposito retento, dicebam, quod ita cessabat dicta præsumptio,

sumptio, quod ista Castra essent in antiqua Diœcesi Beneuentana, dum ab ea materialitèr separata erant, cum intermediatione prædictarũ Diœcesum, Morconi, & Limosani; Siquidèm Diœcesis, quæ idem est, ac territorium, constituit, seu efformat ex pluribus locis inhabitatis, intrà eius limites existentibus, cum eorum Cleris, & populis, vnum, & idem indiuiduum territorium, seù corpus formale, cum Ciuitate, in qua sita est Cathedralis, adeóut omnia loca Diœcesis dicantur esse de territorio Ciuitatis, vel de eius districtu, iuxtà ea, quæ occasione districtus Vrbis habentur *d. titulo de præmin. disc.1. & titulo de Regal. disc.94.* Hinc proindè, posita ista intersecatione, seù intermediatione prædictarum aliarũ Diœcesum constituentium alia corpora separata, impossibile dicebam, quod ista Castra dici possent de hac Diœcesi Beneuentana; Corpus etenim habet compagem omnium eius membrorum, quæ participare debeant, & valeant de operationibus cordis, & capitis, ac propterea illa membra, quæ ab ipso corpore, materialitèr, & de facto separata sint, nõ ampliùs dicitur de illo corpore, vt in his specialibus terminis habetur supra *in Tirasonen. disc.22.* in cuius casu, vt patet ex decisionibus super eo editis, motiuum reputabatur solidum, sed sublatum fuit ex facto, cum iustificatione scilicèt vnitatis, seù continuationis territorij, atque cessantis omnimodæ intermediationis aliarum Diœcesum, vel territoriorum.

Quamuis etenim quamplura habeantur exempla Ecclesiarum habentium Diœcesesintersecatas, quod scilicèt vna pars sit in vna Regione, & altera in al-
5 tera, cum omnimoda intermediatione aliarum Diœcesum, quinimò etiam cum diuersitate Prouinciarum, seù Metropolitanorum, vt præsertim habemus in Episcopatu Campanien, exemplificato sub *dicto tit. de preeminent. disc.7.* quoniam ipsa Ciuitas Campanien, cum eius annexis est sub Prouincia Salernitana, & altera pars antiquæ dirutæ Ciuitatis Satrianen, est sub Prouincia Consana, atq; in eo casu, de quo *d. disc.7.* vna pars est sub Metropolitano, & altera est exempta, & immediatè subiecta Sedi Apostolicæ, cum similibus; Attamèn id prouenit ex natura vnionis æquè principalis per quam adhuc durant duo corpora, perfecta inter se distincta, duoque diuersa territoria, vel duæ diuersæ Diœceses, adeóut duplex reputetur Episcopus formalis, quamuis vnus sit materialis, ex deductis *eod. disc.7.*

Prout etiam, licèt detur casus, quod Ecclesia Cathedralis, vel Metropolitana possideat aliquam Ecclesiam intrà limites alterius Ecclesiæ, vel Diœcesis, iuxtà casum de quo suprá *disc.21.* Attamen in ea Ecclesia, quæ possidetur in aliena Diœcesi, consideratur Ecclesia possiditrix, tanquàm simplex beneficiatus, vel Rector subditus illi Diœcesano, vt *eod. disc.21.* aduertitur, non autèm, vt dici valeat de propria Diœcesi, eiusque pars, vel membrum, atque ità dicebam tolli principale fundamentum decisionum.

Verùm reflectendo, deindè maturiùs ad istud motiuum, quod primò aspectu mihi videbatur solidum, nimiumq; considerabile, agnoui, quod esset periculosum; Siquidèm vltrà difficultates facti super sufficienti scilicèt iustificatione dictæ præsuppositæ antiquæ Cathedralitatis Ecclesiarum Murconi, & Limosani;
6 Quando etiam id admittendum veniret, adhuc tamen non soluebatur vis argumenti, siquidèm siuè vnio huiusmodi Ecclesiarũ facta esset æquè principalitèr, iuxtà exemplum speciale Ecclesiæ Cathedralis Materanen aliàs Suffraganeæ vnitæ Ecclesię Metropolitanæ Acheruntinæ, ex deductis *sub tit. de Canonicis, & Capitulo disc.29. & in Miscellan. Ecclesiast. disc. etiam 26.* Siué dicenda esset subiectiuè, & per viam incorporationis, vt veriùs videbatur, ob subsequutam obseruantiam, dũ istæ Ecclesiæ sede plena, magis verò ea vacante nullum retinuerunt, nec retinent Cathedralitatis signũ, vel prærogatiuam, quinimó neque nuncupationem, sed per plura sęcula, vnica est nuncupatio Diœcesis Beneuentanæ; Ideóque nil refert, quod istorum locorũ adiacentia, non verificetur cum antiqua Diœcesi minori, quando dictæ Ecclesiæ Morconi, & Limosani erant in statu Cathedratico, quoniàm sufficit, eam verificari, cum eo eiusdem Diœcesis augmento, quod per speciem allunionis, ex dicta vnione contigit; Quinimó vbi etiã dictæ Dięceses vnitę antiquam retinerẽt natu-

naturam tanquàm per speciem vnionis æquè principalitèr, adhuc idem resultaret effectus, cum ex dicta præscriptione iste Archiepiscopus intentionem fundatam haberet, tanqnàm dictarum Diœcesum, vel earum alterius Episcopus, & per consequens nullus remanet istius ponderationis effectus circa situationem.

Quo veró ad aliud assumptum centenariæ possessionis, duæ cadebant inspectiones, vna facti, an scilicèt verificaretur status pacificus, exercendi hanc omnimodam Episcopalem iurisdictionem in figura Ordinarij habentis territorium verè separatum, per dictum tempus centum annorum, absque aliquo exercitio iurisdictionis, saltèm delegatę in Archiepiscopo. Et altera, iuris, nempè posito, quod de hoc sufficientèr constaret, quid exindè de iure resultaret, & an ista centenaria æquipolleret immemorabili, eundemquè produceret effectum.

In prima inspectione nullæ cadere videbantur Iuristæ partes, cúm totum consisteret in nudo facto, in quo supponebant Agentes pro Archidiacono, quod
7 nullam subsistentiam haberent illi actus, qui in causæ decisionibus ad fauorem Archiepiscopi ponderantur, & præsertim in duabus prioribus *coram Zarata*, quia nempè documenta exhibita, ex quibus illi deducebantur, non essent authentica, vel essent alterata, siuè continerent actus æquiuocos referibiles ad loca diuersa, siuè ad iurisdictionem metropoliticam, aut ad illam delegatam Episcopo viciniori, etiam in locis nullius, cum territorio separato, iuxtà consimiles ponderationes *in alia Beneuentana suprà disc.* 12 ideóque super hoc nullum efformari poterat iudicium, adhuc non visis responsionibus, quæ aduersùs hæc præsupposita ex altera parte darentur.

Quo veró ad alteram inspectionem iuris, an scilicèt in hac materia, præsup-
8 posita centenaria benè iustificata, illa releuaret, ex prioribus causæ decisionibus *coram Zarata*, solùm prima, quæ est *decisio* 10. *inter suas num.*16. *&* 17. tetigit quidèm Minerua, in hoc pertransit, præsupponendo scilicèt terminos veræ, ac formalis præscriptionis, quam firmatur non sufficere, quasi quod soli immemorabili id concessum sit, non autem centenariæ, quæ præsupponit initium, quod contrarium est immemorabili, cuius peculiare requisitum est, vt de initio non constet, allegando *decis.*324. *par.* 1. *recent. num.*11. *& decis.*218. *Royas*.

In hoc autem, reflectendo etiam ad veritatem, quamuis meum genium, huiusmodi plenariæ, ac omnimodæ iurisdictioni inferiorum Prælatorum, cum qualitate Nullius, potiùs aduersum sit, respectu iurisdictionis delegatæ per Concilium Tridentinum, vt pluriès aduertitur in præcedentibus, & præsertim *disc.*16. *& in adnotat. disc.*12. *& in alijs*; Attamen iste sensus est, quotiès Sacra Congregatio Concilij, istius mentem interpraetando, more supremi Senatus, vel Principis, potiùs quàm Iudicis, per tramites iuris huiusmodi Pręlatos declararet conciliaribus decretis quoque subiectos; Sed vbi in Tribunali iudiciario per tramites, & regulas iuris punctus est examinandus, mihi videbatur, quod responsio non satisfaceret, ex eisdem ponderationibus, de quibus præsetim *disc.*3. *sub tit. de alienat. & contract. prohibit.* & alibi pluriès.

Siquidèm centenaria possessio ponderanda non est in ratione præscriptionis, vt præsupponit decisio, dum ad eius præ-
9 sidium recurrere, semper malum, atque imprudens est consilium, vt etiam *disc. præcedenti* aduertitur, sed in ratione præsumptionis, seù facultatis allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem, & sic etiam priuilegium Apostolicum, quod non dubitatur ad id sufficere, ideóque magna dignoscitur differentia inter vnā, & alteram viam, vt etiam aduertitur *disc.*21. *de iudic.* Nullus etenim Canon, nullumque conciliare decretum disponit, quod immemorabilis apta sit indu-
10 cere territorium separatum, quasi quod sit speciale priuilegiū per legem illi attributum, vt proptereà, iuxtà priuilegiorum naturam, seù regulam pati non debeat extensionem, sed intelligendum sit in câsu præciso, de quo loquitur, sed iste effectus prouenit ex eadem facultate allegandi priuilegium, & quemcumque alium titulum de mundo meliorem; Et per consequens, cùm eadem facultas resultet à centenaria, idcircò non videtur quæ differentiæ ratio vrgeat, vt vna species in proposito suffragari debeat, & altera non.

Cla-

Clarum veró æquiuocum continere videtur illa differentiæ ratio ab aliquibus assignari solita, ex deductis *d.disc.3. de alienat.* & in qua dicta prima decisio figit pedes, quod scilicèt centenaria præsupponat initium contrarium, vel diuersum, quoniam id procedit, quando de hoc diuerso, vel contrario initio constet, ac etiam copulatiué, quod ex parte possessoris eadem possessio restricta sit ad certum, & præcisum titulum exclusiuum possibilitatis tituli melioris, adeóut intret ratio ibidem, & alibi frequentèr ponderata, quod scilicèt ista possibilitas, vtpotè continens simplicem præsumptionem cesset, atque exclusa remaneat per contrariam probationem, etiam præsumptam, ex fortioribus præsumptionibus deductam; Secùs autem, vbi nulla tituli restrictio adsit, & quod magis est, nulla accedat iustificatio cōtrarij, vel diuersi status antecedentis, adeóut sit probatio affirmatiua temporis centenarij, non exclusiua alterius temporis maioris præcedentis, cuius nulla, nec affirmatiua, nec negatiua probatio habeatur, quia nempè omnium memoria perempta, status rerum incertus remaneat; Multò verò magis, vbi, vt infrà eiusdem status argumenta accedant, quoniàm ista species centenariæ, potiùs melior videtur, quàm immemorabilis, dum certò includit tempus centum annorum, quod immemorabilis potest non includere, sed non excludit tempus magis antiquum, etiam plurium sęculorum; Atque in hoc versatur ęquiuocum aliquorum Scriptorum non distinguendi huiusmodi diuersas species centenariæ.

Quaré ad rem, pro huiusmodi æquiuocis tollendis, ponderabam in proposito, plures distingui debere casus, vel huius centenariæ species; Primus etenim casus est, vbi cum scriptutis, iustificetur quidem pacifica, & continuata possessio Prælati inferioris, in exercitio plenæ, ac omnimodæ Episcopalis iurisdictionis, per hoc spatium centum annorum, & vltrà, absque eo, quod non constet de aliquo actu iurisdictionali gesto per Episcopum, cum quo sit quæstio, sed quod istud tempus sit ante publicationem Concilij Tridentini, absque continuatione in tempore subsequenti, in quo Episcopus ad eiusdem Concilij præscriptum aliquos delegatæ iurisdictionis actus exercuerit; Et tunc centenaria in nihilo suffragatur, quoniàm, vt aduertitur supra *disc.5.* & alibi, stant benè simul, quod Prælatus inferior ante Concilium Tridentinum, ad terminos *Text. in cap. cum persona de præscription. in 6.* non quidèm territorialem, sed in alieno territorio, habeat saltèm in exercitio, si non in habitu, vniuersam spiritualem, & quasi Episcopalem iurisdictionem in aliquo loco, eiusque Clero, & populo, eodem modo, quo etiam de præsenti Prælati Regulares eam habent cum Religiosis professis, ac etiam cum alijs non professis, in quibus verificentur tria requisita desiderata per Constitutionem Gregorij XIII. de quibus supra *disc.4.* quo casu Concilium prædictum, & Apostolicæ Constitutiones hanc vniuersam iurisdictionem moderarunt in aliquibus casibus, seù in aliquo causarum, & negotiorum genere, cum quodam termino exemptionis cōseruatiuo, Apostolicę scilicèt delegationis; Ideòque istius centenariæ vigore non competit dicta facultas allegandi priuilegium, vel alium titulum.

Alter casus est, vbi accedente centenaria, super exercitio dictæ iurisdictionis vniuersalis, etiam post Concilium, vsque ad tempus litis, etiam in actibus cadentibus sub iurisdictione, quæ Ordinario delegata fuit, sed tamen continuatum quoque fuerit in agnitione situationis loci intrà Diœcesim, de qua locus enunciatus fuerit; Et tunc paritèr centenaria dictam operationem non facit; Atque in his terminis propriè loquitur decisio in celebri *Constantien. iurisdictionis*, de qua *decis.324. par.1. recent.* quæ videtur Ordinariorum fauore, magistralis, & Achilles; Atque isto casu allegari non potest priuilegium Apostolicū, super vera separatione territorij, cum inductione qualitatis nullius, dum ita continuatum esse constat in statu situationis in Diœcesi, ideòque intrat solùm præsidium præscriptionis, quod suffragari nō potest ad hunc effectum, propter implicantiam consideratam *in d.dec.324. num.11.par.1.recent.*& de qua implicantia habetur pluriès suprà, ac etiam *in titulo de præeminen. disc. 2. cum pluribus seqq.* dandi scilicèt plura capita inuicèm

uicèm independentia, in vno, eodemque corpore; Ac propterea isto casu adhuc dicendus est Prelatus inferior in alieno territorio.

Et de consequenti intrare non potest præscriptio in actibus delegatis Ordinario, seù Diœcesano, ob decretum irritans, contentum in Bulla Pij IV. confirmatoria Concilij, & in alijs Apostolicis
11 Constitutionibus, eandem ordinariam iurisdictionem conferentibus, ob hodie vulgarem, nimiumque frequenter enunciatam præfati decreti irritantis virtutē, & operationem, inficiendi quamcumque contrariam possessionem, vel obseruantiam, ideòque impediendi præscriptionis perfectionem, quinimò se opponendi eius initio, vt nunquam incipiat, ob defectum primarij, magisque substantialis requisiti possessionis, dum ità dicitur eam non adesse; Istaque est vera ratio, ob quam hæc species centenariæ, non æquipolleat immemorabili, cum dicatur possessio centenaria imperfecta, & non pacifica, vtpoté habens dictam infectiuam qualitatem continuationis loci in statu Diœcesano.

Tertius demùm est casus centenariæ veræ, atque in omnibus perfectæ, & continuatæ vsque ad tempus litis, etiam post Concilium; Quia nempè ille, qui se prætendit Diœcesanum, intrà hoc spatium, nullum gesserit actum iurisdictionis, nec ordinariæ, nec delegatæ; E' conuerso autèm inferior Prælatus, vtramque exercuerit, absque dicta agnitione situationis in Diœcesi; Sed potiùs cum actu opposito, se enunciando scilicèt Nullius; Isteque casus subdiuiditur in duos alios, quorum primus est, vbi approbatio affirmatiua, per vltimum centenarium spatium, non excludat maiùs spatium in tempore antecedenti, de quo non constat, nec in bonum, nec in malum, idcòque vigeat possibilitas eiusdem status; Et secundò, vbi constet de diuerso, vel contrario statu, de antiquiori tempore.

In primo siquidèm casu, nulla cadere videtur probabilis dubitandi ratio, vt ista species centenariæ, non quidem in ratione præscriptionis, ad quam semper imprudens consilium est recurrere, vt supra aduertitur, sed in prædicta ratione facultatis allegandi priuilegium Apostolicum, non solùm æquipolleat immemorabili, sed illa maior, ac melior censenda sit; Istoque casu verior censenda
12 est opinio tenentium partem centenariæ in quæstione enunciata *d. disc. 3. de alienat. & contract. prohib.* quæ scilicèt sit maior, magisque priuilegiata, an centenaria, vel immemorabilis, dum istaquoque posterior sub priori includi, seù contineri dicitur.

In altero autem casu, quod scilicèt constet de diuerso, vel contrario statu, ac propterea verificetur assumptum, de quo in dicta huius causæ prima decisione, quod scilicèt habeatur initium; Et tunc, in alijs materijs intrat distinctio de qua suprà, ac etiam *disc. præcedenti*, & alibi pluriés, & præsertim *sub tit. de regalibus disc. 47. & sub tit. de emphyteusi disc. 73. in Romana Palatij de Frangipanijs, & d. disc. 3. de alienat. & contract.* ac etiam *sub titulo de iurepatronat. in Supplemento*. An scilicèt titulus, quod initium præstat huic possessioni, præcisè, ac principalitér productus fuerit à possessore, qui ad illum se restrinxerit, ac propterea excludatur possibilitas tituli melioris; Vel è conuerso, quamuis de vno titulo constet, infecto, vel inefficaci, non tamen excludatur possibilitas superuenientiæ alterius tituli melioris, vt isto posteriori casu adhuc centenaria eandem habeat virtutem, seù faciat operationem concedendi dictam facultatem allegandi alium titulum meliorem, ob ob non prohibitum de iure diuersorum titulorum cumulum, secùs autèm in priori casu restrictionis, iuxtà plenè deducta *decis. 218 par. 6. & decis. 29. par. 7. recen.* quæ reputatur in materia magistralis.

Verùm in ista specie, seù materia territorij separati, nimium dubitari potest, an ista facultas intret, quoniàm cum ista sit solùm probatio præsumpta, quæ sine dubio tolli potest, non solùm per contrariam probationem veram, &
13 expressam, sed etiam per alteram æquè præsumptam, ex fortioribus præsumptionibus deductam; Hinc ad rem magna in contrarium vrgere videtur præsumptio, ex Sedis Apostolicæ moderna obseruantia, non de facili concedendi huiusmodi priuilegia, sed nimium rarò, atque nonnisi ex magna causa, ad magnorum Principum præces, iuxtà casus huius-

huiusmodi modernarum concessionum, de quibus suprà *disc.7. & 8.*

Et fortiùs, quoniàm ab isto lapsu centenarij tẽporis citrà penè impossibile videtur huiusmodi præsumptã probationẽ, ad praxim deducere post reformationem scilicèt sub Pio IV. factam facultatum Pœnitentiarij, per cuius organum, vel Tribunal priùs de facili sub nomine Papæ multæ fiebant concessiones exorbitantes; Magis veró post erectionem tot Congregationum factam per Sixtum V. in eius *Constit.* 74. ex insinuatis *in Relat. Cur.* præsertim de Congregatione Consistoriali, in qua priús cum aliqua causæ cognitione examinantur huiusmodi concessiones, vel prouisiones concernentes, Diœcesum, vel territoriorum separationem, vel dismembrationem, aut respectiuè vnionem, atquè post traditum ab eadem Cõgregatione votum affirmatiuè, concessio fieri solet consistorialitèr, siuè aliàs per literas sub plumbo, quæ diligentèr registrantur, atque à dicto tempore registra, prout etiam acta consistorialia, quinimó, & illa præfatæ Congregationis diligentèr asseruantur in Archiuio Apostolico; Et consequentèr facilis redditur probatio negatiuæ, quæ priùs ante excidium Vrbis, ac etiam posteà antequam dicta reformatio sub Pio V. sequeretur, erat improbabilis ob possibilitatem, quod per diuersa organa actus sequutus esset.

Istam itaque dicebam videri, veram, germanamque huius materiæ theoricam, quodque propterea quæstio (vt initio præmissum est) non sit iuris, sed facti, & applicationis, de quo scilicèt ex di-
14 ctis casibus agatur, idque pendet ex singulorum casuum circumstantijs, ideóq; certam non recipit regulam, quod frequentiùs hodie in forensibus controuersijs contingit, & per consequens in hac facti specie maturum iudicium efformare non poteram, dum incertum erat, an subsisterent præsupposita agentium pro hac parte Archidiaconi, quod scilicèt adesset ista centenaria perfecta, etiam post Concilium, vsque ad tempus motæ litis, quodque actus iurisdictionales Archiepiscopi in decisionibus præsuppositi non haberent facti subsistentiam.

Quando etenim id in facto subsisteret,

adeòut versaremur in prima parte tertij
15 casus, quia nempè adesset centenaria pacifica, & perfecta affirmatiua, absque eo, quod constaret de anteriori statu diuerso, vel contrario, itàvt etiam pro sęculis antecedentibus vigeat eiusdem status possibilitas, tunc nimium in idem conferre obseruabam plura argumenta, quę ex hac parte cõsiderabantur, ac etiã cum authenticis documentis iustificabãtur, istam antiquam qualitatem territorij verè separati, ac nullius comprobantia; Primó nempè Constitutiones Synodales editæ de anno 1355. & sic per tria sęcula ante hanc litem per Archiepiscopum Petrum de Pino, in quibus enunciatur, quod Archidiaconus habeat suã Dięcesim distinctam à Dięcesi Archiepiscopi constitutam ex dictis Castris, vel locis, in quibus Archiepiscopus non possit, nec debeat se intromittere, cùm Archidiaconus ibi habeat totum ius Episcopale; Secundó multi actus iurisdictionales spectantes ad iurisdictionem à Concilio delegatam Diœcesano Ordinario in locis existentibus sub iurisdictione Prælati inferioris, vt sunt causæ criminales, & matrimoniales, obseruationes festorum, concessiones Monitorialium, pro habendis reuelationibus, & similes; Tertió, quod in Cathalogo, seù taxa locorum Diœcesis, pro subsidio charitatiuo debito per Diœcesanos facto de anno 1385. per Archiepiscopum de Aquino ista loca non legũtur; Et quartò fortiùs ex stylo Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ, vel Secretariæ Breuium in literis Apostolicis collationis beneficiorum, vel ordinum, aut dispensationum matrimonialium rescribendi huic Archidiacono tanquam proprio Ordinario, quod practicari non solet cum Prælatis inferioribus in aliena Diœcesi, cum similibus actibus, alijsque argumentis, de quibus infrà.

Et quamuis aduersus hæc, præsertim verò aduersus dictam Constitutionem Synodalem, in præfatis causæ decisionibus duplicitèr respondeatur; Primó nempè de illarum reuocatione, seù annullatione per Archiepiscopum Sabellũ de anno 1567. Et secundò, quod Archiepiscopus auctor huiusmodi Constitutionum non poterat, cum huiusmodi
16 assertione præiudicare, ex ratione, de

qua *disc. praecedenti*, quod scilicèt, in prohibitis non defertur assertionibus, né quod est directè prohibitum, ita indirectè sequatur.

Neutra verò huiusmodi responsionum obstare videbatur, siquidem prima cessabat ex facto, quod scilicèt, reuocatio dictarum Constitutionum non esset generalis in omnibus, sed solùm in aliquibus partibus, inter quas ista non legitur; Et quoad alteram, tunc ea rectè procederet, quando in ea principale constitue-
17 retur fundamentum, atque deduceretur tanquam titulus, vel melior probatio, iuxtà casum de quo *disc. praecedenti*; Secùs autem, vbi constituto fundamento in priuilegio Apostolico, quod in vim centenariæ, vt supra allegare licèt, ad corroborationem huius præsumptionis legalis, aliæ præsumptiones, & adminicula facti cumulentur; Vt in specie huiusmodi assertionum, vel confessionum Ordinarij, illas ponderando tanquam vnam ex speciebus præsumptionum, & adminiculorum efficacium, ob inuerisimilitudinem, quod contra proprium commodum, & interesse factæ sint, aduertitur *sub tit. de iurepatron. pluriès, & praesertim disc. 57. & 58.*

Potissimè verò, & fortiùs vbi confessio non est nuda, sed vestita, seù corroborata pluribus alijs argumentis, & adminiculis, vt suprá, ex eo principio, de quo *sub tit. de iudic. disc. 23. & sub tit. de dote disc. 159. & alibi pluriès*, quod etiam in prohibitis Prælati, vel tutoris, aut alterius administratoris, vel principalis alienare, vel præiudicare prohibiti confessio adminiculata probat, atque attenditur.

Vrgentissimum quoque adminiculum, præsupposita pacifica possessione, etiam post Concilium continuata, vt suprà, per annos 86. decursos inter publica-
18 tionem Concilij, & litem, resultare dicebam ab omninó inuerisimili acquiescentia, & patientia Episcoporum pro tempore, dum ista Ecclesia, quæ est ex primarijs Italiæ, quinimó Orbis Catholici, & præsertim in amplitudine prouinciæ, magnoque viginti quatuor circitér Suffraganeorum numero, in quo fortè in toto Orbe, non habet æqualem, regi, seù administrari consueuit per insignes, & qualificatos Cardinales, & Prælatos respectiuè, inter quos, circa initia sæculi currentis, plurium annorum spatio, illam possedit, ac rexit, cum actuali residentia post Concilium, in Italia præsertim inconcussè obseruata, Cardinalis Arigonius, qui doctus Iuris Consultus priùs plurium annorum spatio fuit Rotæ Auditor, atque ad Purpuram euectus, erat vnus ex Cardinalibus Congregationis Concilij, & consequenter informatissimus de eiusdem Concilij decretis, quæ ab ipso initio publicationis Notorij speciem habuerunt apud Episcopos, dum ipsimet in Concilio congregati, fuerunt eorum auctores, & compilatores; Et eo magis quia Archiepiscopus Sabellus, de anno 1567. & sic de tempore proximo, infra triennium publicationis, ab eisdem decretis admonitus, atque pro eorum obseruantia, & exequutione, sollicitus fuit reformare dictas Synodales Constitutiones, per duo sæcula antecedentia editas, in ijs, quæ eiusdem Concilij decretis, vel sensibus aduersarentur; Eo magis ista veritas comprobari videtur, quod scilicèt, prorsùs inuerisimile sit, vt huius omnimodę iurisdictionis continuatio, cum lege diœcesana permissa non foret, nisi talis esset veritas, tunc rectè agnita, & iustificata, nobis autem nunc ignota ob memoriæ peremptionem ex diuturno tempore resultantem, per mortem eorum, qui informati erant, Et quæ est potissima ratio, virtutis vel operationis, quæ immemorabili, vel centenariæ tribuitur; Ideòque reuocatio, vel moderatio huiusmodi Constitutionum, in quibus adeò magnum in decisionibus, & præsertim vltimis fundamentum constituitur, potiùs retorquetur, atque pro admiculo deseruit.

Illo quoque ponderato nimium probabili, & efficaci adminiculo, quod in alia *Beneuentana* habetur supra *disc. 12.*, quod scilicèt, non agitur de inferiori Prælato absente, qui præsens in loco controuerso, ibique habens, ac exercens dominicalem, & temporalem iurisdictionem, ita paulatim, Archiepiscopo absente, & ignaro, eius Vicarijs foraneis, alijsque inferioribus ministris negligentibus, vel contradicere non audentibus, propter potentiam, quam ille Prælatus haberet, ratione dominij, & imperij temporalis, in spiritualis quoque

que Episcopalis iurisdictionis possessione se intrusetit, iuxtà casus de quibus supra *disc. 1. cum pluribus seqq.*; Minùsque agitur de Prælato regulari exempto, aliquos actus explicante in proprio Monasterio, in quo Ordinatius iurisdictionem non habet, sed agitur de Prælato possidente primam dignitatem, in ipsamet Cathedrali, seù Metropolitana, ipsius Archiepiscopi subdito, atque apud eum continuó assistente; Et quod magis est, longo tempore exercente hanc iurisdictionem, non solùm in faciem ipsius Archiepiscopi, eiusque Officialium, cum eorum positiua, & inexcusabili scientia, sed etiam cum positiua approbatione, quod scilicèt, ipsa met Curia Archiepiscopalis, proprios Subditos ipsi Archidiacono remisit pro obseruantia decreti conciliaris *Sess.* 24. *de reformat. cap.* 20; Ac etiam carceres, & familiam ei accommodare consueuit, & fortiùs quia ijdem Archiepiscopi pro tempore, in ordinationibus generalibus istorum locorum Clericos ordinarunt, cum literis dimissorialibus Archidiaconi, eo modo, quo ordinarunt Subditos aliorum Episcoporum, ideòque ex his omnibus simul iunctis, nimium euidens huius veritatis probatio resultare videbatur, quamuis singulæ probationes, vel argumenta difficultates pati possent; Quoniam cum agatur de facto antiquo in quo, ob peremptam rerum memoriam haberi, non valeant illæ distinctæ notitiæ, quæ in factis recentibus habentur, ita procedendum est, cum regula, seù axiomate, *quod singula, quæ non prosunt, &c.* vt in proposito probationis dominij in antiquis aduertitur, apud *Caualer. decis.* 93. *&* 201. *& alibi frequenter.*

In disputationibus habitis in tertia instantia *coram Taia* coram quo prodierunt præfatæ *decisiones* 440. *par.* 13. *&* 21.
19 *par.* 14. *recentior.* Cum Scribentes pro Archidiacono prædecessore, quorum aliqui scripsetant in consimili controuersia *Toletana*, de qua supra *disc.* 1., vt saltim aliquid obtinerent, atque ita iactura redderetur minor, conuolassent ad motiuum in eodem *disc.* 1. expensum, quod scilicét, ex præmissis resultaret saltem præscriptio iurisdictionis inferioris sub Episcopo, iuxta terminos, *textus in cap. Auditis de præscript. cum notatis per Canonistas ibidem, & in cap. olim eodem tit.* ex allegatis *eodem disc.* 1. dum ita negari non poterat, adesse possessionem compatibilem eum actibus, qui præsupponebantur gesti per Archiepiscopum, vtpotè referibilibus ad iurisdictionem delegatam, vel etiam ad eam ordinarlam cumulatiuam, quæ in eodem *capitulo Auditis* ponderatur, Quodque præfatæ Constitutiones Synodales anni 1355., aliaque plura documenta deseruirent saltim pro titulo colorato, vel putatiuo, qui iunctus cum quadtagenaria vim centenariæ, seù immemorabilis regularitèr habere videtur.

Adhuc tamen, vt patet ex eisdem *decisionibus* 440. *par.* 13. *&* 21. *par.* 14. *recent.* motiuum reiectum fuit ex duplici fundamento; Primò nempè, quod cum hactenus Archidiaconus declarasset possidere hanc iurisdictionem ex iure priuatiuo territorij separati, non poterat nunc cònuolare ad istud diuersum ius cumulatiuum; Et Secundò, quod stante prædictarum Constitutionum Synodalium reuocatione, titulus infectus fuerat, ita, & taliter, vt in Archidiacono pro tempore inducta esset mala fides, quæ præscriptioni se opponit, eamque impedit, quocumque longissimo temporis lapsu etiam mille annorum neglecto.

Quamuis autem in huius nouæ disputationis præparatione, determinatum esset istud motiuum negligere, insistendo in altero pinguiori, quod ab initio assumptum fuit, iurisdictionis scilicèt, omnimodæ, & priuatiuæ, cum territorio separato, vt suprá; Attamen, in sensu etiam veritatis, reflectendo ad istas posteriores decisiones, mihi videbatur, quod omninò improbabiles essent, &
20 quodammodò animosæ, denegando saltem istam speciem iurisdictionis, quàm idem Concilium non abhorruit, sed potiùs approbauit, dum ita cessant illa inconuenientia, quæ conciliaribus decretis impulsum dederunt, super delegata iurisdictione, in causis criminalibus, & matrimonialibus, & super approbatione Confessorum, aut Prædicatorum, ac alijs concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, dum his seclusis, in reliquis iurisdictio spiritualis, & præsertim in paruis locis, (vt alibi aduertitur,) quodammodó ce-

rimonialis remanere videtur, atque potiùs in hac facti specie redundare videtur in decus, & maiestatem Ecclesiæ, & Archiepiscopi, habendi scilicèt Dignitates huiusmodi Prælatura decoratas.

Et quoad dictas responsiones, omninò insubsistens videbatur prima, ex certò iuris principio, de quo *sub tit. de iudic.*
21 *disc.* 8. *& alibi pluries*, quod scilicèt, in Actore prohibitus est cumulus diuersarum actionum, secùs autem in reo, & possessore, qui nedùm diuersas, sed etiam contrarias deducere potest exceptiones; Ac etiam quia, vt pluries habetur *sub tit. de benefic. & alibi*, in iure prohibitum non est plures cumulare titulos, neque ex eo, quod magis pinguis non admittatur, in ferri potest ad incompetentiam alterius minùs pinguis, dum vnus non est alterius omninò destructiuus, & incompatibilis.

Et quoad alterum motiuum malæ fidei, illud quoque videbatur magis improbabile; Tum quia, præfata moderatio Constitutionum Synodalium est, ad alios effectus, vt suprà; Tum etiam quia,
22 non constat de eiusdem reuocationis adeò certa, & positiua scientia, quæ induceret malam fidem veram, & positiuam, qualis ad impediendam præscriptionem requiritur, cum dispositio iuris Canoniei fundata sit in ratione peccati, ideóque circam malam fidem præsumptã incorrecta remanet dispositio iuris ciuilis, vt aduertitur *dicto tit. de iudic. disc.* 21. & in alijs locis, ibi insinuatis, Potissimè quoniam agitur de dignitate, quæ in tempora possessa fuit, per diuersas personas inter se independentes; Et magis quia, potiùs in eis adesse, & confirmari potuit bona fides ex Archiepiscoporum patientia, & permissione, & ex alijs actibus, & argumentis, de quibus supra, quodque dictæ Constitutiones Synodales non continent huius iurisdictionis nouam, ac formalem concessionem ex integro, ac propterea induci potuerit mala fides ex dispositione iuris denegantis Episcopo hanc potestatem, sed potiùs procedunt per viam declarationis, ac agnitionis veritatis iam ab antiquo præexistentis, ideóque non videbatur quomodò termini malæ fidei desuper cadere possent.

Calaritana concessionis licentiæ.

PRO

Archiepiscopo Calaritano.

CVM

Archiepiscopo Arboren., alijsque Episcopis.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Concilij.

An Ordinarius teneatur inuitus licentiam dare Episcopo, alterius diœcesis exercendi iurisdictionem, & pontificalia cum suis Subditis, in eius diœcesi, vel territorio; Et qui actus in aliena diœcesi fieri possint sine dicta licentia; Et incidenter de obligatione residentię ad ea, de quibus suprà *disc.* 24.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo Ecclesiastica immunitas defendenda, & conseruanda sit melius.*
3 *Dubia cum resolutionibus.*
4 *Non possunt exerceri pontificalia in aliena diœcesi.*
5 *De actibus, qui possunt exerceri in aliena diœcesi.*
6 *An & quale examen teneri possit in aliena diœcesi; & an concursus ad parochiales.*
7 *Iurisdictio contentiosa non potest exerceri in alieno territorio.*
8 *De actibus, qui etiam in hac tempore in alieno territorio exerceri possunt.*
9 *De actibus, & tractatibus honorificis, & præminentialibus in aliena diœcesi.*
10 *Quando Ordinarius prohibeat Episcopo extero etiam tractamenta honorifica.*
11 *An & quando Ordinarius teneatur pati, quod alter Episcopus in eius diœcesi exerceat iurisdictionem.*
12 *An & quando insalubritas aeris loci Cathedralis excuset à residentia.*
13 *De temporibus ordinationum.*

14 *Quan-*

14 *Quando Episcopus residere non potest in diœcesi, quod residere debeat in loco vicino.*
15 *Non datur nisi vnum Tribunal Episcopale, & vnus Vicarius Generalis.*
16 *De literis hortatorijs, vel requisitorijs pro exequutione in diœcesi extra proprium territorium.*

DISC. XCVIII.



X motiuo insalubritatis aeris propriæ diœcesis, aliquibus Episcopis Insulæ Sardineæ, præsertim verò Archiepiscopo Arboreñ, vulgò Ore-
1 stañ, residentiam penè continuam habentibus in Regia Ciuitate Calaritana, in qua frequentius resident Prorex, & suprema illius Regni Tribnnalia, consueuit Archiepiscopus eiusdem Ciuitatis beneuolè requisitus eis licentiam tribuere, ibi exercendi pontificalia cum proprijs subditis, & præsertim circa collationem ordinum; Cumque paulatim, ijdem Episcopi cœpissent in dicta Ciuitate cognoscere aliquas propriarum diœcesum causas contentiosas, illas præsertim, quæ concernerent materiam fori, vel Ecclesiasticæ immunitatis localis, & realis, aut personalis, idque prudenter Archiepiscopus Diœcesanus nō laudaret ac proptereà licentiam denegaret, ex nimium probabili, & prudenti motiuo, effugiēdi huiusmodi iurisdictionales controuersias in ipsa met Regia, seù Metropolitica Ciuitate, cum supremis Magistratibus, ne ita aliorum Episcoporum imprudentia, vel indiscretus, malèque regulatus zelns Ecclesiasticus, interrum-
2 peret illam quietem, ac beneuolentiam qua mediante, longè meliùs Ecclesiastica immunitas, ac iurisdictio conseruatur; Hinc dicti Episcopi, & præsertim præfatus Archiepiscopus Arboreñ, aduersùs hanc denegatam licentiæ concessionem, quæ ibi pro regionis loquendi vsu, concessio territorij dicitur, Sacram Congregationem adierunt, ita se conquærendo indebitè grauatos; Ipsaque Congregatione pro eius stylo scribente Archiepiscopo prò informatione, ad istius effectum, eius Agentibus, me consulentibus, dixi, quod non solùm ab indebitis recursibus excusatio facienda erat, sed etiam reconueniendo recurrentes, instandum erat, vt eis accessus ad propriam residentiam præciperetur.

Quare tria ex hac parte proposita fuerunt dubia, ita per ipsum met Archiepiscopum concepta.

3 Primò nempè, an Episcopus in aliena diœcesi cum proprijs subditis vtramque contentiosam, & voluntariam iurisdictionem, & pontificalia exercere valeat, sinè Ordinarij loci licentia.

Secundò, an Ordinarius requisitus eam concedere teneatur; Et tertiò, an dicta licentia peti debeat nomine ipsius Episcopi, vel sufficiat, vt petatur nomine eius Procuratoris Fiscalis.

Scribens itaque pró Archiepiscopo diœcesano; Quatenùs pertinet ad primum, me excusabam cum desiderio Principalis, dum aliàs agnoscebam, quod esset dubium incongruum, vtpotè in re
4 expresśè, ac literalitèr decisa per Sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 6. de reformat. cap. 5. & Sess. 23. etiam de reformat. cap. 8.* circa vsum pontificalium in aliena diœcesi absque licentia diœcesani, atque habetur supra *hoc eodem tit. disc. 20. & in annot. ad idem Concil. disc. 6. & 14.*

Circa verò exercitium iurisdictionis, distinguendo voluntariam à contentiosa; Prima species, quoties non exigat exercitium pontificalium, minúsque formam iudicij, vel Tribunalis, nullam habere videtur prohibitionem, Puta in collatione beneficiorum absque oppositione; Siuè in deputatione Vicarij generalis, aliorumque officiorum, vel in delegatione causarum, alijsque similibus, actibus; Ac etiam in concessione primæ tonsuræ, quoniam cum ista aliud
5 non importet, nisi simplicem adscriptionem militiæ clericali, atque licèt ex magis recepta opinione, constituat personam in ordine Ecclesiastico in genere, & imprimat speciem characteris indelebilis, ad effectum reassumptionis habitus, & status clericalis, etiam post dimissionem, nihilominùs non est ordo particularis, qui certam habeat formam, vel solemnitatem, in collatione cum vsu pontificalium; Respectu verò aliorum ordinum, etiam sacrorum, concedere

potest ex alieno territorio, absque licentia Ordinarij literas dimissoriales pro eis suscipiendis, à certo vel incerto Episcopo Catholico, qui Sedis Apostolicæ communionem habeat.

Prout ad hunc effectum Ordinum, prohibitum non videtur, in aliena diœcesi, absque Diœcesani licentia, tenere examen formatum cum interuentu plurium
6 examinatorum per quandam speciem Collegij, seù Tribunalis, quoniam id non tollit, quin iste sit actus merè voluntariæ iurisdictionis, absque oppositore, vel absque aliqua coactione examinandorum, dum isti voluntariè id agunt, ita se exhibendo ostendere eorum idoneitatem ad effectum obtinendi licentiam, super promotione ab eis desiderata; Idemque in eo examine, quod teneatur eorum, qui cupiunt obtinere facultatem audiendi confessiones sacramentales; siuè illorum, qui sinè oppositore ob pacificam vacationem prouisi fuerint de beneficijs, per Sedem Apostolicam, in forma rigorosa, quæ dicitur *dignum*, directa scilicèt Ordinario, sub conditione, quatenus eum dignum, & idoneum repererit, quoniam in prædictis casibus Examinatores non habent votum decisiuum, sed solùm consultiuum, eosque potest Episcopus non adhibere, sed examinare per se ipsum, vel etiam sinè examine, per extraiudiciales etiam occultas informationes, se certificare de idoneitate; Aut quia ea notoria sit in loco, siuè quod alia occasione sibi innotescat, cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Secùs verò in illo formali, & solemni examine, quod per necesse tenendum est, ab Examinatoribus Synodalibus in prouisione parochialium, iuxtà formam præscriptam à Concilio Tridentino, ex deductis in sua materia *sub tit. de Paroch. disc.* 1. *& seqq.* & 37. quoniam, dum Examinatores habentes votum decisiuum, constituunt formale Collegium, seù speciem Tribunalis inter plures concurrentes, aliquos approbando, & aliquos reprobando, acta & processus desuper conficiendo, ideòque redolet speciem iurisdictionis potiùs contentiosæ, quàm voluntariæ, ac propterea praxis est, quod quando Episcopus sit absens, atque in aliena diœcesi moretur, concursus fiat coram Vicario Generali, eoque perfecto, transmittatur Episcopo nota approbatorum, ex quibus præelectionem sibi incumbentem faciat, cum prouisione beneficij, quando ea esset ordinaria, vel cum concessione testimonialium, quando fieri debeat per Sedem Apostolicam, dum post peractum concursum, iste actus dicitur extraiudicialis, & voluntariæ iurisdictionis, qui in diuerso loco, & in diuerso tempore explicari potest per Episcopum quamuis coram eo concursus habitus non fuerit, *vt dicto disc.* 1. *de paroch.*

In altera verò specie iurisdictionis contentiosæ, extra omne dubium est, vt
7 exerceri non possit, ex generica dispositione vtriusque iuris Ciuilis & Canonici, ex ijs, quæ habentur supra *dicto disc.* 20. *hoc tit.* ac etiam in *Miscellan. ecclesiastico lib.* 14. *dist.* 22. occasione agendi de impartitione bracchij pro executione illorum actuum iurisdictionalium, qui in propria diœcesi, vel proprio territorio demandati fuerint.

Verùm in hac specie prohibitum non videtur, extra proprium territorium, etiam sinè Ordinarij loci licentia, facere idem quod supra de examine pro-
8 mouendorum ad ordines, vel ad confessiones, siuè prouidendorum de beneficijs est dictum; Quinimò etiam in magis contentiosa forma contradictoria cum Aduocatis, & Procuratoribus Partium, quia nempè Ciuili, vel Criminali causa introducta, & pendente in Tribunali Episcopali, quod intra diœcesim regat Vicarius Generalis cum Notario, & Promotore Fiscali, alijsque Officialibus, & Ministris, Episcopus, qui in aliena moretur diœcesi per informationem extraiudicialem certiorari velit de statu, & meritis causæ, suumque votum præbere, vel indicare, iuxtà quod Vicarius procedere, ac sententiare debeat, quodque ad hunc effectum aliquos adhibeat Iurisperitos, cum quibus Congregationem, tanquàm per speciem Tribunalis teneat, atque in ea Partes etiam in contradictorio cum earum Aduocatis, & Procuratoribus audiat, dum in effectu sit actus extraiudicialis, atque contendentium Partium inuitatiuus potiùs, quàm coactiuus; Quemadmodum enim non prohibetur Episcopus in causis pendentibus in proprio Tribunali, deputare vnum, vel plu-

res

res Assessores, vel Consultores, etiam laicos, in aliena diœcesi morantes, Partes monendo, vt illos informent, idque in contradictoria forma sequi potest, ac solet, ad effectum, vt cum huiusmodi Consultorum voto in procedendo, & iudicando ipse Episcopus, vel eius Vicarius se regulare debeat, Ita nulla vrget ratio, quæ prohibeat, quin idem Episcopus cum sibi visis peritis, & Consultoribus id agat, dummodó tamen acta iudicialia fiant in territorio; Ad instar eorum, quæ habemus in Curia in Tribunalibus Rotæ, & Cameræ, ac Auditoris Cameræ, & alijs, circa dies iuridicas, & feriatas respectiué, quod scilicèt, sententiæ, & decreta, aliaque acta iudicialia fieri non possunt, nisi in diebus iuridicis non feriatis, & tamen in diebus feriatis, & non iuridicis in Tribunali Auditoris Cameræ audiuntur informationes Partium in contradictorio cum Aduocatis, & Procuratoribus; Ac etiam in Rota, & Camera capiuntur resolutiones per speciem voti ad cuius normam postmodum in die iuridica proferuntur sententiæ, vel fiunt decreta, aliaque acta ex insinuatis in Relatione *Cur. disc. 32. & seqq. cum similibus*.

Et quoad actus honorificos, seù præeminentiales in aliena diœcesi obtinendos, vel exercibiles absque Ordinarij licentia, iuxtà insinuata etiam supra *dicto disc. 20.*
9 ea videtur vera, & recepta distinctio, quod; Aut agitur de illis præeminentijs; quæ redoleant iurisdictionem, & pontificalia, vt (ex:gr:) sunt benedicere populum, sedere sub trhono elato, seù baldacchino, deferre crucem, & mozzettam, ac similia; Et tunc id non liceat; Idque adeó verùm, vt neque id liceat ipsimet Metropolitano in propria Prouincia, quoties in ea non sit occasione exercendi ius Metropoliticum, vt aduertitur *in annotat. ad Concil. Tridem. dicto disc. 6. & 14.* Aut veró de merè honorificis tractamentis ratione Prælaturæ, & Episcopalis dignitatis, puta in genuflexorio, cum puluinaribus, & strato, vel in aliqua honorifica Sede, cum qua, á reliquo populo distinguatur, siuè cum aliquo occursu, vel associatione, cum similibus actibus, qui congruentiæ potiùs, quá iurisdictioni referendi veniunt, sinè exercitio pontificalium: Et tunc id nullam habeat prohibitionem legis, nisi accedat illa hominis, quia nempè ipse Ordinarius, vel diœcesanus id fieri prohibeat.

Ista veró prohibitio fieri potest in Ecclesijs, & locis sibi subditis, non autem in exemptis, in quibus prohiberi possunt, imó prohibiti sunt præfati actus præeminentiales, qui redolent iurisdictionem, non autem isti merè vrbani, & honorifici, vt fuisse resolutum per Sacram Congregationem Rituum aduertitur *in annotationibus ad dictum disc. 20.*

Benè verùm, quod id recipiendum quoque videtur, quatenùs iustum, ac rationabile motiuum prohibendi non accedat, adeòvt prohibitio, vel denega-
10 tio æmulationi; vel inciuilitati potiùs referenda veniat; Secùs autem iusta causa accedente, ob quàm etiam in locis exemptis intrare valeat Ordinarij loci delegata iurisdictio in genere illarum rerum, quæ respiciant cultum Diuinum, vel curam animarum, vt ità scilicèt, cum denegatione etiam huiusmodi honorificorum actuum, indirectè coerceantur Episcopi ad residendum in propria diœcesi, & non euagentur per diœceses alienas, ibique morando, ipsius Ordinarij, vel diœcesani regimen inquierent, vel perturbent, vt quandoque praxis docet.

Quo veró ad secundum dubium, dicebam quod nullibi cautum est, in iure, vt teneatur quis inuitus pati, quod alter in eius propria domo absque necessitate
11 exerceat illos actus iurisdictionales, quos exercere debet in domo propria, quoties non accedat iusta causa, qualis, exempli gratia, dicenda venit illa in casu, de quo supra *disc. 20.*, vel quia Episcopus ob diffidentiam Principis, vel ex alio accidenti non possit residere in diœcesi propria, vndé residendo in aliena iustè cupiat per se ipsum proprijs diœcesanis Ordines conferre, cum similibus casibus, quibus eadem congruat ratio.

Illa verò coactio, quàm lex induxit in ordinarijs locorum Magistratibus, vt bracchium implorantibus impertiri debeant, percutit diuersum casum, de quo *dicto disc. 22. Miscellan. Ecclesiast.* quod scilicèt, in personis, vel bonis, quæ in aliena sint diœcesi, oporteat exequi ea, quæ iam legitimè in proprio territorio decreta fuerint, non autem quoad volunta-

luntarium exercitium illorum actuum, qui in propria Ditione explicari solent, ac debent.

Eandemque distinctionem, de qua supra adhibendo, inter iurisdictionem voluntariam, & contentiosam; Quatenùs pertinet ad primam, præsertim circa col-
12 lationem ordinum, vel consecrationem lapidum, & vasorum sacrorum, adeòvt oporteat exercere vsum pontificalium; Aduertebam, quod tunc accedere videretur iusta causa, ac propterea iniusta esset ordinarij loci denegatio licentiæ, quod Sacra Congregatio concederet, vel concedi præciperet, iuxtà ea quæ in iure habemus, de suppletione per Iudicem facienda illius consensus, qui indebitè denegaretur, quando dicta ratio iusti impedimenti vrgeret, nè id sequi posset in propria diœcesi, quia nempè impedimentum esset perpetuum, seu continuũ; secùs autem vbi agatur de isto insalubritatis aeris; Quoniam ea est localis, ideóque si cadit in ipsa Ciuitate, in qua sita est Cathedralis, non per hoc resultat iustum impedimentum id peragendi in propria diœcesi, dum rectè sequi potest in alijs locis salubrioris aeris diœcesis, intra quam Episcopus residere debet.

Quemadmodum etenim Episcopus, non tenetur semper residere in Ciuitate, siuè apud Ecclesiam Cathedralem, sed residendo in quacumque parte diœcesis residentiæ obligationi satisfacit, ibique Tribunal erectum habere potest, ex deductis supra *disc.22.& 24.* Ita è conuerso non ex eo, quod Ciuitas, vel locus Cathedralis aliquod impedimentum habeat, excusatur ab onere residentiæ, quod explere potest in alijs partibus diœcesis, iuxtà exemplum Episcopi Gebennensis, & Archiepiscopi Compsani, Episcopi Vulturarieñ, & Caputaqueñ, pluriumque similium.

Prætereà vbi hoc impedimentum insalubritatis aeris verificaretur in tota diœcesi, quod nimium raró deducitur ad praxim, illis exceptis Episcopatibus, qui nullam habeant diœcesim, sed restricti sint ad solam Ciuitatem, eiusque angustum territorium, quorum mentio habetur supra, *ac etiam sub tit. de præeminent. disc.6. in fine*, Adhuc tamen ad istum effectum collationis ordinum, id in nulla consideratione habendum esse dicebam; siquidem istud impedimentum aeris locum habet tem-
13 poribus æstatis, & autumni, non autem in alijs Hyemis, & Veris, vt notoria praxis docet; Ordinationes autem generales statutæ sunt, penè omnes in his vltimis temporibus Hyberni, & Veris, siquidem sex sunt ordinationum tempora, vt aduertitur *in adnotationibus ad Sac.Concil. Trident. disc.14.* nempè; In Sabato quatuor Temporum Decembris; In alio Sabato quatuor Temporum Quadragesimæ; In Sabato ante Dominicam Passionis, vulgò *Sitientes*; In Sabato Sancto; In Vigilia Pentecostes; Et Sabato quatuor Temporum Septembris; Et sic isto vltimo tempore excepto, reliqua omnia, vtpotè Hyberno, vel Verè, istud non habent aeris impedimentum, quinimó omnia sunt in illis diebus, in quibus Episcopus præcisè residere debet apud Cathedralem, adeóvt non sufficiat esse in diœcesi, iuxtà Decretum Concilij Tridentini *Sess.23. de reformat. cap.1.* vt in specie habetur *dicto disc.24.* igitur multò minùs concedendum est, vt morari liceat extra diœcesim, ideóque excusatio verificabilis est in vnica ordinatione, Septembris, quàm nulla cogit necessitas habere, dum quinque alia tempora super sunt.

Prætereà aduertebam, quod etiam in
14 tempore impedito, permittendum non est pro ipsius Episcopi oblectamento, vel maiori commoditate, longè abesse à proprio Ouili, quoniam faciendo totum id, quod potest ex parte sua, morari debet in loco, quo magis fieri potest proximo, vt ita facilis, & promptus sit Subditorum recursus ad eum, ipseque promptè occurrere valeat casibus contingentibus, istaque vicinitas oportunitatem præbet, vt huiusmodi functiones in propria diœcesi fieri valeant, accedendo, scilicèt, ad locum proximum de mane, & redeundo de sero, cum ita insalubritas aeris non obstet; Ac propterea per idem Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, ac etiam per praxim Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ edocemur, quod Sede Episcopali vacante, ea quæ Episcopo incumbunt, seu committenda essent, committuntur Episcopo viciniori, non autem Metropolitano, vel alteri remotiori; Ergo multó

magis

magis Episcopus proprius, quando sit iustè impeditus morari intrà limites propriæ Diœcesis, prout obligatio exigit, morari debet in loco adiacenti.

Quo verò ad alteram speciem iurisdictionis contentiosæ; Dicebam rem pro-
15 cedere magis de plano pro negatiua, ex solo facto, ex quo ius oriebatur, quòd scilicèt in propria Diœcesi retinetur Vicarius Generalis cum Notario, & Promotore fiscali, alijsque officialibus constituentibus Tribunal, & per consequens dandum non est aliud Tribunal Episcopale, dum ex deductis suprà *d. disc. 22. cum seqq.* etiam in ipsamet Diœcesi, non datur nisi vnicum Tribunal æquè constitutum ex Episcopo, & Vicario generali, cuius pluralitas non datur, adeòvt alij officiales locales, quamuis honorificentiæ gratia eumdem habeant titulum Vicarij generalis, reverà tamen sunt Vicarij foranei, solùmque Episcopo volente, non autem inuito verificabilis videtur duplicitas Vicariorum, & Tribunalium in duabus Cathedralibus, vel Diœcesibus æquè principalitèr vnitis, vt locis citatis aduertitur, & alibi pluriès, & præsertim in praxi contingit Sede Episcopali vacante, quod duo constituuntur Vicarij generales per cuiuslibet respectiuè Ecclesiæ Capitulum ex deductis *sub tit. de Canonic. & Capitul. disc. 26.* & infrà *sub tit. de præemin. disc. 7.* ac etiam *in annot ad Concil. Trident. disc. 31.*

Hinc opus nõ erat agere de tertio dubio, quoniam si Ordinarius loci inuitus
16 non tenetur huiusmodi licentiam concedere, sed totum prouenit ab eius arbitrio, & vrbanitate, hinc stultitiæ species videtur, superbè agere, atque rogare nolle in ijs, quę ex vrbanitate, ac beneuolentia concedenda sint.

Tunc autem aduertebam, quod solæ instantiæ Promotoris sufficere deberent, quando ageretur de superiùs insinuata brachij necessaria impartitione, pro exequutione eorum, quæ iam legitimè in proprio territorio decreta sunt; Et nihilominùs etiam isto casu, cùm stylus vniuersalis sit in vtroque foro Ecclesiastico, & laicali adhibere illas literas, quæ hortatoriæ, vel requisitoriæ dicuntur, hinc proindè sine huiusmodi literis, iustè posset Ordinarius id denegare, cùm rectè dicere valeat se certificare velle, an idem Episcopus, vel Prælatus, qui ita decreuit, extrà proprium territorium cupiat iudicati exequutionem, nec ne.

Neapolitana Interdicti.

PRO

Archiepiscopo

CVM

Abbate Monasterij S. Petri ad Aram Canonicorum Regularium Lateranensium.

Casus disputatus in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium, resolutus pro Archiepiscopo.

An Prælatus inferior, qui habeat iurisdictionem in Monasterio, & Ecclesia exempta, possit eamdem Ecclesiam interdicto supponere; Et incidentèr de ijsdem de quibus suprà *disc. 26.* & in alijs super iurisdictione Ordinarij in Monasterijs Monialium exemptis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum resolutione.*
2 *Prælatus inferior non potest apponere interdictum in Ecclesia, & de ratione, & in quo consistat eius iurisdictio.*
3 *An possit de facto tenere Ecclesiam clausam, atque in ea non officiare, vel possit Ordinarius id prohibere.*
4 *De rebus concernentibus clausuram pertinet ad Ordinarium etiam in Monasterijs exemptis cognoscere.*
5 *An Ordinarius puniat inferiorem Prælatum exemptum ob illud iurisdictionis exercitium, quod de iure ei non competat.*



DISC.

DISC. XCIX.



1 EQVVTIS occasione bacchanalium lætitiarum aliquibus sæcularium leuitatibus ante crates Monasterij Monialium nuncupati *Regina Cæli*, quod præsupponitur exemptum ab Ordinario sub iurisdictione, & regimine præfati Abbatis, timens iste ab Archiepiscopo præueniri, & ne in prætensa eius iurisdictione præiudicium pateretur, hinc eiusdem Monasterij Ecclesiam interdicto supposuit; Quare de his habita notitia per Archiepiscopũ, iste informatione capta, alijsque seruatis seruandis, declarando inualidum, & attentatum quidquid á præfato Abbate gestũ esset, aliquas dedit prouisiones contra illas Moniales, quę ex parte interiori, dictis leuitatibus exterioribus assistisseut, ac etiam contra ipsos sæculares, atque prædictum Abbatem citauit ad dicendũ causam, quare non deberet contrà eum procedi ad pœnas in iure statutas, pro Episcopalis iurisdictionis turbatione, & vsurpatione, ob dicti Interdicti appositionem; A quibus Abbate recursum habente ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, per istam improbatus absque dubio fuit dictus actus appositionis interdicti, declarando, quod Abbas malè, ac temerè in hoc processisset; In reliquis autem laudando zelum Archiepiscopi, aliquas ei insinuauit pro huius Congregationis stylo prudentiales prouisiones.

Scribendo itaque in dicta Sacra Congregatione pro substinenda iurisdictione Archiepiscopi, tres constituebam inspectiones; Vnam scilicèt super potestate, & iurisdictione Abbatis apponendi præfatum interdictum; Alteram super iurisdictione Archiepiscopi procedendi ad punitionem tàm sæcularium, quàm Monialium respectiué pro dicto excessu; Et tertiam super punitione eiusdem Abbatis, ob dictum actum appositionis interdicti, vtpoté redolentem perturbationem iurisdictionis.

Quatenùs itaque pertinet ad primam, dicebam, etiam in sensu veritatis, qualẽ
2 sine aliqua dubitatione habuit quoque Sac. Congregatio, omninò veriùs esse, quod præsupposita etiam huius Monasterij, eiusque Ecclesiæ exemptione ab Ordinaria iurisdictione Diœcesani, & subiectione dicti Prelati Regularis iuxtà casus, de quibus suprà *disc. 18. & 26.*, Adhuc tamen ista iurisdictio percuteret correctionem Monialium, in concernentibus disciplinam regularem, & similia concernentia bonum regimen Monasterij, nullatenùs veró extendi ad hunc actum subijciendi Ecclesiam interdicto, iuxtà communem, ac receptum sensum Doctorum, etiam Moralium, qui vtpotè frequentiùs Regulares (vt sæpiùs aduertitur) causam propriam agendo in multis, Ordinarij loci iurisdictionem restringere, illamque huiusmodi inferiorum Prælatorum ampliare satagunt; Illam assignantes rationem, quod scilicèt iurisdictio huiusmodi Prælatorum est personalis, non autem localis, vtpoté in alieno territorio, vt in specie huius facultatis apponendi interdictum locale firmant, *Alter. de censur. lib. 2. disp. 10. de interdict. cap. 5. vers. hęc autem conclusio, &c. Suar. de censur. disp. 36. sect. 1. n. 2. & 3. Tamburin. de iur. Abb. tom. 2. disp. 1. quæsit. 5. Castropal. tom. 6. disp. 5. par. 3. §. 1. num. 4. & alij communitèr*.

Inhærendo autem stylo non immorandi in solis auctoritatibus, neque de facili iurandi in fide magistri, non perquisitis rationibus per iuris principia (vt reverà faciendum est); Aduertebam præmissam rationem, non omninó solidam, ac tutam esse, quoniam, vt generalitèr de monasterijs virorum aduertitur alijs relatis apud *Zaratam decis. 45. repetit. decis. 348. par. 11. recent.* ædita in casu, de quo *sub tit. de paroch. disc. 23.* & magis ad rem in Monasterijs Monialium exemptis apud *Bich. decis. 459. repetit. etiã d. par. 11. rec. decis. 373.* & alibi pluriès, & de cuius casu agitur suprà *hoc tit. d. disc. 18.* in Monasterijs adesse dicitur ius territoriale intra ipsorum Monasteriorum ambitũ, intrà quem Ecclesia quoque continetur tanquam eiusdem Monasterij membrum, seù pars, vt aduertitur *d. disc. 23. de paroch.* & alibi; Et proptereà prædicta ratio non videbatur omninó solida, & tuta.

Meliorem itaque, & solidiorem reputabam alteram rationem, pluriés in precedentibus insinuatam occasione iurisdictionis

ctionis Ordinarij diœcesani super personis, & Ecclesijs exemptis, in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, quod scilicèt affirmatiua iurisdictio diœcesani, ac respectiuè negatiua Prælati inferioris, considerantur potiùs in ratione occasionali, vel passiua populi, & Clerici sæcularis, viuentis in diœcesi, seù territorio Ordinarij, quoniam supponere Ecclesiam interdicto, percutit magis exercitium iurisdictionis cum ipso Clero, & populo, illos priuando, ne in eo missas, aliaque diuina celebrare, & peragere, ac respectiuè audire possent, quàm ipsam Ecclesiam materialem, cuius interdictum non iurisdictionale, sed de facto, in dies sequi dicitur, quando clauduntur ianuæ; Ideòque punctus est in actu iurisdictionali prohibendi Clero, & populo, ne in ea peragant, vel respectiuè audiant diuina; Et per consequens est exercitium cum non subditis circa concernentia curam animarum ipsorum.

Ideòque vbi etiam sine formali appositione interdicti, Prælatus inferior exẽptus propriam, vel subiectam Ecclesiam
3 de facto clausam retineri debere mandet, in illis horis, & temporibus, in quibus, tam pro eiusdem Ecclesiæ particulari, quam pro aliarum eiusdem loci generali consuetudine, Ecclesiæ retinentur apertæ, tunc posset quoque Ordinarius loci, ex eadem delegata iurisdictione, quæ in locis exemptis datur ratione curę animarum, & administrationis Sacramentorum præcipere, vt aliarum Ecclesiarum ad instar, illa aperta retineri debeat, atque iuxtá consuetudinem officiari, ne aliàs in populo scandalum sequatur, quodque eam Ecclesiastico interdicto suppositam esse credet; Exemptorum siquidem etiam Regularium priuilegia rectè procedunt in causis personalibus indifferentibus personarum, sed quando ijdem exempti volunt Ecclesias habere, & Sacramenta administrare, aliaque diuina peragere cum Clero, & populo sæculari, tunc iure cuiusdam impliciti quasi contractus correspectiui, quoad hæc se subijcere videntur Ordinario, quodque sicuti iuxtá plures declarationes Sac. Congregationis, quarum obseruantiam in dies ijdem Regulares exactè curant, cum eiusdem Sacræ Congregationis ordinibus, non potest Ordinarius id generalitèr eis interdicere, sed solùm restringere prohibitionem ad aliquas personas particulares. Ita è conuerso in eorum libito, ac libertate repositum esse non debet ab eisdem abstinere, quando abstinentia scandalum, & præiudicium parere valeat, iuxtá ponderationes, de quibus suprà *disc.* 32. *hoc eod. tit.*

Quo verò ad alteram inspectionem super punitione, tam sæcularium, qui ex parte exteriori dictas commiserant leui-
4 tates, quàm Monialium, quæ ex parte interiori, ante crates, fortè excusabilem ratione temporis assistentiam præstiterant; Dicebam paritèr etiam in sensu veritatis, qualem quoque habuit Sac. Congregatio, vt priuatiua cognitio esse deberet Ordinarij, non autem Prælati inferioris, qui in hoc se ingerere nõ posset; Tùm quia cum illis sæcularibus, vtpotè de populo, & territorio Ordinarij, ipse Prælatus nullam habebat, nec exercere poterat iurisdictionem; Tùm etiam quoniam hic actus iuxtà ponderationes, de quibus suprà *d. disc.* 18. respicit quoque clausuram, cuius custodia, & cura, etiam in Monasterijs exemptis per Apostolicas Constitutiones Ordinario saltim iure delegato est commissa, vt pluriès in præcedentibus aduertitur, & infrà *disc.* 102.

Ponderabam tamen, quod vt etiam aduertitur suprà *disc.* 4. & alibi, quando iste particularis Prælatus pro huiusmodi excessu cum ipsis monialibus sibi subiectis cumulatiuè, non autem priuatiuè ad Ordinarium, aliquam punitionem congruam, & proportionatam adhibere vellet ad magis eas coercendum, ne in huiusmodi inciderent leuitates, atque ita melius conseruandi, vel restituendi disciplinam regularem, tunc non videtur ei prohibitum ex eisdem rationibus, & ponderationibus, de quibus suprà *disc.* 4. & pluriès, quotiès tamen facti circumstantiæ non accedant, vt id fieret in odiũ, vel contemptum absolutionis, vel respectiuè minoris pœnæ, quam dedisset Ordinarius, quoniàm tunc esset dare casũ, quod subditus, & inferior redargueret superiorem, eiusque negligentiam suppleret, quod in iure datur solùm in casu conuerso superioris cum inferiore.

Demùm scribendo more Aduocati, de-
5 ducebam eadem, quæ habentur suprà hoc

hoc eod. tit. disc. 36, super iurisdictione Ordinarij cum Prælato regulari, quantumuis exempto, ratione offensæ, vel turbatæ iurisdictionis, Verùm reflectendo ad veritatem, dubitabam de applicatione præfati assumpti, quamuis aliàs de iure veri, quoniam id rectè procedit, quando actus iurisdictionalis nullum habeat titulum, vel fundamentum, sed quando Prælatus inferior habeat in genere iurisdictionem in loco, vel in personis, cadat verò quæstio, quantum ista iurisdictio se extendat, siuè quos casus comprehendat, tunc non tenetur Prælatus facere iudicē contrà se ipsum, atque sibi restringere illam iurisdictionem, quam potiùs ampliare tenetur; Neque super hoc ipse Ordinarius videtur Iudex competens, vel vbi etiam sit competens, est recusabilis ratione proprij interesse, tanquam agens causam propriam, iuxtà ponderationes, de quibus suprà *disc.*47.*& seqq.* Ideòque aliud est agere de iurisdictionis defectu, ad effectum inualiditatis actus; Aliud verò ad effectum delicti, & pœnæ, cùm ad hunc effectum requiratur temeritas, & malitia, à quibus quælibet causa, quamuis verè non subsistens, & prætensa, vel opinata, excusat, vt pluriès alibi aduertitur, & præsertim *sub tit. de alienat. & contract. prohibit.* in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ, ad terminos *Extrauagant. Ambitiosæ*, quod aliud est agere de nullitate alienationis; Aliud verò de pœnis *in ead. Extrauag.* contentis, cum similibus.

Neapolitana Censurarum.

PRO

Archiepiscopo,

CVM

Priore S. Ioannis ad Mare Ordinis Hierosolymitani.

Casus disputatus in Rota, & resolutus vt infrà.

De eadem materia, de qua suprà *disc.* 27. An scilicèt, & quando Ordinarius supponere valeat interdicto particulari Ecclesiam exemptam, & regularem, præsertim huius Religionis, siuè alias proferre censuras contrà exemptos.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, & de statu Neapolitanæ Ciuitatis Cleri.*
2 *Resolutio causæ, & de eius inspectionibus.*
3 *Omnes Regulares, & exempti tenentur accedere ad publicas processiones, atque ad id cogi possunt ab Episcopo.*
4 *De illis, qui sint ab hoc exempti, & de ratione exemptionis.*
5 *In specie de Clericis Ecclesiarum Hierosolymitanæ Religionis.*
6 *De obseruantia quid in hoc operetur.*
7 *Quod non sit solùm onus, & seruitus, sed etiam præeminentia Ecclesiarum.*
8 *Conclusio de qua num. 3. non procedit in processionibus deuotionis.*
9 *Quando Processiones sint publicæ, & obligatoriæ.*
10 *Episcopo asserenti indicere processionem ex causa publica est obediendum.*
11 *Non possunt sperni censuræ sub prætextu nullitatis, vel iniustitiæ.*
12 *An, & quando Ordinarius proferre possit censuras contra Regulares, aliosque exemptos.*
13 *De ratione ob quam benignè interpretanda est iurisdictio Ordinarij supra exēptos in casibus exceptuatis.*
14 *Citatio partis est de iure naturæ, & quando tolli possit per legem positiuam.*
15 *Quid in casu notorietatis.*
16 *Ordinarius, qui in vim delegatæ iurisdictionis procedit cum exemptis, tenetur id exprimere.*
17 *De rationibus, ob quas Ecclesia ob delictum Clericorum, vel Prælati, interdicto supponi potest.*
18 *Quod censuræ inferantur contra corpora vniuersalia, vt afficiant etiam innocentes.*
19 *Quomodo citentur corpora vniuersalia.*
20 *De eisdem conclusionibus circa citationē, de quibus num.14.& 15.*
21 *Quomodo ista materia regulari debeat.*

DISC.

DISC. C.



1 VAMVIS conspicua, & nobilis Neapolitana Ciuitas, ob magnam situs amenitatem in Europa, magnumque Magnatum, ac Baronum, aliorumq; Nobilium, & populi numerum in Italia primum occupet locum, atque in his qualitatibus in spiritualibus etiam sit nimiũ diues conspicuis Templis, ac Religiosorum vtriusque sexus Monasterijs materialibus; Pauper tamen dici potest in Clero sæculari, & in Ecclesijs formalibus, dum excepta Ecclesia metropolitana, quæ pro eius intrinseca, & necessaria natura, Canonicorum, & hebdomadariorum Collegia habet, alia non adsunt formalia Collegia, vno excepto in Ecclesia S. Ioannis maioris duodecim hebdomadariorum, quod pro Vrbis præsertim moribus, illi potiùs ignobili, ac mecanico muneri totum est addictum, de quo agitur *sub titulo de Paroch. disc. 28.* Quinimò ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ Capitulum antiquos mores, forsitan parùm laudabilitèr continuando, illam non conseruat maiestatem, quæ adeò magnæ Ciuitatis primario Ecclesiastico corpori congruere videtur, ob facilem, ac frequentem mercenarium interuentum in illis functionibus, de quibus in enunciato *disc.* agitur.

Hinc proindè sequitur, vt tam magnus Ecclesiarum sæcularium numerus, quæ in cultu magnarum Collegiatarum figuram faciunt, seruitium, & famulatum habeat à Sacerdotibus, & Clericis manualibus sub menstruo, vel annuo stipendio conductis, ad administratorum nutum amouibilibus, iuxtà illas huiusmodi manualium Clericorum species, de quibus agitur *sub tit. de benefic. disc. 80.* ac etiam per *Rot. decis. 261. par. 12. & 2. par. 13. recent.* Eamdemque naturam de facto sortiuntur quoque aliquæ Ecclesiæ Regulares, presertim veró superiùs insinuata S. Ioannis ad mare Ordinis Hierosolymitani, & altera S. Antonij Abbatis vulgò Egiptij, seù Viennensis, dum earum seruitio, & cultui vacant multi sæculares Clerici, & Præsbyteri manuales, & conducti, vt supra, qui cum in eis non verificentur tria requisita, de quibus suprá *disc. 4.* idcircó aliorum sæcularium Clericorum ad instar, in omnibus subiacent Episcopo, aliquibus exceptis, in quibus ex Apostolicis indultis, vel ex antiqua consuetudine, earumdem Ecclesiarum exemptarum Prælatis, vel administratoribus subiacerent, vt etiam in plerisque Ecclesijs sæcularibus sub Regia protectione, vel administratione existentibus, praxis docet.

Eadem veró antiqua consuetudo præbet, vt huiusmodi Clerici, sub Ecclesiarum, quibus inseruiunt nomine, ac signis respectiué, in publicis, ac solemnibus processionibus generalibus interueniant, & præsertim in illa Corporis Christi, quæ ab vniuersa Catholica Ecclesia eãdem habet magnam, ac vniuersalem solemnitatem, & in altera, pro eiusdem Ciuitatis moribus, magnæ quidem pompę, ac maiestatis, quæ singulis annis in primo Sabatho mensis Maij habetur, in memoriam translationis Reliquiarum S. Iannuarij primi illius Ciuitatis Patroni, & qua occasione præclarum illud renouatur miraculum, cuius Ecclesia mẽtionem habet in Sacra Breuiarij legenda in huius Sancti commemoratione, *quod* (sunt verba præcisa) *eius sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asseruatur, cum in conspectu capitis eiusdem Martyris ponitur, admirabilem in modum colliquefieri, & ebullire, perindè atque recens effusus esset, ad hęc vsque tempora cernitur.*

Prædictis itaque, vel similibus imminentibus processionibus, Archiepiscopus publica promulgare solet ædicta, in quibus, sub Ecclesiarum interdictis, alijsque comminatis pœnis, omnibus præcipitur, vt statuta hora interuenire debeant, idque in premissis ordinarijs functionibus nullam habere consueuit controuersiam, vtpotè in earumdem Ecclesiarum redolens honorificentiam, ideòque ad huiusmodi cõminatarum pœnarum exequutionem, vel praxim deuenire nulla, vel nimium rara occasio dedit; Istæque functiones ob immensam Clericorũ huiusmodi copiam mirabilitèr numerosæ cernuntur, cũ aliqua tamen monstruositatis specie, tot scilicèt peditum militum sine ducibus, aut tam magnæ plebis, absque vlla, vel comparatiué nimium modica

dicâ nobilitate, ad instar populatarum
Ciuitatum Apuliæ maritimæ, siuè Ya-
piggiæ; Et è conuerso in his functioni-
bus Vrbis altera opposita cernitur mon-
struositas, tot Ducum cum adeò paucis
militibus, siuè tot nobilium cum nimium
modica plebe, ad instar Senensis Ciui-
tatis, ac similium Hetruriæ.

Cùm autem Clemens X. vniuersale
Iubilæum indixisset, ad implorandam
diuinam clementiã pro defensione Chri-
stianorum in Regno Poloniæ aduersùs
Otthomanicum Tyrannum, qui illud in-
uaserat, pro eiusdem Iubilæi publicatio-
ne, Vrbis, ac eiusdem Pontificis stylum
imitando, Archiepiscopus solemnem, ac
vniuersalem indixisset processionem, in
qua cum præmissis edictis omnium in-
teruentum demandauit; In ea verò præ-
missarum Regularium Ecclesiarũ S.Ioan-
nis, & S. Antonij, Clerici non interue-
nissent; Hinc easdem Ecclesias interdicto
supposuit, à quo appellatione interposi-
ta per earũ Priorem, & Commendatariũ
respectiuè, posterior Cõmendatarius Ec-
clesiæ S.Antonij recursum habuit ad Sa-
cram Congregationem Rituum, per quã
iuxtà illum commendabilem proceden-
di stylum in forma extraiudiciali, & abs-
que rigorosa subiectione apicibus, ac
subtilitatibus iuris, quem Sacræ Con-
gregationes Cardinalitiæ adhibere so-
lent, insinuatum *in Relat. Curia disc. 15.*
& seq. recursus reiectus fuit, quotiès non
probaretur prætensa contraria consue-
tudo hùc vsque non probata; Alter verò
Prior Sancti Ioannis, siue vniuersæ Reli-
gionis Orator pro suorum priuilegiorum
conseruatione, obtinuit causam appella-
tionis committi *in Rota coram Taia* in
deuolutiuo tantùm, non impedito inte-
rim accessu in futurum, donec res iudi-
2 cata aliter statueret; Quarè iuxtà stylum
dato dubio, an censuræ substineantur *sub*
die 3. Martij 1674. negatiuà prodijt reso-
lutio; Non quidem ex deficiente necessi-
tate accessus; minusq; ex deficienti Ar-
chiepiscopi potestate ad huiusmodi cen-
suras procedendi, vt in vtroq; ex parte Re-
ligionis in vim suorum priuilegiorum
prætendebatur, sed ex solo defectu ci-
tationis, quam post controuentionem
præcedere debere Rota censuit, ex eo
quod in eius termino aliquod iustum de-
duci potuisset impedimentum, quod le-
gitimam produceret excusationem.

Hinc proindè tres erant huius causæ
inspectiones; Primò nempè super coa-
ctione, seù necessitate accessus; Secundò
ea posita, an ob contrauentionem Cleri-
corum supponi potuerit, vel in futurum
valeat censuris ipsa Ecclesia; Et tertiò, 1
posita etiam affirmatiua, an illud specia-
le interdictum, quod quæstioni causam
dederat, substineretur, nec ne, ob præfa-
tum citationis defectum.

Quatenùs itaque pertinet ad primam
inspectionem; Illa pariter in duas distin-
guebatur inspectiones; Vnam scilicet ge-
neralem, & in abstracto, super necessita-
te accessus ad publicas, & solemnes pro-
cessiones omnium non exemptorum, abs-
que dubio obligatorias, an scilicet ista
Ecclesia, vel eius Clerici aliquâ potiren-
tur speciali exemptionis prærogatiua; Et
alteram particularem super qualitate
istius indiuiduæ processionis, an esset om-
nium obligatoria.

Super prima inspectione generali, di-
cebam; scribens pro Archiepiscopo,
quod regula huic assistit ex clara disposi-
tione *Sac. Conc. Trid. sess. 25. de reform.*
cap. 13. vt omnes vtriusque Cleri sæcula-
ris, & Regularis, quibuscumque exem-
ptiuis priuilegijs non obstantibus, te-
3 neantur interuenire in huiusmodi pro-
cessionibus; quotiès specialis exemptio
non adsit; vt verificatur in Clericis Re-
gularibus nuncupatis Theatinis, & alijs
nuncupatis Iesuitis, quorum ad instar in
plerisque alijs diuersorum Institutorum
Clericis Regularibus eadem exemptio
concessa est; Eaque licèt habeat rationẽ
non diuertendi à studijs, alijsque exer-
4 citijs, attamen pro illorum temporum
conditione veram habuit rationem tol-
lendi occasionem controuersiarum super
præcedentia cum alijs Regularibus Or-
dinis Monastici, vel alterius Mendican-
tium, iuxtà tunc regnantem quæstionẽ,
cuius mentio habetur *sub tit. de præemi-*
nen. disc. 24. sed extrà huiusmodi spe-
ciales casus limitatos, in contrarium est
regula generalis per Concilium vbi su-
prà statuta, vt aduertitur *in adnotat. ad*
idem Concil. disc. 38. & alibi plurièś.

Et in specie Cappellanorum, seù Cle-
ricorum huius Hierosolymitanæ Religio-
nis, qui ad differentiam Conuentualium,
5 qui obedientiæ nuncupantur, aliorumque
Cleri-

Clericorum, qui assignati esse solent seruitio Ecclesiarum eius Prioratuum, & Commendarum, quod veniant sub regula pluriès resolutum esse per Sac. Congregationem refert diligens, & elaboratus *Barbos. in Summ. Apostolic. decis. collectan.607.num.3.* Atque docet communis obseruantia, vt præsertim in Venusina Ciuitate mea patria, quod cum ibi extet Prioratus huius Religionis, cum celebri Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis, cuius preeminentiæ insinuatur *tit. de preemin. disc.35.* eique inseruiant quamplures ex dictis Cappellanis professis de obedientia, aliique sæculares Clerici, adeòvt nobilis Collegiatæ figuram facere videatur, isti omnes interueniunt in processione generali Corporis Christi, cũ præcedentia suprà omnes alios Regulares, accedendo immediatè ante Capitulum Cathedralis, cum propria cruce; Exemptio enim, quam praxis in ista Religione docet, percutit alios duos Ordines eius professorũ militum scilicèt Iustitię, & aliorum militum, qui dicuntur seruientes armorum, dum isti de facto figuram faciunt potiùs sæcularium, quàm Clericorum, ideóq; cum populo potiùs, quàm cum Clero incedunt.

Fortiùs verò in hac facti specie ob duas circumstantias; Vnam scilicèt, quod isti Clerici essent sæculares, ideòq; subditi Ordinarij quotiès in eis copulatiuè non verificantur tria requisita, de quibus suprà *disc.4.* & infrà *disc. seq.* Et secundò ob antiquam consuetudinem, per quam siuè illam dicamus præscriptinam, seù veriùs interpretatiuam, cessare videbatur omnis ratio dubitandi.

Quamuis etenim super ista consuetudine aliqui ex Scribentibus in contra-
6 rium, ingenium acuendo, dicerent, quod sine scientia, & patientia magni Magistri, & Religionis ex solo facto huiusmodi Clericorum, quin imò Prioris, vel Commendatarij, seù eius Vicarij, non potuerit contrà formam priuilegiorum induci ista seruitus, ex deductis suprà *disc.2.* & in alijs ibi proximis, in quibus in specie agitur de exemptionibus, & priuilegijs huius Religionis; Attamèn, vt ibidem in contrarium motiuatur, super puncto, quod Prior, & Commendatarij sint legitimi administratores, atque cum eis acta geri, seù præscribi valeant; *Di. Suppl.lib.16.par.1.de Iurisdict.*

cebam cessare dicti assumpti applicationem ad casum, cum prædicta dubitandi ratio intret quando agatur de formali, & vera præscriptione redolente amissionẽ iuris clari, & certi, adeòvt ageretur de seruitute præiudiciali certæ libertati, secùs autem in præsenti, quod vel certum est exemptionem huiusmodi non competere ob dictam regulam generalem, ac etiam ob insinuatam circumstantiam, quod ageretur de Clericis sæcularibus, non autem de Regularibus professis huius Religionis, vel saltim negari non posset rem esse probabilitèr ambiguam, ideòque nimium operatiua esse deberet obseruantia, eam attendendo potiùs tãquam interpretem, iuxtá adeò frequentèr insinuatam distinctionem inter obseruantiam interpretatiuam, & præscriptiuam, vt prima non exigat ea requisita, quæ in altera desiderantur, vt præsertim *sub tit. de iudic. disc. 21.* vbi de materia præscriptionis.

Ea quoque ponderatione accedente, quod dici non poterat agi de vera serui-
7 tute præiudiciali, & onerosa, dum potiùs iste interuentus redolet in ipsis Ecclesijs inferioribus honorificentiam, vel prærogatiuam, dum sub proprio vexillo earum Clerici interueniunt, adeòvt ex huiusmodi consuetudine introductum videatur quoddam ius reciprocum, vel correspectiuum, vt volens non possit Archiepiscopus, eos volentes interuenire, non admittere; Et per consequens, vt ex natura correlatiuorum, non possint ipsæ Ecclesiæ denegare eumdem interuentũ, quem ab Archiepiscopo inuito exigere possent; Ac propterea hæc prima inspectio videbatur clara pro obligatione interuentus in processionibus publicis, & generalibus, sub dicto Conciliari decreto cadentibus.

In altera autem particulari inspectione applicationis ad factum, an scilicèt ista processio esset publica, nec ne; Scri-
8 bentes pro Religione, seù Prioratu, dicebant, & benè, idem quod habetur deductum *in Miscell.Ecclesiast.lib.14.disc.32* vt scilicèt Episcopus non possit etiã Capitula, & Clericos immediatè subiectos Ecclesiarum non exemptarũ cogere ad interueniẽdum in processionibus voluntarijs, quæ deuotionis, vel pietatis gratia fiant, cum ista obligatio intelligatur

de verè publicis, & generalibus, qualis regulariter est superius insinuata Corporis Christi, vel illa Sancti Marci, quatenus ista pro loci cõsuetudine eamdem formam habeat; Et per consequens multo minus cogi possint Clerici Sæculares, vel Regulares Ecclesiarum exemptarum.

Verùm admittendo qualitatem propositionis in abstracto, dicebam fallaciam consistere in applicatione, quamuis etenim à Rituali Romano arguere liceat affirmatiuè, quod scilicet illæ processiones,
9 quæ in eo præcipiuntur in forma publica, & solemni, dicantur necessariæ & obligatoriæ; Non tamen idem intrat argumentum negatiuè, quoniam pro locorum, vel Diæcesum, aut prouinciarum moribus, quamplures adsunt processiones nimium solemnes, & publicæ, quæ necessariæ dicuntur ex consuetudine, adeò vt sine magno scandalo omitti non possint, neque consueta solemnitas, vel pompa minui; Puta (loquendo de ista Ciuitate,) vt est superius enunciata quæ fit in primo Sabatho mensis Maij in commemorationem translationis reliquiarũ Sancti Iannuarij; Ac propterea ista non dicitur materia capax regulæ certæ, & generalis, cum remissum sit arbitrio Episcopi, vna cum Capitulo id decernere, quando causa publica id instè exigat, iuxta declarationes Sac. Congregationis relatas ab eodem elaborato, & diligenti, nimium quidem in hac parte commendabili, Collectore *Barbos. in dicta Summa Apostolic. decis.* verbo *processio collectan.606.num.23.* Frequenter enim contingunt accidentia, ob quæ necessitas præcisa, vel causatiua huiusmodi functiones exigat, etiam cum aliqua maiori solemnitate, quàm sint solitæ, & necessariæ, vt supra; Vt (loquendo de eadem Ciuitate) in nostra ætate praxis docuit in illis processionibus, quæ de mense Decembris anni 1631. me tunc Scholari in ea commorante, habitæ fuerunt occasione incendij Montis Vesuuij, quoniam cum longè maiori solemnitate, & deuotione, ac populi copia illæ habitæ fuerunt, quàm sint supradictæ, Corporis Christi, ac Sancti Iannuarij, & præsertim quod, non solum processionaliter transportatæ fuerunt Reliquiæ Sanctorum Protectorum reclusæ in thecis argẽteis in Cappella, quæ Thesaurus nuncupatur, de qua particulariter agitur *sub tit. de praemin. disc.* 12. Ac etiam in proposito huiusmodi processionum, & reliquiarum *sub tit. de regular. disc.* 20. sed vt populo cupienti, & pro illius moribus acclamanti satisfieret, quamuis apud prudentes parum commendabiliter, in arca vitrea ad id de nouo confecta, processionaliter, atque per latiores fines transportatum fuit corpus, Beati Iacobi de Marchia, quod integrum & omnibus visibile asseruatur in Ecclesia S. Marię de Noue Ordinis Minorum Obseruantium, ideoque prorsus fabulosum fuisset asserere, quod huiusmodi processiones non essent necessariæ, eo quia á Rituali non præciperentur, vel quia non essent solitæ.

Quarè applicando ad rem, cum causa eius indictionis esset absque dubio publica, vtporè concernens totius Christianitatis necessitatem, ac magnam vtilitatem, atque haberetur Exemplum Papæ in ipsa Vrbe, vtique absolutum esse dicebam, vt etiam per S. Congregationem Rituum, & per Rotam habitũ fuit, quod ista esset processio publica, & obligatoria, atque apud *Barbos. d. Collectan. 606. num.23.* in specie agitur de ista causa indictionis Iubilei.

Ponderando etiam, quod vbi omninò certum, ac notorium non sit, quod processio sit merè voluntaria, & ex sola deuotione, vel maiori solemnitate alicuius
10 festi particularis, atque Ordinarius in consuetis edictis, illam declaret publicam, & necessariam, ideoque omnibus vtriusque Cleri præcipiat interuentum, tunc licitum esse non debet subditis se constituere Iudices supra Ordinarium, illumque redarguere de mendacio atque sub hoc prætextu non parere, sed obedire debent, de indeque recursum habere ad S. Congregationem, vel alios legitimos Superiores pro declaratione, vt in futurum Ordinarius abstineat, atque ità consultum remaneat conseruationi priuilegiorum, ne illis præiudicatum censeatur per illum interuentum; Ad instar eorum, quæ habemus in materia attentatorum in spretum inhibitionis *sub tit. de iudic. disc.* 18.

Istud verò est vnum ex maioribus inconuenientibus, quæ in Catholica Ecclesia dignoscantur, quoniam occasione censu-

11 censurarum, quæ proferantur, contra personas particulares, vel respectiuè cōtra Ciuitates, vel Capitula, aliaque corpora vniuersalia, quando potentia laicalis de facto assistat, adeout non sit practicabilis temporalis coërctio cum pœnis personalibus, vel realibus ad obseruantiam censurarum, Theologi, & præsertim Regulares, cum eorum formalitatibus, vel generalibus propositionibus, malè tamen applicatis, licitum reddunt, quinimò consulunt, earum publicum contemptum, in cuius praxi ipsi sunt primi, vt sæcularibus exemplum præbeant, vt in currenti sæculo, nostraque ætate etiam in censuris per ipsum Summum Pontificem praxis non semel docuit, cum magno bonorum catholicorum scandalo, & hæreticorū subsannatione sub hoc prætextu iniustitiæ, vel nullitatis, ita seipsos constituendo iudices.

Maior autem peneque tota disputatio in hac facti specie ex parte scribentium pro Religione erat super altero puncto defectus potestatis, procedendi ad huiusmodi censuras in genere, contra per-
12 sonas, & Ecclesias, tum ob generale priuilegium exemptiuum à iurisdictione Ordinarij; Tum fortius ob speciale, ac indiuiduum super censuris, ex ijs quæ habentur *in dicto Miscellan. Ecclesiastic. disc. 13. & seqq. & supra hoc tit. disc. 29.*

Super hoc autem, scribens pro Archiepiscopo, deducebam eadem, quæ locis citatis habentur, quod scilicet distinguendum est inter censuras illatas à lege, & alias prolatas ab homine; In prima etenim specie, difficultas esse solet potius facti, quàm iuris, an scilicet illud delictum, ex quo resultet incursus censurarum illatarum à lege, sit notorium, vel ita certum, quod nullam exigat causæ cognitionem; Et tunc verius sit, vt Ordinarius, dicto priuilegio non obstante, censuras declarare, seù publicare valeat, cum id non faciat tanquam Iudex, sed potius tanquam denunciator, ita in proprio territorio sibi commissum populum monendo, vt sciat oues morbidas, à quarū cōmercio abstinere debeat, adeout processus, qui desuper fiat, sit ad solam informationem, atque vt ex actis pateat illa notorietas, vel certitudo, quæ in effectu adsit; Aut verò factum, vel ius, & fortius vtrumque probabilem habeat ambiguitatem, adeout formalis causæ cognitio adhibenda veniat, an adsit, nec ne incursus censurarum à lege comminatarum, ac propterea Ordinarius gerat, atque assumat partes formales Iudicis, iuxta speciem illius distinctionis, quam in beneficialibus habemus inter exequutorem merum, & mixtum, Et tunc rectè intrent priuilegia, & in his terminis intelligendi veniunt *Fagnan.* & alij firmantes hunc defectum potestatis ex deductis locis citatis.

In altera verò specie censurarum hominis; Quamuis aliqui, præsertim verò Morales excusabiliter quidem vtpotè causam propriā agentes, indefinitè hanc potestatem negent, etiam in illis casibus, in quibus, exemptione non obstante, intret Ordinarij iurisdictio saltem delegata, quasi quod exempti contrauenientes remitti debeāt puniendi proprijs Superioribus; Vel quod deueniri possit ad alias pœnas, non autem ad censuras, quando circa eas dictum peculiare priuilegium adsit; Contrarium tamen verius magisque receptum est per S. Congregationem, potissimè post Constitutionem Gregorij Decimiquinti, quæ nuncupatur de exemptorum priuilegijs, per quam sublata remanent fundamenta eorum, qui ante ipsam scripserunt, atque de consequenti manifestus conuincitur error aliorum moderniorum, qui innixi antiquorū auctoritati pro consueto transcriptorio stylo, idem hodie affirmant.

In illis etenim casibus, in quibus inducta est limitatio regulæ exemptiuæ, habendum est ac si priuilegia non adessent, atque exempti in omnibus exæquati re-
13 manent alijs subditis, potius per remotionem obstaculi, & per quandam restitutionem prioris status, adeout non agatur de re omninò noua, quæ propterea exorbitans, & odiosa dicenda sit, ideoque strictè & rigorosè intelligenda, sed potius de restitutione antiquæ, ac natiuæ iurisdictionis, & potestatis, atque de reuersione ad suam primæuam causam; Ad instar eorum, quæ in proposito statutorum habentur sub *tit. de Success. ab intestat.* vbi est eorum peculiaris sedes, & alibi inter illa statuta, quæ sint generaliter exorbitantia, & correctoria iuris, & illa per quæ, correcto iure nouo correctorio antiqui, ad istud re-

uersio flat, cum similibus, siquidem vt firmatur supra *hoc eodem tit.disc.28.& sub tit. de regular.disc.1. & alibi pluries*, antiquitùs omnes personæ de vtroque clero Sæculari, & Regulari, omnesque Clerici indefinitè subiacebant illi Episcopo, vel Ordinario Prælato, in cuius Diæcesi, vel territorio erant; Deindé veró superuenerunt huiusmodi exemptiua priuilegia, quæ potius exorbitantia dici merentur, vtpote correctoria illius potestatis, & iurisdictionis; quæ de iure communi competebat; Et per cōsequens quamuis Concilium Tridentinum, & Apostolicæ Cōstitutiones ad Regularium verbalem satisfactionem in illis casibus in quibus huiusmodi exemptionum moderatio demandata est, adhibeant terminū delegationis, attamen spectato effectu, reuera dicenda est restitutio pristinæ, & natiuæ potestatis.

Difficultas itaque maior in ista causa, residebat in tertia particulari inspectione super istarum scilicèt censurarum inualiditate, quæ ex triplici capite prætendebatur; Primó nempè ob defectum citationis ipsius Prioris, vel eius absentis Vicarij, & administratoris ipsius Ecclesiæ, quæ interdicto supposita fuit; Secundó ex defectu iurisdictionis, quoniam supposita etiā iurisdictione de qua supra, attamen illa competit ex delegatione Apostolica, Cedulones autem dicebant auctoritate Ordinaria; Et tertiò quod cū contrauentio fuisset ipsius Clericorum, isti debebant puniri, non autem Ecclesia innocens, atque in capax delicti, & pœnæ.

Prima obiectio, in qua vnicè fundata
fuit resolutio Rotæ, vt supra, ab initio
mihi magnā intulit difficultatem, Agen-
tibus & ministris Archiepiscopi pro sty-
lo insinuatam, & propterea, refle-
ctendo ad veritatem, resolutio probabi-
lis visa est, quoniam iuxta deducta in sua
14 Sede *sub tit. de indic. disc. 9.* in materia
citationis Partis condemnandæ, illa di-
citur de iure naturæ, ob exemplum Dei
cum Adam, cum tamen apud Deum vige-
ret certitudo, tàm peccati, quàm in ex-
cusabilitatis, multo magis cum homini-
bus quibus vtrumque ignotum est, ac
propterea ex ibidem insinuatis verius est,
vt substantia citationis in genere, neque
per Principem, vel legem positiuam tol-
li valeat, sed solum decerni super modo,
vel solemnitatibus ab ipso iure positiuo
inductis, multo igitur minus id fieri po-
test per Episcopos aliosque Magistratus,
& Iudices nō habentes iura supremi Im-
perij, & potestatem derogandi, vel di-
spensandi legibus, dum Episcopus etiam
in Constitutionibus Synodalibus, quæ
cum maiori solemnitate, & maturitate,
atque cum consensu Capituli, & Cleri
ordinentur, neque statuere potest contra
ius positiuum ex deductis *eodem tit.de in-
dic. disc. 35.* multo minus contra ius Di-
uinum naturale.

Et quamuis scribens more Aduocati
deducerem limitationem eodem *disc. 9.*
insinuatam, vbi scilicet agatur de facto
notorio, ipsaque limitatio generaliter, &
15 in abstracto sit vera, attamen iuxta ge-
nericam penè omnium forensium con-
trouersiarum naturam difficultas, vel fal-
lacia esse solet in applicatione, quoniam
ipse actus non interuentus processioni
erat quidem notorius, sed non erat no-
toria obligatio illarum particularium
Ecclesiarum interueniendi ob exemptiua
priuilegia, quæ habere poterant, vt de
facto prætendebant, quamuis parùm fun-
datè. Siué posita etiam obligatione, ne-
que certa & notoria dici poterat inexcu-
sabilitas, ob possibilitatem alicuius Im-
pedimenti, vel alterius accidentis, quod
iustam induceret excusationem, istaque
possibilitas regulariter tollit perfectam,
& concludentem probationem ex dedu-
ctis *dicto tit. de indic. disc.* 22. multo ma-
gis & absque dubio tollit notorium; Vn-
dè propterea vt huic inconuenienti in fu-
turum occurratur, consului adhiberi de-
bere cautelam de qua infra.

Alterum obiectum, quod vt dictum
est, processum sit auctoritate Ordinaria
nimium leue videbatur, quoniam licèt
verum sit, vt insinuatur *supra disc.* 4. &
16 in alijs, quod quando Ordinarius visitat
Ecclesias, vel personas exemptas, alios-
que actus iurisdictionales cum eis facit
in vim delegatæ iurisdictionis, ipsis exēp-
tis instantibus, declarare teneatur, pro
indemnitate, & conseruatione eorum
exemptionis á iurisdictione Ordinaria,
ne aliàs ex huiusmodi actibus post longū
temporis decursum, illa prætendi valeat;
Attamen non exinde inferendum vide-
tur ad nullitatem; Potissimè dum ista ex-
pressio

presfio non est in sententia, sed in Cedulonibus, qui solent ita concipi ex quodam communi Notariorum, seu Cancellariorum Episcopalium formulario, ideoque intrare videtur adeò frequenter insinuata propositio de attendendo substantiam veritatis, non autem formalitatem verborum.

Maioris ponderis videbatur primo aspectu tertia obiectio, quod scilicet pro contrauentione, vel personali delicto famulorum non debent puniri Domini; Et hic videbatur casus, quoniam contrauen-
17 tio non erat ipsius Ecclesiæ, quæ tanquam corpus inanimatum, est incapax culpæ, & delicti; Minusque eius Prælati, seu Prioris, vtpotè absentis, dum huius Religionis Dignitates, in quadam figura Cardinalium, cum M. Magistro in figura Papæ, quamdam Romanæ Curiæ imaginem in paruo constituentes, ex causa principatus electiui, in Conuentu Meleuitano residere solent, vtrumque Ordinarium & Completum Consilium constituentes; Idcoque per necesse hæc culpa, & contrauentionis delictum erat huiusmodi Clericorum, & eorum Superioris, vel directoris qui sub Rectoris, vel Sacristæ, aut Cappellani Maioris, & simili vocabulo nuncupari solet, dum etiã iste nullum habet titulum perpetuum, & collatiuum, sed manualis, atque ad nutum amouibilis, sub eodem famulorum genere venit, ac propterea culpa proprios tenere debet auctores, quorum non autem innocentium esse debet pœna.

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis, quæ respectiuè agnita fuit per Rotam, & per Sacram Congregationem, contrarium verius esse dicebam, ex pluribus fundamentis, Primò nempè quia huiusmodi Clerici interuenire non dicuntur in processionibus iure singulari, vel personali, sed iure cuiusdam Collegij, vel vniuersitatis repræsentantis ipsam Ecclesiam formalem, sub cuius Cruce, vel signo ab alijs distincti incedunt, ac propterea non singulorum, sed vniuersi corporis, vel ipsius Ecclesiæ formalis defectus ita sequi dicitur.

Secundò ob eamdem superius insinuatam rationem correspectiuitatis, quia nempè istud non est solum onus, sed etiã honorificentia, seù prærogatiua, adeovt neque volens Archiepiscopus posset Clericos eam repræsentantes non admittere; Ergo ipsa dicitur persona contrahentis, quæ istum quasi contractum non adimplet, Tertiò ob conclusionem insinuatam *sub tit. de locat. disc. 9. & sub tit. de credit. disc. 68. & 69.* & alibi pluries, quod Dominus, vel præponens tenetur de culpa, & delicto famuli, vel præpositi, quando scilicet sit circa opus, vel ministerium, cui eum præposuerit.

Et quartò, ob impracticabilitatem, dum isti Clerici ad nutum amouibiles, sunt incerti, siuè quia de facili fraus fieri posset, quod scilicet præambula die vel hora processionis dimittendo, seù licentiando à seruitio tunc existentes, atque die sequenti alios nouos assumendo, ità in nullis verificabilis esset culpa, & punitio; Ac etiam, quia apud Populum de ipsa Ecclesia, eiusque Clericorum cætu, vel Congregatione in genere, non autem de particularibus personis concipitur inobedientiæ opinio, seù scandalum, & per consequens in eadem ab eodem Populo videri debet punitio, vt etiã ponderatur supra *dicto disc. 29. hoc tit.*

Neque præmissis obstare dicebam superius insinuatam considerationem, incapacitatis culpæ, & delicti in corpore inanimato, quoniam id rectè procedit
18 quoad pœnas, vel censuras personales, aut singulares, quæ animam illaqueant, seú corpus affligunt, vt in proposito censurarum est excommunicatio, quæ verificabilis non est in huiusmodi corporibus politicis, & intellectualibus; secùs autem in alijs duabus minoribus cẽsuris, interdicti, & suspensionis, quoniam, non solum ipsæ Ecclesiæ materiales, omnino inanimatæ ob delictum Prælati, vel Ministrorum, aut etiam Populi, vel Magistratuum passim interdicto supponuntur, sed eidem, vel alteri censuræ suspensionis supponuntur, vniuersalia, vel intellectualia corpora, animata, vtpotè constituta ex personis animatis, quamuis aliquæ istarum essent innocentes, quinimò benemerentes, vt contingit in Capitulis, & Collegijs, alijsque similibus corporibus ex deductis *sub tit. de benefic. disc. 23. & sub tit. de regal. disc. 125.* & in alijs pluries. Et de punitione corporis inanimati ob culpã, vel factum ministrorum, & famulorum etiam in prophanis habetur *sub tit. de credit. d. disc. 68.*

disc. 68. & 69. & tit. de tutor. & administrator. disc. 15.

Hinc proinde concludendo, vnica probabilis ratio dubitandi de huiusmodi censurarum validitate, restringebatur ad dictum defectum citationis saltim per nouū
19 Edictum ad valuas eiusdem Ecclesiæ contrauenientis, vel alterius vicini loci publici, & congrui, dum ob absentiam Prælati, & incertitudinem ministrorum, non videtur alia forma citationis practicabilis, vt aduertitur per *Bald. in l. etiam Cod. de exequut. rei indicat. cum concord. per adden. ad Vestr. lib. 4. cap. 3. numer. 12. Caualer. decis. 408. num. 1.*

Verùm ob facti circumstantias, incongruum videtur ita necessitatem inducere in Episcopo, & præsertim in adeo magna Ciuitate, vt debeat formari tot processus, quot sint Ecclesiæ contrauenien-
20 tes; Potissimè quia ad eludendam contrauentionem affectari possent friuolæ excusationes, postea allegabiles, atque super eis assumi lites, & disputationes, cum appellatione à non admissione, adeovt consultum non remaneret scandalo apud Populum iam concepto, ob contrauentionem; Ideoque probabilis quoque videtur superius insinuata ratio notorietatis, ob quam cessare deberet citationis necessitas quodque illis Ecclesijs, vel Congregationibus, quæ verè legitimum habeant impedimentum, adeovt omnis fraudis, vel affectationis suspicio desit, imputandum est, cur statuta die, vel antea coram Episcopo suum non deduxerint impedimentum, suasque non fecerint excusationes; Sed quoniam difficile est id suadere, ac obtinere in Tribunali Rotæ, dum in eo sedentes vtpotè in Episcopali munere adhuc non versa-
21 ti, atque intra rigorosos iuris cancellos se agnoscentes restrictos, non de facili à iudicialibus regulis, & legalibus formalitatibus recedunt; Hinc proinde consulebam Archiepiscopo, vt curaret à Pontifice, vel de eius mandato, ab aliqua ex Sacris Cardinalitijs Congregationibus genericam desuper obtinere prouisionem regulandam ex illis prudentialibus propositionibus, cum quibus istas Sacras Congregationes procedere, potius quàm cum leguleicis formalitatibus (& quidem commendabiliter) aduertitur, *d. disc. 15. & seqq. in relat. Cur.* vt in ipsis Edictis, in quibus accessus, vel interuentus præcipitur, eadem etiam adijciatur monitio, quod scilicet nisi ante statutum terminum, iusti impedimenti excusatio deducta fuerit, absque alia monitione ad comminatarum pœnarum exequutionem illicò procedetur; quoniam, ad aliorum terrorem, & exemplum, ac etiam vt illicò, & incontinenti occurratur scandalo, quod per Populum, ex inobedientia & non interuentu conceptum fuit, quemadmodum tunc publica, & notoria est contrauentio, ita etiam tunc immediata ab eodem Populo videri debet publica punitio, non alio modo ad hunc effectum practicabilis, nisi cum ista interdicti publica pena, quæ omnibus innotescat, ac pateat, dum carcerationes, vel mulctæ personales singulorum Clericorum, vel aliquorum ex eis, puta Rectorum, vel Administratorum, oportunam ac sufficientem non inducunt medicinam, ideoque istæ materiæ regulandæ non videntur cum illis legalibus rigoribus ordinis iudiciarij, qui in causis priuatorum seruari debent.

Imoleñ iurisdictionis.

P R O

Commendatario Hierosolymitanæ Religionis, cum Episcopo.

Casus decisus per Rotam, pro Commendatario.

De eadem materia, de qua *disc. præcedenti* ac etiam *disc. 4.* an scilicèt, & quando
4 Ordinarius procedere possit ad censuras, aliasque penas contra exemptos, ratione curæ animarum, & administrationis Sacramentorum, aut ob alium casum cadentem sub eius iurisdictione.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum resolutione.*
2 *Vna tantùm parte informante non potest efformari iudicium pro veritate.*

3 *Ideòque*

3 *Ideòque non est deferendum decisionibus ita proditis.*
4 *De theorica generali super iurisdictione Ordinarij, cum exemptis professis in concernentibus curam animarum.*
5 *De differentia inter istos professos Hierosolymitanæ Religionis, & alios Religiosos.*
6 *An in ijs, in quibus intrat iurisdictio, ea intelligatur solùm in actu visitationis vel indefinitè, & de alys ad rem.*
7 *Et quid circa censuras.*
8 *Et quid in casu mixto delicti personalis quod accessoriè insinuat ad curam.*
9 *De Clericis sæcularibus exercentibus curam in Ecclesia regulari exempta.*
10 *De requisitis pro exemptione huiusmodi sæcularium inseruientium Ecclesijs regularibus.*

DISC. CI.



VM Ecclesiæ S. Ioannis Baptistæ Commendę Ciuitatis Imolæ, annexa esset cura animarū exerceri solita per vnum Clericum sæcularem, ad nominationem Commendatarij, cum ap-
1 probatione Ordinarij, ad præscriptum Constitutionum B.Pij V.præfici solitum sub nomine Vicarij,vel Cappellani,iuxtà ea, quæ pluriès insinuantur in sua sede *sub tit. de Paroch.* præsertim *disc.* 11. & *seqq.* Prætenderet autèm Episcopus, quod Io: Andreas Fanellus huius Ecclesiæ Vicarius, vel Cappellanus, commercium carnale cum quadam muliere habuisset, contra eum transmisit monitorium, atq; in contumaciam protulit censuram suspensionis á diuinis, & ab exercitio ordinum, & Sacramentorum; Quaré interposita per Commendatarium appellatione, & commissa causa in Rota *coram Rondanino*, ipso Commendatario solùm informante, in contumaciam Episcopi informare negligentis, *sub die* 9. *Iunij* 1673. proposito, iuxtà stylum dubio,an censuræ sustineantur, negatiua prodijt resolutio, atque in hoc statu causa reperitur.

Super probabilitate autem resolutionis, maturum pro veritate iudicium Scribens pro Commendatario obtinēte, 2 efformare non potui, quoniàm cum decisio huiusmodi quæstionum, vt infrà, pendere videatur, potiùs ex facto,quàm ex iure, cuius theoricæ videntur hodie iam firmæ, ac stabilitæ, adeòut totum consistat in applicatione regulanda ex singulorum casuū particularibus circumstantijs; Hinc proindè sine istarum certa notitia, quæ ab alterius partis oppositionibus regulari solet, tale iudicium efformari non potest; Ac proptereà error videtur fundamentum in iudicando constituere in huiusmodi decisionibus,
3 quæ vna tantùm parte informante prodeant, cùm istæ (excusabilitèr quidèm) procedant cum solis præsuppositis illius Partis, quæ informat, atque vbi agitur de ijs, quæ consistunt in facto, quod ex actis non pateat, practicabile non est axioma, vt quæ desunt Aduocati, Iudices suppleant, cùm id rectè sit verificabile in conclusionibus, & articulis iuris, non autèm in ijs, quæ consistunt in facto, nisi ea pateant ex actis.

Quidquid etenim moderni Scribentes post Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones B. Pij V. & Gregorij XIII. dixerint, vel inuoluerint, ob pluriès assignatam rationem, quod scri-
4 ptum ab eis non fuerit ingenuè ad veritatem,sed factionario more ad propriam oportunitatem, Clericis nempè sæcularibus, qui munus Episcopi, vel Vicarij generalis, aut Aduocati fiscalis Episcopi, eiusque Tribunalis gesserunt, Scribentibus pro iurisdictione, & potestate Ordinariorum; E' conuerso autem moralibus Religiosis, vel alijs; quibus pro eorum exemptione scribere occasio dederit, tuentibus partes exemptorum, iuxta pluriès decisa per Sacram Congregationem Concilij, & præsertim in casu, de quo agitur supra *disc.*4. & in alijs pluribus, de quibus suprà; Ea videtur hodie statuenda theorica generalis, quod, aut illi, qui exercent curam animarum, & administrant Sacramenta Clero,& populo sęculari, sunt legitimè professi; Et tunc, quacumque exemptione non obstante, subiaceant Ordinario in ijs, quæ ipsius curæ exercitium, vel Sacramentorum administrationem concernunt, non autem in ijs, quæ pertinent ad disciplinam regularem, siuè ad eorum causas ciuiles, & criminales personales, vel reales

reales indifferentes, idest aliàs, quàm à dicta cura, & administratione prouenientes, nisi de illis casibus exceptuatis agatur, in quibus intret quoque iurisdictio delegata à Concilio Tridentino, vel Constitutionibus Apostolicis, iuxtà pluriès superiùs insinuata *hoc titulo*, *ac etiam disc. 1. de regular. & in alio disc. 1. Miscell. Eccles. & alibi*; Potissimè verò in Cappellanis professis istius Hierosolymitanæ Religionis, in quibus non intrat illa subiectio generica, & indefinita, quæ
5 ad præscriptum Constitutionum Vrbani Octaui, & Innocentij X. intrat in alijs Regularibus claustralibus, in illis Conuentibus modernis, qui sint fundati prçter dictarum Constitutionum formam, cum numero duodenario, vel in illis antiquis, in quibus non adsint adminùs sex Religiosi; Vel vbi nullo in eo loco existente Conuentu, sint Religiosi, qui, siuè licitè, siuè illicitè, viuant in priuatis domibus, more Populi, vel Cleri sęcularis, dum isti professi quamuis sint veri Religiosi, nihilominùs non viuunt in claustris, sed in priuatis domibus, ad instar aliorum de Clero, & Populo, vndè in hoc ab alijs Religiosis differunt.

In ijs tamen, in quibus ratione curæ, velSacramentorũ intret subiectio; Quãuis prædicti Scribentes, materiam ex assignata ratione innoluentes, voluerint hanc iurisdictionẽ exercibilem esse in actu visitationis tantum, atque etiam quoad
6 alias pœnas, non autem quoad censuras, cùm præsertim circa istas adsit priuilegium speciale; Attamen vtrumque assumptum non subsistit, vt pluriès in precedentibus aduertitur, ac etiam in *Miscellan. Ecclesiast disc. 15. cum seqq.* & admittitur in huius causæ decisione solùmque subsistit alterum assumptum in præcedentibus quoque insinuatum, vt teneatur Ordinarius eis instantibus declarare, quod procedat, vt delegatus Sedis Apostolicæ, vt in eiusdem causæ decisione quoque firmatur; Sed hoc parùm, vel nihil refert, cùm importare videatur verborum formalitatem.

Hinc proindè si (ex:gr:) in Constitutionibus Synodalibus, vel in decretis visitationis, aut in alijs prouisionibus, & Edictis, Ordinarius mandet Parochis, & Vicarijs, vel Cappellanis, curam exercentibus, vel Sacramenta administrantibus, vt sub censuris aliqua facere debeant, siuè ab aliquibus abstinere, vt præsertim sequi solet in administratione Sacramenti matrimonij, nè sine licentia ipsius Ordinarij illud celebretur in pri-
7 uatis domibus, aut sine denunciationibus, cum similibus; Et tunc ita incurrent censuras, aliasque pœnas Parochi, & Vicarij, vel Confessarij Regulares exempti, sicuti sęculares non exempti, cùm in hoc munere sint æquales, ex pluriès assignata ratione, quod scilicèt in hoc non spectatur qualitas personarum ipsorum administrantium, sed spectatur ipsum ministerium, ac etiam spectantur personæ, cum quibus illud exerceatur; Ad instàr illarum personarum, quæ cum sint ingenuæ, & liberæ, attamen locant earum operas, atq; se addicunt curæ, & custodiæ alicuius Ouilis, aut culturæ alicuius Vineæ, quoniàm in ijs, quæ concernunt illud opus, vel ministerium, efficiuntur subditi, & quodammodò serui Domini Ouilis, vel Vineæ.

Dubitandi autem ratio videtur illa, quæ vt paritèr insinuatur supra *d. disc. 4.* & alibi, eadit in casu mixto, vbi scilicèt
8 excessus sit quidèm indifferens, & personalis, sed influat quoque in ipsam curam animarum, vel administrationem Sacramentorum accessoriè, & consequutiuè, scilicèt ratione scandali, quod resultet in populo viuente sub eius cura, putà (vt in præsenti) vbi agatur de delictis carnis, & similibus, an scilicèt ob respectum, quod crimen influat in curã, possit Ordinarius eum exemptis se ingerere, eosque punire; Atque in hoc probabilior videtur negatiua, in ijs, quæ concernunt pœnas personales, vel pecuniarias, seù aliàs indifferentes; Verior autem affirmatiua in ijs, quæ concernunt ipsam curam, vel administrationem respectiuè, & sic vt Parochum, seù Vicarium, aut Confessarium, ità malè, & scandalosè viuentem, vel alios committentem excessus, qui Populo sibi subdito scandalum inferant, quamuis exemptum Ordinarius poterit suspendere, ab ijs, quæ concernunt illud ministerium ne in eo se ingerat, sed ad alias pœnas personales, vel pecuniarias, siuè ad censuras deuenire non poterit, quoniam delictum est personale, & indifferens, directè non proueniens ab ipso ministerio, cuius ratione

tione iurisdictionem, ac superioritatem ipse habet, quamuis accessoriè, & consequnetiuè in illud influat, atque ita conciliari videntur sæcularium, & Regularium Scriptorum opiniones adeò inuicè pugnantes.

Aut verò Ecclesiæ, in quibus cura exercetur, & Sacramenta ministrantur, sunt regulares, & exemptæ, ipsi verò Vicarij, vel Cappellani, & Clerici, nòn non sunt professi, sed seculares, iuxtà casum, de quo *disc. præcedenti*, ac etiam *d. disc.4.* & in alijs; Et tunc, aut in eis verificantur tria requisita Constitutionis Gregorij XIII. de quibus eodem *disc.4.* Et habendi sunt instar professorum, siue ad instar, ideóque omnia, quæ suprà de illis dicta sunt, in istis quoque procedunt; Aut verò dicta requisita non verificantur, Et tunc habentur in omnibus tanquam Clerici sæculares, & subditi Ordinario aliorum Clericorum ad instar.

Ista itaque theorica generali ità constituta; Quatenùs pertinet ad eius applicationem ad hanc facti speciem; Cùm iste Vicarius, vel Cappellanus non esset professus, sed Clericus sæcularis ad nutum amouibilis, quæstio vt præmissum
10 est, erat potiùs facti, quàm iuris, super verificatione scilicèt prædictorum requisitorum, ex quibus verificabatur quidem primum addictionis seruitio Ecclesiæ, & Religionis; Difficultas autem residere videbatur in verificatione aliorum duorum, quod scilicèt viueret intrà septa Domus Religionis, & sub obedientia Superioris Regularis.

Quatenùs enim pertinet ad illud conuiuentiæ intrà septa domus, quamuis scribendo more Aduocati dicerem sufficere, quod domus sit fixa Parochi, atq; perpetuò eius habitationi destinata, illaque sit de dominio Religionis, vel Commendæ, cum isti Religiosi non sint claustrales, ideóque non viuant sub formali clausura, & sic opus non est, quod eorum domus habeant formam Conuentus, vel Monasterij, procedendo cum scriptis, cũ quibus proceditur etiam in decisione; Attamen reflectendo ad veritatem, Partibus pro stylo insinuatam, aduertebam id rectè procedere, quatenùs ista esset domus principalis ipsius Commendæ, cuius membrum, vel pars connexa esset mansio Parochi, adeóut quando Commendatarius resideet apud Commendam, in ea viuat, vndè propterea in genere suo sit species Conuentus Commendæ, secus autẽ ibi esset priuata domus sparsa per Ciuitatem, quamuis de dominio Commendæ, atque fixè destinata habitationi Parochi, quinimò etiamsi esset annexa Ecclesiæ Parochiali, quando ista non esset Ecclesia principalis Commendæ, illique annexa vnum, & idem corpus constituendo, sed esset de eius membris, & pertinentijs, vt quandoque praxis docet, quoniam ius est in conuiuentia in illa domo Regulari, in qua per speciem Conuentus viuat ipse Commendatarius tanquam superior.

Maiorem difficultatem mihi inferebat verificatio tertij requisiti, quod viuatur sub obedientia Superioris Regularis, quoniàm cùm supponeretur, quod in loco non resideret Commendatarius, neque aliquis eius Vicarius etiam regularis, adeòut verificaretur illa ratio, quæ super isto requisito ponderatur suprà *disc.4.* idcircò nimium de hoc dubitabam.

Et quamuis scribendo more Aduocati dicerem, quod viueret sub obedientia Conseruatoris priuilegiorum, qui inibi præsens erat, cum esset Archidiaconus Cathedralis, atque decisio id admittat; Attamèn reflectendo ad veritatem nimium dubitabam, quoniàm Conseruatores non sunt Iudices, & Superiores Ordinarij, qui cognoscant de causis indifferentibus, concernentibus vitam, & mores, ac disciplinam, sed solùm sunt speciales delegati, pro conseruatione, & obseruantia priuilegiorum, nè ista violentur, atque cum priuilegiatis non committantur violentiæ, ex ijs, quæ ad huiusmodi Cõseruatorum materiam habentur suprà *hoc tit. disc.49. & sub titulo de Regular. disc.51. & 52.*



Sub-

Sublaceñ, seù Nullius Monasterij.

Pro Abbate, cum Commendatario.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium resolutus pro Commendatario.

Ad eandem materiam, de qua supra *disc.* 18. & 26. super iurisdictione Ordinarij circà clausuram Monasterij Monialium exempti sub Prælato Regulari, quomodo intelligatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio Sac. Congregationis.*
3 *De casu, de quo supra disc.* 18. *faciente ad rem.*
4 *Prælatus loci Nullius est verus Ordinarius etiam in iurisdictione delegata.*
5 *De sensu Authoris, & de applicatione assumpti, de quo num.* 4.
6 *De contradistinctione Abbatis Monasterij regularis à Commendatario, tanquam Ordinario loci.*
7 *An Ordinarius sibi praiudicet in iurisdictione delegata consentiendo, quod Monasterium committatur Prælato inferiori regulari.*

DISC. CII.



CELEBRE Monasterium Sublacense, quod Sacri specus, & Scholasticæ nuncupationem habet, & cuius mentio habetur *in cap. cum Monasterium*
1 *de stat. Monach.* quodque in Ecclesia Latina, ratione antiquitatis, primùm dici meretur, dum ibi Sanctus Benedictus in Occidente primus Monastici status institutor, sui Ordinis prima iecit fundamenta, ex temporum vicissitudine Cardinalibus, vel Prælatis in Commendam dari solitum, sub Leone X. à Commendatarij superioritate, & administratione exemptum, vnitum fuit Congregationi Vnitatis, aliàs B. Iustinæ de Padua, nunc veró Cassinensi, de qua supra *disc.* 28. adeóut Mensa, ac respectiuè iurisdictio Commendatarij in loco, seù territorio, diuersa ex tunc fuerit à Mensa, & iurisdictione Abbatis, quem Congregatio iuxtà eius institutum præficit; Cumque sub Gregorio XIII. in Oppido Sublaci, erectum fuisset Monasterium Monialiũ, sub eadem regula S. Benedicti, in ipsamet Bulla erectionis Cardinali Commendatario tunc temporis eius fundatore, non solùm consentiente, sed procurante, illud commissum fuit omnimodæ administrationi, ac iurisdictioni Abbatis Regularis huius Monasterij, cùm subsequuta cõtinuata obseruantia; Cumque sub Vrbano Octauo, per concordiã ab eo approbatam, sopita fuisset antiqua controuersia iurisdictionalis inter Episcopum Tiburtinum, prætendentem, quod istud Oppidnm situm esset in eius Diœcesi, & Commendatarium prætendentem, quod ex Indultis Apostolicis esset *Nullius*, cum territorio separato, & per quam concordiã Episcopus, quadam recompensa accepta, omnia eius iura ad Commendatarij fauorem cessit; Hinc modernus Cardinalis Commendatarius, tanquàm loci Ordinarius, iure illius delegatæ iurisdictionis, quæ in Monialium Monasterijs, etiam exemptis, competit in concernentibus clausuram, ex deductis supra *disc.* 18. & 26. prætensionem excitauit, non solùm super visitatione materiali Monasterij, eiusque clausuræ, & super approbatione Confessarij, & assistentia electioni Abbatissæ ad præscriptum Constitutionis 18. Gregorij XV. & super quibus Abbas, & Congregatio acquieuerant, sed etiàm super cura, & custodia clausuræ formalis, etiam extra visitationem, in dies, & tempora, quod scilicèt licentiæ Medicorum, Fabrorum, & aliorum Operariorũ ingrediendi clausuram, ac etiam accedendi ad Monasterium, & alloquendi Moniales ad crates, per ipsum, vel eius Vicarium concedendæ essent, saltèm cumulatiuè cum Abbate.

Atqué concorditér consulta Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, tàm in dictis alijs actibus visitationis,

tionis, & approbationis Confessariorum, ac præsidentia electioni Abbatissæ, quam etiam pro dictis licentijs custodiæ, &
2 clausuræ formalis, prodijt resolutio, innixa cuidam declarationi relatæ per *Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. num. 13.* vbi declarando per eum dicta *ibid. num. 60.* habetur, quod facultas cōcedendi huiusmodi licentias, etiam in Monasterijs exemptis, & subiectis Regularibus, spectare debeat ad Ordinarium loci, ex eadem delegata iurisdictione, nisi consuetudo præbeat concursum cumulatiuum, vt scilicèt etiam licentia Superioris Regularis adesse debeat, quod tamen neque sufficiebat, ad sensum Abbatis, & Congregationis prætendentis, quod ad solum Abbatem, absque interuentu Commendatarij, vel eius Vicarij, iuxtà retroactam obseruantiam ista facultas pertineret.

Requisitus itaque desupèr ad scribendum ex parte Abbatis, liberè ab initio, iuxtà stylum, cum alia occasione essem consciùs sensuum Sac. Congregationis, insinuaui difficultatem, atque præuidi exitum, sed quoniàm alij desupèr consulti, & assumpti contrarium credebant, votis requirentium de facili pro causidicorum frequentiori stylo, annuentes, atque iuxtà dictū Apostoli, auribus prurientes, idcircò contrà meum votum, iuxtà quod prodijt resolutio, àssumpta fuit disputatio.

In hac itaque disputatione, scribendo more Aduocati, insequendo sensum aliorum, deducebam antiquas prætensiones Abbatis huius Monasterij super omnimoda exemptione ab Episcopo Tiburtino, & quolibet alio Diœcesano, cum Territorio separato, & per consequens, quod longè fortiùs intrarent in isto casu ea, quæ super consimili Monasterio Monialium ad fauorem Abbatis Cassinen. firmantur per Rotam in casu, de quo suprà *disc.* 18. quoniam ibi firmatur qualitas *Nullius*, & territorij separati per
3 solam fictionem, & improprietatem in solo ambitu ipsius Monasterij, quod materialitèr, & de facto situm est in Oppido Tagliacozzi, quod non dubitatur esse de Diœcesi Marsicana; In præsenti veró ipsum Oppidum, eiusq; territorium supponebatur esse *Nullius*, non obstante prætensione Episcopi Tiburtini; vtporè iam sublata per dictam concordiam, quæ, iuxtà veram propositionem, frequentèr sub diuersis materijs insinuatam, nullum nouum ius, vel titulum præbet, sed solùm confirmat, vel pacificum reddit antiquum, tanquàm per remotionem obstaculi, quod collitigans præstabat.

Hoc autèm posito inferebam ad conclusionem, pluriès in præcedentibus insinuatam, atque de iure in suo casu veram, quod scilicèt supradicta iurisdictio
4 delegata cōpetit Episcopis in illis Monasterijs, quæ sint in eorum Diœcesi, sub Prælatis inferioribus, non autem in illis, quæ sint sub Prælato de loco *Nullius*, quoniàm istæ Prælatus habetur tanquā Episcopus, seù loci Ordinarius, eique proptereà congruit eadem delegata iurisdictio, cum non adsit alter Ordinarius Diœcesanus, in quo eadem iurisdictio delegata sit verificabilis; Dictaque concordia Abbati, & Monasterio præiudicare non potuit, neque canonizare ius Episcopi Tiburtini, in cuius locum successisse Commendatarium in vim dictæ concordiæ dicebant pro Commendatario Scribentes.

Reflectendo autem ad veritatem, resolutio probabilis visa est, atque iuxta votum, vt suprà, quoniam omnes præ-
5 missæ propositiones sunt veræ, sed fallacia est in applicatione; Siquidèm Commendatarius, & Abbas Regularis in puncto iuris vnam, eandemque personam formalem Monasterij repræsentatiuam, atque vnum, & idem Tribunal constituere dicuntur ad instar Episcopi, & Vicarij, quoniam in illis Ecclesijs, & Monasterijs Regularibus, quæ sint sub Episcopo, vel alio maiori Prælato, ipse Episcopus, vel Prælatus maior, dicitur verus Abbas, & primus Prælatus, seù caput; ille veró inferior Prælatus Regularis, cui Abbatis, vel Prioris, aut simile vocabulum congruit, gerit speciem, vel figuram Vicarij, iuxtá exemplum, quod per *Abbat.* & alios antiquos Canonistas, tribui solet in Metropolitana Ecclesia Regulari Montis Regalis, & per consequens sublato etiam de medio iure Episcopi Tiburtini, ipse Cardinalis Cōmendatarius, non autèm Abbas Regularis gerit hanc personam Episcopi, siuè Ordinarij loci, cui dicta delegata iurisdictio congruit; Atque in hoc consistebat

æquiuocum, applicandi scilicèt huic inferiori Abbati Regulari, ea, quæ congruunt antiquo Abbati, & Prælato istius Monasterij, cùm istam personam verè, & propriè non gerat ipse Abbas Regularis, sed Commendatarius habens territorium cum Clero, & populo sibi subiecto.

Dismembratio autem sub Leone X. vt supra sequuta de Monasterio à superioritate, & iurisdictione Commendatarij, illud vniendo, ac subijciendo dictæ Congregationi Cassinensi, percutit ipsum Monasterium Regulare, eiusque Abbatem, & Monachos, ac etiam Mensam pro exemptione passiua à iurisdictione Commendatarij, eodem modo, quo omnia alia Monasteria, præsertim in Italia, quamuis existentia intrà Episcoporum Diœceses, eisque natiuo iure subiecta, exempta fuerunt ab eorum iurisdictione, ac supposita immediatæ iurisdictioni, ac superioritati Sedis Apostolicæ, sed exindè inferri non potest ad aliquam iurisdictionem actiuam, & quatenùs etiam ista ex Apostolico priuilegio, vel ex præscriptione competeret in certo loco, vel in certis personis intrà Diœcesim Episcopi existentibus, id non immutat naturam eiusdem iurisdictionis, vt scilicèt illa dicatur Prælati inferioris, ideóque in casibus exceptuatis subiectis iurisdictioni delegatæ Ordinarij, ex iure territoriali, & per consequens licèt vnum, & idem Monasterium, sit dominus habitualis vtriusque iurisdictionis, ac Mensæ respectiuè; Attamen ob dictam diuisionem à Leone X. factam, idem Monasterium repræsentatur, per duos diuersos Prelatos, diuersum ius habentes, quorum vnus habeat ius territoriale, & Episcopale in Clero, & populo tanquàm Episcopus, alter verò solum ius Monasteriale, seù Regulare tanquàm Abbas Monasterij particularis, iuxtà illas distinctiones, quæ in Castris, vel feudis habentur *sub tit. de Iurisdict. disc. 61. & 62.* ac etiam ad rem, iuxtà illam distinctionem, de qua *sub tit. de Praem. disc. 3. & seq.* & supra, agendo de titulis Cardinalium *disc. 33. & alibi*.

Dicebam tamen scribendo in causa more Aduocari, quod cum idem Cardinalis Commendatarius, qui ex præmissis censendus est huius territorij Episcopus, vel Ordinarius, tanquàm huius Monasterij Monialium fundator, consensum præstiterit, quinimò procurauerit, quod Apostolica Sedes illud pleno iure committeret huic Abbati Regulari, ità videretur in limine fundationis, cuicumque eius iuri cessisse, quodque propterea intrarent ea, quæ habentur suprà *disc. 27.* Verùm ad eandem veritatem reflectèdo, dubitabam de releuantia motiui, ex duplici consideratione; Primò nempè quia tunc ius istius Commendatarij non erat ità certum, dum illa certitudo, quæ de præsenti habetur, resultauit à supradicta concordia sub Vrbano VIII. quinimò potiùs attento eo tempore, dubitari potest de potiori iure, & per consequens, quod tunc agnoscendo suum ius, vel de eo dubitando, non crediderit huic iuri cedere. Et secundò, quoniam tunc non competebat ista iurisdictio, vtpotè prouenjens à præfata Constitutione Gregorij XV. ideóque ad tunc ignorata, & non cogitata, sed postmodùm superuenta, animus trahi non potest.

6

7

Mediolanen̄ Auocationis causæ.

P R O

Cardinali Boromao.

Responsum pro veritate.

An, & quando Clericus ratione communionis bonorum, vel iurium cum laico, siué ratione mixturæ proprij interesse, totam causam etiam quoad laicum trahat ad suum forum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Clericus habens interesse mediatum, vel accessorium cum laico, non declinat forum laicalem.*
3 *De ratione.*
4 *De casibus in quibus idem procedat, etiam vbi interesse est præsentaneum.*

5 Quid

5 *Quid in criminalibus, vbi interesse sit aequè principale.*
6 *Et quid in ciuilibus in actione personali;*
7 *Quid in actione reali.*
8 *De diuersa praxi.*
9 *Cardinalitia dignitas an operetur.*
10 *De cautela diuertendi forum.*

DISC. CIII.



CVM in saecularibus magistratibus Ciuitatis Mediolani, aliqua fuissent intentata iudicia contra fratres saeculares Cardinalis Gisberti Boromaei, super bonis ad directam
1 seù ad aliorum maiorum fideicommissariam haereditatem pertinentibus, pro communi cum dicto Cardinali possessis; Hinc iste, in omnium scientiarum genere ornatissimus, atque nunquam satis laudatus (cui penè violentis impulsibus referendum venit opus Italico idiomate compositum, cuius est nomen *Doctoris Vulgaris*) me consuluit, an probabilitèr, ac fundatè praetendere posset istarum causarum auocationem, eas etiam respectu fratrum saecularium ad Ecclesiasticū forum trahendo, ob ipsius, non solùm clericalem, sed etiam Cardinalitium statum.

Respondi, quod in terminis iuris communis, praescindendo à particularibus locorum legibus, vel stylis in hac materia, cum duorum casuum proceditur distinctione, quorum vnus est, vbi ius, vel interesse Clerici sit verè mediatum, vel accessorium, seù consequutiuum, aut de futuro, Et alter vbi sit aequè principale, & praesentaneum; Vbi etenim agitur de primo casu, putà quia Clericus sit laici conuenti necessarius defensor, qui alicubi auctor laudatus appellatur, ex obligatione euictionis, adeòut malus causae exitus in eius potiùs, quàm Rei conuenti damnum tendat, siuè quod sit
2 futurus successor in fideicommisso vel maioratu, cum similibus; Et isto casu licèt *Speculator*, & alij credant, vt adhuc Clericus causam trahat ad forum suum, istamque opinionē multi sequantur collecti per *Sperell. decis. 24. num. 5. & Carleual. de iudic. tom. 1. num. 664.* Attamen contraria opinio tanquàm probabilior est magis communis, magisque recepta in praxi, non solùm in Principatibus, & Tribunalibus Saecularibus, ex relatis per *Carleual. vbi supra num. 665.* sed etiam in Rota, & in Signatura Iustitiae, ex deductis *sub tit. de iudicijs disc. 3.* & alibi pluriès, ac etiam occasione Aegidianae, in qua eadē̄t eaedem rationes insinuatae sub *tit. de feud. disc. 48.* vbi allegatur *decisio 498. Peutingerij*, habetur supra *hoc eod. tit. disc. 63. d. titulo de Iudic. disc. 44.* & alibi.

Ex ea ratione, de qua respectu citationis Partis in introductione iudicij habetur *d. tit. de iudic. disc. 9.* quod scilicèt
3 sufficit citare possessorem, siuè Reum immediatum, non curato eo, qui non sit principalis in causa, quoniàm habeat interesse mediatum, & consequutiuum, adeòut effectus iudicij, vel rei iudicatae, ipsius damnum, vel praeiudicium in toto, vel in parte percutiat, quoniàm sicuti ipso interessato non comparente; Vel quia non sit iudicij conscius; Vel quia sciens comparere negligat, adhuc iudicium validum, ac perfectum esset, exindè sequitur, quod si ipse voluntariè comparet, erit reus voluntarius, qui ad hunc effectum gerere potiùs dicitur personam Actoris, qui iuxtà terminos Textus in *cap. si Clericus laicum de foro compet.* tenetur sequi forum collitigantis; siuè intrant ea, quae de tertio veniente ad causam, habentur *sub tit. de iudic. disc. 17.*

Idemque procedit, non solùm vbi interesse sit de futuro, vt est in dicto exem-
4 plificato casu proximè successuri in fideicommisso, vel maioratu, siuè vbi est ità mediatum, vt de illo agendum sit in diuerso iudicio peragendo in proprio foro, iuxtà dictum aliud exemplum defensoris necessarij, seù Actoris laudati, obligati ad euictionem, super qua ille, qui causam patiatur in suo foro saeculari, nouum iudicium contra Clericum auctorem in Ecclesiastico foro instituere tenebitur, neque ipse illum trahere poterit ad forum, in quo ipse super re possessa conueniatur, vt ità eodem tempore condemnetur, cùm solùm eoram eo Iudice illum citare valeat, cum illa specie citationis, quae inuitationem redoleat, eo modo, quo inuitantur etiam Clerici in concursibus Clericorum, super patrimonio commu-

nis debitoris laici, siuè ad satisfaciendum illi denunciationi, vel interpellationi, quæ necessaria est ad effectum exercendi actionē euictionis, cum similibus; Sed etiam vbi interesse, vel præiudicium sit adeó præsentaneum, & immediatum, vt oriatur immediatè, ex ipso iudicato, absque necessitate noui iudicij in suo foro peragendi, quotiés tamen non sit principale, sed accessorium, & consequutiuum; Putá, iuxtá exemplum, quod in spirituali iurisdictione habetur supra *disc.* 2. *&* 22. de præiudicio, quod resultat Subditis, ex succumbentia proprij Prælati; Atque ad rem, in concursu vtriusque fori, exemplificari potest, in illis litibus, quæ sint inter duas adiacentes Ciuitates, vel loca, super iure pascendi, aut super confinibus, vel super aliquibus præeminentijs; Vel inter Communitatem, & Baronem, cum similibus, quoniám licèt inter Ciues interessatos, quibus res iudicata damnum ac præiudicium allatura est, adsint etiam Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, non per hoc tamen poterūt isti declinare forum, dum eorum interesse est accessorium, seù consequutiuum; Ac etiam quia, in eodem iure, vel interesse non considerantur tanquám Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, sed tanquám Ciues, cum similibus.

In alio autem casu, quod ius, vel interesse sit præsentaneum, & æquè principale, intrat distinctio inter causas ciui-
5 les, & criminales; In criminalibus etenim, quamuis in puncto iuris verior sit opinio Ecclesiastica foro fauorabilis, quę originalitér tribuitur *Anton. de Prato veter. in l.* 1. *ff. de sent. quæ sinè appell.*

Nihilominùs extrà Statum Ecclesiasticum, in alijs principatibus, frequentiùs contrarium receptum est, ac seruatur ex quadam consuetudine, ob quam dicunt DD. quod cessat dicta opinio *Anton. de Prat. veter.* quam fatentur in puncto iuris esse veriorem, fauore digniores fori Ecclesiastici trahentis totam causam etiā quoad laicos, sed quilibet forus cognoscit suum Subditum; Vt de praxi Regni Neapolitani *Capic. decis.* 173. *& Franch. decis.* 426. *& vtrobique adden.* Et de illa huius Ciuitatis Mediolani, eiusque status, *Clar. in prax. crimin. §. fin. quæst.* 36. *num.* 46. & agnoscit idem *Farinac.* qui dictam opinionem *Ant. de Prat. veter.* latè comprobat *quæst.* 8. *num.* 151.

In ciuilibus autem, alia intrat distinctio, inter actionem personalem, & realem, seù rei persequutoriam; Vbi etenim agitur de personali, quia nempé creditor hæreditarius in actione personali agat pro virili cōtra vnum ex hæredibus laicum, siuè etiam in solidum, & pro toto credito, quando illud esset talis qualitatis, quod pro eo quilibet ex hæredibus insolidum conueniri possit, iuxtà ea, quæ in materia latè habentur apud *Arguell. decis.* 20. *repetit. decis.* 413. *par. nona recentior.* & habetur *titulo de Dote disc.* 24. *&* 86. Et tunc paritér videtur, quod etiam in puncto iuris Clericus non declinet forum, ex eadem ratione, de qua in priori casu interesse mediati, seù accessorij, & consequutiui, quod scilicèt ita Clericus facere dicitur personam rei voluntarij, atque contendere de præiudicio mediato consequutiuo, quod resultare poterit in alio iudicio in suo foro peragendo per illum hæredem, qui per Iudicem sæcularem coactus fuerit ad soluendum debitum hæreditarium in iudicio diuisionis, vel contributi.

Si veró iudicium sit reale, vel rei persequutorium, in bonis pro communi possessis, per Laicum, & per Clericum, siuè sit directum contra hæreditatem, per
7 vtrumque pro cōmuni possessam, adeóut intret connexio vera, quia nempé vtriusque ius, & interesse sit coęquale, ac principale; Et tunc, dixi, quod veriùs esset in puncto iuris, vt Clericus, quamuis non vocatus, sed voluntarié comparens, trahat totam causam ad forum suū, etiam respectu laici, neglecta distinctione per aliquos tradi solita inter causam diuiduam, & indiuiduam, ex ijs, quæ, antiquioribus relatis, habentur apud *Carol. de Graff. effect. Cleric.* 1. *num.* 232. *Gratian. discept.* 115. *&* 641. *Marches. de commiss. tom.* 2. *fol.* 335. *num.* 64. *Rot. apud Seraphin. decis.* 957. *& decis.* 42. *num.* 23. *par.* 6. *recent. & alios*; Et consequentèr cum iste supponeretur casus, dicebam quod in puncto iuris fauore requirentis respondendum veniret.

Verùm admonui, quod desupér tutè procedi non posset, nisi priùs meliores
8 haberentur informationes de praxi, vel obseruantia illius Senatus, aliorumque

maio-

maiorum Tribunalium, edoctus ex ijs, quæ habentur super consimili casu relato *per Capic. Latr. consult.*55. super diuersa praxi Tribunalium Regni Neapolitani, quoniam non omnia, quæ in puncto iuris veriora sunt, praxim habent vniformem, ob diuersas leges, vel stylos principatuum, & magnorum Tribunalium, iuxtà ea, quæ latè insinuantur *supra disc.*94. Puto autem, quod eadem quoque sit praxis in hac Ciuitate Mediolani, dum post datum hoc responsum, quod ad illos Sapientes transmissum fuit, aliud motiuatum non est, quamuis Cardinalis per aliquod tempus superuixerit.

9 De Cardinalitio autem statu in proposito rationem habendam non esse, dixi quoniam ille considerabilis quidem est in eodem genere fori Ecclesiastici, vt Cardinales conueniri non possint extrà Curiam, & coram locorum Ordinarijs, iuxtà ea, quæ habentur suprà *disc.*80. Sed non alterat genus fori, cùm cadat sub ordine Clericali in genere, iuxtà ea, quæ in proposito successionis feudorum habentur *sub tit. de feud. disc.*16. *&* 54.

10 Istæ autém quæstiones, super vnius, vel alterius fori competentia, non solùm respicere solent ipsum ordinem, seù ipsam qualitatem fori, pro conseruatione iurisdictionis, vel immunitatis Ecclesiasticæ, & nè contingat Clericum à Laico iudicari; Sed etiam quandoque influunt ad iustitiam, ac merita negotij principalis, adeòut ex qualitate fori pendeat victoria, vel succumbentia, ob diuersitatem opinionum, quæ in Tribunalibus laicalibus, vel respectiuè Ecclesiasticis teneantur; Vt præsertim pro frequentiori praxi habetur in materia vsurarum, & censuum, ex insinuatis in suis titulis, & in alijs similibus; Quare, vbi casus præbeat, quod Actor, qui contra Laicum possessorem in laicali foro iudicium instituat, sit persona Ecclesiastica, tunc Clericus, qui habeat dictum interesse mediatum, vel consequutiuum, ac propterea non possit præcisè, ac directè declinare forum, & auocare causam, adhibere solet cauthelam introducendi nouum iudicium ex integro contra Actorē in suo foro Ecclesiastico, pro coactione in actione personali, vt abstineat á prosequutione dicti alterius iudicij, atque ità indirectè obtineatur intentum; Benè verùm, quod desupèr certum iudicium, seù certa regula statui noe potest, cum totum pendeat à singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, ex quibus quandoque istam cautelam proficuam expertus sum, & quandoque illam inutilem.

Messanen. Censurarum.

PRO

Archiepiscopo.

CVM

Religione Hierosolymitana, seù Priore Messana.

Casus decisus per Sacram Congregationem Immunitatis pro Archiepiscopo.

De eodem casu, eademque materia, de quà supra *disc.*29. An scilicèt, & quando Ordinarius procedere valeat ad censuras contra exemptos, qui habeant in specie hoc priuilegium, ne censuris innodari valeant; Et an in hoc aliqua dignoscatur differentia inter excommunicationem, aliásque censuras personales, & censuram localem, nempè interdictum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De licentia quam assumunt Theologi super contemptu censurarum propria auctoritate sub prætextu nullitatis, vel iniustitiæ.*
3 *Resolutio Causæ.*
4 *De conclusione principali, de qua* disc.29. *quod scilicèt Ordinarius possit procedere ad censuras in casibus, in qui-*

*Suppl. lib.*16. *par.*1. *de Iurisdict.* F 3 *bus*

bus habeat cum exemptis iurisdictionem.

5 *Quomodo seruari debeant priuilegia territoriorum exemptorum.*

6 *An pro delicto Clericorum supponi debeat Ecclesia interdicto.*

7 *Exemptio quoad censuras, ità procedit in personalibus, ac in localibus.*

8 *Quod faciliùs cesset exemptio in censura locali interdicti Ecclesiæ, & de ratione.*

9 *Prælati inferiores exempti non supponunt eorum Ecclesias interdicto, & de ratione.*

10 *An amotio interdicti exigat scripturam.*

DISC. CIV.



IN eodem casu, de quò suprà *disc.*29. eiusque facti serie retenta; Cum post sequutas binas, ibi relatas resolutiones Sacræ Congregationis de

1 anno 1653. approbatiuas censurarum illatarum ab Archiepiscopo, á quó in vim facultatis sibi communicatæ per eādem Sacram Congregationem, absoluti fuerunt excommunicati, atque remotum interdictum Ecclesiæ Prioratus, nouus Prior, vel eius Ministri, ægrè ferentes æditionem præfati *disc.* 29. quasi quod ita firmaretur status præiudicialis Prioratui, & Religioni, præsertim circa interdictum Ecclesiæ, ad viginti annos circitér, recursum habuerunt ad eamdem Sacram Congregationem, negando quod interdictum amotum fuisset ab ipso Archiepiscopo, tanquam validè appositum, cum eius auctoritate, sed quod potiùs, eo neglecto, tanquam notoriè inualido, continuatum fuisset in diuinorum celebratione, desuper plurés cumulando au-

2 ctoritates Moralium, ad probandum, quod censuræ notoriè nullæ, vel iniustæ, sperni possunt, istis præsertim professoribus de facili hanc sibi assumentibus licentiam, verè illicitam, & temerariam, cum id sit se facere Iudicem in causa propria; Idque ad summum, vt quamplurium casuum occasione dicere consueui, tolerabile esset in casu, in quo obseruantia censurarum magnum scandalum, in loco parere posset, in eo tamen breui spatio recursum ad Superiores, secus autem postquam isti quoque eas canonizarunt.

Denegabatur autem remotio ex eo, quod de illa non appareret aliqua scriptura, quàm desuper necessariam esse dicebatur, ac propterea Sacra Congregatio rescripsit Archiepiscopo, vt doceret, de hac remotione, eoque respondente, remouisse quidem ad preces Locumtenentis, aliorumque Ministrorum Prioratus, eodem modo, quò personis absolutionem concesserat, sed ob lapsum

3 tanti temporis, ac mutatione ViceCancellariorum, incertum esset, an scriptura desuper adhibita fuerit, nec ne; Ideóque proposita causa, sub die vltima Iulij 1674. prodijt rescriptum (*iam prouisum*) quod in effectu sonat, idem ac, *nihil*, ita modestius explicatum, canonizando propterea censuras, iuxtá præfatas resolutiones anni 1653.

In hac itaque noua disputatione, tres fuerunt puncti; Primò nempè super prædictarum censurarum validitate in genere, stantibus dictis priuilegijs exemptiuis in specie, quoad censuras; Secundò posito, quod inferri potuisset censura personalis excommunicationis contra delinquentes, an procedi potuerit ad alteram localem interdicti; Et tertiò super eiusdem interdicti remotione, an scilicet, de illa, ex parte Archiepiscopi doceri deberet per scripturam.

Quatenùs pertinet ad primum, repetebam eadem fundamenta, de quibus

4 supra *dicto disc.*28. ac etiam *in Miscellaneo Ecclesiastico lib.*14.*disc.*13.*cum plur.seqq.* in quibus agitur de potestate Ordinarij inferendi censuras contra Regulares, aliosque exemptos, in ijs casibus, in quibus eius ordinariæ, vel delegatæ iurisdictioni subiaceant; Repetendo æquiuocum modernorum, & præsertim Moralium, non distinguendi tempora, & non reflectendi, quod per Constitutionem 18. Gregorij XV., quæ vulgò nuncupatur de exemptorum priuilegijs, aliaque posteriora Apostolica decreta, sublatæ sunt illæ difficultates, quæ neque priùs vigebant, sed inductæ fuerunt ab ipsis Moralibus scriptoribus, qui vtpotè curantes tueri causam propriam, enixè studentOrdinariorum potestatem restringere;

gere; Laudabile siquidem est, vt Regularibus conseruentur priuilegia eis con-
5 cessa per Sedem Apostolicam, de qua, ac etiam de Catholica Fide sunt optimè meriti, sed in suis casibus, in quibus eadem Apostolica Sedes, illa vigere voluit, non autem in ijs, in quibus moderata est, cum in istis reuerti dicantur ad priorem statum, & antiquā subiectionem, tanquam per remotionem obstaculi.

Quo veró ad secundum punctum interdicti Ecclesiæ, in quo insistebatur magis, quodammodo admittendo inualiditatem excommunicationis; Aduertebam quod aut inualiditas deducebatur ex capite iniustitiæ, ex eo quod ipsa Ecclesia tanquam incapax delicti, & culpæ luere non deberet pœnam criminum commissorum per eius clericos, & seruientes; Aut deducebatur ex præfato defectu iurisdictionis.

Primó casu, nil referre dicebam, an Ecclesia esset exempta nec ne, cum etiam in Ecclesijs sæcularibus, & subditis idem
6 procedat; Sed hoc erat extra punctum quæstionis, quæ vertebatur super defectu potestatis ratione exemptionis, ac etiam quia, vt eodem *disc.29.* aduertitur, cum ipsa Ecclesia fuerit causa inconuenientis, meritó, vt scandalo meliùs consuleretur, ista censura quoque adhibita fuit.

In altero autem casu impugnationis ex defectu potestatis dicebam, quod cum priuilegium exemptiuum loquatur, de censuris in genere, hinc eadem est ra-
7 tio censurarum personalis, ac localis, ex vulgari axiomate, quod lex generalitér loquens, generalitèr intelligenda est, siuè ex altero axiomate, quod vna, & eadem dispositio respiciens plura determinabilia, debet omnia pariformiter determinare.

Prætereà obseruabam, quod quando exemptio intraret, magis suffragari deberet pro censura personali excommunicationis, per Scribentes non impugna-
8 ta, quàm pro ista locali; Tum quia est longé grauior, vtpotè afficiens animam cum grauissima pœna damnationis eternæ, & priuationis beneficiorum, & fauorum spiritualium; Tum clarius quia magis proximé, ac directè percutit ipsas personas Regulares exemptas, quàm faciat interdictum Ecclesiæ, quod, vt aduertitur *in hoc eodem Supplemento disc.99.* magis percutit punitionem cleri, & populi sæcularis, subiecti eidem Ordinario, ne in illa Ecclesia diuina officia peragere, vel audire valeat, dum ipsi regulares exempti, ad suorum priuilegiorum normam, ianuis clausis id peragere possunt, quando aliqua peculiaris ratio hanc prohibitionem quoque non suadeat.

Et ex qua ratione in supra *allegata*
9 *disc.99.* aduertitur, quod licét Prælati Regulares coercere possint eorum subditos, etiam cum censuris personalibus, non tamen possunt ad istam censuram Ecclesiæ deuenire, cum reuera non adijciatur subditis, sed potiùs Clero, & populo sæculari, cum quò ipse inferior Prælatus iurisdictionem non habet.

Demúm quoad tertium punctum amotionis interdicti, an scilicét, præcisè requireret scripturam, non curaui desuper
10 maturum adhibere studium, neque veritatem articuli ex professo inquirere, cum non putarem necessarium, alijs quoque prohibentibus occupationibus; Tum quia ob lapsum temporis, adeò diuturni annorum 20. cessante omnimoda resistentia legis intrat præsumptio, quod res fer. fer. gesta fuerit, ex ijs, quæ habentur deducta in materia præsumptionis solemnitatum *sub tit. de Dote disc.143. & sub tit. de Alien. & contract. prohibit. disc.1. & alibi*, donec per allegantem negatiuam, de ista doceatur, cum adhiberi potuerit scriptura, quæ ex negligentia Notarij, vel aliàs perierit, stante quod non erat res, quæ haberet tractum successiuum.

Et clariùs, quia cum interdictum fuerit iam, vt suprà, bis canonizatum tanquam validè appositum per Sacram Congregationem; Hinc proindè intrare dicebam dilemma, quod, aut recurrentes dicebant, illud esse benè amotum, & tali casu lis erat finita; Aut negabant, & tunc sequeretur, quod interdictum adhuc firmum esset, ac propptereà emanare debuisset resolutio declarans Ecclesiam adhuc subiacere interdicto, atque seueré puniendos esse eius Clericos, & Ministros, de temeritate illud tamdiù spernendi; Atque itá in pœnam huiusmodi verè irrationabilis, ac imprudentis recursus, in animo plurium erat rescribendi, nisi maior prudentialis ratio eos

cocr-

coercu lsset, ne in populo scandalum generaretur; atque inijcerentur scrupuli in ijs de Clero, & populo sæculari, qui ibi diuina peregerunt; Vbi etenim tenenda esset opinio, quod iste actus fieri deberet per scripturam, vt ità soluatur vinculum eo modo, quo est illatum, attamen id operabitur, vt Episcopus malè agat, non tamen in ferri potest ad effectum de quo in præsenti quæstione, á qua proindè id remanebat extraneum.

Bareñ Matrimonij.

Inter A. & B.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ resolutus pro A., sed absque vlterioti progressu.

An mulier, quæ litem habet eum viro super fœdere matrimonij, habeat priuilegium electionis fori, tanquam habenda pro vidua, ex eo quod habeat virum inutilem.

S V M M A R I V M.

1 *Facti series.*
2 *Mulier vxorata habens virum inutilem reputatur tanquam vidua.*
3 *An causæ Matrimoniales sint Curiales, vt etiam in prima instantia cognosci debeant in Curia.*
4 *Auditor Cameræ an cognoscat causas Matrimoniales.*
5 *Priuilegium electionis fori intelligitur inter æquè competentes.*
6 *Declaratur conclusio, de qua, num. 2.*
7 *An priuilegium concessum miserabilibus personis* in l. vnic. C. quando Imperator. *procedat in causis spiritualibus.*



DISC. CV.



1 CVM iuxtà similem casum de quo *sub tit. de matrim. disc. 6.* A. vir in patria nobilis, in fraganti captus cum B. ex honestis, & ciuilibus parentibus, cum qua sub fide matrimonij (vt supponebatur) deflorata conuersationem habuerat, eam desponsare coactus esset; In libertate verò positus super matrimonij, vtpotè per vim, & metum contracti nullitate, causam coram Ordinario introduxisset, Hinc mulier, ex priuilegio textus *in l. vnic. Cod. quando Imperat. &c.* suspectum fortè habens Ordinarium, illum declinando forum, alterum elegit in Curiam Tribunalis Auditoris Cameræ, à quo propterea solitam obtinuit inhibitionem, pro cuius moderatione, ac remissione causæ ad Ordinatium, adita fuit Signatura Iustitiæ, á qua credo, quod pro moderatione rescriptum fuerit, vlteriorem verò progressum causa non habuit, quia fortè vir acquieuerit.

2 In hac igitur disputatione, in qua pro viro scribebam; Agentes pro muliere, quæ Virgo ex propria confessione dici non poterat, minùsque vidua, dicebant adhuc dictum priuilegium electionis fori competere, ex eo quod esset vxorata habens virum inutilem, quæ viduæ proptereà exæquanda est, ex deductis *per Nouar. de election. fori sect. 2. quæst. 7. num. 2 & 3. vbi concordantes.*

3 Et quod in omnem euentum, cum causa fœderis matrimonij in iure reputetur grauis, idcircò cognosci deberet in Curia, etiam in prima instantia, adeòvt in ea caderet limitatio contenta in Decreto Concilij Tridentini *Sess. 24. de reformat. cap. 20.* vt graues causæ etiam in prima instantia ab Ordinarijs locorum auocari possint, atque in Curia cognosci, ex deductis *per Marchesi. de commiss.*

Vtramque tamen petitionem, etiam eum sensu veritatis, iniustam dicebam; Quatenùs enim pertinet ad secundum punctum super causæ Curialitate, modicum oportuit adhibere laborem, quoniam ad aliquos menses, in alia causa matri-

matrimoniali *Nolana* magis qualificata, vtpotè inter nobiles, hinc indè maioris sphæræ, in qua, ex alio defectu solemnitatum, vel formæ nullitas ex parte Patris Mulieris prætendebatur, punctus, iam decisus fuerat; Cum etenim me scribente pro Viro, adita fuisset eadem Signatura Iustitiæ pro remissione causæ ad Ordinarium Nolanum, aduersùs inhibitionem Metropolitani Neapolitani, qui manus in causa apposuerat, atque reiecta fuisset hæc petitio; Hinc quidam Aduocatus, istud opus assumpsit, quod scilicèt, causa tanquam Curialis committi deberet in Rota, sed petitio reiecta fuit; & non acquiescendo rescripto Signaturæ adijt Sacram Congregationem Concilij, quæ paritèr idem bis respondit; Et meritò quidem, adeòvt chymericum istud opus mihi videretur; dum idem Concilium Tridentinum *dicto capit.20. sess.24. de reformat.* cognitionem causarum matrimonialium in prima instantia præsupponit, non solùm in Episcopis, & Ordinarijs Diœcesanis, sed etiam in Prælatis inferioribus, dum ab istis eas auocat, easque ipsis Ordinarijs, seù Diœcesanis delegat; Talisque est inconcussa praxis, quod scilicèt, causæ matrimoniales, tam super fœdere, quam etiam super separatione thori, quæ in tot Rotæ decisionibus leguntur, ad Curiam deuolutæ fuerunt in gradu appellationis, in secunda instantia, vel tertia à Metropolitanis, vel à Nuntijs; Vndè propterea in dicta *Nolana*, de plano rescriptum fuit cum omnium Patrum concordi voto, reijciendo dictam prætensionem.

Quo verò ad primum punctum electionis fori ex priuilegio concesso miserabilibus personis; Quando etiam hoc priuilegium intraret, adeòvt causa cognosci debuisset in Curia, adhuc facilis
4 fuisset auocatio ab hoc Tribunali, eiusque commissio in Rota, quoniam licèt Auditor Cameræ prætendat, vigore suarum facultatum, cognitionem etiam habere causarum matrimonialium, & beneficialium; Sensus tamen vtriusque Signaturæ, atque hodierna praxis sunt incontrarium, potissimè verò in causis matrimonialibus, quando verè & propriè sint tales, quià nempè de matrimonij fœdere principalitèr agatur, vt insinuetur *in relatione Curiæ disc.34.* Ac proptereà suffragari non poterat priuilegium electionis fori, quoniam vt in
5 præcedentibus aduertitur, & præsertim *disc.69.* certùm ac extra controuersiam est, vt istud priuilegium intelligendum veniat data competentia in genere, & inter plurés Iudices competentes diuersorum locorum, non autem in eodem loco, adeòvt priuilegium importet solum quandam peruersionem ordinis instantiarum, vt Iudex secundæ, vel vlterioris instantiæ, aut recursus, in prima instantia adiri valeat, non autem vt incompetenti competentiam tribuat; Neglecta verò fuit hæc inspectio, dum desiderabatur remissio ad partes, ideóque sola disputatio fuit, an intraret istud priuilegium ex dicto capite mulieris vxoratæ habentis virum inutilem.

In hoc autem, in eodem sensu veritatis, dicebam improbabilem esse huiusmodi prætensionem, quoniam etiam in
6 Vidua priuilegium intrat cum tertio, non autem cum hæredibus ipsius Viri pro repetitione dotium, tanquam in casu connaturali, & præuiso, ex deductis per eundem *Nouar. dicto tractat. de elect. fori sect.2. quæst.7.* Multò verò magis in isto casu, in quo incertùm erat, an mulier dicenda esset simplex inhonesta, vel corrupta mulier, & sic non virgo, neque vidua, neque vxorata; Et per consequens, quod non adaptarentur ea, quæ supra habentur de muliere habente Virum inutilem viduæ exæquanda, cum procedant in ea muliere, in qua cadat eadem ratio commiserationis, ob infortunium à viro passum, quo non sequuto, vel cessante, ista mulier haberet defensorem ipsum virum, vt contingit, quando vir esset bannitus, vel exul, aut in triremibus, vt aduertitur apud suprà allegatos; Secùs autem dum lis est cum ipso met Viro, qui diei non potest opportunus defensor, si impeditus non esset, ideòque non adaptatur illa ratio, cui hæc extensio innixa est; Aliàs etenim, non per viam priuilegij particularis, ob accidentalem qualitatem miserabilitatis, sed pro regula generali in huiusmodi causis, siuè agatur de fœdere matrimonij, siuè de separatione thori, quinimò etiam in causis prophanis, in quibus inter coniuges de assecuratione dotis, vel

de

de alimentis alijsque contingentijs quæstio esset, istud priuilegium electionis fori, semper dandum esset, cum semper eadem intraret ratio, quod vtique esset inconueniens, atque contrarium docet praxis generalis.

Ponderabam quoque, quod cum istud priuilegium proueniat á dispositione iuris ciuilis, sub quæstione est, an illud in
7 causis fori Ecclesiastici locum habere debeat, plerisque id negantibus; Et quamuis Curia contrarium receperit, & practicet; Attamen ista praxis procedit in illis causis, quæ naturalitèr, & intrinsecè sint prophanæ, accidentalitèr tamen, ratione personarum, vel ex alia accidentali circumstantia ad Ecclesiasticum forum pertineant, ex insinuatis suprà *disc. 69. & alibi*, ideòque id potiùs prouenire videtur ex quodam stylo Curiæ, quæ potiùs vnam, quàm alteram sequitur opinionem; Et propterea ad eiusdem styli limites, id admittendum est, in præfato genere causarum, quæ ex earum intrinseca natura, seù qualitate, sint indifferentes, ac prophanæ, cum dispositione eiusdem iuris ciuilis, saltem pro maiori frequentia, regulandæ, non autem in illis, quæ iuri ciuili ignotæ sunt, atque ab eius dispositione exemptæ, siué extraneæ, vtpotè intrinsecè, atque de earum natura spirituales, & Ecclesiasticæ, quales sunt istæ matrimoniales, ac beneficiales, & similes in quibus dictus stylus non vrget.



Vrbinateñ Pecuniaria.

PRO

Carolo Albano.

CVM

Etruriæ M. Ducissa Victoria Roneree vltimi Ducis Vrbini herede.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ sopitus per concordiam.

De foro Fisci, an conueniat priuato, qui à Fisco causam habeat, siué cum Fisco interesse connexum, vt cessare faciat priuilegium Curialitatis, quod in Curia *Eugeniana* dicitur, vel illud *l. vnic. C. quand. do Imperator.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De priuilegio Curialium, & de Eugeniana.*
3 *De foro causarum, in quibus Fiscus habeat interesse.*
4 *Cessionarius Fisci potitur eodem foro, & priuilegijs.*
5 *Priuilegium personarum miserabilium non prodest isto casu.*
6 *De eodem foro Fisci in statu Ecclesiastico.*
7 *Damnatur abusus immorandi in superfluis.*
8 *In bonis feudatarij defuncti allodialibus Fiscus non habet interesse.*
9 *Quando habere dicatur interesse.*
10 *Declaratur conclusio, de qua, num. 4. super territorio Fisci.*
11 *Communicatio priuilegiorum Fisci, quid operetur.*
12 *De iudicibus causarum Fiscalium, seù Cameralium Status Ecclesiastici.*
13 *De iudicibus particularibus Ecclesiasticorum, vel piorum locorum.*
14 *De eodem priuilegio Curialitatis, de quo num. 2. vt dicatur publicum.*
15 *Quod praualeat priuilegio*, l. vnic. C. quando Imperator.

16 *Quod*

16 *Quod etiam in causis Fiscalibus, sit practicabile priuilegium* Eugenianæ, *vel alterum* d.l.vnicæ,C.quando Imper.
17 *Quid propriè contineat dictū priuilegium* l.vnicæ.
18 *In quo puncto resideret huius causæ difficultas.*
19 *An bona patrimonialia Principis gaudeant priuilegijs Fiscalibus.*
20 *An Barones, & feudatarij minores habeant verum Fiscum.*
21 *De causis Fiscalibus per assimilationem.*

DISC. CVI.



N ea inter Apostolicam Sedem, & vltimum Vrbini Ducem inita concordia, pluriés enunciata, & præsertim *sub tit.de feud. disc.1.& 3.* Siué in alia,
1 quæ postmodùm facta esset, concessione, præfatæ Victoriæ dicti vltimi Ducis ex filio prædefuncto nepti, bonorum allodialium hæredi, pro eorundem allodialium bonorum commodiori fruitione, ac etiam pró exactione nominum debitorum, aliorumque iurium super allodiali hæreditate cadentium, facultas contineatur habendi in prima, & in secunda instantia Iudices particulares, ab eadem Victoria nominandos, atque per Papam deputandos, qui summarié, & in quadàm priuilegiatiua forma, eo modo quo in Fiscalibus causis, procedere possent, contra debitores, vel bonorum detentores, vt de facto à deuolutionis tempore citrà practicatum fuit.

Cum autem prætenderetur, quod hæreditas Horatij Albani esset præfati Ducis debitrix in quadam summa, iuxtà seriem de qua *sub tit.de Credito disc.125.* Ideóque Carolus præfati Horatij filius, & hæres coram præfatis Iudicibus, vel eorum altero euocatus esset, Iste autem, nimium qualificatus aulicus Curialis, in vim Eugenianæ Constitutionis dictum forum declinasset, obtinendo solitam inhibitionem ab Auditore Cameræ, ne alibi, quam in hoc Tribunali conueniri posset; Hinc pro huius inhibitionis moderatione, adita per Actricem Signatura Iustitiæ nulla capta fuit resolutio ob votorum discordantiam, atque imminente repropositione, ibidem enunciata subsequuta concordia, tam principali controuersiæ, quàm huic puncto finem dedit.

In ista itaque disputatione, Scribentes pro Actrice non negabant in facto, vtpotè certam, & notoriam Rei conuenti curialitatem; Minùsque negabant certum Curialium priuilegium, attribu-
2 tum per Constitutionem 4. *Eugenij Quarti*, quæ proindè vulgò *Eugeniana* dicitur, atque in viridi est obseruantia, & de qua etiam habetur mentio suprà *disc. 73.& tit.de iudic. disc.3.* quod scilicèt, Curiales extrà Curiam, dictumque Tribunal Auditoris Cameræ conueniri, & trahi non possint; Quod etiam statutum est, de iure communi *in l.1.& 2. Cod. de Curialibus lib. 11.* cum concordantibus plené collectis per *Gratian. discept. 421. num. 1. & seqq.* Atque probabilitèr in cuiuslibet principatus Curia per leges, vel stylos particulares creditur esse receptum, ex rationis identitate.

Dicebant tamen, vt id procederet, iuxtà terminos generales, in priuatorum causis indifferentibus, non autem acce-
3 dente priuilegio Fisci, qui in omnibus eius causis, tàm actiuis, quàm passiuis, non solùm vbi eius interesse sit directum, ac immediatum, sed etiam indirectum, ac mediatum, & consequutiuum, proprium habet forum, ad quem omnes trahit; Multum desuper pro currenti scribendi consuetudine, vel potiùs abusu faciendo cumulum auctoritatum, quæ insimul collectæ habentur *apud Carleval.de iudic. tom. 1. num.698. & seqq.* vndè alij de facili transcribi possunt, & suprà *disc.83.*

Idemq; cumulus, cum consimili transcriptione fiebat ex eod. *Carleval. num. 708.* circa aliud assumptum, quod idem
4 Fisci priuilegium sit communicabile etiam priuatis, atque competat, non solùm eius Appaltatoribus, sed etiam Cessionarijs, sub quorum nomine Actricem venire asserebant, dum iura, & priuilegia Fisci, vt suprà sibi communicata esse supponebatur.

Adeòque priuilegiatum esse asserebāt istum Fiscalem forum, vt etiám illud priuilegiorum pupillorum, & viduarum aliarumque miserabilium personarum,
5 quod continetur *in l. vnic. Cod. quando Impe-*

Imperator, *&c.* & quod omnium potentius per practicos reputari solet, vt potè clausum in corpore iuris, illi non praualeat, desuper cumulando auctoritates paritèr recensitas *per Carleual. vbi supra*, apud quem facilè est videre.

Scribens pro reo conuento, nihil ex præmissis negabam, quando de Fisci tam directo, & immediato, quàm indirecto,
6 & mediato intereste ageretur, dum absque necessitate id comprobandi cum exterorum Doctorum auctoritatibus; In hoc principatu Status Ecclesiastici, ita expressè statutum habetur per Apostolicas Constitutiones, & præsertim *per Constitutionem nonam Pauli III.* Talisque est inconcussus vsus, eodem modo, quo in omni principatu dignoscitur, ob leges particulares, vt prçsertim in Regno Neapolitano disponitur *per pragmaticam 62. de officio Procuratoris Cæsaris cum ibi notatis per Ronit. & alios glosatores*; Et ita similitèr in alijs principatibus.

Dicebam tamen idem, quod nimium
7 frequentèr, forteque in omnibus Forensibus controuersijs (nunquam tamen superfluè, sed semper oportunè, donec iste aboleatur abusus) quod difficultas non erat iuris, sed facti seù applicationis, quodque propterea præmissa inanem continerent chartarum repletionem, dum sunt hodiè propositiones planæ, & præsupponendæ; Verùm difficultas erat in applicatione ad factum, dum post deuolutionem feudi, atque resolutum omne ius feudatarij, eius iam defuncti hæres in rebus allodialibus, quæ intra feudi fines in eius hæreditate remanserunt, gerit personam merè priuatam, atque in
8 illis bonis, quæ extrà omnem controuersiam allodialia sint, adeòvt Fiscus nullum habeat interesse, nullatenùs intrat priuilegium Fiscale, tanquam ex cessante ratione.

Eoque casu, in illis bonis, quæ absolutè allodialia sint, & in quibus non cadat quæstio, *de qua sub tit. de feud. disc. 2. & 3. 47. & 56.* & frequentèr, adhuc intrat idem priuilegium, quando Fisci intersit, vt illa bona pertineant ad hæreditatem feudatarij defuncti, quæ ita pinguior sit, atque idonea ad omnia debita & onera, illa præsertim contracta cum Principis, vel alterius Domini directi assensu, ob quem in defectum bonorum
9 liberorum & allodialium, etiam contra ipsum Fiscum, atque in ipsis bonis feudalibus iam deuolutis per creditores haberi potest actio, vt præsertim docet frequens praxis in Tribunali Regiæ Cameræ Neapolis, ex deductis *sub titulo de feudis*. Et propterea, cum in hac facti specie, in qua hæres feudatarij; in omnibus esset Actrix, dictaque ratio non intraret, ità nullatenùs eadebat priuilegium, vel interesse Fisci.

Id autem, quod dicitur de cessionario ex relatis *per Carleual. dicto numer. 708.*
10 vbi alij cumulantur, & cum quo pertransit *Olea de cession. iur. tit. 6. quæst. 3. num. 30* procedit in cessionibus correspectiuis, ac propterea Fisci intersit, vt iura cessa in cessionario effectum sortiantur, ob prçiudicium, quod aliàs sibi resultare potest ex cessionarij succumbentia, iuxtà præmissum exemplum creditorum cum assensu, siuè emptoris, qui euictionis actionem habeat, aut fideiussoris, vel tertij possessoris, cui Fiscus fecerit cessionem necessariam, qua effectum non sortiente, aliquis regressus contra eum haberi posset, siuè aliàs parari præiudicium, cum similibus.

Hæc autem omnia in præsenti omninò cessabant, ideóque agi dicebam de sim-
11 plici priuilegiatiua communicatione priuilegiorum super summario, & exequutiuo modò procedendi potiùs ad instar, non autem, vt exindè inferri possit adhoc priuilegium fori.

Ad euidentiam id comprobari obseruabám ex ipsorum Iudicum deputatorum qualitate; si etenim istud Fisci pri-
12 uilegium intraret, adeòvt dici posset, quod saltim indirectè, & mediatè esset causa Fiscalis, tunc incongrua esset, hæc deputatio, tam ratione Iudicum de partibus, ad quos causæ remissio petebatur, quàm ratione huius Tribunalis Signaturæ Iustitiæ, in quo eadem disputatio habebatur; Siquidem cognitio Causarum Fiscalium in hoc Principatu, priuatiuè ad quoscumque in prima instantia pertinet ad Camerarium, & Thesaurarium, cum præuentione inter eos, quoties vni eorum specialis non accedat delegatio, in secunda verò instantia est Tribunal Cameræ; Neque in his se ingerit Signatura Iustitiæ, quoniam quando desuper oriatur controuersia super competentia fori,

fori, illæ deciduntur; vel per ipsummet Tribunal Cameræ, quod non subiacet Signaturæ Iustitiæ, sed vt Practici dicunt, habet Signaturam in ventre, vel per Papam in plena Signaturæ Gratiæ, aut in camera, & per organum sui Auditoris.

Postquàm veró ista controuersia iam, vt suprà sopita fuerat, ad eam reflectendo prò veritate, obseruabam, quod quando ista concessio aliam non haberet ratio-
13 nem, nisi illam gratiæ, & priuilegij pro quadam maiori commoditate, & ne subsit necessitas substinendi multas lites in diuersis locis, & coram diuersis Iudicibus, iuxtà illas considerationes, quæ in materia vnionis causarum haberi solent ex insinuatis suprà *disc.* 76. *&* 87. & in alijs, siué ad instar illorum Iudicum particularium, qui aliquibus Religionibus, vel Monastcrijs, aut pijs locis concedi solent, vt in Vrbe sunt Iudices, Confraternitatis Sanctissimæ Annunciatæ, & Hospitalium Trinitatis, & Sancti Sixti, & Collegij Germanici, & similes; Et tunc probabilius videri credebam, vt huiusmodi priuilegiatiuę concessiones non compræhendant istud priuilegium Curialitatis.

Siquidem illud dicendum non est priuilegium particulare, seù personale con-
14 cessum personis Curialium in eorum gratiam, sed potiùs ex causa publica principalitèr in gratiam ipsius Curiæ;
15 Adeóque potens reputarur, vt præualere credatur alteri concesso miserabilibus personis *per text. in l. vnic. Cod. quand. Imper.* quod tanquam magis genericum, & clausum in corpore iuris alijs potentius reputari supra aduertitur, vt in specie habetur *apud Gratian. dicta discept.* 421. *num.* 7. *& seqq.*

Et per consequens, si in ipsismet causis Fiscalibus casus præberet, quod illæ ha-
16 berent in partibus suos Iudices particulares, puta, quoad Statum Ecclesiasticum temporalem, quod qualibet Thesauraria, vel Prouincia haberet Iudicem suum, atque in causis Cameralibus spectantibus ad Cameram Pontificiam, habemus in Nuncijs, & Collectoribus Apostolicis, Hispaniarum, Portugalliæ, Neapolis, Florentiæ, & Sabaudiæ, ac similibus, ex insinuatis suprà *disc.* 85. Et tunc rectè intraret quoque istud priuilegium Eugenianæ, seù Curialitatis, in eodem genere Iudicum particularium Fisci, & sic quod Curiales molestati in partibus, coram Thesaurarijs, vel Nuntijs, aut Collectoribus, obtinere possent inhibitiones à Camerario, vel á Thesaurario Iudicibus Fiscalibus in Curia, vt non nisi coram istis conueniri debeant, dum eadem intrat ratio seù proportio, atque sufficit non violari officium Fiscale, neque causas extrahi extrà tribunalia Iudicum Fiscalium, seù Cameralium, sed intra idem genus, vt ad rem *Nouar. de elect. fori tom.* 2. *sect.* 3. *quæst.* 27. *numer.* 12. *cum seqq.* vbi agendo de hoc priuilegio Curialium, vt non nisi coram M. Senescallo conueniri possint, id non tollat priuilegium respectu aliorum superiorum eiusdem Senescalli.

Idemque, in præmissa disputatione scribendo, dicebam rectè adaptari quoque præfato altero priuilegio electionis
17 fori competenti miserabilibus personis, cum eadem militet ratio, dum istud priuilegium contineat solùm quandam alterationem, seù interuersionem ordinis inter plures Iudices competentes, atque in eodem genere *Marchesan. de commission. de auocat. causarum par.* 2. *§.* 2. *numer.* 153. *Nouar. de elect. for. par.* 1. *quæst.* 2. *numer.* 12.

Verùm in hac facti specie difficultatem habebam, ob illam considerationem, de qua occasione priuilegiorum conces-
18 sorum per Clementem Octauum Ciuitati Ferrariæ, cum eius annexis, habetur supra *disc.* 80. Ac etiam occasione istius Status Vrbini non semel in diuersis materijs aduertitur, & præsertim *sub tit. de feud. disc.* 83. *& tit. de donat. disc.* 2. *& alibi*, quod scilicèt, quemadmodùm ante feudi deuolutionem, iste Status constituebat principatum separatum, cum regalibus, ac supremo Imperio, adeòvt non darentur appellationes, vel recursus ad Curiam, minùsque locum haberent præfata priuilegia miserabilium personarum, sed vtrùmque priuilegium ibi respectiué verificaretur intra sphæram Iudicum & Tribunalium illius principatus; Ità per quandam istius Status continuationem, quemadmodùm ibidem coram particulari Iudice Causarum Fiscalium, seù Cameralium huiusmodi causæ tractari deberent, absque eo quod

istæ forus Fiscalis subiaceret huiusmodi priuilegijs Curialibus, vel miserabilium personarum, si deuolutio sequuta non fuisset, voluerit Pontifex huius Principis, vel feudatarij hæredi concedere continuationem eiusdem status, perindè ac si feudum deuolutum non esset, quasi quod huiusmodi bona & iura, ad instar illius affectionis Apostolicæ, quæ ex reseruatione, tanquam ex impressa qualitate resultat, antiquam iam eis impressam Fiscalem qualitatem adhuc retineant.

Quamuis etenim de stricta iuris censura, causæ Fiscales propriè sint illæ, 19 quæ pertinent ad Cameram, seu bursam Principatus, & sic feudi, non autem illæ, quæ pertinent ad priuatum, seu allodiale patrimonium personę ipsius Principis, & feudatarij, vt aduertitur *sub tit. de feud. disc. 2. numero finali*; Atque habemus frequentèr actum apud Regnicolas in proposito illorum Baronum, quod scilicèt, ius habendi ærarium à Communitate deputandum suo fisco, aliudque ius ciuilitatis, cum exemptione ab illo forensium onere, quod *bonatenentia* dicitur, procedat in bonis feudalibus, non autem in allodialibus, cum similibus.

Adhuc tamen in Principibus Supremis, seu qui iure principatus habent in ratione feudi regalis, & dignitaris, adeò vt habeant verùm Fiscum, quem Barones, & feudatarij minores reuera non habent, sed solùm quandam Fisci ima-20 ginem, vel assimilationem habere videantur, siuè exercitium, vel fruitionem iurium Fisci ex Principis concessione, iuxtà distinctionem inter Fiscum habitualem, & exercitium, vel fruitionem eius iurium, de qua *sub tit. de regal. disc. 161.* huiusmodi bona patrimonialia Cæsaris sub eiusdem Cæsaris procuratore esse dicuntur, prædictaque distinctio in praxi non habetur, vt aduertitur *dicto disc. 2. de regal. num. final.*

Ac propterea ponderabam, quod ea, quæ per Scribentes deducebantur super priuilegijs fori Fiscalis, propriè ac directè extranea essent à casu quæstionis, 21 cum reuera spectato tempore præsenti istæ sint causæ priuatæ, & allodiales, non autem publicæ, & Fiscales, sed quod intrarent per assimilationem, siuè pro regulatione, vel interpretatione voluntatis Papæ, vt huiusmodi bona & iura, tanquam reliquiæ iam resoluti Principatus, eamdem retinerent semel habitam, vel impressam qualitatem, ideòque more causarum Fiscalium proprium haberent Iudicem, vel forum; præmissis priuilegijs non subiectum, eodem modo quo ipse verus, ac proprius Fiscalis forus non subiacet.

Florentina Iurisdictionis.

PRO

Auditore Magistratus Militiarum.

CVM

Magistratu Abundantiæ.

Responsum ad causam in casu resoluto pro Magistratu Abundantiæ.

De foro militari, siuè de particulari Magistratu militum; An & quando in causis militum iurisdictionem habeat priuatiuam ad alios locorum Magistratus, Ordinarios, vel particulares; Et præsertim ad illum Abundantiæ, siuè Annonæ, in causis, vel negotijs ad istam pertinentibus; Et incidenter de Iurisdictione Præfecti Palatij Apostolici cum illis, qui in Palatio inseruiunt.

SVMMARIVM.

1. *Facti series.*
2. *De stylo scribendi, vel consulendi in causis extra Curiam.*
3. *In causa propria, quærendus est Aduocatus.*
4. *Qualis sit punctus causæ.*
5. *Confirmatio non alterat naturam confirmati.*
6. *Per nouas leges antiqua abrogantur etiam sine earum mentione.*

7 In

7 *In causis in quibus deficiunt solida motiua affectatur ornatus regularum.*

8 *Ad quid noua leges in hac materia fiant, quodque per eas cognitio causarum militum ad solos Iudices militare pertineat.*

9 *Obseruantia est optima interpres, & de distinctione inter interpratatiuam, & prascriptiuam.*

10 *Legum correctio non est prasumenda, sed euitanda.*

11 *De errore non distinguentium, & infrà num.20.*

12 *An milites nostri temporis gaudeant antiquis priuilegijs militaribus.*

13 *De diuersis speciebus militum.*

14 *Qui sint verè, & propriè milites.*

15 *Quibus assistat regula prò militaris priuilegij competentia.*

16 *De militibus non stipendiatis vulgò venturieri.*

17 *Quod hac materia publica abundantia debeat esse sub vno Magistratu.*

18 *De oportunis legibus cum quibus vtrique parti consulatur.*

19 *De errore deferendi auctoritati Consulentium.*

20 *De eodem, de quo supra num.11.*

21 *De priuilegijs inseruientium in Palatio Apostolico, vel in arce Sancti Angeli in Vrbe.*

DISC. CVII.



DVO inter quàmplures alios in Florentina Ciuitate extant Magistratus, ex nobilibus viris non professoribus, qui vulgò Iudices pectorales dicuntur,
1 constituti, quorum quilibet vnum habet Iuris professorem, vel Assessorem, seú Consiliarium, cum cuius voto in iudicando proceditur; Vnus nempè militiarum vulgò nuncupatur *delle bande*, pro cognitione causarum illorum, qui militiæ adscripti sint, cuius Consultori Auditoris nomen tribuitur; Alter veró Abundantiæ, pro cognitione transgressionum, prouisionum, & bandimentorum in ijs, quæ concernant publicam annonam, vel abundantiam, atque istius Consultori legale Assessoris nomen congruit.

Suppl. Theat. Lib. 16. par. 2. de Iurisdict.

Cum autem in militaribus legibus, vel ordinationibus editis de anno 1556. statutum esset, vt in causis, quæ alia occasione, quàm militiæ, pro tempore, quo milites extrà castra, vel præsidia, in proprijs domibus reliqui populi more viuunt, contingant, ad dirimendas iuris quæstiones in terminis iuris communis desuper cadentes, ac disputatas per DD. de quibus infrà, inter locorum ordinarios Iudices, & particulares militares, locorum Magistratus, vel Rectores, præfato militari Auditori processus completos transmittere teneantur, atque iuxtà eius votum, seù consilium iudicare; In legibus autem alterius Magistratus Abundantiæ æditis de anno 1591. disponatur, vt cognitio causarum super præfatis transgressionibus, tam respectu descriptorum militię, quàm non descriptorum, spectare debeat ad præfatos locorum Rectores; Ita tamen, vt processum completum, cum proprio voto transmittere teneantur dicto Magistratui, qui cum interuentu eius Assessoris, in causis non descriptorum militiæ, & cum interuentu Auditoris militiarum, in causis descriptorum, confirmet, vel reformet localis Rectoris votum.

A moderno veró tempore post nouas militares reformationes editas de anno 1646. præfatus Auditor militiarum in possessione reperiretur, vt sibi, direċtè, ac immediatè à Rectoribus transmitterentur processus descriptorum, pro quibuscumque causis, ipseque, iuxtà eius ordinarias facultates, exceptis illis casibus, in quibus, mortis, vel mutilationis membrorum, aut triremium, vel fustigationis pœna inrraret, ad expeditionem voti decisiui absque alterius Magistratus participatione procederet.

Hinc prætensionem excitauit dictus Magistratus Abundantiæ, aduersùs hanc praxim, petendo vt in causis prædictarum transgressionum, locales Rectores ad præscriptum dictarum legum anni 1591. processus directè transmittere deberent ipsi Magistratui, adhoc vt ipse, quoad non descriptos, cum voto proprio Assessoris, & quoad descriptos cum illo præfati Auditoris, ordines ac prouisiones dare deberet; Atque assumpta desuper disputatione coram Iudice particu-

ticulariter deputato; Ex parte dicti Auditoris militiarum requisitus fui ad scribendum ad causæ oportunitatem, pro suorum iurium defensione.

Inhærendo autem consuetudini tentæ
2 in causis extra Curiam, duas transmisi scripturas; Vnam scilicet Aduocati more, Iudici exhibendam, ad causa oportunitatem; Et Alteram in qua cum sensibus veritatis eidem requirenti meas insinuabam difficultates, vt de eis ità admonitus, oportunum desuper consilium capere posset, dum in causis Curialibus idem monitum oretenùs Partibus, vel eorum Agentibus fieri potest; Licèt etenim ipse doctus Iurisconsultus esset, adhuc tamen, proprio interesse, vel affectione intellectum frequentiùs fascinante,
3 difficultates non adeò apprehendere videbatur; Ac propterea vulgare videtur dicterium, seù monitum, vt in causa propria, etiam doctissimi Iurisconsulti, & Aduocati, alium quærere debeant Aduocatum, & Consiliarium.

In prima igitur scriptura, more Aduocati, inherendo sensibus eiusdem scribentis in causa propria, insistebam in puncto, qui potiùs facti, & interprætationis, quàm iuris erat, an scilicet, per dictas leges militares de anno 1646. cum
4 aliqua maiori verborum amplitudine editas, super militum priuilegijs, illo præsertim fori, correcta seù reformata esset dicta ordinatio anni 1591. quæ literalis est fauore Magistratus abundantiæ; Idque pendebat à puncto, an istæ modernæ leges, vel reformationes, continerent solùm confirmationem, & innouationem legum antiquarum anni 1556. vt per alteram Partem prætendebatur; Vel potiùs continerent leges nouas, & independentes; Posita etenim prima parte, dicebam quod rectè procederet prætensio Magistratus abundantiæ, ex regula, quod lex noua simpliciter confirmatiua, vel innouatiua antiquæ, ad
5 istius limites intelligenda venit, ideóque rerum statum non immutat, vt præsertim frequentèr insinuatur sub plerisque materijs, & potissimè *sub tit. de Iudic. disc.*44 in proposito Apostolicarum Constitutionum Pij Quarti, & Pauli Tertij, super confirmatione, & extensione Constitutionis Aegydianæ, cum similibus; Si verò è conuerso esset lex omninó noua, & independens, cum generalitèr, ac indefinitè in omnibus descriptorum causis statuatur fauore Magistratus militiarum, eiusque Auditoris; Ita de plano resultare dicebam correctionem dictæ legis anni 1591. in qua totum erat Magistratus Abundantiæ fundamentum; Ita ad satisfaciendum inepto stylo, qui ignaro vulgo placet, cum opera transcriptoris potiùs, quàm Doctoris, aliquem faciendo cumulum auctoritatum collectarum *per Barbos. axiom.* 183 quod scilicet, posteriora derogant prioribus.

Et in specialibus terminis legum, vt per nouas leges sequi dicatur correctio,
6 vel moderatio antiquarum, quamuis earum mentio non fiat, ac propterea modernis deferendum sit *Federic. de Sen. consil.*47. *numer.*2. *Afflict. in Constitut. Regn. rubr.* 24. *numer.* 12. *Menoch. lib.*6. *præsumpt.*38. *latè, & benè apud Cassador. decis.* 38. *super Regul. Cancellar. Rota decis.*10. *num.*25. *& seqq. & decis.*200. *numer.*5. *& seqq. par.*9. *recentior. & frequenter.*

Quod autem istæ modernæ leges anni 1646. nouas ordinationes omninò independentes pro militarium priuilegiorum ampliatione, continerent, illarum pleraque verba, & clausulas põderabam, adeòvt insisteretur potiùs in ijs, quæ facti potiùs, quàm iuris essent, Responsum ramen, vt superius insinuato inepto stylo satisfieret, exornando cum diuer-
7 sis generalibus regulis, & axiomatibus, vt facere oportet, quando causa, solidorum motiuorum paupertatem patiatur.

Pro eiusdem verò assumpti corroboratione, quod scilicèt, istæ nouæ reformationes, nouas complures continerent leges, reassumebam ea, quæ in hac ma-
8 teria fori militaris latè deducta habentur *per Rouit. super pragmat.*11. *de milit. à numer.*1. *ad* 12. *& latiùs per Patign. in opusc. de Iudic. & priuileg. milit. impress. inter commentar. eiusdem Rouit. super dicta pragmat.* 11. *Carlenal. de Iudic. tom.*1. *ex num.*461. *Chrispolt. in tract. de re militar. & alios*, quod scilicèt, cum desuper plurium legum ciuilium dignoscatur antynomia, an istius militaris fori, vel Magistratus iurisdictio esset priuatiua, vel cumulatiua, cum Iudicibus ordina-

dinarijs locorum in causis præsertim communibus, in quibus milites à paganis differre non videntur, atque propterea adsit consueta non modica opinionum varietas, vel scissura, ob quam inter Magistratus Ordinarios, & militares scandala, & inconuenientia frequenter oriri solent, Principi, & Reipublicæ præiudicialia; Hinc proindè Principes coacti fuerunt, veteres leges, vel stylos abolendo, seù reformando, indefinitè statuere, vt causæ militum, priuatiuè ad locorum Iudices, & Magistratus, per Iudices, & Magistratus militares cognosci deberent, iuxtà exempla per dictos scribentes deducta, ita inferendo, quod ad instar, idem iste Princeps facere voluerit cum istis nouis legibus.

Ac etiam dicebam, quod in omnem euentum negari non poterat, quin id probabiliter dubium esset, vt propterea huic Auditori suffragari deberet plu-
9 rium annorum possessio, vel obseruantia, cum ista etiam in legibus dicatur optima Interpres, cui nimiùm deferendum venit *ex relatis decis.59. numer.12. & 13. par.10. recentior.* & passim, vt frequentèr in omni materia aduertitur, Deducendo quoque ad scripturæ ornatum, illamque inanem chartarum repletionem, quæ vt præmissum est, apud ignarum vulgus, plausum irrationabilem habere solet, illam pluriès enunciatam distinctionem inter obseruantiam præscriptiuam, & interpræatiuam, de qua *sub tit. de Iudic. disc.21.* & alibi sæpiùs, vt scilicet, prima species indigeat requisitis præscriptionis formalis, illo præsertim temporis, atque reputetur in iure odiosa, vt propterea, in eius canonizatione rigorosè procedendum sit; In altera verò eadem requisita non desiderentur, sed sufficiat ità quandoque seruatum esse, eaque fauorabilis reputetur, atque benignè admittenda.

Hactenùs quoad scripturam ostensibilem more Aduocati; In alia verò scriptura continente motiua, seù difficultates ad sensum veritatis; Concludebam potiùs contrà requirentem, quodque pro alio abundantiæ Magistratu, potiùs mihi respondendum videretur, ex pluribus; Et Primò, cum leguleico moderno stylo, deducendo propositionem generalem, quod legum correctio non est præsumenda, sed vitanda quodque proptereà sufficiat dubietas, an vltima
10 lex anni 1646. vnum, vel alterum reciperet intellectum, vt in dubio respondendum sit, prò non correctione ex collectis *per Barbos. axiom.6. num.5.*

Prætereà magis ad rem sentiebam difficultatem, ob qualitatem personarum, quæ huic militiæ sunt descriptæ; Siquidem, vt aduertitur suprà *disc.33.* multæ
11 sunt, ac diuersæ militum species, ideóque consuetus in hoc dignoscitur Pragmaticorum, vel Collectorum error, leges, ac auctoritates, quæ de militari fori alijsque militum priuilegijs loquuntur, ad literam attendere, easque indefinitè quibuscumque militibus applicare, illorum diuersas non distinguendo species, atque in singulis speciebus non distinguendo loca, & tempora, & occasiones, aliasque circumstantias.

Neglectis etenim quæstionibus, quæ per antiquarum eruditionum professo-
12 res, ac etiam per nostros disputari solent, an milites nostrorum temporum assimilandi sint antiquæ Romanæ Reipublicæ, vel Imperij militibus, de quibus Romanorum leges loquuntur, & an eisdem potiantur priuilegijs, quod insinuatur *sub tit. de testamen. disc 28.* occasione agendi de testamento militari; Atque agendo de nostrorum temporum militibus, eorumque diuersas distinguendo species; Prima militum species est illorum, qui aliquam religiosam, siuè Ecclesiasticam, aut saltim piam profitentur mi-
13 litiam, iuxtà illas species de quibus suprà *disc.92.* atque circa istorum militum forum & exemptionem, sufficiunt, ibi deducta, sed nil ad rem nostram.

Altera est species illorum militum, qui, arcium, & munitionum, sunt assidui præsidiarij; Et in istis pariter istæ quæstiones prò frequentiori contingentia cadere nō solent, dum viuentes in arcibus, semper sunt sub illarum Gubernatore, vel Duce, istique sunt veri, & proprij milites, vt infrà.

Tertia est species illorum militum, terrestris, vel maritimi exercitus, qui occasione actualis belli offensiui, vel defensiui, iam paratus habeatur, & qui vulgò milites *de leua* nuncupantur; Atque in istis etiam, dum sunt in Castris, vel in Na-

ticularitér deputato; Ex parte dicti Auditoris militiarum requisitus fui ad scribendum ad causæ oportunitatem, pro suorum iurium defensione.

Inhærendo autem consuetudini tentæ
2 in causis extra Curiam, duas transmisi scripturas; Vnam scilicèt Aduocati more,Iudici exhibendam,ad causa oportunitatem; Et Alteram in qua cum sensibus veritatis eidem requirenti meas insinuabam difficultates, vt de eis ità admonitus, oportunum desuper consilium capere posset, dum in causis Curialibus idem monitum oretenùs Partibus, vel eorum Agentibus fieri potest; Licèt etenim ipse doctus Iurisconsultus esset, adhuc tamen,proprio interesse,vel affectione intellectum frequentiùs fascinante,
3 difficultates non adeò apprehendere videbatur; Ac propterea vulgare videtur dicterium, seù monitum, vt in causa propria, etiam doctissimi Iurisconsulti, & Aduocati, alium quærere debeant Aduocatum, & Consiliarium.

In prima igitur scriptura, more Aduocati, inherendo sensibus eiusdem scribentis in causa propria, insistebam in puncto, qui potiùs facti, & interpretationis, quàm iuris erat, an scilicèt, per dictas leges militares de anno 1646.cum
4 aliqua maiori verborum amplitudine editas, super militum priuilegijs, illo præsertim fori, correcta seù reformata esset dicta ordinatio anni 1591. quæ literalis est fauore Magistratus abundantiæ; Idque pendebat à puncto, an istæ modernæ leges, vel reformationes,continerent solùm confirmationem, & innouationem legum antiquarum anni 1556. vt per alteram Partem prætendebatur; Vel potiùs continerent leges nouas, & independentes; Posita etenim prima parte, dicebam quod rectè procederet prætensio Magistratus abundantiæ, ex regula, quod lex noua simplicitèr confirmatiua, vel innouatiua antiquæ, ad
5 istius limites intelligenda venit, ideóque rerum statum non immutat, vt præsertim frequentér insinuatur sub plerisque materijs, & potissimè *sub tit. de Iudic. disc.*44 in proposito Apostolicarum Constitutionum Pij Quarti,& Pauli Tertij, super confirmatione, & extensione Constitutionis Aegydianæ, cum similibus; Si verò è conuerso esset lex omninó noua, & independens, cum generalitèr, ac indefinitè in omnibus descriptorum causis statuatur fauore Magistratus militiarum, eiusque Auditoris; Ita de plano resultare dicebam correctionem dictæ legis anni 1591. in qua totum erat Magistratus Abundantiæ fundamentum; Ita ad satisfaciendum inepto stylo, qui ignaro vulgo placet, cum opera transcriptoris potiùs, quàm Doctoris,aliquem faciendo cumulum auctoritatum collectarum *per Barbos.axiom.*183 quod scilicet, posteriora derogant prioribus.

Et in specialibus terminis legum, vt per nouas leges sequi dicatur correctio,
6 vel moderatio antiquarum, quamuis earum mentio non fiat,ac propterea modernis deferendum sit *Federic.de Sen.consil.*47.*numer.*2. *Afflict. in Constitut. Regn. rubr.* 24. *numer.* 12. *Menoch. lib.*6. *præsumpt.*38. *latè, & benè apud Cassador. decis.* 38. *super Regul. Cancellar. Rota decis.*10. *num.*25. *& seqq. & decis.*200. *numer.*5. *& seqq. par.*9. *recentior.& frequentèr.*

Quod autem istæ modernæ leges anni 1646. nouas ordinationes omninó independentes pro militarium priuilegiorum ampliatione, continerent, illarum pleraque verba,& clausulas pôderabam, adeóvt insisteretur potiùs in ijs,quæ facti potiùs, quàm iuris essent, Responsum tamen, vt superius insinuato inepto stylo satisfieret, exornando cum diuer-
7 sis generalibus regulis, & axiomatibus, vt facere oportet, quando causa, solidorum motiuorum paupertatem patiatur.

Pro eiusdem verò assumpti corroboratione, quod scilicèt, istæ nouæ reformationes, nouas complures continerent leges, reassumebam ea, quæ in hac ma-
8 teria fori militaris latè deducta habentur *per Ronit. super pragmat.*11. *de milit. à numer.*1. *ad* 12. *& latiùs per Patign. in opusc. de Iudic. & priuileg. milit. impress. inter commentar. eiusdem Ronit. super dicta pragmat.* 11. *Carleual. de Iudic. tom.*1. *ex num.*461. *Chrispolt. in tract. de re militar. & alios*, quod scilicèt, cum desuper plurium legum ciuilium dignoscatur antynomia, an istius militaris fori, vel Magistratus iurisdictio esset priuatiua, vel cumulatiua, cum Iudicibus ordina-

dinatijs locorum in causis præsertim communibus, in quibus milites à paganis differre non videntur, atque propterea adsit consueta non modica opinionum varietas, vel scissura, ob quam inter Magistratus Ordinarios, & militares scandala, & inconuenientia frequentèr oriri solent, Principi, & Reipublicæ præiudicialia; Hinc proindè Principes coacti fuerunt, veteres leges, vel stylos abolendo, seù reformando, indefinitè statuere, vt causæ militum, priuatiuè ad locorum Iudices, & Magistratus, per Iudices, & Magistratus militares cognosci deberent, iuxtà exempla per dictos scribentes deducta, ita inferendo, quod ad instar, idem iste Princeps facere voluerit cum istis nouis legibus.

Ac etiam dicebam, quod in omnem euentum negari non poterat, quin id probabiliter dubium esset, vt propterea huic Auditori suffragari deberet plu-
9 rium annorum possessio, vel obseruantia, cum ista etiam in legibus dicatur optima Intetpres, cui nimiùm deferendum venit *ex relatis decis.59. numer.12. & 13. par.10. recentior.* & passim, vt frequentèr in omni materia aduertitur, Deducendo quoque ad scripturæ ornatum, illamque inanem chartarum repletionem, quæ vt præmissum est, apud ignarum vulgus, plausum irrationabilem habere solet, illam pluriés enunciatam distinctionem inter obseruantiam præscriptiuam, & interpræatiuam, de qua *sub tit.de Iudic. disc.21.* & alibi sæpiùs, vt scilicèt, prima species indigeat requisitis præscriptionis formalis, illo præsertim temporis, atque reputetur in iure odiosa, vt propterea in eius canonizatione rigorosè procedendum sit; In altera verò eadem requisita non desiderentur, sed sufficiat ità quandoque seruatum esse, eaque fauorabilis reputetur, atque benignè admittenda.

Hactenùs quoad scripturam ostensibilem more Aduocati; In alia verò scriptura continente motiua, seù difficultates ad sensum veritatis; Concludebam potiùs contrá requirentem, quodque pró alio abundantiæ Magistratu, potiús mihi respondendum videretur, ex pluribus; Et Primó, cum leguleico moderno stylo, deducendo propositionem generalem, quod legum correctio non est præsumenda, sed vitanda quodque proptereà sufficiat dubietas, an vltima
10 lex anni 1646. vnum, vel alterum reciperet intellectum, vt in dubio respondendum sit, prò non correctione ex collectis *per Barbos.axiom.6. num.5.*

Prætereà magis ad rem sentiebam difficultatem, ob qualitatem personarum, quæ huic militiæ sunt descriptæ; Siquidem, vt aduertitur suprà *disc.33.* multæ
11 sunt, ac diuersæ militum species, ideóque consuetus in hoc dignoscitur Pragmaticorum, vel Collectorum error, leges, ac auctoritates, quæ de militari fori alijsque militum priuilegijs loquuntur, ad literam attendere, easque indefinitè quibuscumque militibus applicare, illorum diuersas non distinguendo species, atque in singulis speciebus non distinguendo loca, & tempora, & occasiones, aliasque circumstantias.

Neglectis etenim quæstionibus, quæ per antiquarum eruditionum professo-
12 res, ac etiam per nostros disputari solent, an milites nostrorum temporum assimilandi sint antiquæ Romanæ Reipublicæ, vel Imperij militibus, de quibus Romanorum leges loquuntur, & an eisdem potiantur priuilegijs, quod insinuatur *sub tit.de testamen.disc.28.* occasione agendi de testamento militari; Atque agendo de nostrorum temporum militibus, eorumque diuersas distinguendo species; Prima militum species est illorum, qui aliquam religiosam, siué Ecclesiasticam, aut saltim piam profitentur mi-
13 litiam, iuxtá illas species de quibus suprà *disc.92.* atque circa istorum militum forum & exemptionem, sufficiunt, ibi deducta, sed nil ad rem nostram.

Altera est species illorum militum, qui, arcium, & munitionum, sunt assidui præsidiarij; Et in istis pariter istæ quæstiones pró frequentiori contingentia cadere nó solent, dum viuentes in arcibus, semper sunt sub illarum Gubernatore, vel Duce, istique sunt veri, & proprij milites, vt infrà.

Tertia est species illorum militum, terrestris, vel maritimi exercitus, qui occasione actualis belli offensiui, vel defensiui, iam paratus habeatur, & qui vulgó milites *de leua* nuncupantur; Atque in istis etiam, dum sunt in Castris, vel in Na-

uibus, huiusmodi non cadunt quæstiones, quæ neque cadere videtur, pro eo hyberno tempore in quo extrà Castra in munitis locis viuere solent vulgò *stare à quartiere*, quoniam etiã tunc in forma continuę militiæ, seù militaris vitæ esse dicuntur.

Quarta est illorum militum species, qui à Principe stipendium habentes, viuunt quidem in proprijs domibus, morè populi, sed semper bello accincti sunt, atque militarem vitam principaliter exercent, eique addicti sunt, vt (exempli gratia) sunt illi Neapolitani Regni milites, armatæ militiæ, qui vulgò *huomini d'arme* dicuntur, atque in Turcarum Imperio sunt illi, qui, *Spay*, vel respectiuè *Iannizzeri*, appellantur, atque antiquitus in Italia erant Barones, & feudatarij; sed pariter de his non agebatur in hac facti tempore, atque de ista, alijsque duabus præcedentibus speciebus agitur *apud Rouit. & Patign super dicta pragmat.* 11. *de militibus, & Chrispolt. de re militari*, & alios de hac materia agentes.

Quinta demùm ad rem est species illorum militum, qui vulgò in Italia *de militia* nuncupantur, quia scilicèt, in quodam rotulo, prò militia sint descripti, absque aliquo annuo, vel menstruo stipendio, ex quo viuant, sed potiùs sint de populo electo, & magis ad arma apto, ac idoneo, vt in Principatus occurrentijs prompti sint ad arma sumendum, vt ità euitentur confusiones, quæ aliàs ex imbellis populi mixtura oriri solent; Et isti, exceptis illis causis, quæ contingant ipsius militatis actus occasione sub Ciuiũ, seù paganorum, aut populi potiùs, quám milium nomine veniunt, ideòque impropriè dicuntur milites.

Milites etenim verè, & propriè sunt illi, qui sub militari stipendio, cum quo viuant, huic ministerio principalitér, at-
14 que pro toto tempore vitæ, vel pro maiori parte addicti sint, quibus propterea per leges ciuiles mercatura, aliæque occupationes ciuiles, quæ ab armorum exercitio, ac militari vita retrahant, prohibentur, Secùs autem in illis de hac vltima specie, qui pro maiori parte vitæ, paganorum more, in Ciuitatibus, & oppidis viuentes, principalitèr agriculturæ, vel mercaturæ, & artibus, alijsque ciuilibus, & pacificis ministerijs vacant, vt ex eis se, ac familiam substineant; sed in occasionibus Principatus, vel Reipublicæ, aut Ciuitatis, arma sumere teneantur, Vndé propterеá quandam tertiam constituant speciem mixtam inter puros milites, & puros paganos.

In illis etenim de præcedentibus spe-
15 ciebus, pro competentia fori militaris, aliorumque militarium priuilegiorum, procedit regula generalis, aliquibus accidentalibus limitationibus subiecta, ex insinuatis suprà *hoc eodem tit. disc.* 78. In istis verò de hac vltima specie, res videtur in oppositum, vt scilicèt, regula generalis sit pro qualitate paganica, vt ordinarijs locorum Iudicibus, & Magistratibus subiaceant, ea tamen aliquibus accidentalibus limitationibus subiecta sit, vt dicto *disc.* 33.

Et quamuis stipendium, cum quo viuatur, censendum non videatur veri status
16 militaris requisitum præcisè necessariũ, dum iuxtà deducta supra dicto *disc.* 33. etiam in exercitu iam posito in castris, cum bello actuali, adsunt illi veri milites absque stipendio, qui *venturieri* nuncupatur; Attamen isti quoque sub stipendio fortè maiori viuere dicuntur, eo modo quo in Curia multi aulici viuunt, sperate scilicèt, remunerationis, ac præmij, cum dignitatibus, & honoribus, ac etiam cum pensionibus, vel feudis, & beneficijs, &c. Ita per quandam speciem negotiationis diurni, seù currentis stipendij melioris fortunæ, incertam aleam emendo, vt etiam aduertitur *in annot. ad dictum disc.* 33.

Demùm ad rem nostram, fortiùs ponderabam subiectam materiam, siué causarum qualitatem, quod scilicèt, agere-
17 tur de contrauentionibus legum, & prouisionum, in annonæ, seù abundantiæ materia, quæ á militari vita extranea est, & in qua ex ponderatis *disc. præcedenti*, occasione agendi de Magistratu agriculturæ, versatur fauor Reipublicæ, cuius interest, vt huiusmodi negotia per vnum tractentur Magistratum, constitutum ex peritis in arte, vel materia, quodque expediat, imó necessarium sit, vt eidem Magistratui, omnia innotescant, quæ super ea materia contingãt, adhoc vt opportunę capi valeant prouisiones; Et per consequens, quod adaptentur ea, quæ in his terminis fori militaris non intrantis in merè ciuilibus, & popularibus causis, & nego-

negotijs, insinuantur supra dicto *disc.78.*

Clariùs verò, dum eidem militari foro quoque consultum est, ita nimium pru-
18 dentèr vtrique oportunitati occurrendo, dum Magistratus Abundantiæ, neglecto proprio, ac ordinario Assessore, procedere, ac iudicare tenetur, siuè ordinarijs localibus Magistratibus iudicandi modum præscribere, cum participatione, & voto Iudicis, seù Magistratus militaris, qui scit quomodo se gerant proprij subditi, & in quibus in hoc genere delinquant, atque in eorum punitione partem habet; Et é conuerso alter Magistratus scit, quid in sibi commissa materia contingat, vt malis, & fraudibus occurrere valeat, atque oportunas sumere prouisiones.

Cum itaque ex præmissis, crederem vt in iudicando responderi potiùs deberet contra ea, quæ scribendo more Aduocati ad causæ oportunitatem deduce-
19 bam; Quod, vbi agatur de solis articulis iuris absque mixtura mendacij, & calumniæ sinè alteratione facti, prohibitum non esse pluriès aduertitur, præsertim veró magis ex proposito *sub tit. de Iudic. disc.36.* Hinc proindé semper magis edocemur, quàm clarùs sit error, nimium frequentèr, sed semper oportunè insinuatus, præsertim veró *dicto tit. de Iudic. disc.35.* eorum qui deferunt adeó tenaciter auctoritati illorum scriptorum, qui (detestabilitèr quidem) eorum allegationes, vel responsa, ad pecuniam, vel affectionem, ;seù requirentium oportunitatem edita, prout iacent ex inanis gloriæ forsan principali motiuo, non autem ex altero veritatis & iustitiæ, quod vnicum, ac principale esse debet, sub Consiliorum, vel responsorum, aut forensium disceptationum, siuè controuersiarum vocabulis publicæ luci tradiderunt, dum sæpiùs etiam contra proprios sensus respondere contingit.

Prout, in ista præsertim fori militaris, aliorumque militiarum priuilegiorum, & exemptionum materia, penèque in omnibus alijs, non minùs euidens error èst illorum, qui in iudicando, vel in consulendo, generalitèr, atque in sola litera,
20 procedunt cum ciuilibus legibus loquêtibus de militijs antiqui Imperij Romani; siuè cum traditionibus Doctorum, non reflectendo, ad diuersitatem temporum, & morum; Siquidem in ipsomet antiquo Romano Imperio, vt per eius historias edocemur, magna quoque dignoscitur differentia inter, disciplinam militarem, de tempore Reipublicæ, & alteram post introductum Imperium Monarchicum; Ac etiam in isto, inter tempora, in quibus illud Sedem habuit Romæ, & alterum in quo in Ciuitate Constantinopolitana, Multò verò magis quoad militiam nostrorum temporum, dum post dicti Imperij scissuram, tantamque diuersorum principatuum introductionem, ac magnā Nationum diuersitatem, legum, & morum tanta prodijt diuersitas, Ideóque cum singulorum principatuum, seù locorum particularibus legibus, ac stylis procedendum est; Antiquis legibus, siuè antiquorum, & modernorum traditionibus, quæ alia percutiant tempora, vel loca, solùm attendendis, pro localium legum, vel stylorum interpretatione, quando super intelligentia, vel praxi aliqua cadat dubitādi ratio, aliàs etenim, absque huiusmodi distinctionibus, & reflexionibus cōtinuus, ac perpetuus erit æquiuocorū incursus.

In proposito autem eorum, quę habentur supra *num.13.& sequ.* postquam effectus Auditor Papæ, comperij, quod Iu-
21 dex Castri Sancti Angeli, & Prefectus Palatij Apostolici nimium dilatauerant eorum fimbrias, adeòvt quandā cognitionē vniuersalem quodammodo haberent in tota Ciuitate, eo quia sub exemptione, ac iurisdictione Palatij reputarent comprehensos omnes illos mercatores, & artifices, ac victualium venditores, aliosque operarios, qui aliquo modo inseruirent Palatio, vel Castro, siuè quod essēt descripti in rotulo militum honorariorū, potiùs quam actualium, seù præsidiariorum, ita, etiam mandante, & approbānte ipso Pontifice, declaraui, ac practicaui, vt dicta exēptio, vel respectiuè iurisdictio procederet in illis, qui actu viuunt in Palatio, vel in Castro alicui seruitio, vel Ministerio principaliter, ac perpetuó addicti, nō autē illi mercatores, & artifices, & alij, qui ad instar aliorum de populo viuunt in eorū domibus, & apothecis principalitèr, incūbentes mercaturæ, vel arti, aut alteri Ministerio, quamuis accidentalitér aliquod pręstent seruitium, vel operā, idque rationabilitèr, & iusté ex dictis motiuis, & alijs de quibus *d.disc.33.& in annot.*

Roma-

Romana Iurisdictionis.

PRO

Tribunali Consulum Agriculturæ.

CVM

Curia Burgi.

Casus disputatus in Congregatione deputata sine resolutione ex causa, vt infrà.

De iurisdictione Consulum, & Tribunalis Artis agrariæ, siuè Agriculturæ, quantùm se protendat, & an sit priuatiua, vel cumulatiua.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod Burgus sit quid diuersum à Ciuitate Romæ.*
3 *De antiquorum temporum conditione super iure belli publici.*
4 *Quid referat dicta diuisio, de qua num. 2.*
5 *De obseruantia super priuatiua iurisdictione istorum Consulum in Vrbe.*
6 *An iurisdictio concessa alicui particulari censeatur concessa cumulatiuè, vel priuatiuè.*
7 *De Iudicibus Annonæ.*
8 *De Iudicibus scholarium, & artificum.*
9 *De Iudicibus Agriculturæ.*
10 *De rationibus, ob quas in his negotijs cognitio causarum debet esse priuatiua.*

DISC. CVIII.



RAESVPPOSITIS erectione, & facultatibus istius Tribunalis Consulum artis Agrariæ, iuxtà enarrationem, de qua in relatione Curiæ *lib. 15.*
1 *disc. 39.* Ac etiam patet ex eiusdem artis statutis iam in volumen redactis, atque aliquibus etiam non contemnendis glosis exornatis; Cùm in Vrbe adesset quoque quoddã Tribunal particulare in eadem relatione ennunciatum pro ea parte, cui Ciuitatis Leoninæ, vulgò Burgi vocabulum tribuitur, illudque Curiæ Burgi nomen haberet; Inter ista Tribunalia exorta est iurisdictionalis controuersia, prætendente Curia Burgi habere cumulatiuam cognitionem damnorum datorum, aliarumque causarum, quæ per Apostolicas Constitutiones, ac statuta prædicta præfato Tribunali Agriculturæ concessæ leguntur, eiusdemque decisio commissa fuit particulari Congregationi per Papam deputatæ aliquorum Cardinalium, atque incertum est, an resolutio desupèr prodierit, cùm post vnicam scripturam ampliùs de illa actum non audiuerim, fortè quia eiusdem Curiæ Burgi suppressio sub Clemente Nono sequuta, controuersiæ occasionem cessare fecerit.

In ista igitur disputatione, Scribentes pro dicta Curia Burgi, cum magna conclusionum, & allegationum congerie, deducebant ea, quæ habentur de prohibitione exercendi iurisdictionem in alieno territorio, siuè quod vbi etiam ad istã Vrbis, vel territorij partem iurisdictio Consulum Agriculturæ extenderetur; Adhuc tamen, cum esset iurisdictio particularis, ea censeretur concessa cumulatiuè, cùm Iudice Ordinario habente iurisdictionem generalem ad vniuersitatem causarum, non autem priuatiuè, iuxtà deducta suprà *disc. 85.* & alibi pluriès, ac etiam infrà.

Nimium quoque se diffundendo in eoquod iste Burgus, vtpotè diuersam constituens Ciuitatem Leoninam, constitueret territorium omninò diuersum ab
2 illo Romanæ Ciuitatis, ex Apostolicis Constitutionibus Iulij Tertij, & Pij IV. Quinimò antiquiora tempora altiùs reassumendo, dicebant, quod ista pars, sub diuersa etiam Prouincia, vel Regione sita sit, quia nempè Tyberis flumen diuidat latium à Tuscia, vel Hetruria, ita inferendo, quod illius Tuscorum Regis Porsennæ nuncupati Regnum, vel iurisdictio vsque ad flumen extenderetur, ideòque ista pars sub eius esset Imperio, vndè infertur quàm facilè, ac modicum illud esset bellum, quod ipse in gratiam Tarquinij Superbi septimi, & vltimi Regis à Romanis expulsi, istis indixit, &

quanta

quanta fuerit fortuna Horatij Coclites, & Mutij Sceuolæ, vt ex eo bello, quod iuxtà nostrorum temporum conditionem priuatam potiùs duorum adiacentium populorum pugnam redoleret, adeò magnam adepti sint famam, & gloriam; Vt etiam proximè decursorum sæculorum status in Italia docuit in Hetruriç præsertim, & Emiliæ, & Lombardiæ Prouincijs, alijsque superioribus Regionibus à Latio ad Montes, quod scilicèt ob Romani Imperij scissuras, atque Ghibellinam, & Guelpham factiones, singulæ Ciuitates, vel Oppida, siue Domicelli,
3 quinimò priuati Ciues, qui amicorum adhærentiam aliquam haberent, ac potentiam, ius belli exercebant, vt aduertitur *sub tit. de feud. disc.* 52. adeòut pro illorum temporum conditione, & oportunitate illi, qui hodie vix vnius cohortis Duces, vulgò Capitanei reputarentur, siuè qui bannitorum, & grassatorum turbæ Duces, vel capita essent, tunc magnorum militum, & Ducum famam, & gloriam reportarent, quinimò Ciuitatum etiam, & Oppidorum dominium obtinerent; Talis est temporum, & contingentiarum oportunitas, quæ ferè totum in mundanis sæcularibus negotijs facere videtur.

Scribens pro Consulibus; Aduertebam in primis, prorsùs extraneam, atq; pro causæ oportunitate inutilem euagationem continere ea, quæ plenè deducebantur super huius partis Ciuitatis, & Territorij diuisione, vel diuersitate, siuè super plenaria, & vniuersali iurisdictione huius Curiæ priuatiuè ad Gubernatorem Vrbis, & Senatorem, ac Auditorem Cameræ, & Vicarium in causis pertinentibus ad forum sæcularem, quoniàm ista inspectio oportunè caderet, quando iurisdictio Consulum ad ipsam antiquam Romanam Ciuitatem in Latio à flumine citrà sitam, restricta esset; Siuè vbi in ipsamet antiqua Ciuitate, & Territorio, vel Districtu prædicta alia Gubernatoris, Senatoris, Auditoris Cameræ, & Vicarij Tribunalia in huiusmodi causis damnorum datorum, seù aliàs ad istam materiam pertinentibus se ingererent, cum illa cumulatiua, quæ inter ipsa Tribunalia regularitèr practicatur, quando aliquæ speciales facultates, siuè aliquarum causarum qualitas, & natura in eorum aliqua priuatiuam inducerent, vt in dict.a *Relatione Curiæ* de singulis prędictis Tribunalibus agendo, aduertitur.

Sed quoniam istius Tribunalis iurisdictio se extèdit ad vniuersum districtum, qui hodie est quadraginta milliarium in circuitu, quamuis ratione maioris frequentiæ in agro Romano, seù veriùs in plano maiùs huius iurisdictionis exerci-
4 tium de facto consistere videatur, cum proprio Notario, de quo agitur etiam *sub tit. de Regal. disc.* 72. Atque in antiqua Ciuitate, eiusque territorio priuatiuam pacificè possidere supponebatur; Hinc proindè dicebam, quod ista separatio, aliud operari non poterat, nisi quod fingerentur duæ omninò diuersæ Ciuitates, quarum singulæ proprios haberent Iudices ordinarios, cum omnimoda vniuersali iurisdictione sæculari; Et sic quod tanta esset potestas istius Curiæ Burgi, in suo Territorio, quanta in suo est illa Gubernatoris Vrbis, eiusque Curiæ, vel Senatoris, eiusque Curiæ Capitolinæ, quodque propterea eodem iure ista Curia censenda esset, non autem vt maiorem habere deberet iurisdictionem, vel prærogatiuam; Et per consequens, quod vnicus, ac præcisus causæ punctus, consisteret in qualitate iurisdictionis huius Tribunalis, an scilicèt generalitèr illa esset priuatiua in causis ad hanc artem spectantibus, vel potiùs cumulatiua.

In hoc autem aduertebam, vt sufficere deberet obseruantia, quæ ex hac parte præsupponebatur longa, & pacifica saltèm in concursu prædictorum aliorum Tribunalium Vrbis, quidquid esset receptum in Magistratuum, & Curiarum
5 aliarum Ciuitatum, seù locorum districtu, in quibus compatibilitèr diuersitas priuilegiorum, vel consuetudinum, aut statutorum particularium adsit; Ad instàr eorum, quæ habentur sub plerisque materijs, præsertim verò *sub tit. de successionib. & sub altero de alienat. & contract.* in quibus maior, & frequentior statutorum sedes esse videtur, ac etiam *sub tit. de Dote*, in proposito lucrorum dotalium, circà scilicèt vim, & obseruantiam statutorum Vrbis in vniuerso districtu, vt cesset, quando in loco particulari vigeat proprium statutum.

Ista etenim aliorum maiorum, magisque qualificatorum Tribunalium obseruantia,

uantia, nimium attendenda videbatur; Non quidèm in ratione præſcriptionis, vel acquiſitionis noui iuris aliàs non competentis, vel quod iſta Tribunalia legem facere poſſent dicti independentis Tribunalis Burgi obligatoriam, ſed pro interpratatione priuilegiorum, & facultatum huius Tribunalis Conſulum, ex adeò frequentèr inſinuata, hodièque notoria concluſione, quod obſeruantia dicitur optima interpres, tàm legum, & ſtatutorum, quàm etiam priuilegiorum, quinimò contractuum, & voluntatis Partium.

Verùm, vbi in ſolo puncto iuris huiuſmodi quæſtio, præſcindendo à dicta interpratatione, examinanda eſſet; Adhuc probabilius ad fauorem Conſulum, pro eorum priuatiua facultate, ſeù iuriſdictione reſpōderi debere dicebam; Quamuis etenim apud noſtros controuerſa ſit
6 quæſtio, an conceſſio iuriſdictionis, quæ alicui particulari Magiſtratui, vel Officiali, in certo perſonarum, vel cauſarum genere facta ſit, cenſenda veniat priuatiua, vel cumulatiua ad Iudicem, ſeù Magiſtratum Ordinarium loci, qui plenam, ac vniuerſalem habeat iuriſdictionem; Atque ex deductis *per Franch. decis. final. Beltramin. resol.* 213. *lib.* 1. *& in add. ad Reuerter. decis.* 526. *Cancer. var. resol. par.* 2. *cap.* 2. *ex num.* 220. *cum alijs supra hoc tit. disc.* 85. Nihilominus magis recepta videtur theorica *Angeli in l. testamenta, C. quemadmodum testamenta ordinetur*; quem noſtri communitèt agnoſcunt in Magiſtrum, eamque ſatis benè reaſſumit *Aretin. conſ.* 102. & benè apud *Franch. d. decis. vltima*, quod ſcilicèt; Aut conſtat qualis fuerit voluntas Principis, vel Superioris concedentis; Et tunc ceſſat omnis quæſtio, ex vulgari regula *Textus in l. ille, aut ille, ff. delegat.* 3. quod in claris, & expreſſis non intrant quæſtiones, & argumenta, quodq; dentur, iſto caſu aliqui dubitent, ex deductis per *Canter. vbi supra*, quem reaſſumit *de Marin. ad dictam decis.* 526. *Reuerter.* Aut verò de hoc non conſtat, adeòut verſemur in dubio, quod neque obſeruantia dirimat; Et tunc dantur plures diſtinctiones, inter quas (neglectis alijs ad rem non facientibus ad inutiles euagationes effugiendas) eam ad caſum quæſtionis rectè adaptabilem eſſe dicebam, quod ſi iſta ſpecialis conceſſio ad certum perſonatum, vel cauſarum genus ſequuta non ſit, ex priuilegio, vel gratia ſpeciali illius, cui facta ſit, ſed ex cauſa publica, & fauore Reipublicæ, cuius intereſt, vt quoddam cauſarum genus, non niſi ſub vno Iudice eſſe debeat; Et tunc iſte Iudex ſpecialis priuatiuè ad alios loci Iudices, & Magiſtratus Ordinarios, & vniuerſales deputatus cenſeatur, atque hunc dicebam eſſe caſum, vt infrà.

Idque benè probatur *per Textum in l. prima, C. de offic. præfect. Vrb.* quem in
7 propoſito expendit *Angelus*, vbi ſupra, quod ſcilicèt antiquitùs omnes Iudices Ordinarij Vrbis iuriſdictionem, & poteſtatem habebant in annonaria materia; Sed quoniam id præiudicabat Reipublicæ, cuius intereſt, vt pro recta Annonæ adminiſtratione poteſtas, vel iuriſdictio ad vnum teſtricta ſit Iudicem, vel Magiſtratum, hinc proindè reſtricta fuit ad ſolum Præfectum Annonæ, vt etiam moderna praxis, in Vrbe, & vbique docet, ex ijs, quæ in hac annonaria materia habentur *sub tit. de Regal. disc.* 44. *&* 45. *&* 125. *& alibi*; Eatenùs etenim per dictum textum, cumulatiuà conceſſa fuit Præfecto Vrbis, quatenùs iſte ſub ordinariorum Iudicum, & Magiſtratuum genere non veniret, ſed potiùs gereret perſonam Vicarij Imperatoris, iuxtà ea, quæ in his terminis Annonæ circa poteſtatem Proregis, habentur *d. disc.* 125. *de Regal.*

Idem quoque habetur in particularibus Iudicibus, vel Rectoribus ſcholariū, ſiuè in Conſulibus artium, iuxtà ponde-
8 rationes, de quibus *apud Franch. decis. vltim. cum concordan. collect. per Carleual. de iudic. tom.* 1. *num.* 479. *cum seqq.* vbi de Iudice, vel Rectore ſcholarium, *& numer.* 688. *cum seqq.* vbi de Iudicibus, & Conſulibus artium.

Et in ſpecialibus terminis iſtorum Iudicum, vel Conſulum Agriculturæ in Hiſpania *Carleual. d. tom.* 1. *de Iudic. nu-*
9 *mer.* 1131. *& seqq.* atque in Regno Neapolitano habetur de Iudicibus baiulationis, ex relatis *per Marin. d. resol.* 213. *lib.* 1. *& in add. ad dictam decis.* 526. *Reuerter.*

Duplicem ſiquidèm id congruam, habet rationem ponderatam quoque in
10 *Florentina disc. sequ.* quarum vtraq; publicam

ublicam respicit vtilitatem.

Primò nempè, quia huiusmodi negotia, vtpotè non ex dispositione iuris, sed ex legibus artis regulanda, cognosci debent per Peritos in arte, non autem per alios Iudices more causarum indifferentium; Et secundò, quia omninò congruit, quinimò necessarium videtur, vt huiusmodi causę per vnum transeant organum, vt ità scilicèt notitia haberi valeat quinam sint soliti delinquere, & cũ quibus modis fraudes committantur, ad effectum occurrendi fraudibus, & inconuenientibus, atque oportuna adhibendi remedia, & sic huiusmodi negocia habent quandam particularem rationem, ideòque illis non congruunt ea, quæ generalitèr in alijs delictis, vel casibus indifferentibus in Iure habentur.

Florentina Succesionis de Franceschis.

Inter easdem Partes, de quibus *sub. tit. de hared. disc. 9. & sub tit. de success. ab intest. disc. 9.*

Alterum responsum, cum sensu veritatis.

De eadem materia, de qua supra *disc. 87. & d. disc. 9. de success.* quis nempè dicatur Iudex magis competens in quæstione hæreditatis, vel successionis habentis bona sparsa in diuersis Ciuitatibus, vel Prouincijs, aut Principatibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De statutis Florentia super prohibita declinatione fori.*
3 *De consuetudine Auctoris extrà Curiam non scribendi, nisi pro veritate.*
4 *De contrarys, qua concurrunt in legali facultate circà facilitatem, & difficultatem.*
5 *Quarè in successionibus testatis intret magis quæstio super competentia fori, & remissione causa ad vnum Iudicem.*
6 *Voluntas testantis indiuidua, vbique eadem iure regulanda.*
7 *Quando etiam vltima voluntas, vel testata successio diuersum habeat ordinem.*
8 *De ratione, ob quam in casu intestati diuersus est ordo succedendi.*
9 *In idem, & de diuersitate patrimoniorum.*
10 *Datur exemplum practicum.*
11 *De modo exequendi iudicatum per Iudicem vnius territory, in loca diuersi territory.*
12 *De eisdem statutis, de quibus num. 2.*
13 *Quod Exteri non debeant se ingerere in interpretatione legum particularium locorum.*

DISC. CIX.

RETENTA facti serie, de qua in enunciatis *discursibus 9. de hared. & haredit. ac etiam 9. de success. ab intestat.* Cùm iustitia negotij principalis pendere videretur ab ordine, seù competentia fori, ex eo, quod in foro Florentino retineatur opinio diuersa ab ea, quam retinent Tribunalia Vrbis, & Neapolis, in quibus, vel eorum respectiuè ditionibus, extabant bona ad hanc hæreditatem pertinentia: Hinc proindè ex parte masculi principalitèr insistebatur in puncto cognitionis totius causę in foro Florentino, eiusque prætensio magnum recipiebat calorem à sensu illorum Magistratuum tenacitèr substinendi obseruantiam statutorum *lib. 2. rubr. 12. de declinant. iu-*
2 *risdict. & rubr. 20. de vocantibus, & trahentibus*, prohibentium illius fori subditos trahi ad alia Tribunalia, eo modo, quo fortè tenaciùs super consimilium statutorum obseruantia insisti solet in Ciuitate Ianuen., alijsque locis.

Cùmque publicę luci in voluminibus editi essent insinuati discursus pro stylo efformati, ex responsis, quæ in ista causa data fuerunt, idcircò ex parte masculi super hoc puncto competentiæ illius fori, Florentini curarum fuit prodire responsa, quamplurium Italiæ Iurisconsultorum, & præsertim aliquorum Romanæ Curiæ Aduocatorum, qui omnes penè omnia

omnia desumpserunt ad probandum cõtrarium, quæ habentur *d. disc.9. de succ.* ex deductis à me supra *hoc tit.disc.87*, præsertim circà practica exempla tradita *ibidem num.9.* super negotiatoribus Ianuensibus, & Florentinis, & alijs industribus Nationibus, qui in diuersis Prouincijs, & Partibus vtriusque antiqui,& noui Orbis possidere solent bona, & effectus, ita satagendo me conuincere cum me ipso, cumulando quoque textus, & doctrinas, quæ ibidem deducuntur, vel alias ex eis desumptas, iuxtà hodie adeò frequentem trascriptorium stylum.

Denuò itaque consultus ex eadem Parte, pro qua responderam ad veritatẽ,
3 & de qua solùm extrà Curiam ab aliquo tempore, & præsertim post meorum laborum publicam editionem, mea est pluriès enunciata respondendi consuetudo; Dicebam idem, quod alibi pluriès aduertitur, hodié scilicèt in hac legali facultate, ob adcò magnam decisionum
4 copiam frequentèr practicari limitationem illius vulgaris axiomatis, quod Phylosophis, ac Iuristis est commune, prohibentis simultaneum concursum duorũ contrariorum in eodem subiecto, quod scilicèt eodem tempore facillimum, ac difficillimum hodie fit de iure respondere, facillimum scilicèt, quoniàm cuilibet longè infrà mediocritatem, cum aliquo otio libros, & repertoria reuoluenti, nimium facilè est chartas conclusionibus, & copiosis allegationibus replere, atque scripturas, absque tamen delineatione, vel similitudine desideratæ imaginis, cum colorum copia exornare; Difficillimum veró scribere cathegoricè, & adaptatè ad punctum præcisum quæstionis, congruè applicando actiua passiuis, absquè illo æquiuocorum incursu, qui hodie frequentissimus, penèque naturalis esse videtur propter abusum procedendi, cum conclusionibus, & propositionibus generalibus, & cum decisionibus in sola litera, non reflectendo vt decet ad distinctionem casuum, eorumque particulares circumstantias, quæ distinctio videtur omnium foresium questionum regulatrix, & sine qua impossibile pené videtur æquiuoca euitare.

Applicando itaque ad rem; Aduertebam claré æquiuocari, applicando ad casum controuersiæ ea, quæ habentur in
5 *d. disc.87. hoc tit.* & in ibidem recensitis auctoritatibus, ac alijs in idem cumulatis, cum omnes percutiant casum testatæ vniuersalis, vel particularis, vel respectiuè directæ, & immediatæ successionis ob maximam differentiam, quæ inter vnam, & alteram speciem successionis dignoscitur.

In casu etenim testatæ successionis, de qua agitur in iuribus ibidem recensitis, ac etiam eodem *disc.9.de successionib.* frustrá repetendis præsertim super theorica *Bartholi*, cum qua alij procedunt *in l. fin. C. de edict. Diu.Adr. tolland.* vnus per necessé regularitèr, exceptis casibus accidentalibus, de quibus infrá, debet esse totius causæ Iudex ratione connexionis prohibentis continentiam causæ diuidi, ex rationibus, de quibus supra *disc.59. & 74.* ne scilicèt quis cogatur eodem tempore, super eodem puncto in diuersis locis, & coram diuersis Iudicibus multas substinere lites, eademque exhibere iura, vel easdem facere probationes; Ac etiam ne detur inconueniens, vt super vno, eodemque puncto indiuiduo diuersæ, vel contrariæ eodem tempore prodeant sententiæ; quia nempé vnus Iudex declaret testamentum validum, & perfectum, alter veró inualidum, & imperfectum, siuè vnus declatet adesse fideicommissum, alter veró non; siue quod vnus vno modo, alter autem diuerso, vel opposito eandem defuncti voluntatem interpretetur, cum similibus considerationibus, producentibus illam causarum connexionem, ob quam inter plures Iudices vnus tantùm debet esse competens, & causæ cognitor, adeòvt inter plures æquè competentes ratione incompatibilis concursus plurium, quæstio sit maioris competentiæ vnius, cui alij cedere debeant.

Voluntas etenim disponentis vnica est & indiuidua, vbique eodem iure interpretanda, & obseruanda, non curata
6 legum, vel statutorum diuersitate, sed metienda cum illis legibus communibus vel particularibus scriptis, vel non scriptis, cum quibus ratione loci conditi testamenti, vel loci originis, aut domicilij pro facti qualitate presumptio sit, quod eius voluntatem regulare voluerit etiam respectu illorum bonorum, quæ sint extrà illum principatum, vel territorium

torium, & in locis in quibus illæ leges non vigeant, cum non attendantur in ratione potestatiua, sed in ratione præsumptæ probationis voluntatis defuncti, ex deductis *apud Merlin.decis.* 447. *repetit. decis.* 355. *par.* 5. *recent. cum alijs sub tit. de testam. disc.* 11. *& sub tit. de fideicommiss. disc.* 73. *& alibi*.

Atque in his terminis testatæ directæ, vel obliquæ vniuersalis, vel particularis successionis, loquuntur *Salgad. Molina*, *Tappia*, & plerique alij relati supra *d. disc.* 87. qui per Scribentes cumulabantur, vt plurimum percutientes casum fideicommissorum, & Maioratuum, prout de fideicommissaria successione agitur *eod. disc.* 87.

Et quamvis aliquando in hac specie successionis testatæ, ratione diuersarum legum, ista diuersitas quoque dignoscatur, adeòvt cesset præfata ratio indiuiduitatis voluntatis; Attamen id non prouenit ex ratione ipsius voluntatis, quæ à diuersis locorum legibus diuisionem pati debeat, atque in vno loco praticari vno modo, diuersimodè autem in altero, sed prouenit ex defectu potestatis, cum ità per accidens voluntas limitata, seù non operatiua remaneat in aliqua specie personarum, vel in aliqua specie, seù quota bonorum, iuxtà frequentèr contingibilem, & quotidianum casum legitimæ debitæ filijs, vel parentibus, quod in eius quota etiam testata successio diuersitatem patitur contra, vel præter voluntatem testantis, ex deductis in sua materia *sub tit. de legitima*, siuè vbi lex municipalis deferat pernecessè, ac præter defuncti iudicium filijs, vel agnatis aliquam speciem bonorum, putà, bona feudalia, vel emphyteotica, siue in mulieribus dotem, cum similibus; Aut, quod defectus proueniat ex persona testantis, vt contingere solet in filiofamilias in bonis castrensibus, vel quasi, ac etiam in aduentitijs, ratione clericatus, siue ratione alicuius legis particularis concedentis potestatem aliàs non competentem, aut ratione incapacitatis testamentarij, vt contingit in spurijs, in vno loco, vel in vna bonorum specie, habilitatis, & in alio non, Aut in Clericis sæcularibus, vel Regularibus in vno loco, vel in vna bonorum specie capacibus, in reliquis non; Siuè (agendo de

7

*Supplem.lib.*16.*par.*1.*de Iurisdict.*

fideicommissis) vbi illa sint prohibita generalitèr, vel vltrà certos gradus, iuxtà casum, de quo *sub tit. de fideicom. disc.* 96. in quibus, ac similibus casibus quatenùs ad rem pertinet, intrabunt eædem rationes, quæ habentur *d. disc.* 9. *de successiom.* super casu successionis intestatæ, quæ diuersimodè regulanda venit potiùs ex iudicio legis, quã ex illo hominis.

Et per consequens, cum leges non porrigant earum vires extrà proprium territorium, hinc de plano intrant considerationes, de quibus eod. *disc.* 9. quod
8 scilicèt tot censenda sint patrimonia, quot sunt principatus, vel respectiuè sunt loca, quæ diuersum habeant succedendi ordinem, adeòvt moriens fingatur multiplex homo diuersos habens hæredes diuersasque hæreditates vniuersales insolidum ad instar illius diuersitatis, quæ retentis terminis iuris ciuilis datur inter patrimonium paganicum, & militare, vndè ad instar datur in feudatario inter patrimonium feudale, & allodiale, & in clerico inter patrimonium prophanũ, & ecclesiasticum, vt in suis respectiuè sedibus; Ac propterea clarum esse dicebam errorem, vel æquiuocum scribentium in contrarium, istos terminos, vel casus confundendo, & supponendo, quod deducta à me *disc.* 87. *hoc tit.* contraria essent ijs, quæ habentur *d. disc.* 9. *de successiõ.* quoniam in isto posteriori casu non intrat ratio connexionis, vel continentiæ causæ, & contrarietatis iudicati, quæ intrat in primo ob indiuiduum voluntatis, atque in hoc consistebat æquiuocum cuidens; Dictamque differentiam inter casum testati, & intestati, benè ponderat *Tiraquell. de primog. qu.* 46. *n.* 23.

In idem nimis proximè conferre dicecebam ea, quæ habentur supra *hoc eod. tit. disc.* 90. super Magnate, qui ratione originis, & domicilij, ac maioris partis bonorum, atque vt Hispani dicunt ratione
9 capitis domus, vel patrimonij, erat citrà omne dubium subditus fori Romani, in quo etiam fuit præuentus, & appræhensus, & tamen ex iudicio Signaturæ Iustitiæ in eadem Curia approbata fuit declinatio istius fori, ex eo, quod ageretur de rebus spectantibus ad diuersum patrimonium in diuerso principatu, ac propterea intrat intellectualis multiplicitas personarum formalium in eadem

H persona

persona materiali; Idemque sequutum fuisset absque dubio ex iudicio Signaturę gratiæ, in casu, de quo *sub tit. de feudis disc.55.* nisi obstassent duæ rationes particulares; Vna scilicèt introductionis, & pendentiæ causę in Curia de consensu. Et alia, quod ea Castra prætendebantur de dominio Cameræ Apostolicæ, ac propterea, cum idem Emptor ex resolutione Signaturæ, super denegata declinatione respectu illorum Castrorum trāsmisisset aliud monitorium super prætensa successione in toto Statu Plumbini iure antiqui fideicommissi, fuit monitorium laceratum, & suppressum de mandato Papæ.

Fabulosum etenim esset dicere, quod contingente (ex: gr:) casu successionis Comestabilis Colonnæ habentis in Vrbe & Statu Ecclesiastico, cuius est etiam originarius, & domiciliarius, multa Oppi-
10 da, & Castra, aliaque bona iurisdictionalia, & indifferentia constituentia absq; dubio maiorem partem sui assis, ac etiam possidentis multa Oppida, & Castra in Regno Neapolitano, & alia in altero Regno Siciliæ vltrà, deberet super his omnibus attendi solùm iudicatam fori Romani citrà controuersiam omnium magis competentis, quoniam ob diuersam naturam bonorum, diuersumque succedendi ordinem resultantem ex diuersitate legum, & morum, tot sunt Mundi, & respectiuè tot sunt patrimonia, atque tot sunt defuncti, quot sunt Principatus, prorsùs neglecta leguleica simplicitate procedentium cum regulis iuris ciuilis, quas tyrones appræhendimus in scholis, prohibentibus in pagano multiplicitatem hæredum, & patrimoniorum dum procedunt in Imperio legislatoris, non autem extrà, vt pluriès in omni ferè materia aduertitur, & præsertim *sub d. tit. de success. ab intest. & sub tit. de Regal. in hoc Supplemento disc.161.* vbi reassumitur sæpiùs inculcata tanquàm necessaria & ab ineptis Pragmaticis non considerata historia legalis recensita *sub tit. de Seruit. disc.1.* Vndè propterea idem exemplificatus Comestabilis Columna Senior, Auus præsentis, diuersos habuit successores, Cardinalem scilicèt secundogenitum, ex eius prælectione in Vrbe, & Statu Ecclesiastico, & Principem Buterę primogenitum in Regno Neapolitano, ibique non autem in Curia acta fuit causa. Et in successione Principis Peretti Cardinalis filius successit in patrimonio Status Ecclesiastici, & in feudis Regni Neapolitani Principissa Sabella soror, ibique causa acta fuit, ex relatis *sub tit. de feud. disc.17. & 23. cum similibus.*

Ponderabam quoque isto casu impracticabilitatem doctrinæ *Bartol. in d. l. fin. Cod. de Edict. Diu. Adrian.* recensitam *eod. disc.87.* quod scilicèt ille Iudex, qui ratione originis, vel domicilij, vel ma-
11 ioris partis bonorum, vel alio respectu cognitionem causæ habet, postquam iudicauit, hortetur Iudices aliorum locorum, in quibus respectiuè bona sita sint, vt eius iudicatum exequantur, quoniam id erit rectè practicabile in eodem principatu, ob supremitatem eiusdem Principis, quæ omnes pariformitèr ligat; In diuersis autem principatibus erit quoque practicabile, quando agatur de dicto priori casu successionis testatæ, in qua intrat dicta regula indiuiduitatis voluntatis non subiecta alicui ex supra recensitis accidentalibus limitationibus; Solùmque isto casu Iudex ad id requisitus, cum dicatur exequutor iuris, iustè prætendere poterit velle gustare de iustitia iudicati, cum iustificatione actorum, vt dignoscendo illud esse iniustum abstineat, ex particularitèr deductis super hoc puncto *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.77.* ac etiam *sub tit. de iudicijs disc.40.*

Sed si Iudex vnius loci decernat successionem, iuxtà leges, vel opiniones in eo loco vigentes contra, vel præter opiniones vigentes in alio loco, cuius Iudex requiratur, vtique iste requisitus, requirentis iudicatum contemnet, eique exequutionem denegabit; Idque in Italia, & præsertim in hac Florentina Ciuitate frequentèr contingibile dicebam, quoniam in Vrbe pleriq; degunt Florentini diuitias in ea comparantes, possidentes tamen bona antiqua, & patrimonialia in patria originaria, dum decedendo in ipsa Vrbe, in qua maior quoque sit pars bonorum patrimonij, vtique forus Romanus, iuxtà regulas, de quibus *d. disc.87.* erit omnium magis competens, & tamen si iuxtà huius fori leges, vel opiniones decerneretur successio contra

leges,

leges, vel opiniones, cum quibus in Florentina Ciuitate viuatur, dicebam, quod vtique ijdem Magiſtratus, coram quibus præſens controuerſia agebatur, tale iudicatum contemnerent, eique exequutionem denegarent; Ac propterea cogitarent, quod idem in alijs principatibus, & Tribunalibus de eorum iudicio ſequuturum eſſet.

His itaque ſic ſtantibus de conſequẽti dicebam, non obſtare dicta ſtatuta huius Ciuitatis, quoniàm intelligenda veniunt cum præſuppoſito competentiæ,
12 quodque aliàs proprio foro iniuria fieret, *vt eod. diſc. 9.* quoque aduertitur, quoniam ſi Clericus Sæcularis, vel Regularis Florentinus conueniatur in foro Eccleſiaſtico, intrà vel extrà Ciuitatem, non per hoc violari dicerentur ſtatuta, vtpotè caſum non capientia, obſeruando, quod illa adhibent verba *audeat, & præſumat*, quæ denotant temeritatem, & actum illicitum, relinquendo defenſoribus de Partibus aliam eiuſdem ſtatuti interpretationem deſumptam, *ex conſil. 168. Romani*, cùm vanum ſit, vt exteri
13 in loco non verſati in localium, legum interpretatione, & praxi ſe ingerant.

Romana reintegrationis.

PRO

Dentijs.

CVM

Maſſarono.

Caſus diſputatus in Signatura Gratiæ, reſolutus pro Dentijs.

An, & quando commiſſio, quæ ſuperueniat Iudici ordinario, illum faciat delegatum, ſiuè Commiſſarium, ad effectus ex vna, vel altera qualitate reſultantes; Et aliqua de materia prorogationis iuriſdictionis Iudicis, aliàs incompetentis.

Suppl. lib. 16. par. 1. de Iuriſdict.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quid referat, an Iudex ſit ordinarius, vel delegatus.*
3 *Quando ſuperuenta commiſſio faciat de Ordinario delegatum, vel commiſſarium.*
4 *De argumentis delegationis.*
5 *An receptio propinæ ſufficiat.*
6 *An clauſula*, appellatione remota, *faciat delegatum.*
7 *Quid de facultate ſtandi indicationibus.*
8 *An vnio cauſarum id inducat.*
9 *De concurſu Iudicis, quando trahat ad ſe omnes alias cauſas.*
10 *An, & quando prorogatio attendatur, & conſenſus partium faciat competentem Iudicem, alias incompetentem.*
11 *Nemò poteſt recuſare Iudicem, in quem conſenſit, & quando ſecùs.*

DISC. CX.



FORMATO aliquorum creditorum concurſu in bonis N. Maſſaroni in Tribunali A. C. coram Prælato per eum deputato, ſuperuenit commiſſio ſignata manu Papæ, pro vnione omnium
1 cauſarum ad idem patrimonium pertinẽtium, quæ coram alijs Iudicibus introductæ eſſent, vel introduci poſſent, cum facultate procedendi appellatione remota, & cum ſola indicatione iurium, aliiſque facultatibus, quæ in huiuſmodi Conſtitutionibus adijci ſolent; Vndè idem Iudex de anno 1621. pro credito Altobelli, ex cauſa cuiuſdam ſocietatis Officij, recepta propina, eidem adiudicauit, ſiuè tanquam maiori oblatori deliberauit domum debitoris.

Poſt aliquorum verò annorum decurſum, de anno ſcilicèt 1635. N. dicti debitoris filius, & hæres, aduersùs Altobellum, vel eius defuncti hæredem, commiſſionem porrexit in Signatura Gratiæ, petendo reſcribi eidem A. C. vt in cauſa procedere poſſet, iuxtà eius ordinarias facultates, aduersùs geſta per dictum Prælatum, non obſtante, quod ipſe profeſſus eſſet procedere tanquàm Commiſ-

sarius, sed reiecta fuit petitio, signando commissionem appellationis alteri Prælato, qua idem Orator vsus fuit, illam producendo, præuia solita citatione Partis ad dicendum contra commissionem.

Vlteriori verò prosequutione neglecta post decursum annorum ferè quadraginta, idem hæres contra secundos hæredes, nullam præmissorum informationē habentes, iudicium reintegrationis ad dictam domum, ex capite prætensæ nullitatis deliberationis instituit coram eodē A.C. qui post aliquas disputationes, habita notitia dictæ primæ commissionis, quodque Prelatus processerat tanquam Iudex Cōmissarius, dubitauit de iurisdictione, ac propterea Actor adiuit Signaturam Gratiæ, petendo idem, quod de dicto anno 1635. petijt, istoque recursu pendente habita fuit notitia dicti rescripti, & secundæ Commissionis, ob quam præsertim in Signatura habita 19. Februarij 1675. petitio reiecta fuit, nihil rescribendo.

Difficultatem de plano substulit dicta posterior commissio, sed quando ea non extante articulus ex integro examinandus esset, an scilicèt dictus Iudex per supernentam commissionem effectus esset de Ordinario delegatus, nec ne, huius
2 inspectionis effectus erat, quod si erat Ordinarius, poterat retractare gesta in proprio Tribunali, ex capite nullitatis, adeòvt non obstaret regula *Text. in l. Iudex postquam, ff. de Iudic.* secùs autem si esset delegatus, cum tunc siuè benè siuè malè, iurisdictio expirasset, vt aduertitur *disc. 1. de alien. & contract. prohib. & disc. 3. & 38. de iudic. & sæpiùs.*

Adhuc tamen probabiliùs esse dicebā, vt delegatus effectus esset, quoniā quidquid in hoc inuoluerint *Scaccia*, & alij
3 collectores, illa videtur omninò verior, benèque fundata distinctio tradita, præsertim *per Rotam apud Bich. decis. 79. num. fin.* vbi testatur ità vidisse pluriès practicari, quando ipse fuit Locumtenens Auditoris Cameræ, quod scilicèt, aut commissio nihil auget de iurisdictione, & facultatibus, quas iam habebat, adeòvt etiam sine illa facere potuisset eadem, quæ in vim superuentæ commissionis fecit; Et tunc illa resoluatur in simpliecm excitatoriam; Aut verò è conuerso tribuit de nouo ea, quæ aliàs non haberet;

Et tunc importet delegationem, atque immutare faciat qualitatem Iudicis, illū de Ordinario faciendo delegatum, siue Commissarium, vt etiam insinuatur *disc. 3 de iudic. num. 18. & seqq.*

Applicando itaque ad rem, plura continebantur in ista commissione vltrà proprias, ac ordinarias Tribunalis facultates; Primò nempè, vt procedere posset
4 appellatione remota; Secundò, super vnione omnium causarum actiuè, & passiuè spectantium ad hoc patrimonium, ità positum sub concursu; Tertiò facultas procedendi per solam indicationem instrumentorum, aliorumque iurium, cúm hæc omnia non concedantur Iudici ordinario; Quartò demùm, quia idem Iudex talem se declarauit, atque tanquā Commissarius procedere professus est, dum recepit propinam, quæ in hoc Tribunali Auditoris Cameræ non est in vsu; nisi quando procedatur iure delegato, ex ijs, quæ in hoc proposito propinarum, seù sportularum, illas tamen generalitèr improbando, neglecta hac distinctione Iudicis ordinarij, & delegati, habentur *disc. 39. de Iudicijs, & in Relatione Curiæ* in quibuslibet Tribunalibus respectiuè.

Et quamuis in contrarium Scribentes singulas huiusmodi circumstantias criticando, insisterent, quod non producerent hunc effectum; Attamen dicebam, quod quidquid sit de singulis disiunctim, ac de per se consideratis; Punctus tamen erat in earum vnione, ex consueta regula, *vt singula, quæ non prosunt &c.*

Agendo siquidèm ordine inuerso; Quatenùs pertinet ad receptionem propinæ deducebatur specialis auctoritas *Rotæ*
5 vbi firmatur, quod id non faciat Iudicem Commissarium; Dicebam tamen, quoad dictam auctoritatem, quod ea extranea esset à casu, dum ibi supponitur nullam adesse commissionem, qua non extante, cessat quæstionis fundamentum, siuè procedere posse, quando commissione accedente claré constet, quod sit simplex excitatoria, vt supra, ac propterea, vel errori, vel delicto referendū est exigere emolumentum, aliàs indebitum, dum ità esset dare, quod Iudex ex se ipso, ob interesse proprium, turpéque lucrum, auctoritate sua faceret se delegatum; Secùs autèm, quando aliæ concurrant circumstantiæ, ex qui-

bus

bus saltèm id reddatur probabilitèr dubium, cùm tunc iste actus deseruiat pro interpraetatione, ideóque sit circumstantia famulatiua,& corroboratiua aliarum, quamuis, vt praemissum est,omninó aboleri deberet.

Quoad facultatem procedẽdi appellatione remota,stante quod istud Tribunal Signaturae Gratiae frequentiùs constitui
6 solet ex eisdem Praelatis, ex quibus constituitur illud Signaturae Iustitiae, iuxta ea, quae agendo de vtroque Tribunali habentur *disc.30. & 31. in Relatione Curiae*; Hinc Votantes procedebant cum sensu, cum quo hodie procedit Signatura Iustitiae, vt scilicèt id pendeat à formula Commissionis, eiusque verborum, & clausularum, an scilicèt dicatur *appellatione remota*, simplicitèr; Et tunc non immutet qualitatem Iudicis, neque illũ faciat Commissarium; Aut veró maiorem contineat amplitudinem, quia nempé dicatur *omni, & quacumque appellatione, & recursu, vel quouis alio remedio remotis*, Et tunc secùs; Ac propterea restringebatur punctus ad videndum hanc formulam.

Verùm quamuis itá ex hac parte haberetur intentum, quoniàm commissio istam amplitudinem continebat; Attamen, reflectendo ad veritatem, quando istud motiuum fuisset solum, mihi videbatur, quod in eo tutum fundamentum constitui non posset;Tùm quia nunquam genio arridere potuit iste stylus, quem perpetuò ineptum credidi, efformandi totum iudicium in simplici formalitate verborum, & clausularum, quarum maior, vel minor amplitudo pendet à peritia, & diligentia Causidici, qui commissionem concipit; Tùm etiam quia ista distinctio percutit diuersum effectum, an scilicèt Signatura Iustitiae possit,nec ne apponere manus, atque rescribere de appellatione, quasi quod vbi solùm prohibita sit appellatio, non sit prohibitum rescribere de causa nullitatis, & restitutionis in integrum, vtpotè non sublatis,secùs autèm vbi etiam ista remedia denegentur; Sed quidquid sit ad dictum effectum, nil tamen commune id habet cum altero effectu,de quo in praesenti controuersia agebatur, vt tunc non inducat delegationem, quoniàm siue vno, siue altero modo concepta sit commissio,id respicit ligamen Partis succumbentis, nè appellare possit, aut ligamen Signaturae Iustitiae, nè rescribere valeat de appellatione, siué vt tollatur illud obstaculum, quod in causis aliàs de sui natura appellabilibus habeant, tàm Iudex, quàm victor, nè infrá tempus á iure datum ad appellandum, aut post interpositam appellationẽ,illa pendente, & priùsquàm desertio inducatur, ad exequutionem procedere valeant, & sic respicit actus subsequentes post iudicatum, non autem ipsius iudicati,vel iudicantis qualitatem.

Quemadmodum etenim, vbi ex statuto, vel ex iure communi, siuè etiam ex conuentione Partiũ procedi potest summariè, & exequutiuè,suspensiua appellatione denegata, iuxtà ea, quae habentur *disc.39. & 41. cum duobus seqq. de iudic.* adhuc Iudex dicitur Ordinarius, neque exindè eius qualitas immutatur; Itá, vbi ex speciali prouisione Principis, vel alterius, qui hanc habeat potestatem, dicendum videtur, cum ita dicatur species legis particularis.

Paritér non magni ponderis videtur altera facultas standi solis indicationibus cum id redolere videatur quãdam aequi-
7 tatiuam, nimium tamen probabilem interpositionem arbitrij, quod fortè quandóque Iudex posset iure suo interponere ad euitandos inutiles sumptus resultantes á quibusdã rigorosis iuris formalitatibus, quoniã productiones fiunt ad effectum, vt dicta Pars, quae producit, approbet illa iura, quae impugnare non valeat, ac etiam, vt Iudex de illis certificetur, & satisfaciat praecepto iudicandi secundùm acta, & probata, non autem ex proprio capite siue per informationes extraiudiciales, ideóque, vbi reuera per per indicationem vterque obtineatur finis, idemque resultet effectus, non videtur, quod adeò in huiusmodi formalitatibus immorandum sit, ac propterea cõmissio continere dicitur potiùs quandam moderationem rigoris legalis, ac dispensationem, vt faciliùs Iudex istud interponat arbitrium, non autèm, vt exindè inferri valear ad formalem delegationem.

Maioris momenti videbatur altera facultas inhibendi quibuscumque alijs Iudicibus, cum vnione omnium causarum

8 complicante implicitam auocationem, cùm id vtique Iudici ordinario, iuxtà eius facultates non concedatur; Quamuis etenim Scribentes in contrarium, magis verò aliqui ex Prælatis dicerent, vt id quoque ordinariæ facultati referri valeat, ex natura, seù qualitate concursus vniuersalis, dum intrat ratio connexionis, de qua supra *disc. 74. & seqq* & in terminis concursus vniuersalis creditorum, super patrimonio debitoris, latè de more alios colligendo probat *Salgad. in labyr. par. 1. cap 4. cum seqq.* Attamen id continebat æquiuocum clarum; Tùm quia in facto non verificabatur introductio illius formalis concursus vniuersalis; per quem interdicta debitori bonorum
9 administratione, cùm generalitèr assumpsisset aliquis Iudex, quo casu alter in eadem administratione se ingerere non potest, nè aliàs idem ius sit penès plures in solidum, quod est de iure prohibitum, cùm ita resultare posset inconueniens, cuius rationi innixa est connexio, vt vnus dicat album, & alter nigrum; Et quo casu rectè procedunt motiuata, vt ille Iudex, coram quo introductus est cõcursus vniuersalis, alijs, qui posteà manus apponere velint, inhibeat; Secùs autem, vbi ista formalitate concursus vniuersalis nõ accedente plures creditores eundem debitorem coram diuersis pulsent. Iudicibus, dum tunc non potest vnus ex eis, cum suis ordinatijs facultatibus alias causas à se auocare, & per consequens commissio tribuit id, quod non habeat.

Atque in hoc reflectebam iuxtà consuctum vitium Pragmaticorum, procedi cum æquiuoco claro, fundamentum constituendo in ijs, quæ deducuntur *per Salgad. loc. cit.* & alios Hispanos, siuè etiam per Neapolitanos, super praxi illorum concursuum generalium, qui in bonis præsertim adeò frequentèr, isto quoque more ab Hispanis desumpto, habentur in illo sacro Consilio, iuxtà casus relatos *sub tit. de feudis disc. 77. & seqq. disc. 27. de Credit. & alibi*; Tùm quia particularis est ille stylus, vel abusus, vt ipsimet debitores potiùs ad luctum, vel industriam tàm propriam, quàm fortè Iudicum, atque ad supplantationem creditorum huiusmodi concursus vniuersales voluntariè introducant. Tùm etiam quia id sequitur ibi in Supremo Tribunali, quod est aliorum superiùs, ideòque non benè exindè inferri potest ad Auditorem Cameræ, qui est vnicus Iudex ordinarius coæqualem habens potestatem, cum plerisque alijs Iudicibus, & Tribunalibus, & alijs inferioribus, ex insinuatis *in Relat. Curiæ*; Et proptereà ea, quæ per Hispanos, & Regnicolas in hoc proposito concursus dicuntur, in Curia adaptari possunt Congregationi Baronum, iuxtà illos concursus, de quibus pluriès *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, ac etiam *sub tit. de Credit. disc. 13. & 151. & alibi pluriès*.

Cùmque insisteretur etiam nimium per Scribentes in contrarium in prorogatione iurisdictionis per consensum, idcircò pro huiusmodi fundamenti reie-
10 ctione, deducebam propositionem, de qua *per add. ad Gregor. decis. 118. & per Rouit. super pragm. 2. de iurisd. innic. non turban.* quod scilicèt prorogatio dare nõ potest illam iurisdictionem, & competentiam, quæ non adsit.

Verùm ista responsio parùm releuans videbatur, quoniàm hoc assumptum procedit, quando deficiat iurisdictio, etiam habitualis, putà Iudicis sæcularis, cum Clericis, & personis Ecclesiasticis, quæ neque volentes possunt eius iurisdictioni se submittere, siuè vbi ex qualitate causæ eadem desit iurisdictio habitualis, iuxtà casum, de quo agunt *add. ad Greg. vbi suprà*, quod scilicèt agatur de causa beneficiali in Tribunali A.C. cum similibus; Aut vbi etiam data competentia habituali, quoad ipsas partes; Attamen de incompetentia daret alter, qui maiorem prætendat competentiam, pro eius iure, sed cessante hoc interesse, vel præiudicio tertij, ac etiam cessante omnimodò defectu habituali, nil prohibere videtur, quin consensus suam faciat operationem, ideòque intrant ea, quæ ge-
11 neralitèr habentur in præcedẽtibus pluriès insinuata, vt nemo possit recusare illum Iudicem, cuius iurisdictioni consentijt, & de qua *dec. 306. par. 7. recent. dec. 36. par. 10. recent. apud Bich. dec. 564. & sæpiùs*.

Solidior tamen erat altera responsio, quod ad effectum, vt dicta propositio intret, atque prorogatio suam faciat operationem, requiritur, vt ille, qui consensit in Iudicem incompetentem benè sciat

sciat illum esse talem, vt per *Vestr. in prax. lib 5. cap. 13. num. 4.* Et meritò quidèm, quoniam impossibile est dare consensum præiudicialem sine scientia, cùm ille prouenire potuerit ex ignorantia, vel falsa credulitate, seù falso præsupposito, quod esset competens, vt in hac facti specie, dum agebatur de hæredibus mediatis omninò ignaris, atque de facto adeò antiquo, ideóque iustè motiuum reiectum fuit.

Romana Appaltus, vel desalchi.

PRO

Barberinis.

CVM

Camera Populi.

Casus disputatus coram Auditore Papæ.

De eadem materia, de qua supra *disc. 83.* An scilicèt in Appaltibus, alijsque rebus pertinentibus ad gabellas, aliaque iura pertinentia ad Cameram Populi Romani procedendum sit eum eodem ordine causarum fiscalium, seù Cameralium, vt in Tribunalibus Camerarij, & Cameræ cognosci debeant; Et quid, vbi Camerario superuenerit commissio Papæ; vt propterea delegatus censendus veniat, an ab ipso appelletur ad Cameram.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De ordine graduali appellationis in Tribunalibus Cameralibus.*
3 *Vt procedi debeat cum distinctione casuum.*
4 *An Iudex ordinarius efficiatur delegatus ob superuentam commissionem.*
5 *Etiam vbi Iudex est delegatus non solet peruerti ordo gradualis.*
6 *Tribunal Cameræ habet Signaturam in ventre.*
7 *Causæ fiscales, vel Camerales cognosci debent in Camera.*
8 *Appellatur ad Cameram à Cancellario, etiamsi iste processerit in secunda instantia tanquam Iudex proprius.*
9 *Causa gabellarum, vel aliorum iurium regalium sunt Camerales, quamuis gabellæ emolumentum ad priuatos pertineat, siuè administretur.*
10 *De gabellis possessis per Hospitale S. Sixti & de eius Iudice.*

DISC. CXI.



N eodem casu, de quo *disc. 175. de Regal. in hoc Supplemento*, eiusque facti serie præsupposita; Cùm Prelatus Iudex deputatus à Conseruatoribus Populi sententiasset,
1 pro denegatione desalchi, eiusque sententia confirmata fuisset per Auditorem Camerarij, cui superuenerat etiam commissio signata manu Papæ, ideóque professus est sententiare vtroque titulo se subscribendo Auditorem, & Iudicem Commissarium; atque ab hac sententia ex parte succumbentium, commissa esset causa appellationis in Tribunali Cameræ, ab isto auocari debere prætendebatur per Cameram Populi appellatam, atque causa appellationis per specialem commissionem alteri Iudici, pro arbitrio Papæ delegari, ex eo quod cum Camemerarius non processerit tanquàm Ordinarius in vim suarum facultatum, sed tanquàm delegatus cum speciali commissione, idcircò non intraret ille gradualis
2 ordo, qui pluriès enunciatur, vel supponitur *hoc eodem tit. & sub altero de regalib. & alibi*, & præsertim *disc. 33. in relat. cur.* occasione agendi de hoc Tribunali Cameræ; Ac propterea assumpta desuper disputatione coram Auditore Papæ.

Scribens pro Appellantibus ad effectū substinendi causam in Camera, dicebam, etiam cum sensu veritatis, hanc prætensionem improbabilem censendam esse;
3 Atque ad id probandum aduertebam reflecti debere ad distinctionem casuum cum

cum qua perpetuó in omnibus fori quæstionibus pro earum congrua decisione, & æquiuocorũ euitatione procedendum est, vt scilicèt vnus sit casus in quo agatur de sententia Camerarij in causis priuatis, & indifferentibus inter priuatos, adeòvt dici non valeant causæ Camerales, quia nullum adsit interesse Cameræ; Et alter vbi è conuerso ob immediatum, vel mediatum interesse Cameræ, agatur de causis Fiscalibus, vel Cameralibus.

In primo itaque casu præfatus ordo gradualis appellandi à Camerario ad Cameram, non resultat à natura, seù qualitate causæ, sed ab illa Iudicis; Et per cõ-
4 sequens tali casu intrat inspectio, an ille iudex eius ordinariam naturã, vel qualitatem mutauerit, atque per delegationem effectus fuerit iudex diuersus; atque tunc intrant ea, quæ de Auditore Cameræ, cui superuenerit commissio, habentur *in Romana reintegrationis disc. præcedenti*, & alibi, *ex decis. 79. Bich. nu. fin.* cum alijs ibidem allegatis, ac etiam aduertitur *disc. 3. de iudic. n. 18.* an scilicèt commissio tribuat ea, quæ aliás iuxtà eius ordinarias facultates non haberet, Et tunc immutet naturam, atque efficiatur delegatus, á quo appellandum sit ad delegantem, in cuius arbitrio resideat, cui nam causam appellationis committat; Aut veró nil tribuat substantiale de nouo, adeòvt sit commissio superueniens solùm pro aliquibus accidentalibus, aut ad exuberantem cauthelam tollendi dubia, quæ fortè cadere possent super eius ordinarijs facultatibus (quæ tamen de stricta iuris censura competant) Et tunc secùs, quodque commissio sit potiùs excitatoria, siuè vt in hominum opinione aliquam maiorem in eo Iudice existimationem inducat.

Et nihilominùs etiam isto casu aduertebam, quod quemadmodum à sententijs Auditoris Cameræ, seù Vicarij, vel
5 alterius Iudicis ordinarij, ita effecti delegati, adhuc committi solent causæ appellationum in eadem Rota, quando sint causæ graues, eo modo quo à sententijs latis iure ordinario, adeòvt alia, vt plurimùm non dignoscatur differentia, nisi quod quando processit vti ordinarius, causæ iuxtá regularem, seù gradualem ordinem committuntur per solùm Præfectum Signaturæ Iustitiæ, nisi ex natura processus exequutiui, vel aliàs excludentis effectum suspensiuum, contingat id fieri in plena Signatura; In altero autem casu, quo superueniat commissio signata manu Papæ, ita & talitér, quod dici valeat delegatus specialis, commissio appellationis fit ab eodem Papa cum eadem distinctione, an in camera, vel in plena Signatura gratiæ, ex insinuatis *d. disc. 30. & 31. in Relat. Curiæ*.

Ita à pari in sententijs Camerarij, vel Thesaurarij ob superuentam commissionem latis iure delegato magis, quàm ordinario, quod scilicèt non potest cau-
6 sa committi in Camera per ipsummet Tribunal, quod habet Signaturam in ventre, siue eius Decanum gerentem partes Præfecti Signaturæ, eo modo quo iuxtà eius ordinarium, & gradualem cursum sequitur, adeòvt necessaria sit commissio Papæ, sed non per hoc idem ordo gradualis peruertendus est, provt de facto peruerti non solet, nisi raró, & in aliquibus casibus particularibus, vt (ex:gr:) iuxtá illum, de quo *disc. 161. de Regal.* cum similibus; Et tamen id potiùs malè olere solet, quando circumstantiæ particulares aliquod iustum motiuum non præbeant.

Hæc autem omnia extranea esse dicebam à casu nostræ quæstionis, dum causa erat Cameralis, ideòque in gradu appellationis à Camerario, vel respectiuè à Thesaurario, cognoscenda in Tribuna-
7 li Cameræ, non ex qualitate Iudicis, an scilicèt tanquam ordinarius, vel tanquã delegatus processerit, sed ex intrinseca natura, vel qualitate huius causæ, quæ concernat interesse fisci, vel Cameræ, dum istæ causæ in alio Tribunali cognoscendæ non sunt, tam in hoc Principatu *ex Constit. 9. Pauli Tertij*, quàm generalitér alibi, ex dispositione iuris communis, & ex legibus particularibus principatuum, ex deductis per *Rouit. super pragm. de offic. Procur. Cæsar. cum alijs suprà disc. 83.*

Neque referre obseruabam, quod iuxtà frequentiorem, ac regularem cursum causarum curialium, Camerarius, vel
8 Thesaurarius sit Iudex primæ instantiæ, & per consequens Camera sit Iudex secundæ; In præsenti autem Camerarius esset Iudex secundæ instantiæ in gradu appellationis à Iudice deputato per Cõserua-

seruatores Populi, quoniam istud accidens gradualitatem non alterat, vt etiam in causis curialibus docet praxis, quando agatur de causis retractuum, vel seruitutum, seù viarum, quod aguntur in prima instantia in Tribunali mixto Camerarij, & Aedilium, de quo *disc.38. in Relat. Cur.* in secunda instantia coram Præside viarum, & in tertia in Camera.

Atque (non egrediendo eadem Tribunalia Camerarij, & Thesaurarij) habemus in sententijs, alijsque prouisionibus Nuntiorum, & Collectorum Apostolicorum generalium, super spolijs, alijsq; negotijs cameralibus, vt habetur in Nuntijs Hispaniarum, & Portugalliæ, & in Italia in illis Neapolis, Hetruriæ, Sabaudiæ, & quandoque iuxtà contingentiam, & praxim, Venetiarum, cum similibus, quod Camerarius, vel Thesaurarius est Iudex appellationis, & tamen ab eo appellatur ad Cameram in tertia instantia, quoniam, vt præmissum est, priuatiua, & omnimoda competentia huius Tribunalis Cameræ, de cuius assimilatione, vel deriuatione habetur *d. disc.33. in Relat. Curia*, non prouenit à qualitate instantiæ, minùsque à qualitate Iudicis à quo, & an sit Ordinarius, vel delegatus, sed à natura, vel qualitate causæ Cameralis ob interesse fisci, quod sufficit etiam mediatum.

Dubitandum verò non esse, dicebam, de huiusmodi natura, seù qualitate cau-
9 sæ, ex insinuatis in indiuiduó istius gabellæ vini, seù studij suprà *d. disc.* 83. Tùm ob directum, ac immediatum interesse Cameræ in octauo cado; Tum etiã quia, vt ibidem aduertitur, ac etiam *disc.*81. *de regal. & alibi*, ista gabella quoque dicenda est Cameralis, vtpotè de regalibus, atque imposita per Papam, tanquam Principem supremum pro beneficio Reipublicæ, & ex causa publica ad ipsum Principem spectante, studiorũ; solùmque populo commissa erat administratio, quæ non alterat rei naturam, iuxtà ponderationes, de quibus in proposito publicæ annonæ *disc.* 44. *&* 45. *de regal.* & magis ad rem *disc.* 125. *hoc eodem tit.* Potissimè verò vbi non agatur de causa indifferenti, & priuata, quæ solùm accidentalitèr deriuet à causa gabellarum, vel aliorum iurium regalium, sed de causa percutiente ipsam gabellam, vel aliud ius, aut interpretationem capitulorum, siuè interpretationem franchitiarum, vt in præsenti, atque ita distinguendo admittitur *d. disc.* 83. quamuis in eo casu ego scriberem in oppositum pro exclusione qualitatis cameralis.

Idemque docet praxis, quoniam (ex: gr:) Hospitale S. Sixti pauperum mendicantium, quod possidet ex Apostolica
10 concessione duas gabellas; Vnam nempè lignorum, de qua *d. disc.*81. *de regalibus*; Et alteram chartarum lusoriarum, de qua *disc.*79. *eod. tit.* quoniam licèt habeat proprium Iudicem priuatiuum cum amplissimis facultatibus in omnibus eius causis actiuis, & passiuis, quinimò etiam priuatis eius alumnorum; Attamèn vbi causa percutiat gabellam, an scilicèt ea debeatur, nec ne, siue percutiat modum illam exigendi, tunc non per Iudicem particularem loci, sed per Præsidem Riparum, & respectiuè per Tribunal Cameræ id cognosci solet in ijs, quæ concernunt dictam gabellam lignorum, quãuis in altera gabella alearum lusoriarum diuersa videatur praxis, vt de hac discretiua patet *in eod. tit. de regal. disc.*79.

Romana, seù, &c.

Votum pro veritate.

De iurisdictione laicorum in Clericos non incedentes in habitu; Et an ex decreto Concilij *sess.* 23. *de refor. cap.*6. ob non incessum in habitu, & tonsura, resultet priuatio priuilegiorum Clericalium non solùm quoad forum, sed etiam quoad alia.

SVMMARIVM.

1 *De declarationibus Sac. Congregationis, vt per Concilium non sint sublata alia priuilegia.*
2 *De casu quæstionis.*
3 *Quod agatur de articulo in abstracto, & generalitèr, ideòque ab alto materia assumitur.*
4 *Quod inspici debeant acta Concilij.*
5 *Quid disponatur per Canones, & Apostolicas*

liest; Constitutiones contrà non incedentes in habitu, & tonsura.
6 *Clericus non incedens in habitu, adhuc subiacet foro Ecclesiastico, & quomodo.*
7 *De priuilegio Canonis.*
8 *De casu in quo ipse Clericus dicat se laicum, sed ab alio dicatur Clericus.*
9 *De amissione beneficiorum, & pensionum ob militiam.*
10 *Non potest allegari priuilegium, ex quo resultarent fraus, & dolus.*
11 *De priuilegio factionis testamenti in filio familias.*
12 *De priuilegio exemptionis à legibus laicalibus.*
13 *De alijs priuilegijs in genere.*
14 *De differentia inter amissionem status iam impressi, & non acquisitionem.*
15 *De rationibus, ob quas amissio priuilegij fori secum trahat amissionem aliorum priuilegiorum.*
16 *Quando Concilia decreti debeant interpretari, & an procedendum sit cum regulis legum municipalium.*
17 *Quare non deferatur auctoritatibus in contrarium.*
18 *Conclusio discursus tàm in genere, quàm in casu particulari.*

DISC. CXII.



1 CVM occasione aliquotum priuilegiorũ Clericalium, præter illud fori, in casibus particularibus, aliquæ diuersis temporibus prodierint declarationes Sacræ Congregationis decretorum Sacrosancti Concilij Tridentini interpretationi præpositæ, vt per eiusdem Concilij decretũ *sess. 23. de reformat. cap. 6.* contra Clericos in minoribus non incedentes in habitu, & tonsura, vtpoté loquens de solo priuilegio fori, sublata non sint alia priuilegia clericalia, quæ properea remaneant sub dispositione iuris communis; E conuersò autem per Rotam Romanam, aliaque Tribunalia, pro aliquorum huiusmodi priuilegiorum competentia, eiusdem decreti conciliaris requisita necessaria
2 fore iudicatum supponatur; Idque eidem Sac: Congregationi occasionem dederit dubitandi de prædictis declarationibus, vel de illarum intelligentia, & praxi; Hinc proindè, ex eiusdem Sac: Congregationis benigno, nimiùmque honorabili, & existimando præcepto, quæritur pro veritate quid probabiliùs videatur.

Quamuis autem huic dubitationi ansam dederint aliqui casus particulares, super quibus pendent lites in Rota, & in Tribunali A. C. & præsertim in vna *Romana Testamenti*, super puncto priuilegij Clericalis testandi, non obstante obstaculo patriæ potestatis, & in vna *Recanaten.* ac etiam in vna *Interamnen.* super
3 puncto subiectionis Constitutioni Ægidianæ, alijsque statutis laicalibus; Attamèn iniunctum fuit scribi debere super articulo generali, & in abstracto pro omnibus priuilegijs, omnibusque casibus, non autem ad casus prædictos se restringendo.

Ad id autem meliùs dignoscendum, desiderassem priùs adhiberi diligentias in actis conciliaribus, ad effectum inspi-
4 ciendi rationes, & motiua, quæ per Patres hinc indè disputando ponderata fuerunt, priusquàm ad decreti prolationem in solemni sessione deuentum esset, iuxtà stylum adeò frequentèr enunciatum in historia eiusdem Concilij Card. Pallauicini; An scilicèt mens Cōcilij fuerit agere taxatiuè de sola amissione priuilegij fori, adeòvt alia priuilegia tanquam omissa remaneant sub dispositione iuris; Vel potiùs è conuersò explicatum fuerit dictum priuilegium fori, tanquam principale, minùsque dubitabile, quod in consequentiam secum trahat alia minora, magisque dubitabilia.

Quatenùs verò hæc acta non haberentur, siuè quod ex eis id conijci non posset; Cùm agatur de articulo generali, & exemplari, qui per speciem legis est decidendus, vel declarandus; Hinc opportunum, quinimò necessarium videtur assumere materiam ab alto, quid scilicèt in hac materia Clericorum non incedētium in habitu, antiqui Canones, & Concilia, ac etiam Apostolicæ Constitutiones desupèr statuerint, vt ita ad meliorem notitiam intentionis, ac sensuum Concilij deueniatur; Ideòque necessaria videtur aliqua prolixitas, quamuis à meo stylo regularitèr aliena sit, quoniam non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis. Per

Per sacros itaque antiquiores Canones registratos in quinque libris Decretalium, iuxtà compilationem Gregorij IX. & præsertim sub Innocentio III. habetur *in cap. In audientia de sent. excommunic.* occasione agendi de priuilegio Canonis, vt Clericus, qui neglecta trina monitione, in habitu, & tonsura clericali non incedat, illisque vacet negocijs, vel moribus, quæ clericali vitæ incongruant, omni priuilegio clericali destitutus censeri debeat; Assignata ratione, vt qui contemnit Ecclesiam, eius beneficio indignus reputari debeat; Dando quoque exemplum matronarum in meretricali veste incedentium; Vndè non incessus in habitu, & tonsura producit genericam priuationem omnium priuilegiorum, absque restrictione magis ad vnum, quàm ad alterum.

Idem quoque decernitur per Bonifacium VIII. *in cap. vnic. de vit. & honest. Cleric. in 6.* Ac etiam *per Concilium generale Viennense sub Clemente V. in Clementina vnic. de vit. & honest. Cleric.* quod scilicèt non vnius, vel alterius priuilegij in specie, sed omnium priuilegiorum in genere priuatio decernitur.

Quamuis etenim quamplures alij Canones desupèr á Doctoribus ponderari soleant, registrati in eisdem quinque libris decretalium,& præsertim *sub eod. tit. de sent. excommunic.* & sub alio prædicto *de vit. & honest. Cleric.* Attamén in eis agitur quidem de habitu, vita, & moribus, sed non ita expressé descenditur ad hanc genericam priuationem priuilegiorum.

Sed quoniam præfati Canones concorditer ad hunc effectum exigunt requisitum trinæ monitionis, neque Clericorum species distinguunt, adeóvt per Magistratus sæculares prætēderetur hanc priuationem genericam priuilegiorum etiam fori in Sacerdotibus, alijsque constitutis in Sacris quoque procedere; E conuersò autem Episcopi, alijque Prælati, vt præsertim aduertunt post *Afflict. Couarr. practicar. quæst. 32. & Clar. in prax. crimin. §. fin. quæst. 36. num. 19.* negligebant ad huiusmodi monitiones deuenire ita satagentes quamplures habere subditos, eisque non priuari.

Hinc per nonnullos Principes sæculares habitus fuit recursus ad SedemApostolicam, quæ sub diuersis Pontificibus, distinguendo Clericos in Sacris, ab illis in minoribus, quoad secundam speciem relaxauit dictum requisitum trinæ monitionis, diuersasq; dedit particulares prouisiones sub diuersis formis, iuxtá diuersos singulorum principatuum mores, ex relatis per *Oliuam, vel Sousam de for. Eccles. par. 2. quæst. 18. num. 12.*

Præsertim verò, ad petitionem Regis Catholici pro Neapolitano Regno *Clemens Septimus*, de anno 1524. distinguēdo etiam Clericos in minoribus ab illis in Sacris, quoad primam speciem, neglecto dicto requisito trinæ monitionis, mandauit per edictum generale moneri omnes ad reassumendum habitum,& tōsuram infrá certum terminum, sin minus declarari fori priuilegio priuatos, ac foro sæculari, etiam vsque ad vltimum supplicium subiectos, ita eodem Pontifice ex tunc ipsos declarante sæculares; Idemque postmodum concessum supponitur per Paulum Tertium; Ac etiam pro Regnis Hispaniarum mādatum fuisse per Alexandrum Sextum, & pro Regno Galliæ per Leonem X. habetur apud *Couar. practicar. d. cap. 32 num.* 1. cum similibus, ex quibus patet, quod solemnitas trinæ monitionis, & degradationis in Clericis inSacris requiri videatur præcisè, non autem in minoribus.

Idque de consuetudine quoque receptum esse in statu Mediolani, testatur *Clar. d. quæst. 36. num. 19.* cum dicta distinctione inter Clericos in sacris, & in minoribus, vt in prima specie necessaria esset trina monitio, ad præfatorum Canonum præscriptum, secùs autem in altera, vt sufficiat non incessus in habitu continuus, non autem accidentalis.

In hoc itaque statu, atque de tempore proximo dictę Constitutioni Clementis VII. & Pauli III. prodijt præfatum decretum Concilij Tridentini, vt notoria temporum combinatio docet; Atque Constitutio Clementis VII. habetur registrata cum eius copiosis commentis *Io: Antonij de Nigris inter varios Repetentes canonicos vol. 6. par. 2. in princ.*

His itaque prænotatis; cùm in omnibus iuris quæstionibus, manifestus error reputetur procedere cum generalitatibus, dum ex hoc procedendi modo omnia prodeunt æquiuoca, & confusiones, idcò-

ideoque procedendum sit cum conciliatiua casuum distinctione; idcircò ad eam descendendo.

Primus casus est, quando, tam priuilegium fori, quàm respectiuè alia priui-
6 legia, non allegentur per ipsum Clericū ad eius fauorem contrá alium priuatum, siue contra Magistratum sæcularem, sed potiùs allegentur per Episcopum, vel per alium Ecclesiasticum superiorem contrá ipsum Clericum, qui ab ipsius Ecclesiastici fori, & Episcopi, vel alterius Prælati superioritate, & iurisdictione se exemptum pretendat, siue contra Magistratum sæcularem.

Et tunc indistinctè, non solùm quoad alios effectus Clericatus, sed etiam quoad illum fori, de quo Cōciliare decretum loquitur, eo non obstante, veriùs est, vt Clericus, quamuis requisitis careat, adhuc Episcopi, vel alterius Superioris Ecclesiastici forum declinare non valeat, eique quoad omnes alios effectus remaneat subiectus.

Quæstione solùm cadente (de qua in præsenti extraneum est agere) vbi contentio non esset cum ipso Clerico, sed cum Magistratu sæculari, qui in causæ cognitione præuenerit, iuxtà declarationes Sacræ Congregationis, registratas apud *Sperell. decis.* 133. *num.* 84. ac etiam à me *disc.* 53. *de iurisdict. lib.* 3. atque alijs relatis firmatur etiam per *Rotam decis.* 425. *par.* 14. *recent. num. final.* edita in eodem casu, de quo agitur *d. disc.* 55. Ac etiam benè aduertitur per *Fagnanum in cap.* 1. *de for. compet. num. fin.*

Cùm etenim conciliare decretum prodierit in odium illorum, qui Clericali militiæ adscripti, illam deserunt, siue habitum tanquam militarem cingulum deferre negligunt; Hinc non debet eorū delictum præiudicare Superioribus Ecclesiasticis; Ad instar desertoris militiæ sæcularis, quod licèt militaribus fauoribus, & priuilegijs efficiatur indignus, nō per hoc tamen euitat forum, ac superioritatem Ducis, aliorumque militarium Magistratuum; Ac propterea in pœnam remaneat vtrique foro subiectus; Vt etiā habemus in Monacho incorrigibili, & eiecto, & in filio familias ingrato, & similibus, vt quoad eis fauorabilia non reputentur tales, priorem tamen statum in odiosis retineant.

Alter casus est, vbi agatur de solo priuilegio Canonis, quod ab ipsomet Clerico percusso, vel á Superiore ex officio al-
7 legatur, contrà percussorem pro censuratum incursu; Et tunc iuxtà dispositionem *d. tex. in cap. in audientia de sent. excommun.* & plurium concordantium, de quibus per eumdem *Fagnan. ibid. & in cap. Perpendimus, & in cap. contingit il* 2. *eod. tit. de senten. excommunic. & in d. c.* 1. *de for. compet.* non intrat inspectio trinæ monitionis, & an Clericus sit, nec ne cōtumax, & culposus in delatione habitus, & tonsuræ; Minùsque altera distinctio inter Clericum in Sacris, & illum in Minoribus; Vel inter beneficiatum, & nō beneficiatum; sed solùm attenditur bona vel mala fides percussoris, quia nempè non obstante non incessu in habitu, percussus publicé habeatur pro Clerico, adeóvt percussor sciat, & credat, vel scire, & credere præsumatur, percutere, vel iniuria afficere Clericum; Et tunc intrat dispositiò Canonis, secùs autem è conuersó, vbi iustè illum crediderit laicum, & tanquam talem percusserit, quamuis esset in Sacris.

Ac propterea, quatenùs pertinet ad istud priuilegium, clarus error videtur illud cum alijs confundere, atque adhibere terminos priuationis, vel amissionis, vel trinæ monitionis, quoniam non incessus in habitu in hoc proposito considerari nō solet in pœnam ipsius Clerici pro amissione priuilegiorum, sed tanquā probatio bonę fidei, & iustæ credulitatis, & excusationis percussoris, quamuis non delatio amissionem priuilegiorum non produceret, quoniam amissio fori absque dubio non sequitur in Clericis in sacris, vel in beneficiatis, & tamen etiam in istis ad hunc effectum canonis eadem cadit distinctio.

Iste igitur casus penitús extraneus est à nostra quæstione; & per consequens illæ declarationes, quæ illum percutiant cum præfata distinctione, procedunt, ac recipiendæ sunt, & non possunt adaptari alijs casibus.

Tertius casus est, quando priuilegium fori, vel exemptionis á legibus laicalibus, vel aliud simile, allegetur per priuatum
8 collitigantem contrà ipsum Clericum non habentem requisita Decreti Conciliaris, atque se negantem Clericum, seque

que affirmantem sæcularem; Qualis est casus disputatus in Tribunali A. C. *in d. Recanaten.* inter Vitum Leopardum, & Faustinam Conldumariam; Et alter *in Interamnen. Salniani*, disputatus *in Rota coram Bourlemont*, inter Ferdinandum Patronum, & N. N. in quorum vtroque ego tanquam Aduocatus illius qui se allegabat laicum, substinui, & obtinui, vt cum legibus laicalibus procedendum esset.

Istoque casu nullatenùs intrant declarationes Sac: Congregationis, quæ circumferuntur, quoniam omnes prodierunt in gratiam ipsorum Clericorum, vel Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum Superiorum, cum præsupposito, quod ab eis allegetur qualitas Clericalis, quæ de consequenti secum trahat priuilegia clericalia, istud præsertim exemptionis à legibus laicalibus.

Secùs autem in casu opposito, quod scilicèt Superiore Ecclesiastico non existente in causa, Clericatus negetur ab ipso Clerico se affirmante, seque contendente laicum, sed alter collitigans alleget clericatum contra Clericum nolentem, & negantem; Ex ea nimium clara, & conuincenti ratione, quod secluso iure Episcopi, vel alterius Ecclesiastici Superioris, mutatio status Clerici in minoribus pendet ab animo ipsius Clerici, qui etiam implicitè, atque per solos actus facti declarari potest.

Vt habemus in proposito beneficiorũ, & pensionum Ecclesiasticarum, quod amittuntur per susceptionem militiæ, vel alterius officij sæcularis, ex deductis *sub tit. de pension. disc.46. & seqq.*

Id etenim non prouenit ab irregulari-
9 tate, vel quia in bello sæua exerceantur, vt aliqui malè credunt, sed prouenit à præsumpta, vel implicita declaratione animi per assumptionem illius status incompatibilis dimittendi alterum statum clericalem, qui pro beneficijs, vel pensionibus est necessarius, vt loco citato aduertitur; Ideòque pariformitèr hæc declaratio animi super mutatione status fieri potest cum hoc facto dimissionis habitus, & tonsuræ, ac seruitij in diuinis.

Et per consequens, vbi ipsemet id declarat, tunc omnis cessat dubietas, quoniam in illis, quæ pendent ab animo facientis, quotiès cadat aliquod dubium, quod sit capax interpretationis, defertur declarationi eiusdem facientis, quamuis agatur de contractibus necessarijs, & excludentibus pœnitentiam, ex deductis apud *Otthob. decis.119. n.8. & decis.195. num.18. decis.189. num.25. & 355. nu. fin. par. 13. recent. & sæpiùs.*

Fortiùs verò in casu, de quo in *d. Recanaten.* disputata in Tribunali A. C. in quo agitur de obligatione fideiussoria minoris merè voluntaria, ad fauorem vxoris eius fratris pro assecuratione dotis, quoniam in apoca dictum fuit confici debere instrumentum, iuxtà formam statutorum laicalium; Ita etenim istud quoque adminiculum dictæ voluntatis accedit cum prædictis coniungendum.

Neque ad rem in hoc proposito adaptabilis est decisio *in Senogallien. Census 1644. coram Ghislerio*, in qua altera Pars totum fundamentum constituebat, quoniam in eo casu agebatur de Clerico in Sacris, in quo dicta ratio non intrat.

Quartus est casus conuersus, quod scilicèt Clericus, qui non incedat in habitu, contrahat tanquam laicus, deindè verò
10 fraudulentèr alleget priuilegium clericale, ad effectum, vt non subiaceat legibus laicalibus, ideòque ratione talis priuilegij prætendat infectionem actus.

Et tunc pro incompetentia huius priuilegij, magis de plano respondendum videtur, quoniam ita resultarent dolus, ac fraus, & deceptio, quia nempè non incedendo in habitu, & tonsura, atque faciendo figuram potiùs laici, quàm Clerici, iuxtà leges laicales contraxerit, deindè verò impugnare velit actum ob non subiectionem dictis legibus, quoniam tunc esset decipere, atque dolum committere, quod nullatenùs admittendum est; Non solùm ex regula generali, quod ab omni actu semper dolus censetur exceptus, qui nunquam doloso debet suffragari ex deductis apud *Celsum decis. 78. num. 6. & seqq. Barbos. axiom.76. cum vulgaribus*; sed etiam quia Ecclesia dicitur mater, & cultrix iustitiæ, & æquitatis, ideòque fouere non debet dolum, & iniquitatem.

Vt putà (deducendo rem ad praxim) Clerici non possunt se obligare iuxta formam Ritus magnæ Curiæ Vicariæ, ex regula, quod neque volentes possunt se

subijcere legibus laicalibus, eodem modo, quo non possunt se subijcere foro, ex plenè firmatis *decis.348. par.9. recent. repetit. decis.* 180. *post Zacch. de obligat.* vndè solent se obligare in forma Cameræ Apostolicæ.

Quando igitur ille qui incedit in habitu, & tonsura, atque profitetur contrahere tanquam Clericus, adeòvt alteri contrahenti id innotescat; Tunc si iste negligit obligationem in forma Cameræ, sed patitur se obdormitari facere, cum obligatione in forma ritus, sibi imputet, quia sciens, malum patitur, si ista obligatio impugnetur.

Sed si non Incedendo in habitu, & tõsura, faciat figuram laici, atque tanquam talis se obliget iuxtà formam Ritus, tunc nulla legalis, nec naturalis ratio vnquam suadere potest, vt ei licitum esse debeat ex priuilegio clericali impugnare hanc obligationem, dum ita adesse dicitur dolus manifestus, atque alter contrahens dicere potest, quod si incessisset in habitu, atque se esse Clericum professus esset, tunc non acceptasset hanc speciem obligationis, sed exegisset illam in forma Cameræ, vt clarè ad sensum, ideòque fraudulento, ac doloso nunquam est indulgendum; Ecclesia etenim, quæ mater, & cultrix est iustitiæ, & veritatis, nunquam confouet mendacium, ac dolum, & fraudem.

Hinc habemus, quod dolosè propè Ecclesiam delinquenti, vt eius immunitatis gaudeat beneficio, istud denegatur per *tex. in cap. final. de homicid. in 6.* Atque magis specialitèr ad rem nostram habemus in illo Clerico, qui non deferens habitum, & tonsuram, neque inseruiens in diuinis, per aliquos dies ante iam imminente conceptum delictum, fraudulentèr habitum, & tonsuram, ac seruitium reassumat, postea veró denuó dimittat, vt fori priuilegio gaudere non debeat, iustè decisum fuit per hanc Sacram Congregationem 10. *Martij* 1620., cum similibus.

Quintus est casus, in quo ab ipso Clerico non affirmetur, neque negetur Clericatus, sed de illo sit quæstio inter ter-
11 tios post mortem Clerici, qui propterea eius animum declarare non valeat; Vt contingit in casu, de quo *decis.*533. *par.* 14 *recent.* atque à me agitur *disc.*34. *de testam.* Et qui casus principalitèr huic disputationi ansam dedit *in d. Romana Testamenti*, quia nempè agatur de validitate, vel inualiditate testamenti conditi per filiũ familias, quod sustineri prætendatur à testamentario contrà intestatum successorem ex priuilegio Clericatus; Et tunc aliqua maior dubitandi ratio cadit, quam in sequenti casu, in quo ipsemet Clericus alleget Clericatum ad sui fauorem, ad effectum, vt infrà, dum tunc adest declaratio animi.

Adhuc tamen dicendum videtur idẽ, quod in casu sequenti, in quo allegetur Clericatus per ipsummet Clericum; Ex ea ratione, quod faciens actum, censetur fecisse eo meliori modo, quo facere poterat, idcóque subintelligenda est eius voluntas, prout magis expediat pro validitate actus, ex ijs, quæ occasione clausularum adiectarum in testamento, habentur à me deducta *disc.* 57. *de testam.* cum similibus, sed in isto casu faciliùs intrat cessatio, quàm in altero, in quo idem allegat statum clericalem vt infrà.

Sextus demùm est casus, in quo pro aliorum priuilegiorum competentia, & fruitione, allegetur clericatus ab ipso
12 Clerico, qui se talem contendat, atque agatur de priuilegio exemptionis á statutis, & legibus laicalibus; Et isto casu, vbi non sit in causa Episcopus, vel Ecclesia pro eius iure, sed agatur solùm de commodo, & interesse priuato ipsius, qui se contendit Clericum, & faciliùs in hac specie priuilegij pro eius non competẽtia, & per consequens pro subiectione videtur respondendum.

Siquidèm vltrà alias rationes, quæ generalitèr vt infrà cadunt in alijs priuilegijs, quæ sunt distincta, & independentia á priuilegio fori, vtpotè expressè, ac particularitèr concesso in isto priuilegio exemptionis à legibus, cadit quædam ratio particularis, quod scilicèt ista exceptio sit consequutiua alterius exemptionis à foro, & á potestate laicali, vt ad literam probat ipsemet *text. in cap. Ecclesia S. Mariæ de constit.* ibi - *Nos attendentes, quod laicis super personis, & rebus Ecclesiasticis nulla sit tributa facultas, &c.*

Ideòque passim volitat recepta propositio, quod paria sunt forum sortiri, & legibus ligari, vt *d. decis.*348. *par.9. recent. num.*22.

num.22.& 23.repetit.decis.180.post Zacch. de obligat. ideòque cum cesset ratio legis, cessat de consequenti dispositio.

Ac etiam si damus, quod Iudex laicus possit cognoscere causas Clerici, illumque tanquam suum subditum punire, etiã in persona, vtique siue per antecedens, siue per consequens necessarium, danda videtur subiectio eius legibus, cum quibus causas cognoscit, & iudicat.

Neque admittenda videtur responsio ab aliquibus dari solita, quod Iudex laicus, quando causas Clerici non incedentis in habitu cognoscit, debeat eas iudicare iuxta leges Canonicas, quoniam notoria praxis generalis totius Orbis Catholici docet contrarium in Clericis in minoribus; Ac etiam euidentèr probat dicta Constitutio Clementis VII. dum dicit, quod Iudex laicus possit procedere etiam ad pœnam vltimi supplicij, quod per leges Ecclesiasticas non conceditur; Nisi dicatur, vt in Clericis in sacris id esset dicendum.

Quo verò ad alia priuilegia clericalia in genere, vt (ex:gr:) est illud *cap. Odoardus*, de quo à me agitur *disc.119.& seqq. de credito lib.* 8. siue illud exemptionis à
13 gabellis, alijsque oneribus laicalibus, cũ similibus; Alia debet adhiberi distinctio an priuilegium allegetur, non ad solum priuatum commodum Clerici, sed etiam sit in causa Episcopus, vel Ecclesia, cuius pro facti qualitate intersit, illud priuilegium seruari, ac effectum sortiri; Et isto casu pro competentia veniat respondendum, dum & in illo fori, de quo Concilium loquitur, idem dicendum est, vt supra in primo casu.

Vbi autem concernat solùm interesse, & commodum priuatum Clerici, vel alterius priuati ab eo causam habentis, á quo allegetur; Et tali casu adhibenda videtur alia distinctio, an scilicèt agatur de illo Clerico, qui tonsura, & minoribus initiatus, nunquam susceperit habitum, & tonsuram, neque in diuinis inseruierit; Vel è conuersò fuerit aliquando in hoc statu, quem postea dimisit, vel neglexit.

Priori etenim casu, faciliùs, & clariùs pro non competentia respondendum videtur, non solùm ob rationes, de quibus infrà etiam in posteriori casu, qui est fortior, sed etiam ob eam rationem peculiarem, quod nunquam reverà ille fuit in statu Clerici, ideòque non agitur de priuatione status, vel iuris iam assequuti, & possessi, sed de non acquisitione, vel initiatione status noui.

Magna siquidem differentia in iure dignoscitur inter casum, in quo iam quis
14 obtinuerit, & possederit aliquam rem, vel ius, quo postmodum ob aliquam cõtrauentionem priuetur; Et casum in quo nunquam obtinuerit, nec possederit, impediatur autem assequi ob deficientem conditionem, vel qualitatem ad id desideratam; Quoniam primo casu, cùm agatur de pœna formali (qualis dicitur priuatio iuris quæsiti, & status obtenti) requiritur dolus, vel contumacia talis, quæ redoleat delictum positiuum; In altero autem sufficit, quod desit illa qualitas, quæ ad hunc effectum est necessaria, quamuis absque dolo, vel culpa desit, quia id se opponit principio acquisitionis, ex latè, ita distinguendo, á me deductis *lib.9. de testam. disc.73.& lib.10. de fideic. disc.154.* vbi commodiùs videri possunt concordantes auctoritates, & decisiones.

Idemque habemus in beneficialibus, quod magna differentia est inter priuationem beneficij assequuti, & exclusionẽ à beneficio assequendo, vt priori casu concludentes, & exactæ probationes criminis requirantur, posteriori autem sufficiant diffamationes, & suspiciones, ex deductis à me *lib. 12. de benefic. disc. 70. & 71.* vbi concordantes.

Atque benè ad rem confert simile de milite terrestri, & quo simili vtitur præsertim *Rota decis.9. post Castagn. in tract. de benefic. deducto &c.* in proposito *cap. Odoardus*; Quod scilicèt ille, qui solùm sit adscriptus militiæ, nunquam verò cingulum susceperit, & arma detulerit, neque militauerit, efficitur quidem subditus Ducis, vt militare cogatur, sed non meretur dici miles, vt militaribus potiatur priuilegijs; Et hic est casus.

In altero autem casu, in quo constet de statu iam impresso, fateor quod difficiliùs pro non competentia sit respondendum; Verùm adhuc pro eadem inclinarem, quotiès agatur de solo commodo priuato ipsius Clerici, absque eo, quod sit in causa Episcopus, vel Ecclesia; Atque ad id moueor ex pluribus rationi-

tionibus, quæ non singularitér, sed vnitim consideratæ, ponere videntur rem in claris.

Primò nempè ex generali ratione as-
15 signata per *Innocentium Tertium in d. cap. in audientia, de sentent. excommunic. vers. ad hæc*, quod scilicèt, *frustra Ecclesiæ auxilium implorat, qui in ipsam Ecclesiam cõmittit*, deducendo exemplum matronæ, vestem matronalem deferentis, atque assumentis vestem meretricalem, vt indigna sit priuilegijs matronalibus, vt etiam suprà insinuatum est; Ideóque licèt ibi agatur de priuilegio Canonis, eo quia sic ille casus exigebat; Attamèn obseruetur, quod in fine dicitur in genere de quocumque priuilegio clericali, vt ei suffragari non debeat.

Secundó idem cum eadem generalitate disponitur per *Bonifacium Octauum in cap. vnico de vit. & honest. Cleric.* ibi: *careant omni priuilegio Clericali, &c.*

Tertiò idem probatur *ex Clementina prima eod. tit.* continente decretum generale Concilij Viennensis, quod scilicét laici reputentur, omneque priuilegium clericale amittant, ac etiam generalitèr probant alia Concilia relata per *modernum Gonzal. in cap. 1. de Apostat.*

Quartò idem clariùs, ac magis proximè probat dicta Constitutio, seù prouisio particularis Clementis VII. quod scilicèt quamuis principalitér directa sit ad solum priuilegium fori, attamèn eius verba in fine litteralitér probant, quod Papa generalitèr eos declarat laicos, tãquam ob effectum consequutiuum à priuatione fori, ibi - *vt nos seculares declaramus, &c.*

Quintó, quoniam inter priuilegia clericalia, est illud capacitatis beneficiorũ, Et tamen, vt suprà aduertitur, si Clericus dimisso habitu, suscipiat munus sæculare, amittit istam capacitatem, ex ea ratione, quod ita se constituendo in illo statu, implicité dimittere dicitur vitam clericalem, atque generalitér suscipere statum laicalem, ex relatis *d. disc. 46. de Pension. lib. 13.*

Sextó, quoniam absque dubio illa cẽsenda sunt maiora priuilegia, eaque tenaciùs obseruanda, quæ respiciant decus, & fauorem, vel respectiuè dedecus, & præiudicium totius ordinis Clericalis, quam sint illa respicientia fauorem merè priuatum, cui volens potest Clericus renunciare.

Et per consequens prorsùs absonum, ac irrationabile est dicere, quod ille, qui ex decreto conciliari priuatur priuilegio fori, remaneat adhuc Clericus, atque tanquam talis gaudeat franchitijs gabellarum, & onerum, nec non priuilegio Canonis, & priuilegio *cap. Odoardus*, & illo factionis testamenti, cum similibus; Et tamen quod in hoc statu possit fustigari, vel ad triremes transmitti, aut furca suspendi, vel aliam infamem mortem pati, atque in frusta scindi, quo nil absurdiùs, magisque irrationabile.

Vt à multo tempore ad solam veritatem à me aduertitur *in annot. ad Concil. Trident. lib. 14. disc. 24. num. 34.* & priùs *d. disc. 34. de testam. lib. 9. num. 16. & lib. 4. tit. de seruit. disc. 61. n. 18. & 19. & lib. 8. de credit. disc. 120. num. 14.* & alibi.

Eumdemque sensum explicaui quoque in alio opere Italici idiomatis *sub tit. Doctoris Vulgaris cap. 3. eod. lib. 14. per tot.* & præsertim *num. 19.* vbi forté clariùs.

Et septimò fortissimé, quoniam iuxtà veriorem opinionem, quam inconcussè sequitur Curia Romana, exemptio generalis Clericorum á potestate laicali est de iure diuino, cui neque Papa, neque Concilium generale derogare possunt; E conuersò autem alia priuilegia sunt de iure merè Ecclesiastico, quinimó aliqua de iure ciuili, vt est præsertim illud testandi; Ideóque nullatenùs in mentẽ cadere potest, quod Concilium facere voluerit id, quod non poterat, & tollere voluerit maius, & potentiùs, magisque substantiale priuilegium fori, vt etiam locis citatis aduertitur, Et relinquere alia minora.

Ac propterea dicendum potiùs videtur, quod Concilium in animo habuerit faciendi id, quod fecit Concilium Viennense, ac etiam fecerunt Innocentius III. ac Bonifacius VIII. vt suprà, nempè cum expressione istius priuilegij maioris declare illam personam non Clericum, sed sæcularem, quasi quod priuilegium fori tanquam caput trahat ad se omnia alia priuilegia minora, & consequutiua, atque ita declarare illam personam sæcularem, quoad sibi præiudicialia, aliud non alterando, nisi vt necessaria non sit illa trina moni-

monitio, quam antiqui Canones exigebant, eodem modo, quo fecerunt Clemens VII. & Alexander VI. & alij, vt suprà, adeòvt de fori priuilegio fiat mentio demonstratiué, quod etiam aduertitur *eod. disc. 24. num. 54. in annotat. ad Concil.*

Nimiùmque id comprobant dictæ Cõstitutiones Clementis VII. Alexandri VI. Leonis X. & aliorum, ex quibus liquet, quod circa ea tempora vigebant ea inconuenientia, quæ mouerunt Concilium ad generalitèr statuendum id, quod localitèr erat statutum; Ac propterea vt sola desertio habitus, ac tonsuræ, & seruitij sufficiat ad declarandum personam sæcularem in vniuersum, absque requisito trinæ monitionis; Et sic quod priuatio priuilegij fori stet demonstratiué, tanquam caput omnium aliorum, quæ sunt eius sequela, vt propterea ea corruente, cætera corruant de consequenti.

Id autem non in ratione extensionis pœnæ, sed in ratione probationis animi, quod scilicèt Concilium ita non statuerit per viam priuationis, & pœnæ, sed solùm inducendo probationem præsumptã animi, vt deserendo habitum, & tonsuram, ita se declarare censeatur sæcularẽ, atque ita probatus dicatur animus deserendi illum statum clericalem.

Ponderando quoque, quod catenùs priuilegium Canonis dicitur intrare, etiam in casu nõ incessus in habitu, quatenùs hoc non obstante, ille habeatur publicè tanquam Clericus, vt per eumdem *Fagnanum in locis citatis*; Hoc autem posito, resultaret clarissimum inconueniens, de quo supra in sexta ratione, vt scilicèt habeatur publicè tanquam Clericus; Et tamèn, quod possit per Iudicem sæcularem furca suspendi, & scindi in frusta, alijsque ignominiosis pœnis publicè affici; Ista etenim ratio præsertim nimium vrget apud me, atque non permittit, vt meus intellectus captiuari possit ad sentiendum contrarium.

Item ponderandum videtur, erroneũ videri in ista lege conciliari procedere
16 cum regulis, quas habemus in materia statutorum, & legum municipalium, vt danda non sit eorum extensio, sed strictè ad limites verborum intelligi debeant, adeòvt casus omissi, remaneant sub dispositione iuris communis.

Suppl. Lib. 16. par. 1. de Iurisdict.

Siquidèm in statutis id prouenit ab odiosa, & exorbitanti natura legum municipalium, quæ sint iuris communis correctoriæ; Ideòque malè adaptatur ad istam legem conciliarem, quæ dicenda est potiùs lex communis magis priuilegiata, vt liquet ex eo quod sub generalibus derogatorijs veniunt leges communes canonicæ, & ciuiles, & Apostolicæ Constitutiones, & tamen non veniunt Concilia generalia; Atque catenùs venit Concilium Tridentinum, quatenùs ità in bulla eius confirmatoria Pij IV. disponatur; Ideòque manifesta videtur fallacia cum dicta regula procedere, sed licitum est arguere, vel illationes facere à simili, vel à maiori, aut à contrario sensu, eo modo, quo in omnibus legibus cõmunibus, canonicis, & ciuilibus, imò fortiùs, vt supra.

Et quamuis non lateat non modicam adesse modernorum Iuristarum, & Moralium copiam, firmantium hoc assum-
17 ptum, vt decretum conciliare tollat solum priuilegium fori, non autem alia, quæ firma remaneant, quorum magna pars refertur *d. decis. 533. nu. 43. & seqq. par. 14. recent.* quibus addi possunt *Nouar. de elect. fori tom. 1. sect. 2. quæst. 52. n. 6. & seqq. Del Bene de immunit. tom. 1. cap. 4. dub. 11. De Marin. resolut. 47. lib. 2. Fagnan. in cap. 1. de for. competen. num. 72. & seqq. Gonzal. in cap. in audientia de sentent. excommun.*

Attamèn ponderetur, quod omnes istæ auctoritates deriuant ab eodem principio prædictarum declarationum, quas referunt præsertim *Fagnan. & De Marin. vbi suprà*, & alij; ideòque si tollimus, vel declaramus principium, omnes auctoritates corruunt tanquam ex cessante fundamento, vel præsupposito, siuè cum eisdem distinctionibus attendi debent, cum in suis casibus veræ, benèque fundatæ sint, sed quandoque consistit æquiuocum in mala applicatione.

Concludendum itaque pro meo iudicio videtur, vt præsupposito quod non delatio habitus, & tonsuræ non sit acci-
18 dentalis, vel ex aliquo iusto motiuo, sed ordinaria, & continua, quodque agatur de Clericis in minoribus, Ecclesiasticum beneficium non habentibus, ad præscriptum dicti conciliaris decreti, adeòvt illud intret, quoad incompetentiam

priuilegij fori, de quo loquitur.

In omnibus ijs, quæ citrà vtilitatem, & commodum ptiuatum ipsius mali Clerici, concernunt superioritatem commodum, & fauorem Episcopi, aliorumque Superiorum, vel Ecclesiæ, siuè ipsius ordinis Ecclesiastici, firma remanere omnia priuilegia clericalia, atque rectè procedere, benèque fundatas esse dictas declarationes Sac. Congregationis attendendas, & obseruandas in his casibus.

In ijs verò, quæ concernant commodū, & interesse priuatum ipsius allegantis ad sui fauorem illum statum clericalem, quē ita spreuit, atque factis non habere professus est; Et tunc secus, vt quemadmodum non gaudet maiori, & potentiori priuilegio fori, ita neque gaudere debeat alijs minoribus, quasi quod, reciso capite, de consequenti languescant omnia alia membra, eaque suam amittant operationem, ex eo quod conciliare decretum attendendum non veniat in ratione pœnalis priuationis dicti priuilegij, sed potiùs in ratione probationis desertionis status clericalis, & assumptionis status laicalis.

Nimiùm etenim viua, & stringens, congruave videtur ratio assignata per *Innocentium Tertium in d. cap. in audientia de sentent. excommunicat.* vt qui in Ecclesiam committit, frustrà eius auxilium imploret, quodque delinquenti, & criminoso fauores, & priuilegia minora concedi debeant; Ideòque dum Concilium Tridentinum adimit maius, ac principale quod manat à iure Diuino, atque concernit vniuersum ordinem, multò magis censeatur ademisse alia, vt supra.

Atque vbi essemus in dubio, adhuc in istam deueniendum videretur sententiam, ob notoriam abusiuam copiam Clericorum, qui potiùs in fraudem istum statum suscipiunt, sed factis, reverà deserunt, vt ità coerceantur ad clericalitèr viuendum.

Absonum etenim videtur, vt ille, qui suscepta tonsura, in reliquis deserat statum clericalem, atque incedendo more militis sæcularis, statum, & vitam sæcularem ducendo, debeat præsertim esse immunis á gabellis, & oneribus publicis.

Si etenim etiam Clerici in Sacris, vel beneficiati, si vacent mercaturæ, tali immunitatis priuilegio in concernentibus negotiationem non gaudent; Minùsque gaudent Clerici coniugati, quamuis incedant in habitu, & tonsura, & inseruiant Diuinis; Igitur multò minùs isti; idemq; à paritate in alijs.

Provt nimiùm absonum, & improprium videtur, vt non debeat quis tanquam Clericus carcerari ciuilitèr pro debito, quod nullam ignominiam importet; Et tamèn, quod possit non solùm detineri pro causis criminalibus in rigorosis, & asperis carceribus secretis, & ignominiosis, sed etiam torqueri, & fustigari, alijsque ignominijs publicis affici, nec non furcis suspendi, vel alteri magis ignominioso vltimo supplicio affici, atque in frusta scindi; Ista etenim nimiùm repugnant rationi, quæ dicitur anima legis, & sine qua lex bona, & præsertim ecclesiastica non de facili admittenda est.

Iste autem sensus existimandus non videtur rigorosus, & ordini clericali præiudicialis, sed potiùs benignus, eidemq; ordini, & Ecclesiæ fauorabilis, vt ita alliciantur Clerici ad clericalitèr, & benè viuendum, ac etiam ad euitandas fraudes, quas Ecclesia mater, & cultrix veritatis, & iustitiæ damnat, & abhorret, cùm ita esset potiùs eas fouere, quo nil absurdiùs, dum praxis docet, quod ille nimius, & irrationabilis fauor, qui Clericis malè viuentibus dari solet, maxima parauit, atque in dies parat ipsi ordini clericali, & Ecclesiasticæ immunitati, ac iurisdictioni præiudicia.

Et ex his, quę generalitèr dicuntur, manat de consequenti resolutio casuum particularium, & præsertim illius in quo agitur de subiectione Constitutioni Ægidianæ, alijsque statutis laicalibus, præsertim circa annullationem contractuum minorum, dum in eo casu Clericatus non allegatur ab ipso Clerico, sed ab aduersario, ipse autem Clericus dicit se nō Clericum iuxtà tertium casum supradistinctum, *vers. Tertius casus est*.

Posito autem, quod de tempore gesti actus, habendus esset pro laico, adeòvt intraret subiectio statutis, & legibus laicalibus; Quatenùs pertinet ad punctum retrotractionis ob postea superuentum, vel reassumptum statum clericalem, etiā in sacris, fateor, quod non agnosco rationem dubitandi, vt irritari debeat actus medio

medio tempore initius in statu seculari; Atque iste punctus videtur disputatione indignus.

Bononien. Transactionis.

PRO

Cataneis.

CVM

Marsilijs.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ, ac etiam in Conregatione particulari, resolutus, vt infrà.

De eadem materia, de qua suprà *disc.68.* appellationis nempè à denegata iustitia, siuè à negligentia ad terminos decreti Concilij Tridentini *in c. causæ omnes &c.*
Et de recusatione Tribunalis Rotæ in causis consanguineorum, vel affinium alicuius Auditoris, quando intret, nec ne.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De appellatione à denegata iustitia.*
3 *De differentijs inter Suffraganeos, & Metropolitanos.*
4 *De decreto Concilij Trident.* in cap. causæ omnes, *in quibus causis procedat.*
5 *Quod instantia de iure Canonico sit perpetua.*
6 *De eodem, & in quibus causis id procedat.*
7 *De erroribus pragmaticorum super dicto decreto Concilij Tridentini.*
8 *De eadem conclusione super perpetuitate instantia de iure Canonico.*
9 *De considerationibus in proposito habendis, & quomodò hæc materia debeat regulari.*
10 *De vtraque Signatura, & qualis debeat esse Iudex huiusmodi quæstionum.*
11 *De casu particulari, & de alijs considerationibus.*
12 *De recusatione Tribunalis Rotæ, quatenùs Auditor sit coniunctus.*
13 *An detur de non vsu legum Papalium.*
14 *Quod lex loquens de casu simpliciti, non capiat mixtum, & quando, non intret recusatio, de qua num.12.*

DISC. CXIII.



INTENTATO per Marsilios coram Auditore Generali Bononiæ iudicio rescissionis cuiusdam transactionis initæ inter ipsos, & easdem Sorores de Cataneis, de quibus agitur *disc.40. de fideic.* 1
Cùm per annos circitèr nouem duraret indecisa, dictarumq; sororum, ac etiam N. æquè interessatæ, eam expediri, ac terminari interesset, idcircò factis tribus instãtijs interpollatis, cũ protestatione denegatę iustitiæ in singulis, ex isto capite obtenta fuit cõmissio in Rota Romana; Sed Actoribus se opponentibus relaxationi commissionis in banco Cursorum, adita fuit Signatura Iustitiæ, quæ non sine votorum scissura rescripsit pro hac parte de relaxatione commissionis, vndè per Actores habitus fuit recursus ad Sanctissimum, petendo audiri à Signatura Gratiæ, tàm super hoc puncto, quàm super altero declinationis Tribunalis Rotæ, ex eo quod Comitissa Sulpitia vna ex dictis sororibus esset vxor nepotis ex fratre Albergati Decani, stante dispositione Constitutionum Pij IV. & Pauli V. super reformatione Tribunalium Vrbis *in rubric. Auditor. Rota num.14.* vt in Rota cognosci non debeant causę Auditorum, eorumque consanguineorum, & affinium, vsque ad secundum gradum canonicum inclusiuè, dictaque resolutio cũ acerrimis disputationibus fuit pluriès confirmata, ac propterea Marsilij acquieuerunt, atque assumpserunt disputationem causæ principalis in Rota, vbi pendet; Solùm tamen ego ante mutationem status scripsi in primis disputationibus.

Quatenùs itaque pertinet ad primum punctum appellationis à denegata iustitia;

tia; Vltrà ea, quæ hinc indè deducta consistebant in nudo facto, super iustificatione, vel respectiuè excusatione negligentiæ, cùm in his pro Curiæ stylo Aduocati se non ingerant; Quoad ea,
2 quæ iuris sunt, cùm ex hac parte deducerentur firmata supra *dicto disc.*68. super ista specie appellationis à denegata iustitia, ac etiam cumularetur ibidem quoque insinuata dispositio *Sac. Concilij Tridentini sess.*24. *de reformat. cap.*20. *incipien. causæ omnes*, super licita appellatione post negligentiam triennalem; Replicabant Scribentes pro altera parte de motiuatis *in eodem disc.*68. adeòvt tanquàm species hastę Achillis ille deduceretur hinc indè; Primò nempè de stylo ibi enunciato *nu.*8. de nõ rescribendo de appellatione ex isto capite denegatæ iustitiæ, non præuia termini præfinitione.

Et secundò, quoad decretum Concilij Tridentini, vt illud procedat in causis Ecclesiasticis, seù aliàs ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, ad dirimen-
3 das frequentes, & connaturales, quandóque scandalosas controuersias inter locorum Ordinarios, & Metropolitanos, ad quem effectum satis non fuit hoc decretum, sed quamplures declarationes facere oportuit de anno 1600. sub Clemente Octauo, quibus neque sufficientibus, aliàs facere oportuit sub Vrbano Octauo, ex insinuatis *in adnotat. ad idem Concil. disc.*33. *num.*25. & in *Opusculo Italico de Episcopo*, & alibi; Secùs autèm in huiusmodi causis meré prophanis, & inter laicos coram dicto Iudice, qui sæcularis reputatur, vt in eodem *disc.*68. habetur.

In hoc itaque statu per Apellantes assumptus, atque pro eis scribendo; Quatenùs pertinet ad hunc secundum punctum decreti Concilij Tridentini, contentus relatione eorum, quæ desupèr habentur eodem *disc.*68. nimium genio, ac stylo abhorrentibus superfluas transcriptiones; Addebam dilemma tunc non consideratum, & ex quo dicebam,
4 quod vnum ex duobus iuribus in hoc proposito attendendum esset; Vel scilicèt prædictum cociliare, vel illud iuris ciuilis *in l. properandum C. de iudic.* super peremptione illius instantiæ, iuxtà ea, quæ ad hanc materiam peremptionis instantiæ ad terminos iuris ciuilis insinuãtur *disc.*71. *de iudic.* dum siuè vno, siuè altero modo idem sequebatur effectus, ità efformando dilemma, quod scilicèt Aut procedendum erat cum iure Canonico, siuè Ecclesiastico, quale dicitur etiam conciliare; Et tunc aderat negligentia; Aut cum iure ciuili, & tunc aderat peremptio illius instantiæ.

Aduersùs hoc dilemma replicabatur per Scribentes in contrarium, quod dispositio iuris ciuilis super peremptione instantiæ nõ procedit de iure Canonico,
5 cuius dispositione attenta instantia est perpetua, ideóque datur terminus desertionis litis, per longissimum tempus, quod neque solùm sufficit, nisi etiam accedat malum ius, non autem peremptio instantiæ, ex insinuatis *eodem disc.*7. *de iudic.* ac etiam *disc.*98. *de benefic. & alibi*, ità euitando vtramque partem dilemmatis; Primam nempè, quod decretum conciliare non loquitur de hoc genere causarum; Et alteram, quod dispositio iuris ciuilis non intret in hoc principatu, in quo viuitur cum iure Canonico, ex insinuatis *disc.*35. *de iudic. & alibi*.

Aduersùs hanc replicationem, non negando primam partem, iuxtà deducta eodem *disc.*68. quod scilicèt decretum conciliare illud causarum genus verè nõ complectatur; Aduertebam, quod iste videatur vnus ex consuetis Pragmaticorum erroribus, procedendi clausis oculis in sola litera, vel generalitate aliqua-
6 rum propositionum, absque aliquo discursu, vel ratiocinio, super distinctione casuum, vel super reflexione ad rationem legis, aut propositionis; Siquidèm re verà illa dispositio iuris Canonici, quæ potiùs ex magis communi, & recepta interpretatione ei data per Doctores, quã ob eius explicitam dispositionem reddit instantiam perpetuam, procedit in causis fori Ecclesiastici, vt patet ex antiquis Doctoribus de hac materia agentibus, qui nunquam cogitarunt loqui de causis merè prophanis fori sæcularis, quamuis Papa sit etiam Supremus Princeps, quoniam non consideratur tanquàm Papa, sed tanquàm Princeps Laicus, vt occasione appellationis in possessorijs aduertitur *disc.*37. *de iudic.* & frequentèr sub diuersis materijs, & præsertim sub illa *de successionibus* occasione Statutorum Vrbis, & aliorum, quæ Papalem habeant

beant

beant confirmationem, & generalitèr *disc.2. in Relat. Curiæ*

Ideòq;duplex error in hac materia inter practicos dignosci videatur in Curia;Pri-
7 mò nempé quoad remissioně causarū ad partes, pro earū cognitione in prima instantia coram Ordinarijs locorū,habendo etiam in causis prophanis, & laicalibus passim in ore, & calamo istud decretum conciliare *in cap. causæ omnes*, absque eo quod illud vnquam viderint, vel ponderauerint, sed de auditu, vt penè in omnibus alijs forté contingit; Et secundò è conuerso attendendi dispositionem iuris Canonici, super perpetuitate instantiæ, non reflectendo, quod id in causis spiritualibus, vel aliàs fori Ecclesiastici procedat.

Hinc dicebam, quod in idem alterum intraret dilemma, quod scilicèt; Aut causas prophanas huius principatus regulare volumus cum iure Canonico, ad instàr Ecclesiasticarum; Et tunc procedendum est cum decreto Concilij Tridentini, quod prodijt pro iuris Canonici interpretatione, vel moderatione; Aut veró huius iuris Ecclesiastici negate volumus applicationem huic generi causarum; Et tunc procedendum est cum terminis, seù cum dispositione iuris communis, iuxtà naturam causarum prophanarum.

Ponderandum quoque fore obseruabam, quod quamuis iuxtà insinuata eodem *disc.7. de iudic.* hodie ex magis communi modernorum sensu, magis receptum sit, vt attenta dispositione iuris Ca-
8 nonici ità interpretati instantia sit perpetua; Attamen de tempore, quo prodijt dictum decretum conciliare, id erat sub quæstione, vt patet ex deductis per *Couarruu. in cap. quamuis pactum de pact. in 6. par. 2. num. 4.* dum iste Auctor fuit vnus ex Patribus, qui interuenerunt in Concilio Tridentino, quamuis forté in præcedentibus sessionibus, non autem in ista; Atque revera ponderatis antiquis Canonistis, eorumque rationibus super perpetuitate instantiæ, percutiunt solùm causas fori spiritualis, in quibus prudentèr Concilium sequendo opinionem illorum, qui hanc perpetuitatem iuris Canonici tenent, voluit ita æquipollentèr prouidere, vt scilicèt biennalis negligentia,non sufficeret quidèm pro omnimoda peremptione instantiæ, iuxtà dispositionem iuris ciuilis, benè autem sufficeret, vt Iudex primæ instantiæ illa priuaretur, mediante appellatione, vel recursu ad alterum Iudicem appellationis, ita ius ciuile attendendo pro interpretatione, siué pro motiuo alterius iuris, adeóvt vtrumque simul in hoc proposito ponderandum sit; Et hæc quoad decretum Concilij, vt saltèm in ratione attendendum esset pro comprobatione alterius capitis appellationis á denegara iustitia.

Circà quod aduertebam huiusmodi quæstionem, seù materiam veriùs pro meo iudicio facti, seù arbitrij, potiùs censendam esse, quodq;propterea etiam in ea intret idem consuetus error proce-
9 dendi cū solis generalitatibus in abstracto, cùm veriùs reflectendum sit ad concretum, atque decisio regulanda veniat ex singulorum casuū particularibus circumstantijs, culposam, vel respectiué excusabilem negligentiam redolentibus in Iudice; Vel studiosam, & affectatam protractionem in Parte collitigante; Distinguendo etiam causas ciuiles á criminalibus, quoniam in hoc secundo genere criminalium, Episcopi, vel Barones, alijq; Magistratus iustitiæ administrationem, & cognitionem causarum pro industria, & mercatura exercentes, ad impediendum, vt Reus per remedium appellationis à sententia,vel à decreto grauante causam ab eis non tollat, atque absolutoriam à Iudice appellationis non reportet, ob malè fundatam inquisitionem, ità differre satagunt, vt ad compositionem cogant, siuè vt carceratio, vel alia molestia diuturna redoleat punitionem sine delicto, aut quod etiam sine carceratione illum in eo statu inquisiti detineant, ad hoc, vt eum repellat, vel minus dignum reddat in cōcursu ad beneficia, vel ad publica munera, ex rationibus, de quibus *disc.70. & 71. de benefic.* vt quandoque vidi practicari.

Et in altero genere ciuilium videndū est, an protractio sit ex parte Rei, in quo regularitér intrat suspicio calumniæ ad ita defaticandum Actorem, vt ita defaticatus,& fastiditus, litem potiùs negligat, siué vt eius mortem expectet, colludendo cum iniquo Iudice, qui non valens cum sententia ipsi gratificari, ità gratificetur

ficetur cum silentio, & cum negligentia; Et quandoque id sequi solet etiam ex parte Actoris, quamuis regularitèr istius intersit expeditionem sollicitare, quia nempè agnoscendo eius malum ius, atq; timendo succumbentiam, curet ità manutenere litem viuam, pro aliquo fine; Putà, in beneficialibus, vt moriente collitigante subrogationem obtineat, atq; in beneficijs de iurepatronatus præsentationem impediat, siué etiam in prophanis, vt Reum defaticando, illum inducat ad aliquam concordiam, vel vt mutetur Iudex, vel vt expectet alias sibi magis oportunas occasiones; Ac propterea docet praxis, quod quandoque Actorem Reus insequitur, cum similibus considerationibus; Secùs autèm si è conuerso sine culpa, & affectatione qualitas causæ, vel Tribunalis, aut aliæ non culposæ circũstantiæ expeditionis moras producant; Atq; ad hæc, & similia reflectendum est, non autem clausis oculis, & cum hæbeti ingenio, auium, vel ouium more indistinctè in omni casu procedendum venit cum aliquibus propositionibus, vel auctoritatibus ad literam.

Potissimè veró, vbi in huiusmodi decisione ille superior, à cuius arbitrio id pendeat, nullum habeat interesse; Vt in
10 Curia contingit in hoc Tribunali Signaturæ Iustitiæ, & in altero Signaturæ Gratiæ, vel in simili Magistratu, cuius nil intercst, an causa per vnum, vel per alterum Iudicem cognoscatur, dum ipsum Tribunal pro se non retinet, nec retinere potest; Ac etiam quia est Tribunal, quod Supremi Principis vices in hac parte gerendo, vel explicando, non habet arbitrium adeò restrictum intrà rigorosos cancellos regularum iuris, vel doctrinatum, sicuti habet Iudex, vel Magistratus inferior; Cùm aliqua tamen differentia maioris, vel minoris latitudinis inter illam Gratiæ, & alteram Iustitiæ, ex insinuatis *in relatione Curia disc. 30. & 31.*

Secus autem, vbi Iudex, vel Magistratus, ad quem cognoscere pertineat, an adsit grauamen, vel negligentia, seù culposa denegatio Iustitiæ, cuius ratione intret appellatio, dici valeat interessatus, quia nempè causam ab Ordinario, vel ab alio Iudice ità auocet, eaque ad se deuoluatur, qualis est propriè casus superiús insinuatus adeò frequentiũ quæstionum, & inconuenientium productiuus inter Suffraganeos, & Metropolitanos, vel inter Curias Regias, & Baronales, cum similibus; Quoniam si adesset alter Magistratus, qui nullum habeat interesse, atque tanquam purus tertius de hoc cognosceret, adeóvt Iudices á quo, & ad quem de his contendentes gererent figuram partium, tunc non resultarent tot inconuenientia.

Applicando itaque ad rem; Cùm Reus, cuius intererat causam protrahere sollicitaret, Actor autem cuius intererat sollicitare protrahere, per tempus adeò notabile curaret contra omnem
11 verisimilitudinem, ità dicebam euidens resultare argumentum malæ fidei, vt studiosè ad alios fines ista causa viua, & pendens detineretur.

Aduertebam prætereà in idem ponderandum esse, an, & quid importet in causis ciuilibus, in quibus non intret ratio præiudicij ipsius Iudicis, vel Magistratus (vt est in criminalibus) causam potiùs agi, & perfici in partibus, quàm in Curia, putà, ob probationes commodiùs faciendas, vel quod alia congrua suppetat ratio, secus autem in præsenti, quod ista quæstio continebat inanem circuitũ, dum agebatur de causa rescissionis transactionis ordinaria, & appellabili, adeóvt vbi etiam remissa causa ad Iudicem primæ instantiæ in Partibus, iste pronunciaret, adhuc ab eius pronunciatione causa deuoluenda esset ad Curiam, & Tribunal, cui commissa erat, vel ad aliud, cui ob recusationem, de qua infrà, committenda veniret; Ac propterea cum iam commissa esset, ac etiam ex parte appellantium facta esset transportatio actorum, ipsique Actores essent diuites, & æquè imò magis idonei ad litis substentationem in Curia, cùm potiùs in altera parte adesset mixtura viduæ, quæ minus potens, & miserabilis in iure reputatur, ita de plano aduertebam intrare dictam rationem inanis circuitus, vel suspicionem calumniæ, istaque fuit potissima ratio resolutionis in Signatura Iustitiæ.

Quo verò ad alterum punctum recusationis Tribunalis Rotæ, vt supra, & de quo in Signatura actum non fuit, sed solùm in dicta Congregatione; Alij pro hac parte Scribentes, quibus ego quoque

que Aduocati more adhærebam, insiste-
12 bant in prædictarum Constitutionum non vsu comprobato ex magno numero exemplorum, quod causæ attinentium, vel affinium alicuius Auditoris, imó etiā ipsorummet, actæ fuerant, & agebantur in Rota, illud solùm practicando, quod quando illa disputatur, talis Auditor suspectus ad simplicem nutum Decani, quinimó ex se, de Tribunali exeat, adeóvt in Curia nullatenùs audiantur illæ diuturnæ disputatæ quæstiones suspicionis, quæ frequentèr, cum euidenti calumnia, ad causas cum hoc colore protrahendas, scandalosè quidem audiuntur in Sacro Consilio, vel in Regia Camera, alijsque Tribunalibus Regni Neapolitani, & in alijs aliorum principatuū (præmissa Tribunalia exemplificatiuè solùm insinuando.)

Quamuis etenim leges Papales ità habeant peculiarem rationem, vt ab illis aliorum Principum differant,& earum vigor, & obseruantia non pendeat ab vsu,
13 vel non vsu Populi; Adhuc tamen iste non vsus, vel contrarius vsus attendendus venit, non quidèm ex ratione ponderari solita per Legistas reassumptionis antiquæ, & habitualis potestatis Populi, cùm ista non intret in Papa, sed ex ratione voluntatis eiusdem, quæ implicitè ex hac verisimili scientia, & patientia resultat,vt aduertitur per *Rotam dec.* 194. *circa finem par.4. recent.tom.2.* atque habetur in iam allegato *disc.35. de indic.*

Vltrà quod circà istud assumptum, error pariter videtur in omnibus legibus Papalibus indefinitè eum eo procedere, cùm constituenda videatur differentia inter leges verè Papales, & spirituales, & illas, quas faciat tanquàm Princeps sæcularis, & pro regimine dominij temporalis,cum isto posteriori easu à pari videatur eadem ratio, quæ alijs Principibus congruit, vt distinguendo adnertitur *disc.1. de Cens. & d. disc. 35. de iudic.* ac etiam *disc.2. in Relat. Curia, & alibi*. Verùm reflectendo ad veritatem, agnoscebam difficultatem Partibus pro stylo insinuatam, quoniam iste vsus diuersus potuit esse, prout reverà fuit facultatiuus, quia nempè Partes interessatæ,quibus hoc ius declinandi competebat, fiduciam habentes in æquitate Tribunalis, illud declinare noluerint, ideóque intrabant ea,quæ in materia præscriptionis in facultatiuis habentur *disc. 21. de iudic. & alibi*.

Adhuc tamen, eodem sensu veritatis retento, dicebam huic declinationi locum non esse, ex eo quod versaremur in casu mixto, quia nempè interesse non
14 esset solùm affinis Auditoris,sed aliorum duorum extraneorum; Cùmque negari non posset huius legis exorbitantia, vt per suspicionem vnius Iudicis,suspectum redderetur totum Tribunal adeò numerosum duodecim virorum, adeóvt vno deficiente remanerent alij in magno numero vndecim,hinc proindè rectè intrare dicebam vulgare, ac receptum axioma sæpiùs insinuatum in diuersis materijs, & præsertim *sub tit. de success.* vt lex loquens de casu simplici,non capiat mixtum; Atque ad hunc effectum rectè cōferre obseruabam exempla, quorum aliqua percutiebant casum præcisum, & indiuiduum, quod essent tres interessati, quorum vnus tantùm erat affinis in secundo gradu istiusmet Auditoris, in casibus nempè, de quibus *disc.62. de feud. & disc.8. de Vsur.* & in alijs pluriès, vt scilicèt attendenda venirent in ratione interpretatiua potiùs quàm præscriptiua, seù destructiua legis.

Viterbien Iurisdictionis.

PRO

Curia Episcopali.

CVM

Curia Gubernatoris.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, seù Congregatione particulari deputata.

An personis miserabilibus detur electio, seù variatio fori in eodem loco à foro Sæcu-

Sæculari, vel Ecclesiastico, & quando; Et de casibus, in quibus Episcopus sit Iudex competens Sæcularium, & in causis sæcularibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, cum diuisione punctorum, siuè inspectionum.*

2 *Electio fori, quæ competit personis miserabilibus datur de loco ad locum, non autem de foro ad forum in eodem loco.*

3 *Qualis consuetudo requiratur pro dicta regulæ limitatione.*

4 *Quando Episcopus dicatur protector viduarum, ideòque competens in earum causis.*

5 *Quomodo ius Canonicum attendi debeat in principatibus sæcularibus.*

6 *Deficiente iure ciuili, attenditur Canonicum, & è contrà,*

7 *De aliqua maiori exorbitantia in variatione, quàm in electione fori.*

8 *An Clericus trahat laicum Reum ad forum Ecclesiasticum, & qualis debeat esse consuetudo.*

9 *De electione fori competente ratione obligationis Cameralis.*

10 *Causa laicalis inter laicos de consensu cognosci potest in foro Ecclesiastico.*

DISC. CXIV.



VM ab antiquo tempore Curia Episcopalis Viterbiensis consueuisset aliquorum Sæcularium in sequentibus casibus cognitionem ha-
1 bere, atque in ea continuatum esset sub diuturno plurimorum annorum adeò laudabilitér exercito Præsulatu Card. Brancatij superiùs enunciati *disc.* 53. eoque defuncto in Episcopatu successisset Stephanus iam Archiepiscopus Hadrianopolitanus ex germano fratre nepos, Congregationis Concilij Tridentini Secretarius, cuius Ministri in eadem consuetudine perseuerarent; Prætensionem excitarunt Gubernator, aliique Officiales Curiæ Sæcularis, totum referentes intrusioni auctoritatiuæ præfati Cardinalis, duasque varias adierunt Congregationes, prout negotiorum qualitas exigebat, ideòque per vtramque deputata fuit concorditér Congregatio particularis constituta ex quodam competenti numero Cardinalium, in vtraque respectiuè sedentium.

In ista itaque Congregatione de sex punctis actum fuit; Primò nempè, an Vidua, vel alia persona miserabilis actrix per viam electionis fori conueniat Laicum in foro Episcopali; Secundò, an eadem persona miserabilis, quæ vti sæcularis conuenta fuerit tanquam Rea in Curia Gubernatoris re integra, & ante consensum in iurisdictionem possit illum forum declinare, & eligere Episcopalem; Tertiò, an possit variare postquàm iam consensit; Quartò, an Clerici, & personæ Ecclesiasticæ agendo, possint conuenire Laicos in foro Episcopali; Quintò, quid vbi adsit obligatio Cameralis; Et sextò, an idem forus Episcopalis cognoscat causas sæculares inter sæculares hinc indè, qui non declinent, sed potiùs consentiant.

Circà tres primos punctos cadentes sub materia, seù priuilegio *Text. in l. vnic. C. quando Imper.* pró electione, seù variatione fori competente personis miserabilibus, dicebam omnium resolutionem pendere ab eodem principio, an scilicèt adesset, nec nè, consuetudo legitimè præscripta ad fauorem Curiæ Episcopalis; Cessante siquidèm consuetudine, Egomet pro ea scribens admittebam, quod iuris regulæ sibi potiùs resisterent, quoniam in Curia præsertim hodie de plano receptum est, vt hoc priuilegium electionis, ac variationis fori, quod miserabilibus personis competit,
2 procedat de loco ad locum, non autem de foro ad forum in eodem loco, quinimò neque de loco ad locum in diuersis foris, cùm hoc priuilegium procedat in eodem genere fori, & sic à Iudice Sæculari primæ instantiæ ad Tribunal Principis, vel alium Magistratum superiorem in diuerso loco existentem paritèr tamen sæcularem, & è contra in genere plurium Iudicum eiusdem fori Ecclesiastici, non autem, vt diuersificetur genus fori à sæculari ad Ecclesiasticum, & è contra; Et clariùs quoniám in specie electionis fori Episcopalis declinando forum Gubernatoris, pluriés itá eadem Sacra Congregatio Episcoporum censuit, & præsertim *in vna Terracinen. de anno* 1673. id fieri non

ri non posse, nisi accedat consuetudo legitimè præscripta, ideòque punctus erat qualis nam præscriptionis species desupèr necessaria esset, an scilicèt sufficeret ordinaria, & decennalis, vt ex hac parte prætendebatur, vel potiùs requireretur immemorabilis, seú centenaria, vel saltém quadragenaria, vt prætendebatur ex parte Curiæ Sæcularis; Quamuis etenim supponeretur, ex hac parte Curiæ Episcopalis, quod etiam quadragenaria, imò centenaria, & maior probaretur, adhuc tamen expediens erat de hoc inspicere, quoniam vbi de iure sufficiens esset ordinaria, & decennalis, tunc alia maior esset exuberans, ideòque opus nó esset adeò rigorosé criticare eius cóncludentem iustificationem.

Ad probandum itaque, vt ordinaria, & decennalis sufficeret, non autem centenaria, vel quadragenaria requireretur,
3 deducebam distinctionem, de qua in hac materia præscriptionis *disc.21. de indic. & disc.1. de Decim. & alibi*, quod scilicèt agitur de re in iure dubia, & expressè non decisa, adeòvt consuetudo dici non valeat contra, sed iuxtá, vel præter ius, multòque magis, vbi dici possit iuris dubij interpretatiua, & tunc sufficiat ordinaria,& decennalis;Aut verò est iuri cótraria, & tunc requiratur quadragenaria sola, vel respectiuè iuncta cum titulo putatiuo, aut cum istius famà,vel centenaria, siuè immemorabilis, iuxtà maiorem, vel minorem, siué magis, & minus vehementem iuris resistentiam.

Applicando itaque ad rem; Licét regula superiùs statuta, cui innixæ sunt declarationes Sac. Congregationis, sit hodie magis recepta, atque cum ea in Curia passim procedatur; Attamen nulla lex ciuilis, vel Canonica, seù Conciliaris,aur Apostolica Constitutio id expressè disponit, adeóvt dici valeat adesse expressam legis resistentiam, quodque esset consuetudo contra ius,dum talis propositio prouenit ex quodam stylo Signaturæ, attestato *per Marchesan.de commiss. par.2. de commiss. auoc. caus. §. 2. num.83. iuxta vltimam pleniorem impressionem fol. 312. quamuis Scacc. de appell. qu.7.n.137. in fin.* illum alleget sub diuersa impressione, siué prouenit ex sensu probabili quidem DD. sed non per hoc dici potest adesse positiuam resistentiam iuris

Suppl.Lib.16.par.1.de Iurisdict.

Fortiùs verò, dum agitur de eligendo forum Episcopi, qui ex dispositione iuris Canonici, dicitur Pater, ac Protector viduarum,aliarumque miserabilium personarum, ideóque plerique sentiunt ipsum esse earum Iudicem competétem,
4 eiusq; forum eligi posse ex ista ratione, præscindendo etiam à priuilegio cótento in corpore iuris ciuilis *in d.l. vnic.C. quando Imper.* ex dispositione *Tex.in cap. super quibusdam de verb. signif. vbi Canonista relati per Fagnan. in cap. significantibus num.60. & seqq. de off. deleg. Velasq. de priuil. pauper. par.1. quæst.52. Rot.apud Marches. par.2. fol.369.*

Quamuis etenim in alijs principatibus extrà Statum Ecclesiasticum istud assumptum non de facili ad praxim reducatur, eo quia Principes nimium inuigilant,vt dentur Deo,quæ sunt Dei, Cæsari autem, quæ sunt Cæsaris, vt scilicèt quemadmodum ipsi, eorumque Magistratus abstinet á cognitione causarum pertinentium ad forum spiritualem, & ecclesiasticum, ità Episcopi, alijque Ecclesiastici Magistratus abstineant à cognitione causarum laicalium, & prophanarum, quasi quod ea, quæ in sacris Canonibus disponuntur, catenùs in alijs principatibus, atque vt nostri dicunt in Terris Imperij inter Laicos locum habeant, quatenùs percutiant materias fi-
5 dei, vel peccati, & salutis animarum, seù aliàs de sui natura meré Ecclesiasticas, & spirituales, non autem vbi agatur de materijs prophanis indifferentibus, quasi quod in ijs Canones considerandi veniant, tanquam leges factæ per Papam, vti Principem temporalem in eius principatu, *ad not. ad materiam cap. cum esses de testam, cum similibus*, atque docet praxis bullarum registratarum in Bullario, & insinuatur *disc. 1. de Censib.* ac etiam *disc.35. de indic. & alibi*.

Attamen id nimia consideratione dignum esse dicebam in nostro proposito; Tùm quia versabamur in dicto Principatu temporali Ecclesiæ, ideòque vbi dictus Canon, & concordantes attendi deberent tanquam leges laicales principatus, effectus esset idem; Tùm etiam quia sicuti in casibus expressè non decisis per leges Canonicas, recurrere li-
6 cet ad ciuiles, ità è conuerso in casibus expressé non decisis per leges ciuiles, recur-

K

recurrere licet ad Canonicas, ex deductis *d. disc.35. de iudic.* ac etiam insinuatur *d. disc.1. de seruit.* & alibi, ideòque ius Canonicum in hac parte, in qua ius ciuile expressè non statuit contrarium, attendẽdum esse dicebam tanquam suppletiuum, vel saltèm, vt ità clariùs dici posset, quod ista consuetudo non esset positiuè contra ius, neque eius resistentiam haberet, vt propterea ordinaria præscriptio sufficeret, idquè circa primum, & secundum punctum putabam omninò verum.

Aliquam autem difficultatem, reflectendo ad veritatem, habebam super tertio variationis,& declinationis re non integra, & postquam consensum est in
7 iurisdictione, cùm tunc aperta videatur iuris resistentia declinãdi illum Iudicem, in quem consensum iam fuit, vt pluriès in præcedentibus aduertitur, & est in iure planum; Quamuis etenim in Regno Neapolitano detur etiam in Viduis variatio, attamen id, vel prouenit ex stylo particulari, vel in casu, in quo intret dispositio *d.l.vnic.*& per consequens quædam maior, ac duplex exorbitantia isto casu concurrere videtur, ob quam saltèm quadragenaria requireretur, non autem esset necessaria centenaria, vel immemorabilis, dum resistentia dici non potest vehemens, & omnimoda, sed opus non erat hanc inspectionem formitèr assumere, dum quæstio cessabat ex facto, in quo docebatur etiam de centenaria.

Quoverò ad quartum punctum, dicebam regulam esse negatiuam *per Text.in cap.si Clericus laicum de foro compet.* illam autem limitari per contrariam cõsuetudinem, vt in eodem Canone admittitur,
8 atque antiquioribus relatis aduertunt *ibid. Barbos. Fermosin. Fagnan. & alij Sperell. decis.98. cons.34.* aliique Scriptores Ecclesiastici passim, quorum dictum de facili est practicabile in principatu, de quo agitur, in quo eum vnus, & idem sit vtriusque fori Princeps, & Superior Id nimium non refert, in alijs verò principatibus non de facili ad praxim reducitur.

Sola igitur dubitatio cadebat in qualitate consuetudinis eodem modo, quo in punctis præcedentibus,an scilicèt sufficiat ordinaria decemnalis, vel saltèm esse debeat quadragenaria; Reverà tamen superflua erat quæstio, dum etiam hanc maiorem, imò centenariam adesse, ac iustificari supponebatur; Sed quando de hoc puncto agendum esset; Quamuis alij pro hac parte Curiæ Episcopalis Scribentes crederent, quod sufficere debet ordinaria, quasi quod dicenda non esset consuetudo contra ius, dum idem Canon illam non damnat, sed potiùs approbat; Attamen ego habebam difficultatem, dum ista consuetudo duplicitèr iuri contraria videtur, primò nempè, ob expressam dispositionem dicti Canonis *si Clericus laicum &c.* Et secundò, ob regulam generalem vtriusque iuris ciuilis, & Canonici, quod actor sequi debet forum rei, de qua *d.disc.2. de iudic. & hoc eod. tit. pluriès*; Nil obstante, quod consuetudo per Canonem non improbetur, sed potiùs approbetur, quoniam id non tollit, quin dicenda veniat contra ius, quamuis absque vehementi resistentia,in cuius casu neque simplex quadragenaria sufficit,sed vel ista debet esse vestita à fama, vel colore tituli, vel requiritur immemorabilis, vel centenaria; Non improbari verò consuetudinẽ operatur, vt ista incipiat, suumque progressum habeat, de quorum vtroque dubitari potest,quãdo illa sit expressè reprobata; Sed neque opus erat hanc disputationem assumere, dum quæstio cessabat ex facto eodem modo, quo supra.

Ad quintum,planam dicebam esse resolutionem fauore Curiæ Episcopalis, ob electionem fori, quæ ob eius formulam conceditur agenti pro exequutione,
9 & obseruantia obligationis Cameralis, *vt decis.110. num.2. par.10 rec.& passim*, adeòvt hoc priuilegium præualeat alteri de quo supra competenti miserabilibus personis, vt supra *disc.71. num.10.* Istaque est ratio,ob quam in aliquibus principatibus,vt est præsertim in Regno Neapolitano, prohibeantur Laici se obligare in hac forma Cameræ Apostolicæ.

Pariter planum dicebam in puncto iuris sextum, & vltimum punctum, vt Laici volentes, possint concorditèr proro-
10 gare forum Ecclesiasticum, ex relatis *per Barbos. de Episc. alleg.108. num.10. Bellett. disquisit. Cleric. tit. de fauor. Cler. person. §. 2. num.30.* quamuis in aliquibus Principatibus ista conclusio non de facili

facili

facili suam habeat praxim, sed quidquid sit alibi; Attamen in isto Principatu res caret difficultate; Multò verò magis, vbi accedat consuetudo, vt in præsenti iustificabatur.

Maioricen̄ Fructuum, seù Distributionum.

PRO

Capitulo Cathedralis.

CVM

Canonico.

Casus disputatus coram Præfecto Signaturæ Iustitiæ.

Qualem iurisdictionem habeat exequutor in partibus deputatus in exequutorialibus Auditoris Cameræ, vel alterius Tribunalis Curiæ.

Et qualem iurisdictionem in ciuilibus habeat Iudex criminalis eiusdem Tribunalis A. C. Et incidentèr quales dicuntur fructus Canonicatus, & quales distributiones quotidianæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Damnatur introductio aliquorum incidentium in Rota, & de ratione.*

3 *De materia attentatorum cum distinctione, in quibus rigorosè procedatur, & in quibus non.*

4 *Quod Signatura Iustitia soleat circumscribere aliqua malè, & perperam gesta.*

5 *Iudex criminalis non habet iurisdictionē in ciuilibus, & in quibus se ingerere possit, qua concernant interesse ciuile.*

6 *An, & quando sententia ex defectu citationis sit in totum nulla, vel è conuersò sit valida, sed non afficiat non citatos.*

7 *Defectus iurisdictionis, qui est in delegante, magis esse dicitur in delegato.*

8 *An, & quando distributiones succedant loco fructuum, & præbendæ.*

9 *Qualem iurisdictionem, & potestatem habeant exequutores literarum Auditoris Cameræ, vel Rotæ, aliorumque Tribunalium Curiæ.*

DISC. CXV.



NQVISITVS N. Canonicus Cathedralis Maioricen̄ de homicidio, appellando à quodam decreto facto per Episcopum, & adiunctos ad præscriptum decreti S. C. T. de quo *in Miscellan. Eccles. disc.* 24. *& disc.* 44. *in adnot. ad idem Concil.* cau-
1 sam introduxit in Tribunali A. C. vbi se constituit, atque ser. ser. prodijt sententia pro crimine iam probato, & confessato, sed excusabili ex quibusdam causis, condemnatoria ad relegationem per triennium; In eadem verò sententia declaratur, illum non cecidisse á Canonicatu, sed in illo manutenendum fore, nec non ei deberi fructus, non tamen distributiones quotidianas decursi triennij, in quo ex dicta causa á residentia abfuerat, ac etiā in futurum pro tempore, quo ex causa condēnationis abesse contigerit; Atq; pro huius sentētiæ exequutione, seruatis solitis terminis in iudicatū transactæ relaxatis exequutorialibus in forma consueta; Quidā Abbas in partibus assumendo munus exequutoris de facto, nullo iuris ordine seruato, mandauit Capitulo, & Canonicis sub comminatione censurarum, vt intrà breuem terminum restituere deberent præfati Canonici adhuc absentis Procuratori totum id, quod pro tempore eius absentiæ percepissent pro rata, quæ ad dictum Canonicum spectasset, si præsens fuisset, prout cum ea simplicitate, quæ in partibus regnat, metu censurarum sequutū fuit; Iniunxit tamen Capitulum eius Agentibus in Curia, vt istud grauamen apud Superiores deducerent, ac tollere, seù reficere curarent, quaré obtenta fuit commissio appellationis simplicitèr in Rota, cui tamen se opposuit dictus Canonicus, vel eius Procurator, quasi quod non esset talis actus, à quo appellatio simpli-

simplicitèr esset admittenda, vtpotè gestus per exequutorem, pro exequutione mandati iam relaxati, siuè exequutorialium, vndè introducta desupér disputatione coram Cardinali Præfecto, seù Auditore Signaturæ Iustitiæ, iuxtá stylum, atque requisitus ex parte Capituli ad scribendum pro dictę cōmissionis substentatione, ac relaxatione.

Respondi, quod nimis vrbanè egerant pro Capitulo agentes, eligēdo hanc longiorem viam dictæ commissionis in Rota, quam non consuluissem, si desupèr meum expetitum fuisset iudicium, adeóvt oppositor contra proprium commodum laboraret; Istam namque viam magis longam, magisque incommodam, ac dispendiosam dicebam ex pluribus;
2 Primò quoniàm ita oporteret diù expectare transportationem Actorum, ex remota regione insulari, vndè faciles redduntur excusationes, ob difficultates itineris maritimi; Secundó, quia iuxta enarrata *disc.32. in Relat. Curiæ*, in hoc Tribunali nihil determinatur absque particulari disputatione dubij, ac editione decisionis, aduersùs quam noua audientia frequentiùs concedi solet, ac propterea notabile tempus teritur; Et tertió, quia licèt Signatura simplicitér committente causam appellationis, ita declaretur causa de sui naturâ appellabilis, cum retrotractione, ac propterea
3 de consequenti resultat censeri attentatum totum id, quod medio tempore gestum sit, vt aduertitur *disc.18. & 37. de indic. & disc.31. in Relatione Curiæ, & alibi*; Attamen qnando non agitur de attentatis claré culposis, & quæ propterea dicuntur facti, qualia sunt illa, quæ committantur in spretum claræ, & expressæ inhibitionis, sed agitur dē istis, quæ iuris dicuntur, vtpotè ex legis rigore, ac subtilitate resultantia, & quæ sine culpa positiua, ex ignorantia, & erronea credulitate frequentiùs committi solent, vt aduertitur *eod. disc 37. de indic. & alibi*, benigniùs proceditur, vel cum eorum reiectione in fine litis, vel in hoc Tribunali demandando videri de bono iure, etiam ad effectum illorum reuocationis, ac propterea res in longiùs protrahitur, atque implicitè peragi dicitur iudicium in negotio principali.

Meliorem itaque viam esse dicebam illam petendi in eodem Tribunali A. C. in ciuilibus, vel magis ad rem in eodem Tribunali Signaturæ annullationem, seù
4 circumscriptionem omnium, vt supra gestorum de facto, & tanquam per speciem spolij violenti, idque de iustitia concedi debere dicebam, etiam cum sensu veritatis, ob notoriam, ac certam gestorum infectionem more potiùs priuati prædonis, & spoliatoris, qui censuris, & clauibus abutatur, tàm ex defectu omninò inordinati processus, quàm fortiùs ex altero defectu magis substantiali iurisdictionis, quæ itá duplicitér deficere dicebatur, tàm scilicèt in Iudice delegante, qui dictas exequutoriales in vim eius rei iudicatæ concesserat, quám in dicto delegato, siué executore, hoc etenim Tribunal Supremi Principis vicès exercere dicitur, *vt eod. disc.31.* aduertitur, ideóque id, quod perperam de facto gestum est, de facto retractare debet.

Quatenùs enim pertinet ad delegantem, cùm sententia esset Locumtenentis Criminalis, atque in hoc Tribunali distributa sit cognitio causarum, quod ciuiles cognoscuntur per Locumtenentes ciuiles, criminales verò per istum Locumtenentem criminalem, vt insinuatur *disc.34. in relatione Curiæ*, agendo de
5 hoc Tribunali; Hinc sequitur, quod Iudex criminalis iurisdictionem nō habeat in cognitione causarum ciuilium, vt aduertitur supra *disc.79. num.3.* solùmque ad summum ei conceditur iudicare super illis effectibus ciuilibus, qui sunt per necessè connexi cum causa criminali, cuius sint dependentes, & accessorij, putá, an pro delicto intret vltrá pœnam criminalem refectio damnorum, & interesse Partis offensæ, vel an debeantur caualcatæ, aliæue expensæ, cum similibus; Atque ad rem nostram poterat, quoad concernentia Canonicatum, eiusque fructus, & emolumenta, se ingerere in declarando id, quod de iure inesset, quod scilicèt non esset crimen tale, quod pro eo intraret priuatio Canonicatus, eiusq; fructuum, & emolumentorum, sed quinam sint fructus, & quæ sint distributiones, ac etiam super coactione eorum, qui fructus perceperint, quinimó etiam super puncto, an absens ex eius culpa, ob crimen, seù patratū, lucretur nec nè fructus,

fructus, in hoc nullatenùs poterat se ingerere, atque processisse dicitur fine iurisdictione, quamuis de rebus merè prophanis ageretur; Multò verò magis, dum de rebus spiritualibus, & licèt verè, & propriè non beneficialibus, cùm non agatur de titulo beneficij, attamen de connexis, & dependentibus.

Et nihilominùs, quando etiam in ipso Iudice, qui sententiam tulit, atque exequutoriales relaxauit, adesset iurisdictio adhuc sententia, & consequentèr exequutoriales nullatenùs afficere poterant Capitulum, vtpotè nullatenùs citatum, & auditum; Quamuis etenim Scribentes in contrarium dicerent, ac probarent, quod nulla necessaria fuisset citatio Capituli, vtpotè nullum habentis interesse;
6 Attamen dicebam id rectè procedere quoad ea, quæ pertinebant ad causam criminalem, & an inquisitus esset absoluendus, siuè grauiùs, aut leuiùs puniendus etiam circa priuationem, vel respectiuè retentionem Canonicatus, cùm ad huiusmodi effectus sufficiat citare Partem offensam, & Fiscum tanquam principalitèr interessatos, sed quoad alia, quæ non sint necessariò annexa, & consequutiua, iuxtà distinctionem, de qua supra *hoc eodem tit. disc.2. 13. 22. & in alijs*, & præsertim *disc.9. de iudic.* defectus citationis non operatur genericam, intrinsecam nullitatem sententiæ in totum tanquàm ex deficienti substantiali, ac necessario requisito citationis partis, ita, & talitèr, quod quando agatur de indiuiduis, vel connexis, ob omissionem citationis alicuius, resultet nullitas, etiam respectu citatorum, vt in locis mox citatis, sed solùm operatur, vt ea cum interessatis, & contradictoribus valida existente, non afficiat, & non comprehendat alios ad causam non euocatos, quorum respectu causa remanet omninò integra, ex regula *tex. in l. sæpè, ff. de exec. rei iudic.* de re inter alios acta, &c.

Clarior autem erat defectus delegati, vel exequutoris; Tùm quia in eum influunt omnes dicti defectus, qui consi-
7 derantur in delegante, tanquàm à fonte influentes in riuulum; Tùm etiam quia totum id, quod ab ipso gestum erat, sub eius delegatione, ac iurisdictione non cadebat, dum in ipsamet sententia expressè exceptuabantur distributiones quotidianæ, & meritò, quoniàm, vt expressè cauetur *in Decreto S. C. T. sess.24. de Reform. cap.12.* ratione interesse, vel præiudicij Ecclesiæ, & Diuini cultus, distributiones quotidianæ accrescere debent interessentibus, & inseruientibus adeò rigorosè, vt neque voluntariè remitti, & condonari valeant, vt aduertitur in suis sedibus *sub tit. de Canonic. & in adnot. ad Concil. Trid.*

Et quamuis Scribentes in contrarium nimium insisterent in assumpto, de quo *disc.10. de Iurep.* & frequentiùs *sub titulo de Pens.* præsertim *disc.23. & 61.* quod
8 vbi non adsunt præbendæ separatæ, distributiones quotidianæ succedunt loco præbendæ, atque habentur loco fructuū, vbi præsertim sint massæ grossæ contradistinctæ à minutis, & verè quotidianis; Attamen, vltrà quod id neque procedit, quando viuatur per punctos ad mensurā seruitij, vt locis citatis aduertitur, punctus est in contradistinctione huiusmodi specierum, ac singularum liquidatione, quid scilicèt, & quantum vnæ, & quid aliæ importarent, & an constaret de dicta præsuppositta negatiua præbendarum, ac de perceptione illarum, quæ non caderent sub dicto iure accrescendi, hæc etenim omnia indigebant particulari iudicio ser. seru. & citato Capitulo coram Iudice competenti, qualis dici non poterat dictus executor, vtpotè ad nudum factum executionis, eiusque con-
9 sumationis deputatus, vltrà quod se ingerere non potest, ex deductis *decis.515. ex num 33. par.5. recent. decis.38. par.11. cum alijs disc.40. num.102. de iudic.* & in his terminis huiusmodi personarum in aliqua dignitate constitutarum, quæ ob genericam delegationem contentam in literis Auditoris Cameræ, vel Rotæ, aliorumque Tribunalium Curiæ sibi de facili assumunt titulum Apostolicorum delegatorum, & Commissariorum, ità maiorem auctoritatem sibi assumendo, & exercendo, quàm habeant, vel exerceāt eadem Tribunalia, quæ literas expediunt, aduertitur *d. disc.34. in Relat. Curia*, ideòque ob euidentem nullitatem totum dicebatur gestum more prædonis à viro priuato, & per consequens, vt de plano intraret circumscriptio, & reuocatio de facto.

Romana Iurisdi-ctionis.

Discursus prout editus fuit.

De iurisdictione, & potestate Collegij Cardinalium Sedevacante.

SVMMARIVM.

1 *Negliguntur superflui apparatus.*
2 *De electione Papæ remissiuè.*
3 *De puncto principali iurisdictionis, & de distinctione temporum.*
4 *De auctoritate* Fagnani, *& quod ei deferendum sit.*
5 *De pluribus personis formalibus concurrentibus in Papa.*
6 *In quo discordent Bulla Pij IV. & Constitutiones Gregorij* X. *& Clem.V.*
7 *Declaratur de qua specie iurisdictionis loquantur dictæ Constitutiones.*
8 *De argumentis ad probationem assumpti.*
9 *Obseruantia est deferendum.*
10 *Respondetur contrarys.*
11 *Conclusio discursus.*
12 *Quænam sit vera ratio huius prohibitionis.*

DISC. CXVI.



EGLECTIS illis inutilibus, ac superfluis apparatibus, qui prò tractationum ornatu præmitti solent, atque strictè, quo breuiùs fieri po-
1 test, adeò grauis materiæ substantiam peragendo, solum in hoc discursu de ijs agitur, quæ vtriusque Pontificis spiritualis, & prophani Principatus regimen, ac administrationem, Papali Sede vacante, concernunt, vt deficientis Papæ vices, ac partes, in eo, quod necessitas, vel oportunitas exigat, à Sacro Cardinaliũ Collegio suppleatur, atque vtrique spirituali, ac temporali viduatæ Reipublicę indemnitati consulatur, nè aliàs interim administratore omninò destituta remaneat, cum viduæ donèc alium virum habeant administratoribus quoque indigeant.

Non agitur autem de electione Summi Pontificis, cùm id extrà propositum sit, ac etiam quia recentes Consti-
2 tutiones Gregorij XV. & Vrbani VIII. adcò prudentes præscripserunt regulas, & ordines, multaque dubia recentèr pertractauit *Passerinus in eius Opusculo de hac electione*, atque aliquid à me insinuatur *disc. 3. in relatione Curiæ*; Potissimè verò quia reverà nõ est materia capax discursus, vel tractationis generalis, & in abstracto, sed quod potiùs in casuum contingentia, super ijs præcisè, & in concreto respondendum veniat.

Quatenùs itaque pertinet ad officium, potestatem, & iurisdictionem Sac. Collegij Sedevacante, *Fagnan. in cap. cum olim de maior. & obed. ex num. 3. ad 62.* plenè id examinat, atque plures referendo anti-
3 quorum Canonistarum opiniones, illam præsertim *Hostien.* qui omnium latiùs, & accuratiùs eam examinat, & qui fuit Cardinalis, ideóque meliùs, quàm alij priuati Scriptores informatus, ex eodem *Hostien.* ad plures infert conclusiones, deindèque plura distinguit tempora, primum nempè antiquiùs ante Constitutionem Greg. X. editam in Concilio Lugdunensi, *registrat. in cap. vbi periculum de elect. in 6.* Alterùm post istam Constitutionem, vsque ad alteram Clem. V. in Concilio Viennensi, *registrat. in Clementin. ne Romani de elect.* Et tertium ab ista Constitutione ad illã Pij IV. *Const. 63.* cum qua in hoc proposito viui, ac procedi videtur, vt latiùs, & commodiùs apud eum videri potest.

Quamuis autem hic Auctor sit quidẽ doctus, ac eximius Canonista, cuius auctoritati nimium inter Modernos defetendum est, quoniàm non solùm theoricè doctissimè, ac fundatè scripsit, di-
4 ligentèr expendendo antiquorũ Canonistarum sententias, sed etiam practicè, quia per sexaginta annos, & vltrà in primarijs Romanæ Curiæ muneribus, & grauioribus negotijs versatus est, adeóvt collocari vtique non mereatur in classe modernorum Canonistarum, qui cum improbo labore aliena dicta indigestè transcribendo, vtpotè nullam Curiæ praxim, ac negotiorum experientiam habentes,

bentes, Collectores potiùs dici merentur.

Nihilominùs, reseruata omni maiori, quam de iustitia, ac etiã ex genio ei profiteor, reuerentia, mihi non satisfacit, quoniam procedendo cum sensu antiquorum Canonistarum, quos, vt præmissum est, diligentissimè reassumit, loquitur cum nimia generalitate, nimiumque in abstracto de Papa, vti Papa, & de regimine Ecclesiæ vniuersalis, in quo propriè cadit quæstio, an Collegium Cardinalium ad instar Capituli succedat, & an dicatur constituere vnum, & idem corpus cum Papa, quo præsupposito retento procedunt ea, quæ per ipsum deducuntur.

Mihi verò, inhærendo ijs, quæ obitèr, ac succinctè aliàs dixi *in Relatione Curiæ lib.15. disc.3. num.28. & seqq. & num.39. & seqq.* reflectendum videtur ad distin-
5 ctionem plurium personarum formaliũ, quæ in persona materiali Papæ concurrunt, illæ siquidém quatuor sunt, Prima nempè, ac principalis omnium maior est illa Papæ, vel Summi Pontificis Christi Vicarij, & Ecclesiæ vniuersalis Sponsi, & Pastoris. Altera Patriarchæ Occidentis. Tertia Episcopi particularis Vrbis, eiusque districtus, vel territorij. Et quarta Regis, vel Principis Sæcularis temporalis Ditionis Ecclesiæ, atque his iuxtà vnam opinionem addi potest, quinta persona Metropolitani maioris, vel Primatis Italiæ.

Vt de distinctione inter personam Papæ, & illam Episcopi Vrbis, vt per concessiones ad hanc posteriorem referibiles, non censeatur derogatum Apostolicis Constitutionibus, neque concessum id, quod ab Ordinario loci concedi non potest, maturè discusso articulo firmauit recentèr *Rota decis.54. par.13. recent.* & aduertitur *disc.32. de Regular. lib.14.*

Et de altera distinctione inter eandem personam Papæ, & illam Regis, vel Principis Sæcularis, habetur etiam apud antiquos Canones *cap.cum inter 18.de elect.* atque docet quotidiana praxis in Ægidiana Constitutione, in Statutis Vrbis, alijsque similibus, *decis.52. par.12. rec. & in alijs relatis disc.22. de dote*, candemque distinctionem inter personam Papæ, & illam Patriarchæ, vel respectiuè Episcopi, benè comprobant tot leges, vel Epistolæ Imperatoris Iustiniani, aliorumq; Imperatorum residentium in Cõstantinopolitana Ciuitate, registratæ in volumine *Authenticorum*, vel *Nouellarum*, ac etiam *in Codice*.

Ista itaque distinctione posita, ac etiam prænotato, quod omnes præfatæ Constitutiones Greg. X. Clem.V. & Pij IV. super hoc puncto iurisdictionis, & potesta-
6 tis Collegij Sedevacante coincidunt in idem, præter quàm in duabus differentijs ponderatis ab eodem *Fagnano in eodem cap. cum olim de maior. & obed. num.6.* Primò nempè, quod priùs ad effectum iudicandi, an intraret limitatio grauis necessitatis, necessarius erat consensus omnium Cardinaliũ, nunc veró per Bullam Pianam sufficit ille duarum ex tribus partibus; Et secundò, quod iste consensus non habebat certam formam, hodie verò ex dicta Bulla debet esse per secreta suffragia.

Probabilitèr dici posse videtur (saluo tamen saniori iudicio eorum, ad quos pertinet, cui me submitto) vt prohibitiones, quæ in præfatis Constitutionibus continentur, strictiùs præsertim in
7 posterioribus Clem.V. & Pij IV. intelligendæ veniant de pertinentibus ad primam personam Papæ, vti Papæ, circà illam supremam potestatem, quam Christus Dominus singularitér Petro, eiusque successoribus dedit, vt ea socium, vel participem cum coæquali, ac independẽti iure non admittat, iuxtà veriorem sententiam sub Innocentio X. solemnitér, & maturé canonizatam, occasione damnandi opinionem illorum, qui volunt Paulum fuisse coæquali iure socium, & participem administrationis Ecclesiæ, cũ Petro. Secus autem in ijs, que pertinent ad alias tres, vel quatuor personas Patriarchæ, Primatis, Episcopi, & Principis Sæcularis, cùm desupèr nulla dignosci videatur prohibitio, sed potiùs assistant congruæ, nimiumque probabiles rationes.

Atque cum hac distinctione rectè conciliabiles videntur tot Canonistarum, & Ciuilistarum, ac etiam Theologorum diffidentes opiniones diligentér relatæ, & expensæ per *Faguan.* vbi supra, præsertim super puncto, an Cętus Cardinalium dicatur, nec né Capitulum Ecclesię vniuersalis, & an vnum, & idem corpus Eccle-

Ecclesiæ repræsentatiuum efformet cum Papa, qui sit caput, ipsi autem membra, eo modo, quo in Episcopo, & Capitulo Cathedralis, vel in Principe, & Senatu habetur, quoniàm tanquàm omninò verior tenenda est sententia negatiua quoad personam Papæ, vti Papæ, & quoad regimen, & administrationem Ecclesiæ vniuersalis, sed nulla implicantia, nullaque probabilis ratio adest, cur in alijs inferioribus, ac subordinatis personis Patriarchæ, Episcopi, & Principis id non sit affirmandum eodem modo, quo in alijs Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesijs, atque in tot Regnis, & Principatibus procedit, quoniam illæ peculiares rationes, quæ negatiuam suadent in prima persona Summi Pontificis, super supremo, ac absoluto vsu clauium, istis alijs personis inferioribus non adaptantur.

Probari autē id videtur ex pluribus. Primò quia omnes prædictæ Constitu-
8 tiones loquuntur de Summo Pontifice tanquàm Pastore Ecclesiæ vniuersalis, vt earum contextus literalitér probat, & præsertim nouissima Constitutio Piana, quæ latiorem habet prohibitionem in proemio, ibi, *qui cæteris Pastoribus est præfuturus, & totius Dominici gregis curam habiturus*, ideòq; respiciunt munus Pontificium, non autem alia inferiora.

Secundò quia eædem Constitutiones ad literam loquuntur de ijs, quæ singularitèr supremę Pontificiæ dignitatis ratione ad Summum Pontificem pertinent, *vt in Clem. ne Romani*, ibi -- *irritum, & inanè decernētes quidquid potestatis, aut iurisdictionis ad Romanum, dum viuit Pontificem pertinentis &c.* Et in Constitutione Pij IV. §. 6. ibi - *Sed is autē vacatione durante, Collegium Cardinalium in ys, quæ ad Pontificem Maximum, dum viueret, pertinebant, nullam omninò potestatem, aut iurisdictionem habeat.*

Tertiò, quia nulla suadere videtur legalis, vel naturalis ratio, vt primus Senatus, ac dignior cętus, qui sit in Mundo, deterioris conditionis esse debeat, ac minoris auctoritatis, quam sit quodlibet Capitulum aliarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum, vel respectiuè Senatus, aut consilium cuiuslibet Principatus.

Quartò quia ex earundem Constitutionum præscripto, ita etiam obseruantia, & praxi docentibus, non cessat potestas, & iurisdictio Sacrarum Congregationum, & Pœnitentiarij, Camerarij, Vicarij, Auditoris Cameræ, & Gubernatoris, ac Senatoris Vrbis, & similium, nec non Rotæ, & Cameræ, aliorumque Tribunaliū Curiæ, & Legatorum, ac aliorum extrà Curiam, vt de adhuc durante potestate, & iurisdictione Sacrarum Congregationum, laté idem *Fagnan. in eodem cap. cum olim, ex num. 63. ad fin.* Igitur nulla ratio suadet cur maiorem iurisdictionem, potestatem, & prærogatiuam habere debeant membra, & partes, quàm totum corpus.

Quintò in idem quoniam si damus prædictos Magistratus maiores, aliosque minores, qui interim vtramque Rempublicam administrent, omninò congruit dari omnium Superiorem, ad quem recursus haberi valeat, né aliás Magistratus, ac Iudices, & Ministri euadant supremi, ac dispotici tyranni sine superiore; Igitur oportet dare Superiorem cum iurisdictione, & potestate in omnibus ijs, quæ sub prædicta iurisdictione, potestate, & administratione cadunt, quod vtique incompatibile est, cum dictis verbis adeó generalibus, & effrenatis Pianæ Constitutionis, vt nullam omninò habeat potestatem, & iurisdictionem, cùm iuxtà vulgaria axiomata cumulata per notorios Collectores, quos in subiecta materia indecorum est recensere, verbum *nullus*, & verbum *omninò*, quamuis disiuncta omnem casum excludunt, multó magis simul iuncta. Igitur ad contradictionem, vel fatuitatem, aut impracticabilitatem à Pontificia Constitutione excludendas, per necessé dicendum est intelligi de ijs, quæ singularitér ad Papam, vti Papam super supremo clauium vsu priuatiuè ad quemcumq; pertinent.

Sextò paritér in idem, quoniàm in ijs, quæ sunt singularia, & priuatiua supremę potestatis pontificię, nullum dilatio, vel mora causat inconueniens, Nil siquidém refert seriùs, vel citiùs fieri nouarum Cathedralium, seù Metropolitanarum Erectiones, Conciliorum generalium conuocationes, nouarum Religionū approbationes, Seruorum Dei Canonizationes, Cardinalium, & Episcoporum creationes, Electionum confirmationes,

refer-

reseruatorum beneficiorum collationes, concedi matrimoniales, & alias dispensationes, aliaque huiusmodi fieri, quæ pontificiæ potestatis videntur propria, & singularia, & quæ possunt quidém, sed raró solent alijs in exercitio inferioribus, non autem in habitu communicari, & cōpetere; Atque hoc est, quod propriè determinare voluerunt præfatæ Constitutiones, præsertim verò duæ publicationes Clementis, & Pij, ad dirimendā nempé quæstionem apud antiquos vigētē super potestate faciendi hęc, & similia, & præsertim circa potestatem creandi Cardinales, vt ex relatis ab enunciato *Fagnano* patet, atque de plano respondetur omnibus contrarijs.

Ac demúm vbi etiam id esset dubium omnem dirimit quæstionem obseruantia per sæculum, & vltrà, post æditam dictam Constitutionem, quoniam cùm ista
9 adhibeat præmissa verba, duplicem, ac omnimodam negatiuam potestatis, & iurisdictionis redolentia, vtique fieri non potuissent ea, quæ in omnibus vacationibus facta esse legimus, & vidimus; Obseruantia etenim est optima legum, & Constitutionum interpres, vt *decis.* 59. *n.*12. *p.*10. *rec. cum alijs disc.* 21. *de iudic. lib.*15. *num.*7.

Accedente quoque alio vulgari axiomate, quod nouæ leges ita intelligi, ac interpretari debent, vt quominùs fieri potest ea, quæ de iure communi competunt, tollantur, & corrigantur, atque minora oriantur absurda, & inconueniētia, vt in proposito sequeretur, tùm quia maior esset potestas partium, & membrorum, quàm corporis, vt suprà; Tùm etiam quia maximum esset paritér insinuatum inconueniens, quód Magistratus, & Officiales non haberent primum, ac maiorem superiorem, potissimé vbi diuturna contingeret vacatio, quam biennalem, & vltrà quandoque fuisse docent historiæ iam notæ.

Nec alicuius momenti est, quod inanis remaneret exceptuatio in eisdem Constitutionibus contenta, quando ne-
10 cessitas vrgeat, quoniam ista referibilis est ad præmissos actus, qui sint singularitér, ac præcisé pontificiæ dignitatis, putá quando incerta sit Pontificis electio quia plures se prætendant electos, aut quod illa prætendatur simoniaca, conuocari potest á Collegio Concilium generale, ex relatis suprà *ab eod. Fagnan. in eod. cap. cum olim num.* 50. *Cohell. de notit. Cardinal. c.*16. *prin.*24. siuè deputari possunt Legati, vel Nuncij, vt iuxtà quamplura exempla, quæ in historijs, ac diarijs leguntur, atque nostra ætate practicari vidimus Sede vacante per mortē sa: me: Innocentij X. quod deputatus fuit à Collegio Nuncius ille, tunc dignissimus Prælatus, per cuius obitum ad sūmū Pontificatū euecti nūc sedes vacat.

Demùm nil obstare videtur, quod in eadem Piana Constitutione expressa mentio fiat de Statu temporali, vt etiam obseruat idem, *Fagnan. in eodem cap. cum olim num.* 62. quoniam id potiùs retorquetur, atque præmissa compro-
11 bat, quoniam respectu Status temporalis prohibitio est relatiua ad dictas alias Constitutiones, quæ restringūtur, ne de ipso Statu, eiusque Terris, & locis disponatur, committendo, vel omittendo, vt pro illorum temporum conditione quandoque sequi historiæ docent, quod etiam procedit attentis terminis generalibus Sacrorum Canonum prohibentium alienationes, aliasque notabiles, ac præiudiciales innouationes, Sede vacante; non autem circa illam administrationem, quæ necessaria potius, vt suprà videtur, atque cum hac personarum, & actuum distinctione, ista quæstio plana remanere videtur, ac rectè conciliantur antiquorum Canonistar um, & Legistarū, ac etiam Theologorum diffidentes opiniones, quæ ita diuersæ potiús, quàm contrariæ dici merentur; Non erat etenim opus circa Statum temporalem, & pecunias Cameræ descendere ad speciē, si præcedens latissima, & effręnata prohibitio per illa verba *nullam omninò* de quacumque iurisdictione, & potestate intentionis fuisset agere, ideòque, vt præmissum est Constitutio in hac parte potiùs retorquetur.

Concludendo itaque in ijs, quæ ad meré pontificiam supremam pertinent potestatem, nullam omninò iurisdictionem, & potestatem Collegium habet ad prædictarum Constitutionum limites, nisi in casibus, qui ab eis exceptuantur, in alijs verò, quæ inferiori foro Patriarcharum, Primatuum, Metropolitanorum, & Episcoporum, ac etiam cuiuslibet Prin-

cipis

cipis sæcularis iura, & potestatem pertinent, Collegium ad instar Capituli, vel respectiuè Senatus, ijs exceptis, quæ per Sacros Canones Sede vacante prohibentur, iurisdictionem, ac potestatem habere videtur tanquam in casu sub dictis Constitutionibus non comprehenso, & de quo antiqui Canonistæ per *Fagnan.* reassumpti non loquuntur.

In contrarium facere videtur ratio assignata in dictis Constitutionibus Gregorij X. & Clementis V. cum quibus pertransit vltima Piana, vt scilicèt ita
12 celeritèr Papæ electio sequatur, & ne aliàs Cardinales hac potestate, ac iurisdictione allecti, differant concludere electionem; Verùm id non videtur vrgere, quoniam ista ratio est generica, & adaptabilis omnibus, quæ disponuntur, non autem in specie super hac ademptione potestatis, & iurisdictionis, cui probabiliùs altera congruit ratio assignata initio Constitutionis Clem. V. *Clem. ne Romani* §. 1. *in princ. Ne indeterminata opinionũ diuersitas aliquod possit obstaculum, vel dilationem afferre* (sunt verba præcisa) atque explicat ibidem *Gloss. litt. G.* vt ita scilicèt decidatur præfata antiqua quæstio inter Canonistas, legistas, & Theologos eum tanta opinionum varietate disputata super iurisdictione Collegij in vsu clauium, & in ijs, quæ ad merè pontificiam pertinent dignitatem super regimine Ecclesiæ vniuersalis, quod nil commune habet cum præfatis alijs personis quarum iurisdictio, & potestas est limitata, & inferior, longèque minor, dum Canones de Sede vacante generalitèr loquentes, eam in multis, & præsertim in grauioribus restrinxerunt, ideòque præsumendum non est comparatione magni incommodi, quod carcer Conclauis eis præbet, vt per hanc inferiorem, nimiumque restrictam Capitularem, vel Senatoriam iurisdictionem, & potestatem electio differri debeat, cùm punctus reverà sit in suprema potestate pontificia, ac etiam in illa maiori Principis, vel Patriachæ, & Primatis, ac Episcopi, quæ adhuc Sede vacante in Capitulo, vel respectiuè in Senatu restricta est per Canones, *tot. tit. Decretal. & Sexti ne Sede vacante &c.*

Romana Castri Orciani.

PRO

Principe Burghesio.

Discursus pro directione.

An, & quam iurisdictionem habeant Iudices delegati Sede Papali vacante, & præsertim Auditores Rotæ; Et an citatio ad dicendum contrà commissionem, sit præcisè necessaria ad inducendam, & firmandam iurisdictionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Terminus Pro seruato, qui haberi solet in Rota vsque ad Congregationem Generalem.*
3 *Tribunal Rotæ, an quiescat Sede Vacante, præsertim in nonendialibus exequijs, & num. 10. & 13.*
4 *Citatio ad dicendum contra commissionẽ, an sit necessaria ad firmandam iurisdictionem, & num. seq.*
5 *De eodem.*
6 *Citationis defectus suppletur per comparitionem.*
7 *An actus subsequuti post commissionem debeant esse iudiciales.*
8 *De differentia vbi causa sit Rotalis, & vbi introducatur ab alio Tribunali.*
9 *Tribunal Rotæ dicitur Iudex Ordinarius.*
10 *De eodem, de quo supra num. 3.*
11 *Sententia prolata dicitur in ipsa die, in qua terminus fuit habitus Pro seruato, & transit in iudicatum ob non interpositam appellationem, ex tunc.*
12 *In die Congregationis Generalis Rotalis, quid propriè agatur.*
13 *De eodem de quo suprà num. 3. & 10.*
14 *Iudeces Delegati non indigent alia commissione Pontificis successoris.*



DISC.

DISC. CXVII.



CVM in ista causa, de cuius statu, & meritis agitur *disc.* 70. & 133. *de feud.* in secunda instantia *coram Emerix sub die* 22. *Iunij* 1676. prodijsset resolutio confirmatoria alterius proditæ *sub die* 24. *præcedentis*, per quam recedendo à contraria resolutione sequuta *sub die* 2. *Martij* 1674. approbata fuit prima resolutio coram eodem *sub die* 15. *Iunij* 1672. pro confirmatione sententiæ Rotalis; Hinc probabilitér sperando, quod in Congregatione generali habenda de stylo in fine mensis Iulij demandāda esset expeditio, concepta fuit citatio ad sententiam pro vltima Rota, in qua indictæ fuerunt feriæ generales, habita *sub die* 3. *Iuly*, & in qua haberur terminus pro seruato, qui
2 durat vsque ad dictam Congregationem generalem, vt aduertitur *disc.* 32. *in Relat. Curiæ*, & *disc.* 34. *de iudic. num.* 26. Cùmque sub die 22. eiusdem mensis Iulij sequuta esset vacatio Sedis Apostolicæ per mortem Clementis X atque durantibus exequijs nouendialibus *Rota* in iam destinata die eiusdem mensis tenuisset dictam Congregationem generalem, in qua istius, aliarumque plurium causarum demandata fuit expeditio, duplex exorta est difficultas, an expediret illam accipere, nec ne. Primò nem-
3 pè, quod iam quiescerent Tribunalia, istud præsertim Rotæ pro toto tempore vacationis Sedis; multò verò magis in isto nouendialium exequiarum termino, *ad tex. in l. interdum ff. de iudic.* Et secundò, quod in commissione appellationis interpositæ per Capitulum, à sententia Rotali in alia instantia lata per Albertū,
4 in hac instantia directa Emerix, non adesset citatio ad dicendum contra cōmissionem, ob quam illa effecta esset communis, ideòque diceretur deficere iurisdictio, vt apud *Peutinger. decis.* 344. *n.* 10. cum alijs, de quibus infrà, & *disc.* 8. *de iudic. num.* 26. & 27.

Quamuis autem neutra difficultas pro meo sensu haberet subsistentiam: Attamèn quia alij desupèr consulti nimiùm dubitabant, nullaque immineret necessitas faciendi hanc expeditionem, citiùs, vel seriùs, idcircò ego quoque in hunc deueni sensum, vt differretur ad se ponēdum in toto, quodque expectaretur cessatio vacationum, omniaque benè implerentur.

Ad ostendendum verò, quod difficultates non subsisterent, quodque verificaretur dictum *Psalmistæ*, quod *ibi trepidauerunt timore vbi non erat timor*, desupèr edidi discursum, præsertim super secunda difficultate deficientis citationis ad
5 dicendum contrà commissionem, quæ maiorem dabat ansam dubitandi; Atque in hoc puncto dicebam, quod conclusio in suis casibus erat vera, sed quod iuxtà frequentem stylum fallacia erat in applicatione. Ratio namque fundamentalis conclusionis ea est, quod ille, qui obtinuit commissionem, potest pœnitere, ac nolle vti, siue negare, quod ipse illam impetrauerit, & incapsari curauerit, sed quod id fieri potuerit à collitigante; Ideòque vbi ex subsequutis pateat de animo vtendi, & de approbatione illius incapsationis, vel exhibitionis, tunc ista citatio non venit amplius reputanda necessaria, dum ita iam impletus est ille finis ob quem desideratur, eiusque ratio cessat, vt apud *Vbald. decis.* 472. quæ reputari solet in materia magistralis apud *Dunozett. decis.* 66. & 124. & *decis.* 666. *num.* 6. *add. ad Gregor. decis.* 552. *num.* 7. *add. ad Buratt. decis.* 138. *lit. B.* & distinguendo apud *Bich. decis.* 171. *repetit. decis.* 264. *num.* 21. & *seqq. par.* 9. *recent.* & in alijs, & aduertitur *disc.* 8. *num.* 26. *de iudic.* atq; vbi istæ non adessent auctoritates, dicebam, quod deberet sufficere ipse naturalis discursus, ob cessantem, vel respectiuè adimpletam rationem, in qua conclusio consistit eo modo, quo gene-
6 ralitér habemus in citatione, quod quomodocumque malè concepta sit, si compareat citatus, purgatur omnis defectus, cum ita adimpletus dicatur eius finis, vt *disc.* 9. *n.* 46. *de iudic.* atque cum his terminis, istoque præsupposito proceditur apud *Peutinger. d. decis.* 344.

Et quamuis aliqui cum solito verè damnabili stylo superficialium, vel grammaticorum immorandi in sola littera auctoritatum, ac si essent verba legum obseruarent, quod apud *Peutinger. d. num.* 10.

7 *num.*10.adijciatur verbum *iudiciales*, quaſi quod non ſufficiant tot actus in iſta cauſa ſubſequuti quatuor, vel ſaltim trium acerrimarum diſputationum, cum tot expenſis, & diligentijs, & cum reportatione vnius reſolutionis fauorabilis, vt patet ex *d. diſc.*133. *de feud.* & quia omnes iſti dicuntur actus extraiudiciales, ex deductis *diſc.*32. *in Relat. Curiæ*, & alibi; Aduertebam tamen ibi dici, quia ſic illius caſus circumſtantiæ dabant, non autem, vt præciſè id neceſſarium ſit, cum nulla ratio, vel auctoritas id probet, nulloque iure cautum ſit; atque reverà iſta non eſt ſolemnitas ſubſtantialis, vel forma ſolemnis, ſed ſolùm forma probatoria voluntatis.

Ponderando etiam quod magna conſtituenda eſt differentia inter caſum, de
8 quo agitur in *d.deciſ. Peuting.* quod ſcilicèt ab alio Iudice, vel Tribunali in Curia, vel extrà, committatur de nouo cauſa in Rota, adeòvt illa commiſſio tribuat iuriſdictionem, non ſolùm Auditori particulari, ſed ipſi Tribunali in vniuerſum; Et caſum in quo cauſa ſit iam rotalis, atque diuerſitas inſtantiæ vera, & de facto non inducat immutationem aliquam, ſed ſolùm quamdam ſpeciem reuiſionis ſub diuerſo Ponente, cùm tunc dicatur continuatio in eodem Tribunali, in quo fixa, & radicata eſt iuriſdictio, atque cauſam eſſe commiſſam potiùs vni, quàm alteri Auditori redolere videtur quamdam ſpeciem diſtributionis inter eos, nō autem vt tribuat iuriſdictionem Tribunali, cui potiùs in genere commiſſiones directæ dicuntur, vndè dicitur Iudex or-
9 dinarius, vel reſpectiuè delegatus in vniuerſum, ex quo manat, quod vt aduertitur *diſc.*46. *in Relat. Curiæ*, & incidentèr alibi, occaſione cauſarum particularium in caſu impedimenti eius, cui commiſſio directa eſt, altèr à Decano ſine alia commiſſione ſubrogatur, atque vnus ſubſcribit ſententiarum loco alterius, neque neceſſaria eſt illa formalis tranſportatio actorum, quæ de iure, magis verò ex Concilio Tridentino requiritur pro forma ab vno Tribunali ad alterum, iuxtà deciſiones *Putei* 339. *lib.* 3. 340. & 442. *lib.* 2. cum alijs *in Nolana Parochialis* 12. *Ianuary* 1674. *coram Mattheio*, & in alijs.

Quo verò ad alteram difficultatem, quæ percutiebat nō ſolùm iſtam cauſam,
10 ſed omnes alias, quarum expeditio in dicta Congregatione generali demandata fuit, diſtinguebam quoque punctum in duas inſpectiones; Vnam nempè ſuper puncto magis particulari nouendialium exequiarum; Et alterum poſt completas exequias durante vacatione Sedis Papalis; Priori caſu, vel tempore, quando tunc ſententia iuridicè prolata eſſet, aliaque acta iudicialia geſta, tunc admittebam, quod difficultas eſſet conſiderabilis, cùm tunc omnia ferè quieſcant, atque generalitèr adaptari videntur omnia, quæ de exceptione nouendij luctus etiam inter priuatos habentur collecta per *Graff. de except.*3. *num.* 31. *cum ſeqq.* ſed adhuc eram in ſenſu, quod difficultas non intraret, quoniam ex ſtylo, de quo *diſc.*34.*n.*26.*de iudic. & d.diſc.*32.*in Relat. Curiæ n.*105. verè ſentētia prolata dicitur in ipſa die, in qua terminus habitus fuit
11 pro ſeruato, ità & talitèr, quod niſi infrà decem dies interponatur appellatio, ſententia tranſeat in iudicatum, quamuis illa de facto adhuc lata non ſit, quod licet videatur aſperum; Attamèn eſt re-
12 ceptum, & per conſequens in die Congregationis generalis nullus fieri dicitur actus iudicialis, ſed illa eſt quædam extraiudicialis adunantia, in qua per ſpeciem conferentiæ diſcurritur, an debeat, nec ne, publicari illa ſententia, quæ in vim ſtyli fingitur lata, & publicata, & ſic omnia geſta dicuntur ſub die 3. Iulij viuente adhuc Papa, qui ſupra vixit per alios dies decem, & nouem, ac proptereà dicebam, quod vel oportebat tollere hunc ſtylum de medio, illumque infectum declarare, vel quod difficultas non intraret.

Hinc non videbatur opus aſſumere in-
13 ſpectionem ſuper alio tempore, dum in priori, in quo maior cadebat difficultas, iſta vt ſuprà non intrabat; ſed quando de hoc agendum eſſet, aduertebam, quod licet aliqua dignoſci videatur diſcrepantia de more inter doctores, dum *Specul.in Rubr. de offic. ordin. n.*3. tenet vnam opinionem *Zabarell. & alij in Clemen. Auditor de reſcripts.* tenere videntur alteram ex relatis per *Gambar. de off. & poteſt. legati. lib.* 9. *ex num.* 63. quos & alios refert *Scacc. de appell. quæſt.*8. *num.* 160. nihilominùs de facto ſtylus inconcuſſus eſt, quod

quod istud Tribunal, prout & alij Iudices delegati abstinent, id autem referendum videtur potiùs stylo, quàm iuris dispositioni ob deficientem iurisdictionem per mortem delegantis, vt aliqui malè credunt, cum id non procedat in causis iam incæptis, ac etiam quia si ita esset, neque possent huiusmodi Iudices delegati post creationem Papę procedere, sed indigerent noua commissione, cuius contrarium docet inconcussa praxis, quod continuatur cum eadem, ac propterea resultat clara probatio, quod commissiones per mortem Papæ non expirarunt,
14 atque Constitutio 63. Pij IV. innouatiua decreti Concilij Viennensis, de qua *disc. precedenti* percutit Cardinales, qui debent esse occupati in electione Papæ, non autem alios Iudices, & Tribunalia, quæ in hoc nullam habeat partem; Stylus autem prædictus ex eo prouenit, quód antiquitùs non fiebant commissiones, vt hodiè, sed concipiebantur citationes nomine Papæ, tanquam coram ipso, cuius vice Auditor audiebat, & decernebat; Et per consequens si non aderat Papa, id remanebat de facto, & de iure impracticabile, sed postquam inualuit vsus commissionum, cessauit ista ratio, adhuc tamen continuauit stylus, cui propterea, & non alicui iuridicæ rationi, totum est deferendum.



S V M M A,

S I V E

COMPENDIVM

Eorum, quæ continentur in Libro Tertio Theatri de Iurisdictione, & Foro competenti.

I.

PROOEMIALIA.

De pluribus iurisdictionis generibus, vel speciebus respectiuè, alijsque generalitatibus ad materiæ præfationem. *à num. 1. ad 12.*

II.

De concursu vtriusque Fori Ecclesiastici, & sæcularis in genere, eorumque respectiuè competentia. *à num. 13. ad 31.*

III.

De controuersijs iurisdictionalibus Fori Ecclesiastici inter plures eiusdem Fori Superiores Magistratus contendentes inter se de iurisdictione actiua. *à num. 32. ad 49.*

IV.

De controuersijs paritér Fori Ecclesiastici, & inter Ecclesiasticos Prælatos, & Magistratus, vel subditos super iurisdictione passiua ratione exemptionis. *à num. 50. ad 62.*

V.

De controuersijs iurisdictionalibus inter plures eiusdem respectiuè Fori Iudices, & Magistratus super vnius maiori competentia, quæ illam alterius suffocet, vel cessare faciat. *à num. 63. ad 72.*

VI.

De plerisque alijs ad materiam iurisdictionalem pertinentibus. *à num. 73. ad fin.*

SVMMARIVM.

I.

1 *De duplici genere fori, & iurisdictionis Ecclesiastica, & sæculari.*

2 *Antiquis temporibus Papa erat caput Fori Ecclesiastici, & Imperator fori sæcularis in toto Orbe, hodiè verò in Ecclesiastico id procedit, sed non in sæculari, in quo quilibet Princeps est Imperator in suo Principatu.*

3 *De Magistratibus, & Officialibus subordinatis vtriusque fori.*

4 *De distinctione Ordinariorum, & Delegatorum.*

5 *De alia distinctione competentiæ, & incompetentiæ, vel maioris competentiæ.*

6 *De huius competentiæ generica distinctione inter forum Ecclesiasticum, & sæcularem.*

7 *De differentia inter incompetentiam fori sæcularis cum Ecclesiasticis, & fori Ecclesiastici cum sæcularibus.*

8 *De competentia speciali in quolibet respectiuè foro, vndè manet.*

9 De

9 *De accidentali incompetentia ratione exemptionis.*
10 *De diuisione Iudicum ciuilium, & criminalium.*
11 *De causarum connexione, vel praiudicialitate, quę competentiam, vel respectiuè incompetentiam causat.*
12 *Agitur prius de Foro Ecclesiastico.*

I I.

13 *Distinguuntur quatuor inspectiones competentia Fori Ecclesiastici.*
14 *De personis Ecclesiastico Foro subiectis.*
15 *Etiam Nouitij sunt persona Ecclesiastica ad effectum fori.*
16 *Clericus actor conuenit laicum reum in suo foro laicali.*
17 *De reconuentione Clerici actoris in foro laicali.*
18 *Clericus feudatarius subiacet Principi laico domino feudi in concernentibus feudum.*
19 *De alijs casibus, in quibus Clericus subiacet foro laicali.*
20 *De Clericis in minoribus, non habentibus requisita Concilij Tridentini.*
21 *Quando laici etiam rei sint de foro Ecclesiastico, eique subiaceant.*
22 *De militibus aliquarum piarum, vel Ecclesiasticarum militiarum an sint de foro Ecclesiastico.*
23 *De vxoribus, & filijs Clericorum Gręcorum.*
24 *De locis Ecclesiasticis, quę sint de foro Ecclesiastico, & non subiaceant laicali, vt sunt Ecclesia, Monasteria, Conuentus, & similia.*
25 *Quid de hospitalibus, alijsque pijs locis, vel Confraternitatibus laicorum.*
26 *Quę sint bona, & iura Ecclesiastica ad Ecclesiasticum forum pertinentia, & praesertim decima spirituales.*
27 *Quando bona laicalia, & indifferentia ratione persona Ecclesiastica sint fori Ecclesiastici, & quando non.*
28 *Quid in bonis de directo dominio Ecclesia, si quaestio sit inter laicos super dominio vtili.*
29 *De causis fori spiritualis, quanam sint.*
30 *De causis mixti fori.*
31 *De iurisdictione Papa in temporalibus.*

I I I.

32 *Papa non habet necessarium priuatiuum concursum iurisdictionis, & potestatis cum quibuscumque Prelatis, & Superioribus Ecclesiasticis.*
33 *Ideòque omnes praeuenire potest, vel ab eis auocare.*
34 *Sed non solet vti hac potestate, & de cognitione prima instantia ad Ordinarium spectante.*
35 *De ordine, seù gradualitate causarum secunda, vel vlterioris instantia.*
36 *De quastionibus iurisdictionalibus super iurisdictione actiua inter Ordinarios, vel Diacesanos, & inferiores Prelatos.*
37 *Omnia loca praesumuntur esse in aliqua Diaecesi, & Territorium separatum Nullius Diaecesis non praesumitur.*
38 *Quomodo ista qualitas Territorij separati probetur.*
39 *De differentia inter probationem per priuilegium, & alteram per immemorabilem.*
40 *Quale debeat esse priuilegium, & quod non sufficiat illud exemptionis passiua, à qua non infertur ad iurisdictionem actiuam.*
41 *De actiua iurisdictione ordinaria inferioris Pralati intrà alienam Diecesim, eiusque probatione.*
42 *De Differentia inter hos Pralatos, & de prarogatiuis eorum, qui habeant Territorium verè separatum, & Nullius.*
43 *De ys, quę Ordinarijs delegata sunt in locis subiectis his Pralatis.*
44 *De Superioribus Regularibus, alijsque localibus intrà Monasterij, vel Ecclesia fines, & ambitum, ac personas.*
45 *Vicarij generales, vel foranei non constituunt diuersam speciem Pralatura.*
46 *Minusque Capitula Cathedralium, vel Collegiatarum.*
47 *De Cardinalibus in eorum titulis, & de Archipresbyteris Basilicarum, alijsque Cappellarum, & locorum Protectoribus.*
48 *Episcopus potest in quacumque Diacesis parte Tribunal erectum habere, & subditos euocare, etiamsi essent plures Diaceses vnita.*
49 *Quid operetur loci distantia, vel asperitas itineris.*

IV.

50 *Episcopus, vel alter Ordinarius Diœcesanus habet fundatam intentionem cum omnibus Ecclesijs, & Clericis sua Diœcesis, atque hac sola iuris assistentia sufficit ad manutentionem.*

51 *De priuilegijs exemptiuis Regularium cũ actiua iurisdictione eorum Prælatorum.*

52 *Etiam aliquibus Ecclesijs sæcularibus id concedi solet.*

53 *Et de Monasterijs Monialium.*

54 *De moderationibus, quas hæc priuilegia exemptiua passa sunt.*

55 *In quibus vltrà generales moderationes, exempti subiaceant Ordinario, & præsertim Regulares in censuris, & alijs.*

56 *De alijs casibus, in quibus Regulares exempti subiaceant Ordinario loci.*

57 *De moderationibus exemptionum Monasteriorum Monialium.*

58 *De casu negligentiæ Prælatorum.*

59 *De exemptionibus accidentalibus ratione officiorum, vel munerum.*

60 *De exemptione resultante à suspicione, & de pluribus exemptionis speciebus.*

61 *Episcopus est competens in causa suæ Ecclesiæ, vel Mensæ, sed est recusandus.*

62 *Suspicio in persona Episcopi influit in Vicarium, vel Baronis in officialem.*

V.

63 *De causis ex quibus resultet competentia.*

64 *Aliud est agere de competentia vnius, in exclusionem alterius, qui sit incompetens, & aliud de maiori competentia plurium competentium.*

65 *De materia electionis, & variationis fori.*

66 *Data pari competentia præuensio attenditur, & quando hæc adesse dicatur.*

67 *Quod forus loci delicti alterius fori præuentioni quandoque præualeat.*

68 *In prima instantia inter plures Iudices electio est actoris, in alia verò appellantis.*

69 *Quando forus originis, vel domicilij non attendatur ob situationem bonorum in diuersis Principatibus, vel Diœcesibus.*

70 *Si hæreditas possideat bona in diuersis locis, vbi sit agendum iudicium hæreditatis, vel fideicommissi.*

71 *De causarum connexione, vel præiudicialitate.*

72 *Quomodo Iudex ciuilis inhibeat criminali, & è contra.*

VI.

73 *De potestate Papæ suprà Concilia generalia, eorumque derogatione.*

74 *De potestate temporali, ac iure territoriali Papa in toto mundo.*

75 *De iurisdictione Collegij Cardinalium Sede vacante.*

76 *De iurisdictione, & potestate Principum, & Magistratuum sæcularium cum Ecclesiasticis.*

I.

PROEMIALIA.

De pluribus iurisdictionis generibus, & speciebus respectiuè, alijsque generalitatibus ad materiam.



1 VRISDICTIONIS, ac fori magis generica distinctio est, inter forum spiritualem, seù Ecclesiasticũ, & prophanum, vel sæcularem; Ità ciuili, seù politico Orbe regulato ab his duobus fori, vel Imperij generibus, eo modo, quo materialis Orbis, à duobus cæli luminaribus Sole, & Luna regulatur; Primò assimilando spiritualem; Alteri verò sæcularem potestatem. A.

2 Pro antiquorum autem temporum statu eiusdem Orbis duo constituebantur Principes, primique vtriusque fori, ac potestatis Regulatores, á quibus alij Rectores, & Magistratus dependentiam haberent; Papa scilicèt cui Solis attributum

A *Tit. de præmin. disc. 26. & Miscellan. Eccles. disc. 1. & 2.*

tum congruit, & Imperator, cui illud lu-
nę;Hęc autē prima cōparatio Solis in Pa-
pa, hodiè quoque viget ob vnitatem ca-
pitis, quod socium, vel æqualem in
Catholica Ecclesia non admittit; B. Al-
tera veró non ità, dum in quolibet supre-
mo principatu hodiè discreta potestas
est, atque pluralitatem admittit ob eius-
dem Imperij scissuram, quæ tot, tantos-
que produxit sæculares Principes, quo-
rum quilibet in sua ditione Imperator
dicitur, tantamque habet in suo imperio
potestatem, quantam antiquus Romano-
rum Imperator in toto Orbe sibi subie-
cto habebat; Ideòque tot censeantur Or-
bes, quot sunt supremi, ac independen-
tes Principatus, in quorum quolibet, pro-
prio Principi præfatum Lunæ attributum
congruit, Sole verò spirituali omnes hos
Catholicos Orbes generalitèr, & vnicé
illuminante. C.

Quodlibet igitur ex his iurisdictio-
nis, vel fori generibus diuersas habet
sub se species discretas, quæ tanquam
3 sydera in hoc polytico Firmamento co-
ruscant comparatiuè àd duo maiora lu-
minaria; Ad illud scilicèt Papæ, in Pa-
triarchas, Primates, Legatos, Archiepi-
scopos, & Episcopos, aliosque Prælatos,
& Ecclesiasticos Magistratus diuiduntur;
Ad illud verò Principis sæcularis sunt
Præsides, Proconsules, Gubernatores,
Barones, alijque Magistratus, & Officia-
les sæculares, qui diuersas habent spe-
cies, Aliqui scilicèt in forma singulari,
& alij in forma collegiatiua, quam pro
nostri communicabilis Orbis moribus
constituunt Rotæ, Consilia, Parlamenta,
Senatus, & similia, sub diuersis vocabu-
lis pro varijs regionum moribus expli-
cari solita.

In eisdem vtriusque Fori Prælatis, vel
Magistratibus, diuersæ dignoscuntur iu-
4 risdictionis species; Aliquorum etenim
ordinaria, Aliorum veró delegata est
iurisdictio; siuè aliquorum est primæ,
aliorum veró est secundæ, vel vlterioris
instantiæ, ità proindè hoc iurisdictionis
genere in plures, ac diuersas species di-
stributo.

Supplem. Theatri Lib. 2. de Regal.

In singula item specie, altera quoque
distinctio subintrat, competentiæ, vel in-
5 competentiæ, siue eadem in omnibus po-
sita competentia, maioris vnius, quàm
alterius.

Competentia quoque eamdem recipit
6 magis genericam distinctionem vsque ab
initio insinuatam inter vtrumque gene-
ralem forum Ecclesiasticum, & sæcula-
rem, vt scilicèt in personis, vel causis ad
Ecclesiasticum pertinentibus, generali-
tèr quilibet fori sæcularis Iudex, vel
Magistratus incompetens reputetur; E
conuersò autem, in personis, & causis
fori sæcularis, quilibet iudex fori Eccle-
siastici sit incompetens, istaque dicitur
generica competentia, vel incompe-
tentia.

Ea tamen inter vtramque differentia
dignoscitur, vt in personis, & causis fori
7 spiritualis, ea iudicis sæcularis, habitua-
lis, ac omnimoda ex Partiū consensu non
sit prorogabilis; E conuersó autem ea
fori spiritualis in personis, & causis fori
sæcularis, hanc protogationem admit-
tat. D.

Specialis verò competentia in quoli-
bet foro cum proprio personarum, vel
8 causarum genere respectiuè, ex pluribus
manat causis, vel fontibus; Origine sci-
licèt, Domicilio, Contractu, Destinata
solutione, Delicto, Bonorum situatione,
Beneficio, & Feudo; Alijs quoque ex-
traordinarijs, siué accidetalibus existen-
tibus competentiæ causis; Consensus sci-
licèt vel prorogationis; Offensæ, vel tur-
batæ iurisdictionis; Offensarum aurium,
& susceptæ administrationis cum simili-
bus; Istæque generalitér ęqué vni, ac
alteri foro respectiuè in proprio genete,
seu sphęra congruunt. E.

Accidentalem è conuersó incompe-
tentiam producunt in eadem sphæra, vel
9 genere; exemptiua priuilegia, ob quæ il-
le, qui aliàs ex præmissis causis compe-
tens esset, incompetēns fiat; F. Eamdem-
que incompetentiam pro locorum, præ-
sertim verò magnarum Ciuitatum mori-
10 bus ciuilium, & criminalium causarum
diuisio producit, vt ciuilium iudex cri-
mina-

B. *d. disc. 1. Miscellan. & in Relat. Curia disc. 2.*

C. *Tit. de Regal. disc. 161.*

D. *d. disc. 1. & 2. Miscellan. Eccl. & hoc tit. pluriès.*

E. *hoc tit. disc. 28. & seqq.*

F. *ibid.*

minalium sit incompetens, & è conuersó criminalis ciuilium incompetens cẽseatur, quamuis eadem sit persona vtrique subdita. G.

Causarum connexio quoque, vel praeiudicialitas, incompetentem efficit eum,
11 qui aliàs competens esset, eius competentia ab alia maiori suffocata; sicut etiã
inter aequales vnius praeuentio legitimè sequuta, alios reddit incompetentes. H.

De vtriusque autem generis concursu prius agere congruit, quae scilicèt ad
12 vnum, & quae ad alterum pertineant forum, vt his praecognitis de concursu Magistratuum eiusdem fori respectiuè agatur.

II.

De concursu vtriusque Fori Ecclesiastici, & Saecularis in genere, eorumque respectiuè competentia, vel incompetentia inter se.

Spirituali, seù Ecclesiastico Foro priuatiuè ad saecularem incompetentẽ
13 cum illa habituali incompetentia, quae omnimoda dicitur, de Partium consensu non prorogabilis, subiacent aliquae personae, loca, seù bona, & causae; Ideóque quatuor distinctae desupèr cadunt inspectiones, super personis scilicèt, super locis, super bonis, & super causis.

Personae Ecclesiastico Foro, priuatiuè ad Saecularem Forum subiectae censen-
14 tur omnes illae, quae Ecclesiasticae, vel spirituali militiae in vtroque ordine, vel Clero, saeculari, & regulari adscriptae sint; In saeculari scilicèt per primae tonsurae assumptionem, magis verò per alios superiores ordines minores, ac maiores;
15 In regulari verò per illam formalem, ac solemnem habitus Regularis assumptionem futurae destinatae professionis praeparatoriam, per quam in formali statu nouitij, sub Regularium Superiorum obedientia constituatur, non autem per illã habitus assumptionem, quae deuotionis gratia fiat, in saeculo adhuc permanendo; Quamuis etenim Nouitij veri Religiosi non sint, personae tamen Ecclesiasticae ad hunc fori effectum reputantur. I.

In reis conuentis tamen, non autem in actoribus, haec priuatiua subiectio pro-
16 cedit, cum Clericus actor, laicum reum in suo laicali foro conueniat; L. Istaque conuentione praemissa, pro Regionum, vel Tribunalium stylis, qui varij sunt,
17 in eodem laicali foro quandoque datur eiusdem Clerici actoris reconuentio, in eo, in quo reus etiam existat; M. Quod tamen (vt praemissum est) certam non recipit regulam, cùm diuersam habeat praxim, cui deferendum videtur.

Eorumdem item Clericorum, vel Ecclesiasticarũ personarum, quamuis Reorum partes gerant, quandoque laicali
18 foro subiectio datur, ratione scilicèt feudi, quod ab eis obtineatur in ijs, quae ipsum feudum, eiusque dependentias concernant; N. Siuè ob enormitatem criminis, ob quam canones hoc fori pri-
19 uilegio eos denudarunt, vt in crimine praesertim veri, ac formalis assassinij statutum est, alijsque similibus, in quibus tamen certa, & generalis regula non habetur, ob diuersos Regionum, ac Principatuum stylos, vel mores, quibus siuè de iure, siuè de facto deferri debere, quandoque praxis docet. O.

Siuè vbi de ijs agatur Clericis, qui in minoribus tantùm ordinibus constituti,
20 atque de Ecclesiastico non prouisi beneficio, illis careant requisitis, quae Tridentinum Concilium ad hunc effectum necessaria reputauit, incessus nempè in habitu, & tonsura Clericali, cum seruitio Ecclesiae, cui sit addictus. P.

In laicis è conuerso, qui pro generali regula

G. *hoc tit. disc. 77. & 79.*
H. *hoc tit. disc. 74. & 76. cum seqq.*

I. *hoc tit. disc. 92. & tit. de Regular. disc. 43. & 49. & saepius.*
L. *hoc tit. disc. 62.*
M. *hoc tit. disc. 94.*
N. *tit. de feud. disc. 34. & 54. & hoc tit. dicto disc. 94.*
O. *d. disc. 94.*
P. *in annot. ad Concil. Trident. disc. 24.*

regula, laicali foro subiecti sunt, & qui vbi Rei sint, ad illum, non autem ad Ec-
21 clesiasticum trahi debent, Q. eiusdem Ecclesiastici fori subiectionem accidentalem inducit, Episcoporum, vel Cardinalium familiaritas, vel Ecclesiarum, & Monasteriorum seruitium, cui persona formitèr, ac pro maiori vitæ parte addicta sit; R. Idque paritér certam, ac generalem non admittit regulam, ob nimiâ diuersam Regionum, vel Principatuum praxim, cui deferendum venit, quando ea legitima sit.

In aliquarum Ecclesiasticarum, siué ab Ecclesia approbatarum militiarum, & Congregationum, aliorumque similium
22 piorum institutorum, quæ tamen veram Religionis formam non habeant, neque Religiosum, seù Regularem statum imprimant, quæstio cadit super earum comprehensione sub hoc genere Ecclesiasticarum personarum, cum quibus Ecclesiasticus forus priuatiuam habet com. petentiam; Id autem paritèr certam, ac generalem non admittit regulam, ob eādem Regionum, ac Principatuum diuersam praxim, cui deferri solet. S.

In ijs quoque locis, in quibus orientalium, seù Greci Ritus Clericorum vsus
23 habeatur, cum vxoribus, & filijs, quæstio item cadit, an persona Clerici vxori, & filijs istud fori priuilegium communicet, varijs varia sentientibus, quod paritèr á receptis locorum, vel Principatuum moribus, & praxi decisionem expectare videtur.

Sub altero veró locorum fori Ecclesiastici genere, extrà quæstionem cadunt
24 Ecclesiæ, & Monasteria, aliæve formales domus Regularium vtriusque sexus illæque domus Clericorum sæcularium, qui ad instar Regularium collegialitér, atque in quadam claustrali figura conuiuant. T.

Inuoluta quæstione cadente, in Hospitalibus, alijsque locis, quæ ad pietatis
25 opera erecta, & destinata sint, & in quibus laici piè se exerceant, etiam in diuinis, sacrisque functionibus, vt in Oratorijs, & Confraternitatibus, alijsque similibus institutis contingit; cum ea tamen distinctione, pro magis recepto sensu, quæstio decisionem recipere videtur, an cum Ecclesiastici Superioris legitima auctoritate, alijsque Canonum requisitis, loci, vel operis erectio sequuta sit, vt tunc Ecclesiasticam naturam sortiatur, ideóque de Ecclesiastici fori pertinentijs censeri debeat ipse locus, vel Vniuersitas; In singulis tamen, quoad ea, quæ eorum personam, ac bona concernunt, laicali perseuerante qualitate; His autē requisitis non accedentibus, piius quidē, non autem Ecclesiasticus locus veniat censendus, ideóque fori laicalis exemptionem non obtineat; Aduertendo tamen, quod in vtroque casu certa, & generalis regula non cadit, ob eamdem Regionum, & Principatuum diuersam praxim, diuersosque stylos, & mores. V.

In tertio bonorum, vel iurium genere, distinctio est, inter ea, quæ naturalitér,
26 & intrinsecè Ecclesiastica sint, qualia censentur iura spiritualium decimarum, vel causæ matrimoniales, & similia, vt in eis eadem priuatiua Ecclesiastici fori cōpetentia cadat, neglecta qualitate personarum, inter quas contentio sit. X.

Vbi veró de indifferentibus, atque de sui natura bonis, vel iuribus laicalibus
27 agatur, eadem competentia, á qualitate possessoris pendet, vt personam regularitér sequantur, eiusque foro subiaceant; Paritér veró id certam, ac generalem non habet regulam, ob eamdem praxis, ac morum diuersitatem; Potissimé veró, vbi ipsorum bonorū preuentio, vel subiectio fori laicali iam impressa sit, quia nempè post cæptum laicale iudicium, Ecclesiasticum possessorem obtineant, vel in eodem possessore status immutatio sequatur. Y.

Quæstione cadente, vbi Ecclesiæ, vel Clerici ius, vel dominium remotum, ac mediatum sit; Et contentio solùm inter
28 laicos, de vtili, vel subalterno dominio eertantes habeatur, vt in feudalibus, & emphytheoticis, seù liuellarijs bonis cōtingit,

Supplem. lib. 16. par. 1. de Iurisdict.

L 4

Q. *d. disc.* 62.
R. *hoc tit. disc.* 4. & 33.
S. *hoc tit. disc.* 45. & 92. & *tit. de Regular. disc.* 50.
T. *tit. de Regular. d. disc.* 50. & *per tot.*

V. *hoc tit. disc.* 40. *cum plur. seqq.* & *disc.* 95.
X. *tit. de decim.* & *de matrim.* & *hoc titulo disc.* 47.
Y. *disc.* 94. *hoc tit.*

tingit, quæ de Ecclesiarum directo do-
minio existant; Idque pariter certam nō
habet regulam, ob diuersam Regionum,
ac Principatuum praxim; Attamèn ni-
mia probabilitas illi videtur assistere o-
pinioni, quæ ad qualitatem habentium
proximum, & immediatum interesse re-
spicit, cum Ecclesia domina directa in
causa non existente, nullumque habente
interesse, eius proindè priuilegium com-
municari non debeat, quando super
vnius, vel alterius contendentium maio-
ri pertinentia sit quæstio. Z.

Causarum item quartum genus, quod
ad forum Ecclesiasticum pertinet, eas
29 complectitur causas, quæ propriè spiri-
tuales sint, siuè spiritualitatem concer-
nant, siuè animæ forum respiciant, vt
(ex: gr:) sunt illæ Ecclesiasticorū benefi-
ciorum, Fidei, censuratū, matrimoniorū,
spiritualium decimarum, vsurarum, quā-
do de vsuris agatur declarandis; iura-
menti directa obligatione, vel relaxatio-
ne, pariter vt iuris est, cum similibus, in
quibus tamen, vel Iuristarum subtilita-
tes, vel Principatuum leges, vel styli,
quamdam introduxerunt distinctionem
inter cognitionē facti, & illam iuris, siuè
inter spiritualitatem, & temporalitatem,
quasi quod forus laicalis in his quoque
causis, facti vel temporalitatis compete-
tiam habeat, ideóque remanet materia
certæ, & vniformis regulæ incapax, ob
nimiam varietatem praxis, super eiuus
commendabili, vel damnabili qualitate
integer veritati locus relinquitur, cùm
silentij sepulturā in hac præsertim mate-
ria veritatem pati necesse sit.

Ijs veró exceptis, in quibus hæc pe-
culiaris Ecclesiastici fori competentia
intret; In reliquis omnibus foro laicali
regula generalis assistit per huiusmodi li-
mitationes in reliquis firmata.

Tertia verò, seù mixta datur species
30 causarum, quæ mixti dicuntur fori, vt-
poté ad vtrumque Ecclesiasticum, & sæ-
cularem, siue spiritualem, & tempora-
lem quoad punitionem pertinētes, vt sa-
crilegij, vsurarum, adulterij, concubi-
natus, aliæve similes reputantur, vt inter
vtrumque forum eius qui præuenit, ma-
ior sit competentia, seù melior conditio;
non autem ipsius puncti cognitio, vel de-
cisio, vt iuris est; Pariter autem id certā,
ac generalem non recipit regulam ob di-
uersam Regionum, vel Principatuū pra-
xim, quæ vni foro priuatiuè ad alterum,
vbi de laicis agatur, cognitionem de fa-
cto defert.

Altiores, inter vtrumque forum ca-
dunt quæstiones territorij, vel Papalis
potestatis, etiam in temporalibus super
31 Principum, ac Principatuum institutio-
ne, destitutione, concessione, priuatione,
vnione, vel diuisione, alijsque similibus,
de quibus alibi occasione agendi de Pa-
pa, eiusque potestate aliquid insinuatum
est, ideóque ibi videndum. A.

III.

De controuersijs iurisdictionalibus fori Ecclesiastici inter plures eiusdem Fori Prælatos, & Superiores Magistratus contendentes inter se de iurisdictione actiua.

CVm Papa, si ipsius certa volun-
tas accedat, nulla remanet quę-
stio potestatis, ex parte aliorum Prælato-
32 rum, & Ecclesiasticorum Magistratuum
in ijs, quæ Ecclesiasticum, ac spiritualem
forum concernunt, siuè sint Episcopi,
alijve locorum Ordinarij, siuè Metropo-
litani, seù Primates, & Patriarchæ, siuè
Legati; Non datur etenim quæstio syde-
rum aduersùs Solem, neque fluminum ad-
uersùs mare, à quo ipsa manant; Est ete-
nim Papa vniuersi Orbis, & Ecclesiæ Ca-
tholicæ Episcopus, & Ordinarius, à quo
iuxtá veriores Catholicas opiniones,
omnes alij dependentiam habent; Ideò-
que volens, in vtraque contentiosa, &
voluntaria Ecclesiastica iurisdictione,
& potestate, atque tam in causarum co-
33 gnitione, quam in beneficiorum, & offi-
ciorum prouisione, Ordinarios, aliosque
Prælatos ad quos pertinet, præuenire po-
test, quinimó præuentas causas auocare,
vt per se ipsum cognoscat, vel alijs co-
gnoscendas committat.

Non solet autem potestatem hanc ad
exercitium deducere, nisi in magnis, &
34 grauioribus causis pro eius arbitrio,
quod

Z. *disc. 37. de iudicijs.*

A. *infrà num. 73. & seqq.*

quod certam generalem non habet regulam, cum à singulorum casuum circumstantijs id regulandum veniat, ideóque ad Canonum mentem à Tridentini Concilij decretis magis explicatam, idem Pōtifex, eiusque vice vtraque Gratiæ, & Iustitiæ Signatura, causas in prima instantia locorum Ordinarijs cognoscendas remittit, præuia quoque auocatione ab ijs, quibus iam delegatæ sint, nisi partium consensus, seù Prælati nimia negligentia, aliæuè circumstantiæ huius regulæ suadeant limitationem.

Multòque minus in causis primæ instantiæ, Legati, Primates, & Metropolitani se ingerunt, easque locorum Ordinarijs adimunt, cùm secundæ, vel vlterioris instantiæ ipsorum sit potestas, ac iurisdictio. B.

In vlteriori verò instantia, & postquā Ordinarius suo functus est officio, siuè
35 quod ob negligētiam, vel incidens grauamen, terminatione causæ principalis indignum se reddiderit, gradatim appellatio interponenda est, non autem omisso medio, atque per saltus, prætterquam ad Papam, illosque Romanæ Curiæ Magistratus, quos idem Papa ad id præfecerit, ad quos omisso medio appellatur. C.

Maiores autem iurisdictionis quæstiones inter Ecclesiastici fori Magistratus, Illæ videntur inter Diœcesanos, qui Ordinariorum vocabulo in iure explicātur,
36 illosque inferiores Prælatos, qui veram, Episcopalem, vel quasi, Diœcesim non habentes, Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem, & potestatem habere prætendant, cum alicuius, vel aliquorum locorum Clero, & populo priuatiuè ad Episcopum Diœcesanum, vel cumulatiuè, pro causarum natura, & qualitate.

Quamuis autem inuolutæ videantur huiusmodi quæstiones; Illæ tamen, facti potiùs, quàm iuris videntur, certam, ac generalem non de facili regulam habentes, vtpoté á singulorum casuum qualitate, & circumstantijs expectantes decisionem.

Illæ autem desupèr statutæ sunt communiores regulæ, pro casuum circumstantijs congruè applicandæ, vt ob generalem Orbis diuisionem in Episcopatus,
37 & Diœceses, huiusmodi inferiorum Prælatorum ordinaria iurisdictio, iuris habeat resistentiam, cum idem ius Diœcesanis assistat, donec contraria accedat concludens probatio territorij separati, quod quandam impropriam constituat Diœcesis speciem, cui ad Diœcesum differentiam, propriæ Ciuitatis titulum, vel nuncupationem habentium, *Nullius* nomen tribuitur á Prouincia, seù Metropolitica Ciuitate nuncupationem sortiēdo, ideóque ista qualitas, nisi concludentem habeat probationem, præsumenda non est.

Ad duas verò species hæc probatio restricta est, ad illam scilicèt priuilegij Apostolici expliciti, cùm solius Pontificiæ potestatis sit Ecclesiastica, & spiritualia territoria statuere, diuidere, vel vnire; Et alteram benè probatæ immemorabilis non vitiosæ possessionis, pro cuius consueta, & connaturali operatione, idem Apostolicum priuilegium absq; iustificationis necessitate allegari potest.

Ea verò inter vnam, & alteram speciē probationis dignoscitur differentia, vt prima, quotiès priuilegiū clarum, & ex-
39 plicitū sit, nullumq; spatiatur intentionis defectum, eiusque valida, ac probanti forma præsupposita, probationem incontinenti factam parit; E' conuerso autem altera immemorabilis canonizationem per tres conformes exigit, Episcopo, seù Diœcesano interim iuris assistentiæ beneficio, in Diœcesanæ iurisdictionis possessione, & exercitio gaudente, ideóque notabilis inter vnam, & alteram differentia dignoscitur.

Prima verò melior, ac promptior species materialis territorij separationem, cum finium designatione, intrá quos Clerus, & populus sæcularis viuant;
40 continere debet, cum actiuæ, & quasi Episcopalis iurisdictionis concessione; Illis non suffragantibus Apostolicis priuilegijs, quæ Regularibus præsertim Ecclesijs, & Monasterijs, eorumque professoribus, ac seruientibus, Vassallis, Ministris,

B. *tit. de iudic. disc. 3. & in adnot. ad Concil. Trid. disc. 33. & hoc tit. disc. 51.*
C. *vbi suprà.*

ſtris, Colonis, ac etiam bonis, ſuper exemptione ab Epiſcoporum iuriſdictione, & poteſtate concedi ſunt conſueta, cum eorum receptione ſub protectione, ac immediata iuriſdictione B. Petri, ac Apoſtolicæ Sedis; Vt etiam aliquibus ſecularibus Eccleſijs, conceſſum eſſe dignoſcitur; Id etenim paſſiuam iuriſdictionem, ſeù exemptionem percutit, non autem exindè ad actiuam iuriſdictionem cum Clero, & populo, ac iure territorij inferendum eſt, quamuis loci, & populi dominium, ac iuriſdictionem temporalem, ex ſecularis poteſtatis conceſſione, eadem Eccleſia, vel Monaſterium obtineat; Iſtaque æquiuoca priuilegiorū praxis, vel interpretatio, multas produxit vſurpationes, ac lites. D.

Altera eſt illorum Prælatorum inferiorum ſpecies, qui præfata territorij ſeparati probatione deſtituti, eamdem actiuam ordinariam, ſeù Epiſcopalem iuri-
41 ſdictionem, ex præſcriptione, vel priuilegio in Clerum, & populum alicuius loci, cuius ſituatio intrà alienæ Diœceſis fines extrà controuerſiam ſit, ſibi competere prætendunt; Atque paritèr facti potiùs, quàm iuris eſt quæſtio, ſuper iſtius præſcriptionis iuſtificatione, ſuper qua Apoſtolicæ Conſtitutiones certam quoque præſcripſerunt formam. E.

Notabilis verò inter vnam, ac alteram inferiorum Prælatorū ſpeciem differentia dignoſcitur; Illi etenim ſint, qui ex priuilegio, vel immemorabili præſcriptione, territorium verè ſeparatum
42 habeant, cum vera, & propria qualitate *Nullius*, tanquàm per propriæ, ac independentis Diœceſis ſpeciem, omnimodam, ac plenariam, ordinariam, & delegatam habent iuriſdictionem Epiſcopalem, nullum agnoſcentes Ordinarium, vel Diœceſanum, ijs exceptis, quæ Tridentino Concilio, vel Apoſtolicis Conſtitutionibus viciniori Epiſcopo delegare viſum ſit, nulla cauſarum, vel perſonarum conſtituta differentia, etiam in ijs, quæ ad ordinem pertineant Epiſcopalem, ab ipſis ex ordinis defectu non exercibilia, vt Epiſcopis exercenda committant.

Alij verò, qui intrà alienam Diœceſim, alienoſue fines, ex priuilegio, vel præſcriptione, abſque territorij formali ſeparatione per veritatem aliquam Cleri, & Populi partem priuatiuè ad proprium Diœceſanum Eccleſiaſticam, ſeù Epiſcopalem habeant iuriſdictionem, quamuis aliàs pleno iure, ſine cauſarum, vel perſonarum exceptione, ea quæſita ſit, ex Trid. Conc. decretis, alijſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, in pleriſque hodie habent moderatam; In cauſis ſcilicèt criminalibus, & matrimonialibus; In ijs,
43 quæ reſpiciant curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem; In prædicatione verbi Dei; In approbatione Confeſſariorum; In Parochialium concurſu; In Synodi celebratione, alijſque iuribus, quæ in eiuſdem Concilij decretis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus excepta ſunt, quæ locorum Ordinarijs, abſquè exemptionis violatione, tanquàm Apoſtolicæ Sedis delegatis, commiſſa ſunt. F.

Demùm veró altera eſt inferiorum Prælatorum ſpecies, qui ad certas perſonas, vel certum ambitum reſtrictam habeant iuriſdictionem, vt ſunt frequen-
44 tiùs, Monaſteriorum, aliorumque domorum Regularium Superiores, ac Prælati, cum Religioſis profeſſis, & Nouitijs, ac ſeruientibus, & miniſtris, qui ad Gregorianæ Conſtitutionis præſcriptum Monaſterij, vel domus Regularis ſeruitio fixè addicti, intrà illius ſepta ſub obedientia Superioris Religioſorum ad inſtàr viuant. G.

Diuerſam veró Prælatorum, ac Magiſtratuum Eccleſiaſticorum ſpeciem non conſtituunt præmiſſorum Prælatorum, iuxtà eorum varias ſpecies, Vicarij Ge-
45 nerales, vel foranei, aliiuè, ad certas cauſas, vel cauſarum genus deputati, cum iſti vnum, & idem repræſentent Prælatum, vel conſtituant Tribunal, ipſius Prælati Vicarios explicando partes, ſeù gerendo vices; Minùſque Cathedralium, vel reſpectiuè Collegiatarum Capitula,
46 pro illa Epiſcopali iuriſdictione, quæ mortuo, vel impedito Prælato conceditur, cum ſuppletiuas, vel vicarias partes

D. *hoc tit. diſc.* 1. *cum pluribus ſeqq. & diſc.* 96. *& ſequ.*
E. *ibidem*.
F. *ibid. & in adnot. ad Concil. Trid. & in Miſcellan. Eccleſ.*
G. *hoc tit. diſc.* 4.

tes quoque gerere videantur.

Specialis in Vrbe plurium inferiorum Prælatorum habetur species, Cardina-
47 lium scilicèt in Ecclesijs, vel titulis Cardinalitijs, in quibus iure Prælatorum inferiorum in aliena Diœcesi probabiliùs censendi videntur; Ac etiam Patriarchalium Basilicarum Archipresbyteri, aliquarumuè Cappellarum, seù locorum Protectores, vt præsertim sunt illi Sixtinæ, & Paulinæ Cappellarum Liberianæ Basilicæ. H.

Super loco, ac modo Episcopalem, seù aliàs Ecclesiasticam iurisdictionem exercendi, quæstiones cadunt, Ciuitatis nempè, in qua Cathedralis Ecclesia sita
48 sit, vel alicuius loci Incolis, ob nimiam distantiam, sinè itineris asperitatem, vel ob consuetudinem, prætendentibus, vt extrà lares trahi non debeant, minùsque ad locum residentiæ, vel Tribunalis Episcopi accedere cogantur; Potissimè verò, vbi Diœcesum principalitèr vnitarum diuersitas concurrat; Veriùs tamen, pro regula receptum est, vt in quacumque vnius Diœcesis parte Episcopus residentiam, ac Tribunal erectum habere valeat, eòque subditos trahere, nisi explicitum Apostolicum priuilegium, vel illud implicitum, quod ex inmemorabili consuetudine manat, huius regulæ suadeat limitationem; Cessante tamen explicito priuilegio, ex sola antiqua obseruãtia, difficilitèr desumẽda est hæc limitatio, cùm de actu, vel iure facultatiuo agatur.

Loci verò distantia, vel itineris asperitas, Episcopi arbitrium regulare de-
49 bet, vt foraneis Vicarijs, alicuius maioris ponderis causæ committantur, quã huiusmodi cessante circumstantia, praxis seruet, vt breuiorum tantum cognitionem habeant, istaque controuersia, quæ passinè iurisdictioni potiùs congruit, hanc actiuam quoque percutere solet, vt Vicarij foranei, vel alij locales Magistratus hanc habeant prætensionem. I.

IV.

De controuersijs paritèr fori Ecclesiastici, & inter Ecclesiasticos Prælatos, & Magistratus, vel Subditos, super iurisdictione passiua, ratione exemptionis.

Quamuis in omnibus Ecclesiæ, & Ecclesiastica loca, ac etiam vtriusq; Cleri Sæcularis, & Regularis Clerici, aliæque Ecclesiasticæ personæ, Canonum dispositione, primæuoque rerum statu attentis, Episcopo, vel alteri Ordinario, territorialem, seù Diœcesa-
50 nam legem habenti subiaceant, ideòque cum eis, ac in omnibus fori spiritualis causis Ordinarius fundatam habeat intentionem, ac iuris assistentiam, quæ in hac iurisdictionali materia illud habet singulare, vt absque alia possessionis iustificatione, in eius exercitij manutentione sufficiat. L.

Quia tamen Sedes Apostolica, Clero Regulari in vniuersum, vel directè, & immediatè, vel communicationis bene-
51 ficio, ab hac iurisdictione, & potestate, exemptiua concessit priuilegia, singulorum Monasteriorum, vel domorum localibus, ipsarumque Religionum Generalibus, vel Prouincialibus Prælatis, & Magistratibus in proprios subditos ordinariam, ac Episcopalem tribuendo iurisdictionem; Idque in aliquibus sæcularibus Ecclesijs praxis quoque docet, vt
52 eis, eorumque Clericis, & Ministris, exemptiuo priuilegio attributo, earundem Prælato ordinaria iurisdictio Regularium adinstàr, attributa sit. Certam verò, ac vniformem regulam, sæcularium exemptio (vt illa Regularium) non habet, cum ea maior, vel minor, sinè generalis, aut limitata à priuilegij tenore pendeat, siuè ab obseruantia, quæ eiusdem priuilegij interpres est, vbi illud aliqua laboret ambiguitate. M.

53 Aliquibus etiam Monialium Monasterijs eadem exemptio concedi consueuit, eamque frequens praxis docet. N.

Gene-

H. *de his hoc tit. pluriès.*
I. *hoc tit. disc. 22. cum seqq.*

L. *disc. 1. cum seqq.*
M. *disc. 28. & seqq. hoc tit.*
N. *hoc tit. disc. 26. & seqq.*

Generalem autem Regularium, vel sæcularium moderationem à Tridentino
54 Concilio, & Apostolicis Constitutionibus, ac decretis, hæc priuilegia passa sunt, præcedenti rubrica quoque super actiua iurisdictione insinuatâ, in plerisq; casibus, quæ vtpotè omnibus communia, ab omnibus pariformitèr seruari congruit, vt accessus ad publicas, & solemnes processiones; Interdictorum, ac ieiuniorum obseruantia, & similia sunt, in quibus vni legi, vnique Superiori parendum esse congruit. O.

Occasionalis item, in exemptis eorum exemptiuo neglecto priuilegio, intrat, vbi nempè exemptus, Ordinarij iurisdictionem, vel Maiestatem turbet, seù lę-
55 dat, vel eius præcepta spernat, in ijs, quæ Regulares, ac exemptos quoque complectantur, vt pro frequentiori praxi, præsertim est accessus ad Monialium Monasteria. P.

Siuè quod in eiusdem Ordinarij vinea, vel ouili se ingerere, atque Operarios facere velint, eiusdē Ordinarij subiecto Clero, & Populo, Sacramenta, aliaque Episcopalia, vel parochialia iura ministrando, cum non ratione personæ exemptæ, sed ratione occasionis, iurisdictio competat, exemptione neglecta. Q.

In censuris quoque personalibus, quarum accedat incursus, in ijs præsertim exemptis, qui hoc priuilegio specialitér muniti sint, vt á locorum Ordinarijs, alijsque Prælatis, censuris innodari non valeant; Eaque probabilis, magisque recepta distinctio est inter hominis, ac legis censuras, vt in prima specie, quæ á proferentis iurisdictione manat, suffragetur exemptio, limitationem quoque recipiens, vbi hominis censura in extraiudiciali forma per speciem defensionis, etiam contra non subditum, ad vim, vel turbationem repellendam proferatur; Vbi veró censura sit legis, cuius declarationem, vel denunciam Prælatus in proprio territorio, ad suarum ouium notitiam faciat, id liceat; Vbi tamen adeò certus dignoscatur incursus, vt nulla desupèr proferētis iurisdictionalis cognitio requiratur, ac fiat, nisi ea ad puri facti certi probationem requiratur, ideòque simplicem, ac puram facti declarationem actus redoleat. R.

Modernæ quoque Pontificiæ leges, exemptione non obstante, illos locorum
58 Ordinarijs subiecerunt Regulares, qui in antiquis domibus, vel Monasterijs, ante huiusmodi leges fundatis morarentur, in quibus ad minus senarius non adsit numerus, siuè in illis recentioribus post earum editionem constructis, in quibus adminus duodenarius non moretur. S.

Lex quoque fundationis hanc subiectionem parere solet; T. Siuè vbi in forma singulari, non autem Vniuersitatis, vel Reipublicæ Monasteria regerentur, Generalium, ac Prouincialium Prælatorum visitationem, & correctionem non habentia, nisi speciale accedat exemptiuum priuilegium; Generalia etenim priuilegia, quæ directè ipsis Religionibus, vel mediatè per communicationem competant, huiusmodi Religiosis, ac Monasterijs non suffragentur; Minusq; ijs Religiosis exemptis, qui de Superiorum etiam licentia extrà Claustra perpetuò viuant, siuè ad tempus extrà proprium Monasterij locum; Secus veró, vbi vitam intrá Claustra ducendo, extrà illa crimen, vel excessum patrari contingat, cùm id proprij Regularis Superioris iurisdictionem non tollat. V.

Maiorem veró moderationem passa sunt exemptiua priuilegia, quæ Monialium Monasterijs concessa sunt, præsertim veró in extrinseca, & intrinseca visitatione, ac custodia materialis, ac formalis clausuræ, cum Ordinariorum iurisdictione, & auctoritate in ipsasmet extrinsecas personas exemptas; Ac in alijs pluribus, quæ in Apostolicis legi-
57 bus, & decretis exprimuntur, præsertim

O. *tit. de Regular. & in Miscellan. Eccl. & in adnot. ad Concil. Trid.*
P. *hoc tit. disc.29. & 36. & in Miscellan. Ecclesf. disc.14. & sequ.*
Q. *disc.1. & seqq. & disc.31. & 32.*
R. *d. disc.29. hoc tit. & d. disc.14. & sequ. in Miscellan.*
S. *tit. de Regular. disc.32.*
T. *hoc tit. disc.30.*
V. *disc.28. & 36. hoc tit. & disc.16. in Miscellan. Ecclesf.*

tim veró in actu electionis Abbatissæ, vel Prælatæ, vt in sua sede latiùs. X.

Nimiæ quoque, vel scandalosæ Superiorum exemptorum negligentiæ suppletio Ordinario loci conceditur, alijque
58 minus frequentes habentur casus, quorum enumerationem compendij ratio nō patitur.

Accidentalis quoque datur exemptio illorum, qui aliàs Ordinarij potestati, ac
59 iurisdictioni subiacerent, officij scilicèt, vel muneris ratione, quod hanc præseferat exemptionem, vt in S. Inquisitionis, vel Cameræ Apostolicæ, Fabricæ S. Petri, alijsque similibus Officialibus, Commissarijs, & Ministris praxis docet.

Alia quoque accidentalis exemptionis est species, quæ ex iusta suspicionis
60 causa proueniat, eaque triplicem habet speciem; Vnam nempè, vbi causa particularem Ordinarij, vel Prælati personam concernat, priuatarum scilicèt inimicitiarum, vel parentelæ, siuè priuati interesse; Alteram, vbi ob grauamina, quæ aliarum causarum occasione illata sint, eadem suspicio, vel iusta exemptionis causa vigeat, vt à Superiore concedenda sit; Et tertia, vbi Ecclesiæ, vel Mensæ interesse, iustam præbeat recusandi causam ab ipsa lege probatam, alia
61 extrinseca ipsius causæ probatione non desideranda; Quamuis etenim Episcopus, alterque Prælatus non recusatus competens Iudex, ac Superior existat, iustè tamen est recusabilis. Y.

Ea veró suspicio, quæ in Episcopo viget, in eius Vicario, alijsque Officiali-
62 bus quoque viget; Idemque in Baronis, vel Domini secularis Officialibus, si ipse sit suspectus.

V.

De controuersijs iurisdictionalibus inter plures eiusdem respectiuè fori Iudices, & Magistratus, super vnius maiori competentia, quæ illam alterius suffocet, vel cessare faciat.

MAioris, vel minoris competentiæ concursus, inter eos est regulariter supponendus, qui illam æquè actualem habeant, ex diuersis fontibus, vel causis, in eadem tamen instantia; Vno
63 scilicèt originis; Altero domicilij; Altero loci contractus; Altero destinatæ solutionis; Altero loci delicti; Altero ratione contrectationis; Altero ratione turbatæ iurisdictionis; Altero ratione fori defuncti; Et altero ex bonorum situatione competentiam habente.

Vbi etenim instantiarum diuersitas accedat, quia nempè vnus primæ; Alter veró secundæ, vel vlterioris instantiæ sit Iudex; Vel eadem generis causa-
64 rum diuersitas adsit, vt vnus criminalium; Alter veró ciuilium sit Iudex; Vel vnus popularium, ac indifferentium, alter veró fiscalium, vel militarium, siuè alterius certi generis habeat cognitionem, tunc non maioris, vel minoris competentiæ concursus intrat, sed affirmatiua, priuatiuaque competentia vnius, cū negatione alterius, ob instantiarum, vel causarum diuersitatem, quæ iurisdictionis defectum inducere dicitur, vt superiùs agendo de ordine fori Ecclesiastici insinuatum est; Ideòque aliud est agere de vnius competentia, ob alterius competentiam, & aliud de maioris incompetentiæ concursu inter plures æquè competentes.

Eam veró incompetentiam, quam instantiarum diuersitas producit, viduarū, pupillorum, aliarumque miserabilium
65 personarum priuilegium tollit, quod electionis, seù variationis fori dicitur, vt neglecto primæ instantiæ Iudice, Principis, vel supremi Magistratus Tribunal adiri

X. *hoc tit. disc. 26. & de Regular.*
Y. *hoc tit. disc. 47.*

adiri valeat, dummodò loci diuersitas
accedat, cum in eodem loco ista non de-
tur electio, seù variatio; Idque in foro
etiam Ecclesiastico procedere magis re-
ceptum est, quamuis contradicentes non
desint. Certam tamen, ac generalem hoc
priuilegium regulam non admittit, cum
Regionum, ac Principatuum diuersæ le-
ges, vel mores, nimium diuersam desu-
pèr habeant praxim, super perhorrescen-
tiæ argumento, vel super variatione, ac
etiam in reuariatione ipsarumque perso-
narum qualitate, an inter miserabiles
pro huiusmodi priuilegij competentia
recenseri debeant. Z.

In eiusdem itaque æqualis competen-
tiæ concursu, qui specie non differat,
neque maiorem, vel respectiuè minorem
66 habeat prerogatiuam; Præuenientis po-
tior conditio est, vbi legitima sit præuen-
tio, quæ facti potiùs, quàm iuris habet
inspectionem, an fraudulentèr, vel affe-
ctata sit, siuè in solo conatu, vel præpa-
ratione, effectu non subsequuto; Ea ca-
dente distinctione, inter Actorem, &
Reum, vt Actoris respectu sola petitio,
vel comparitio, aut rei decreta citatio
in eius præiudicium litis introductionem
causet; Rei verò conuenti respectu cita-
tionis legitima exequutio requiritur; Id
autem certam non habet, ac vniformem
regulam, cum à locorum, vel Tribuna-
lium legibus, ac stylis frequentiùs di-
uersis, diuersam recipiat praxim; Ali-
67 cubi etenim magis priuilegiatus delicti
forus præuentioni quoque præualere so-
let, pro facti tamen qualitate, & cir-
cumstantijs. A.

Legitima vero præuentione cessante,
siuè vbi eius efficaciam creditoris pri-
68 uilegium tollat, ideòque integra adhuc
res esse dicatur, Actoris electio est vnum,
vel alterum habere Iudicem in nouo pri-
mæ instantiæ iudicio; In altero autèm
appellationis, in quo de secunda, vel
de vlteriori agatur, electio est appel-
lantis. B.

Bonorum situatio, vel patrimonij di-
uersitas, originis, vel domicilij, suffo-
69 cat competentiam, quia nempè in eo
patrimonio, vel in ea bonorum specie
diuersus ille reputetur homo, vt in ijs;
qui in diuersis Principatibus, baronias,
& feuda, vel dominia possideant, siuè in
diuersis Diœcesibus possideant beneficia
quæ iudicio occasionem præbeant, pra-
xis docet. C.

Eorundem bonorum diuersa situatio,
quamuis sub vna cadant vniuersitate, vel
patrimonio, seù hæreditate, maioris,
70 vel minoris competentiæ producit quæ-
stiones, quia nempè directa, vel fidei-
commissaria hæreditate in diuersis locis,
vel ditionibus bona habente, causarum-
que connexione, vel puncti identitate
exigente, vt eiusdem Vniuersitatis per-
tinentiæ quæstio sub vno agatur Iudice;
quisnā magis cōpetens cēsendus veniat;
Alijs volētibus locū domicilij defuncti;
Alijs illū domicilij hæredis, qui ad fidei-
cōmissi restitutionem, seù legatorū solu-
tionem teneatur; Alijs, vt ille attenda-
tur locus, in quo hæreditatis maior pars
existat; Et alijs, vt ille locus, in quo
bona magis antiqua, & conspicua, siuè
vbi eiusdem hæreditatis caput existat;
Certam verò id regulam non recipit, cū
à locorum stylis, vel Superiorum arbi-
trio, alijsque facti circumstantijs, vel iu-
ris distinctionibus in sua sede recensitis,
decisionem expectet. D.

Connexionis, vel præiudicialitatis ra-
tio, inter æquè contendentes, vni maio-
rem competentiam defert; Alteri verò
71 negat; Vel quia timor, siuè inconueniens
plurium inuicem pugnantium senten-
tiarum, super eodem puncto à diuersis
Iudicibus proferendarum, coram vno,
exigat vnionem; Vel quia sententia, quæ
in vno emanet iudicio, rei iudicatæ ex-
ceptionem in altero parere apta sit; Siuè
quia æquitas prohibeat, vt pro eadem
re, cogendus idem reus, & possessor sit
plura iudicia coram pluribus substinere
Iudicibus, vel vt idem Actor, pro eius-
dem actionis experimento, siuè pro eo-
dem statu firmando idem incommodum
pati cogatur, cum plerisque similibus,
in quibus facti circumstantiæ arbitrium
regulantes, magis verò locorum, ac Tri-
bunalium styli, magnam sortiuntur par-
tem.

Inter

Z. *hoc tit. disc. 69. & 72. & in alijs.*
A. *hoc tit. disc. 57. & tit. de iudic. disc. 3.*
B. *tit. de iudic. disc. 3.*
C. *hoc tit. disc. 87. & tit. de successione. disc. 9.*
D. *ibidem.*

Inter Iudices præsertim, qui eandem habeant cum personis iurisdictionem, &
72 competentiam, diuersa verò sit cognitio, pro diuerso causarum genere, quia nēpè vnus ciuilium sit, & alter criminalium, ideòque, vbi vna, eademque causa inter easdem personas in vtroque ciuili, & criminali iudicio coram vtroque Iudice intentetur, ob præiudicialitatis rationem, ille, qui præuenit alteri inhibet, vt iudicij, vel causæ coram eo cęptæ exitum expectet. E.

VI.

De alijs generalitèr ad materiam pertinentibus remissiuè.

Pleraque alia etiam grauiora, maiorisque momenti, siuè in praxi minus frequētia in hac iurisdictionali materia cadunt in sua sede, parùm, vel ni-
73 hil peracta, & quæ non de facili certam recipiunt regulam, sub compendio explicabilem, pro diuersis locorum, ac Regionum legibus, vel moribus, siuè ex politicis rationibus legum, vel Iuristarum subiectionem non agnoscunt, vt præsertim ea est superioritatis inter Papam, & Concilium generale, quæ adeò magnam habet opinionum scissuram, inter Theologos, & Canonistas, siué inter Citramontanos, & Vltramontanos, forus tamen practicus externus, pro iudicialibus causis decidendis, de quo solùm viri forensis est agere, priorem recepit, ac seruat opinionem superioritatis Papæ suprà Concilium, quod sine ipsius auctoritate minus legitimum sit, quodque conciliaribus decretis derogandi, vel dispensandi iurisdictionem, ac potestatem habeat; Pro voluntate autem regulanda, vtpotè in dubio non præsumenda, specialis mentio desideratur, æquipollenti tamen non exclusa voluntatis probatione implicita, vel adminiculatiua, Tridentino excepto, quod sub generalibus venit derogatorijs, ita eius confirmatoria Constitutione disponente.

Super eiusdem Papæ territoriali, ac temporali habituali iurisdictione suprà
74 laicos etiam Principes in vniuerso Orbe, non modica quoque est quæstio, quæ ab alijs distinctionibus aliquam probabilem á contradictionibus nō immunem recipit decisionem in sua sede latiùs re-
75 censitam. Vbi etiam de iurisdictione Collegij Cardinalium Sede Papali vacāte peractum est. F.

E' conuersò, non modica opinionum scissura, consuetaque Scribentium fa-
76 ctionaria contentio est super Regum, vel Principum sæcularium iurisdictione, ac potestate in sæcularem, & regularem Clerum, aliasque Ecclesiasticas personas, vel Ecclesiastica loca, vel ex antiquis Apostolicæ Sedis concessionibus, ac delegationibus, vel ex causa status, seù ex illa publicæ necessitatis, vel vtilitatis in ijs, quæ iure naturæ, vel gentium omnes æquè concernant, nulla personarum data exceptione, vt præsertim in humani, vel diuini belli casibus, alijsque similibus, disputandi occasio præbere solet, adhuc tamen, siuè de iure, siuè de facto certam id non recipit regulam, atque pro singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, siuè pro diuersis Regionum, & principatuum moribus, vel stylis decisionem recipere solet; Ideòque hæc, & similia compendij incapacia sunt in suis sedibus, pro rerum contingentia videnda.

E. *hoc tit. disc. 77. & 79. & sæpè.*

F. *in Relat. Curiæ Romanæ disc. 2. & 3.*

SVPPLEMENTVM
LIBRI XVI.
PAR. I.
TIT. DE PRÆEMINENTIIS.

INDEX ARGVMENTORVM IN DISCVRSIBVS


Qui continentur in hoc Supplemento tituli de Præeminentijs.

Disc.

INDEX CAVSARVM

Quę continentur in hoc Supplemento Tit. de Præeminentijs ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

SVPPLE-



SVPPLEMENTVM THEATRI



LIB. III. PAR. II.
DE PRÆEMINENTIIS,
Adnotationes ad Discursus iam æditos

SVMMARIVM.

1 De pluribus personis formalibus concurrentibus in Papa.
2 De districtu Vrbis, & de Prouincia Papa.
3 De erectionibus Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium.
4 De modo mensurandi distantiam de loco ad locum. Omnia ad disc. 1.
5 De contentis in disc. 2.
6 De disc. 3. cum duobus seqq.
7 De materia noua erectionis Cathedralis.
8 De vnione plurium Cathedralium, & de varijs speciebus vnionis.
9 De erectione Collegiata, & de collegialitatis probatione, & de precedentia inter plures Collegiatas.
10 De iure prohibendi nouas erectiones Cappellarum, vel Congregationum &c.
11 De praeminentijs Sac. Conuentus Assisij, in Ecclesia S. Mariæ Angelorum.
12 De contentis in disc. 12. circa potestatem laicorum in Cappellis.
13 De disc. 13. circa protectiones operum erectorum à Sixto V.
14 De materia allectionis in familiam, vel adoptionis.
15 De vsu Pontificalium competente Prælatis Regularibus.
16 De præcedentia inter Dignitates, & Canonicos, & alios eiusdem Ecclesiæ, vel diuersarum.
17 De funeribus, & exequijs, & processionibus, & pracedentijs, in eis præsertim inter Clericos Sæculares, & Regulares, vel inter ipsos Regulares.
18 De throno, seu baldachino laicorum in Ecclesia,
19 De sede, vel scamno in Ecclesia, etiam laicorum.
20 De Auditoribus Rotæ.
21 De præeminentijs, & præcedentijs, & nobilitate laicorum.

Ad Disc. I.



SVPER statu particulari istius causæ aliud non suppetit, dum adhuc silet, atq; Episcopus continuat in possessione exemptionis & immediatæ subiectionis Sedi Apostolicæ.

De multiplicibus verò personis formalibus in eadem materiali persona Pa-
1 pæ in hoc discursu consideratis, agitur alibi frequentèr, & præsertim *in Relatione Curiæ lib.15. disc.2. & lib.14. tit. de Regular. disc.32. & in Miscellan. Ecclesiast. disc.1. eod. lib.14.*

Error autem est eorum, qui credunt, quod istud latiùs spatium centum milliarium in circuitu, quod ab aliquibus Romanum circumadarium appellatur, sit
2 Prouincia Papæ, qui figuram faciat, vel speciem habeat Metropolitani, quoniàm istud spatium verè, & propriè est Vrbis antiquum territorium, iuxtà deducta in iam allegatis *discursibus 72. & 94. de Regal.* & per consequens est Diœcesis Episcopatus Romani, cum ea specialitate, vt in eodem territorio dentur plures Episcopi, quod regularitèr implicat ratione prohibitionis plurium capitum in eodem corpore, & est regularitèr monstruosum, sed ista regula in isto casu fallit ex ratione, quod illi Episcopi, qui sunt intrà hunc districtum, ità potiùs adiutores, vel Vicarij censendi sunt, cumulatiuam, non autem priuatiuam habentes eum ipso Episcopo proprio, & principali, vt occasione Episcoporum intrà hodiernum breuiorem districtum quadraginta milliatium, aduertitur in antecedenti *tit. de Iurisdictione disc.50. & 53. & in Relat. Curiæ disc.13.* agendo de Cardinali Vicario, eiusque Tribunali.

Et quamuis hodierna restrictio præfati Cardinalis Vicarij, qui repræsentat Papam, tanquam Episcopum particularem, & ordinarium Vrbis, sit intra districtum modernum quadraginta milliarium, attamen id non tollit veritatem districtus antiqui, quoniàm non implicat, vt Episcopus concedat eius Vicario iurisdictionem magis restrictam, quàm ipse habeat, aliqua verò sibi reseruet, vt in eadem Vrbe praxis docet in collatione beneficiorum; Potissimè quia, modernus districtus prouenit à statutis Vrbis conditis quidèm auctoritate Papæ tanquàm Principis sæcularis potiùs quàm tanquā Papæ, ideòque sequitur, quod sunt fines temporales, à quibus inferre non licet ad spirituales, & è conuerso, ex deductis *d. tit. de Iurisdict. disc.1. & in alijs seqq. & d. disc.1. in Miscellan. Ecclesi. & alibi.*

Prouincia igitur Papæ complectitur omnes illos Episcopatus, qui per Vniuersum Orbem sparsi, nulli subiacent Metropolitano, vel Primati, sed sunt immediatè subiecti Sedi Apostolicæ, ac etiam illæ Ecclesiæ inferiores sæculares, vel Regulares, quæ habeant Prælatos, cum territorio separato, & cum qualitate *Nullius*, & sic extrà omnem Diœcesim, & cum eadem exemptione à Metropolitano, ac immediata subiectione, istosque Episcopatus in Italia recesset *Vghell.* in iam allegato *primo tomo Italiæ Sacræ*, quasi quod (impropriè loquendo) cum his Episcopis Papa faciat figuram Metropolitani.

De huiusmodi autem erectionibus Ec-
3 clesiarum Metropoliticarum, vel Cathedralium, agitur infrà *disc.6. & in d. Relat. Curiæ disc.4.* vbi de Consistorio, & actis consistorialibus.

Et de modo mensurandi distantiam
4 de loco ad locum *sub tit. de Regular. disc. 31.* vbi de milliari, ac de leuca, & de passu, & alibi.

Ad Disc. II.

5 DEcisio istius causæ habetur impressa *par.13. rec. decis.5.* vbi etiam *in decis.532.* habetur altera decisio eius cōfirmatoria, vna tantùm parte informante ędita, cum Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, neque causa huc vsque vlteriorem habuit progressum, dum egomet consului Capitulo Montis Gargani, vt acquiesceret, quoniam impetratio, & vsus priuilegij Bonifacij IX. & obser-

& obseruantia Datariæ, & Cancellariæ Apostolicæ nimium præpóderare videntur ijs, quæ in contrarium vrgent.

Ad Disc. III. cum duobus seqq.

6 PAritèr in ista causa vlterior disputatio iudicialis habita non est, sed solùm pendet inspectio politica, seù prudentialis, stante quod Capitulum S. Saluatoris credens (& quidem non improbabilitèr) se nimium grauatum esse, non vult parere, spernendo etiam censuras, ac propterea duo in ista causa dignosci videntur extrema vitiosa; Vnum scilicèt ex parte Curiæ, circà exorbitantiam, præsertim circa modum regulandi hanc æqualitatem, atque non amplectendi illud longè meliùs temperamentum, de quo *disc.5.* Et alterum ex parte Capituli super non paritione, & contumacia, quę vt in *disc.3.* insinuatur, in alijs causis adhibita produxit totum malum; Adhuc tamen reseruatur in omnibus locus veritati.

Decisiones autem in ista causa æditæ *coram Bichio*, habentur, *inter eius impressas decis.640. & 665.* quoniàm, licèt adsint aliæ duæ, nempè *641. & 656.* Attamen illæ sunt super recursibus, & aliæ *coram Cerro*, potiùs incidentes super remissoria *decis.349. par.12. recent.* & super declaratoria *decis.246. & 260. par.13.*

Pro terminatione autem istius scandalosæ causæ deputata fuit particularis Cōgregatio, per quam post varias prouisiones, quas praxis docuit non esse practicabiles, demùm receptum fuit temperamentum á me á multis annis insinuatum, de quo *disc.5.* & exequutioni demandatum.

Et de materia antiquæ Cathedralitatis, eiusque continuationis, videantur ea, quæ habentur infrà *disc.52.*

Ad Disc. VI.

7 SVper contentis in hoc discursu, & in eodem casu præciso, videnda sunt ea, quæ habentur infrà *disc.50.* edito occasione nouarum disputationum, quæ postmodum habitæ fuerunt.

Ad Disc. VII.

8 DE hac materia vnionis æquè principalis plurium Cathedralium, seù Metropolitanarum, earumque iuribus, & præeminentijs inter se ipsas, earumque Capitula, vel quoad Episcopum respectiuè, habetur actum *sub tit. de Canon. & Capitulo disc.26. & in Miscell. Eccles. disc. paritèr 26. & in Adnot. ad Conc. Trid. disc.7. & 8.* vbi etiam generalitèr de vnionibus beneficiorum, & Ecclesiarum inferiorum, de quibus latiùs, ac pluriès in sua sede *sub tit. de benef.* Iste verò discursus excitauit Ciuitatenses, ideóque introducta fuit causa in Rota *coram Vbago*, & quatenùs contingat eam disputari me scribente, habebitur fortè infrà in hoc Supplemento discursus particularis.

Ad Disc. VIII. & IX.

9 PAritèr in istis causis alia sequuta non est innouatio, quæ mihi innotescat; Et de hac materia erectionis Collegiatæ, fidè probationis, habetur *d. tit. de beneficijs disc.14.* & infrà *in Vigilien. disc.51.*



Ad Disc. X.

10 DE contentis in hoc discursu, habetur actum in alijs locis, & præsertim *in Miscell. Ecclesiast. disc.* 31. *&* 32. vbi concordantes.

Ad Disc. XI.

VLteriorem progressum ista causa pro mea notitia non habuit,& meritò quoniam ipsius euentus docuit Sac. Conuentui, potiùs expedire habere red-
11 ditus locorum Montium, quàm emolumentum oblationum, ob earum notabilem diminutionem, vt tractu temporis deuotione frigescente ferè in omnibus consimilibus oblationibus sequi solet, neque inæstimabili præeminentiæ præiudicatum remanet,dum per Sac. Conuentum, eiusque Guardianum, & fratres continuatur in prærogatiua accedendi ad solemnitatem cum processione, ibiq; celebrandi.

Ad Disc. XII.

12 AD materiam contentorum in hoc discursu videantur deducta inferiùs *disc.*40. *& in Miscell Eccles. disc.*35. vbi concordantes.

Ad Disc XIII.

POst iam editum istum discursum, assumpta fuit disputatio in Rota *coram Albergato*, atque proposita cau-
13 sa prodijt resolutio in omnibus meo voto conformis, meamque sequendo epicheiam, adiudicando scilicet Cardinali Sabello cooptato in familiam Perettam, occasione vniuersæ successionis protectiones Cappellæ Sixtinæ in Ecclesia S. Mariæ Maioris, & Collegij de Monte alto nuncupato Bononiæ; Et Cardinali Azzolino, tanquàm prouinciali, seù nationali protectionem Collegij S. Bonauenturæ Conuentualium in Vrbe, dictæque resolutioni me quoque consulente, & cooperante præfati Cardinales commendabilitér acquieuerunt, ideóque vlteriorem progressum causa non habuit.

Agitur etiam in hoc discursu de materia allectionis in familiam, siue adoptionis; Ac etiam quinam sub nomine familiæ, vel parentelæ veniant, & super
14 his videnda erunt, quæ habentur *sub tit. de fideic.disc.*50.*cum duobus seqq.* ac etiam super successione adoptiuorum *sub tit. de success.ab intestato in hoc Supplem. disc.* 53. *& sub titulo de Iurep. disc.* 24. *cum plur. seqq.*

Ad Disc. XIV. & XV.

DE vsu Pontificalium competente inferioribus Prælatis, ac etiam
15 de eodem vsu in Episcopis in aliena Diœcesi, agitur *in Miscell.Eccles. disc.*22. *etiam in adnot. ad Conc. Trid. disc.*6. vbi de hac materia videri potest.

Ad Disc. XVI. cum quatuor seqq.

16 AD materiam præcedentiæ inter Clericos,de qua in his discursibus agitur, videantur ea, quæ habentur infrà *in hoc Supplemento disc.*41. 42. *&* 43.



Ad

Ad Disc. XXI. & seqq. ad XXV.

17 DE huiusmodi functionibus funerum, & exequiarum, videantur deducta *in tit. de Regular. disc.65. & sub tit.de Paroch. disc.23.& 25.& seqq. ad 30. & disc.42. & 43.* & quando Regulares præcedant Clericos sçculares, infrà *discursu 52.*

Ad Disc. XXVI.

ALia defuit occasio disputandi de hac materia, atque in ista causa exi-
18 tus fuit contrà Baronem, ideóque sublatum fuit baldachinum, ex eo præsertim, quod multa facti præsupposita non subsisterent.

Magnum item damnum intulit huic causæ prætensio Archipresbyteri eiusdem Oppidi, quam idem Baro, cum aliquibus violentijs fouebat, de qua habetur *sub tit. de iurisdict.*

Ad Disc. XXVII.

19 DE sedili, vel scamno in Ecclesia, de quo agitur in hoc discursu, ac etiam in præcedenti, agitur etiam *in hoc Supplemento disc.44.*

Ad Disc. XXVIII.

20 SVper contentis in hoc discursu, & ad eius materiam videri poterunt aliqua *disc.32. in relat. Curiæ*, vbi de Auditorio Rotæ.

Ad Disc. XXIX. & seqq.

21 DE præeminentijs laicalibus nisi *disc.45.46. & 48.* & circà species nobilitatis in *Opere Italico del Caualiere cap.8. & per tot.*

Ad Disc. XXXII. cum seqq.

22 DE materia istorum discursuum pro admissione ad habitum iustitiæ in Meleuitana Religione, infrà *disc.49.* & de ista Religione in opere Italico *Doctoris vulgaris tit. de Regular.cap.46.* & præserrim in casu, de quo *disc.34.* introducta causa in Rota coram Vicecomite, factisque probationibus sub die 19.Martij 1673.prodijt resolutio pro canonizatione nobilitatis huius familiæ, pro casibus futuris, cum lite pendente obierit ille, qui habitum suscipere volebat.

Ad Disc. XXXV.

DE his materijs nobilitatis, & præeminentiarum, videri poterunt de-
23 ducta in dicto Opere *del Dottor volgare, hoc eod. tit.* & in altero Opere *del Caualiere*.

In alijs Discursibus sequentibus, ad totum *disc.40.* aliud non contigit disputandum.

Sequuntur Discursus ex integro, continuando numerum Discursuum iam æditorum.

Neapolitana Præeminentiarum.

PRO

Primicerio Ecclesiæ Metropolitanæ.

CVM

Canonico Episcopo Titulati.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Rituum, & resolutus vt infrà.

An Canonicus, qui accidentalitèr sit Episcopus Titularis, debeat præcedere primam Dignitatem, siué primum Canonicum, ac facere functiones ad ipsum pertinentes, maioresque habere prærogatiuas, & honorificentias, quàm alij Canonici; Et incidentèr de lucro distributionũ, quando interueniat in Sede Canonicali tanquam Canonicus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An in Capitulo Neapolitano adsint Dignitates.*
3 *De consuetudine Basilicarum Vrbis; Et an Episcopus Canonicus sedens in Capitulo occupet locum digniorem.*
4 *De honorificentijs Episcopi sedentis in Choro cum Canonicis.*
5 *De distinctione an sit Episcopus actualis Ecclesiæ, vel solùm Titularis.*
6 *Quod in Basilicis Vrbis id proueniat ex consuetudine.*
7 *Consuetudini non datur extensio.*
8 *An Canonicus interueniens in Choro, vel in Ecclesia non in habitu Canonicali, sed diuerso, lucretur fructus,& distributiones.*
9 *Quid de illo Canonico, qui sit Vicarius generalis.*
10 *De eodem, de quo num. 3. & 6.*
11 *De rationibus, ob quas prima dignitas, vel primus in Capitulo, faciat primarias functiones, atque omnes præcedat.*
12 *De duplici specie primatus in Capitulo.*
13 *Quod occupans primum locum dicatur dignitas.*
14 *Quod Vicarius generalis non possit facere primarias functiones.*
15 *De eodem, de quo num. 11.*
16 *Nullus ex membris Collegij præcedit Decanum, seu primum, & de ratione.*
17 *De ratione consuetudinis Vrbis, de qua num. 3. & 6.*
18 *De Vicario Capitulari, vt non præcedat primam dignitatem, siuè Decanum.*

DISC. XLI.



1 FFECTVS vnus ex Canonicis Ecclesiæ Neapolitanæ Episcopus Titularis in partibus Infidelium, cum retentione Canonicatus, inaudita Parte obtinuit *sub die 5. Decemb. 1672* declarari per Sacram Congregationem Rituum, vt iuxtà praxim trium Basilicarũ Patriarchalium Vrbis, & præsertim illam S. Petri, in qua id frequentiùs contingit, obtinere deberet primum locum in Choro, & intonare primam antiphonam, suprà Primicerium, qui in eo Capitulo hunc primum locum occupat; Quarè habito per Primicerium recursu ad eamdem Congregationem, assumptaque desupér disputatione *sub die 6. Maij 1673.* perstitum fuit in decisis; Atque ex hoc dictus Episcopus audacior effectus, plures aliàs excitauit prætensiones; Primò nempè maiorem thurificationem cum vno scilicèt ictu suprá alios; Secundò retentionem puluinaris, quando sedet in Choro, vt ita ob dignitatem Episcopalem ab alijs distinguatur; Tertió ad ipsum quoque pertinere primarias, ac pontificales functiones absente, vel impedito Archiepiscopo, siue alias, quæ ipso quoque præsente, ad primum, & digniorem de Capitulo spectarent; Quarto paritèr ad ipsum spectare conuo-

catio-

cationem Capituli, atque vota exquirere, omniaque alia agere, quæ ad primum, ac digniorem de Capitulo pertinent; Et quintò, stante consuetudine illius Ciuitatis, quod Archiepiscopo solemnitèr celebranti, vel assistenti, solent in quodam honorifico banco pro obsequio, assistentiam præstare illi Archiepiscopi, & Episcopi, siue actuales, siue titulares, qui etiam accidentalitèr, & ad tempus, in ea Ciuitate moram trahant, ac etiam Proregi in regia Cappella quandoque assistere solent, vt huic Episcopo, & Canonico cum alijs Episcopis in dicto banco assistenti, deberentur fructus, & distributiones; Quarè Primicerius adiens eamdem Sac. Congregationem sub die 12. Augusti 1673. obtinuit in omnibus quatuor punctis declarationes negatiuas fauorabiles, & quoad quintum responsum fuit lucrari fructus.

Quia veró in decretis desupèr æditis, Primicerius enunciabatur Prima digni-
2 tas, hinc Capitulum id egrè ferendo ob prætensionem, de qua inter antiquiores apud *Grammatic. decis.* 64. & inter moderniores apud *Pirr. Corrad.* eiusdem Ecclesiæ Canonicum *in prax. dispensat. cap.* 3. *num.* 15. quod in eo Capitulo nullæ adessent Dignitates, sed omnes essent æquè Canonici, cum ea ordinum, vel classium distributione, de qua *sub tit. de Canonic. disc.* 2. vnà cum dicto Canonico Episcopo aduersùs prædictas resolutiones audiri obtinuit, assumptaque desupèr formali disputatione cum Aduocatis, & Procuratoribus *sub die* 13. *Aprilis* 1674. perstitum fuit in decisis, declarando, vt in illa resolutione intelligeretur de fructibus, & non de distributionibus, & remittendo ad Rotam punctum, an Primicerius esset dignitas, stante quod ab antiquo in eo Tribunali ista causa pendet, ex relatis apud *Bich. decis.* 312. *repetit. decis.* 99. *par.* 10. *recent.*

Duæ itaque fuerunt inspectiones, ac separatæ disputationes; Prior scilicèt super digniori loco in Choro, & prima antiphona iuxtà dictas priores resolutiones fauore Canonici Episcopi proditas, & posterior super dictis alijs punctis, super quibus è conuersò cōtrà eum resolutum fuit.

Quatenùs itaque pertinet ad hanc posteriorem, quæ ob assistentiam Capituli maiorem acrior fuit, distinguendo punctos; Primi duo super magis honorifica thurificatione, & super magis honorico tractatu eū recentione puluinaris, non percutiebant solùm Primicerium, sed omnes Canonicos, dum æquales sunt huiusmodi tractatus, absque differentia inter primum, & vltimum; Atque hinc aliquam mihi inferebat admirationem adeò qualificati Capituli simplicitas, quod in hac parte præfato Canonico assistentiam, ac fomentum præstaret.

Nimiùm verò plana fuit resolutio negatiua ob eamdem praxim Ecclesiæ Sancti Petri, aliarumque Basilicarum Vr-
3 bis, cum qua in priori disputatione super digniori sede in Choro processum fuerat, quoniam cum de tempore huius disputationis in dicta Vaticana Basilica, plures Canonici in Episcopali, & Archiepiscopali dignitate consimili titulari constituti essent, quinimó eorum vnus in altera longè maiori, atque omnium in Prælatitia sphera prima Patriarchæ Cōstantinopolitani; Attamèn omnium æqualis est thurificatio, neque dictus magis honorificus tractatus conceditur.

Et meritò quidem, quoniam excepta differentia habitus, quæ ex consuetudine permittitur, vt scilicèt constituti in dignitate Episcopali non interueniant in habitu Canonicali, sed in altero Prælatitio, in reliquis considerantur omnes æqualitèr tanquam Canonici; Si etenim in eiusdem Ecclesiæ Episcopo, qui est caput, & superior aliorum, habemus, quod quando interuenit in Capitulo, tanquam Canonicus, consideratur tanquam talis discretus ab Episcopo, ideóque habet votum alijs Canonicis æquale, ex deductis *sub tit. de benefic. disc.* 30. vbi de distinctione actuum, quos Episcopus gerat tanquam Episcopus, & eorum quos gerat tanquam Canonicus, & vnus ex Capitularibus, multó magis in his Episcopis Titularibus.

Et quamuis Scribentes pro dicto Canonico Episcopo deducerent praxim Ecclesiarum Hispaniæ, de qua in eadem
4 Congregatione de recenti actum fuerat occasione controuersiæ inter Dignitates, & Canonicos Ecclesiæ Maioricensis, & de qua habetur actum *in Miscellan. Ecclesiastic. disc.* 39. quod scilicèt Episcopus, quamuis sedeat in Choro in prima sede,

sede alijs æquali in figura primi Canonici, vel primæ dignitatis, obtinet tamen vtrumque honorificum tractatum, tam circa maiorem thurificationem, quàm circa retentionem puluinaris, ac etiam ornamentum sedis cum quodam panno; Vt etiam in Italia practicatur, quando in hebdomada maiori, vel in commemoratione vniuersali defunctorum, alijsque similibus functionibus, Episcopus non assistat in Throno, sed in Choro, si in eo non adsit (vt in plerisque Ecclesijs adest) eius singularis alijs dignior, magisque eleuata sedes, quam ipso absente nemo occupet.

Attamèn dicebam, quod in eo casu logè maior est ratio, cùm ille Episcopus
5 sit superior, & caput, ideòque ratione prælaturæ, ac superioritatis, aliquam maiorem habere debet præeminentiam; Idque etiam in ipsa Vrbe praxis docet in præfatis Basilicis Patriarchalibus, & præsertim in Vaticana, quando interuenit in Choro Cardinalis Archipresbyter, qui est prima dignitas, & Prælatus, ac Superior; Secùs autem inter Concanonicos æqualitér subditos, idem vel coæquale ius sedendi in Choro habentes, quorum aliqui hanc dignitatem accidentalem, atque à Capitulo extraneam habeant, adeòvt de rigorosa iuris censura deberent adhibere habitū canonicalem alijs similem, sin minùs, vt infrà, non deberent lucrari distributiones, vt in inferiùs insinuato exemplo Canonici inseruientis in habitu Vicarij generalis, vel Prothonotarij habetur, & sic vsus habitus præ-
6 latitij, solùm permittitur ex prædictarum Basilicarum Vrbis consuetudine in Episcopis, & Archiepiscopis tantùm vigente, non autem in alijs Curiæ Prælatis, quamuis eumdem habeant habitum prælatitium, & per consequens ob strictam,
7 & rigorosam naturam consuetudinis nō admittendi extensionem, ex deductis *d. disc. 30. de benefic. & disc. 35. de indic.* & alibi, ex ea non potest ad alios tractatus inferri.

Facilis quoque, ac plana fuit resolutio vltimi puncti super lucro fructuum, & distributionum, quando iste
8 Episcopus extrà Chorum, vel aliorum Canonicorum cætum, vel circulum, sedere velit in banco diuerso cum alijs Episcopis; Tunc etenim dicebam (etiam in sensu veritatis, vt eadem Congregatio agnouit) quod resolutio quoad fructus esset iusta, benèque fundata, eos tamen capiendo in vera, & propria significatione, de qua in sua sede *sub tit. de benefic. disc. 90.* ac etiam *sub tit. de iure patr. disc. 10. & sub tit. de Canonic. & sub altero de pension.* & alibi, pro fructibus scilicèt certis, qui in Canonicatibus Cathedralium, & Collegiatarum indifferentium distributionum sub præbendæ nomine, seù vocabulo explicantur, quoniam pro ipsorum lucro sufficit, sola residentia in loco sine interessentia in Choro, & seruitio Ecclesiæ, quinimò etiam absentia iusta à loco, ideòque multò magis in casu istius interessentiæ in Ecclesia, & in obsequium Archiepiscopi; secùs autem pro lucro distributionum, cùm ad hunc effectum requiratur interessentia in choro in habitu Canonicali, canendo, ac faciendo id, quod alij faciunt.

Idque adeò verum, quod si aliquis Canonicus sit Vicarius generalis Episcopi in habitu Prothonotarij Apostolici, siuè cum veste, & pallio, non autem cum
9 habitu Canonicali assistat in choro, occupando tanquam Vicarius primum, ac digniorem locum, quem tanquam Canonicus, & in habitu Canonicali occupare non posset, dum non obstante officio Vicarij, sedere deberet in stallo sui Canonicatus; Et tunc quamuis aliorum Canonicorum ad instar caneret, & psalleret, non tamen distributiones quotidianas ratione seruitij lucratur, sed habetur pro non interessente, cùm tunc diuersam repræsentet personam Vicarij generalis, non autem Canonici, iuxtà declarationes relatas per elaboratum collectorem *Barbos. in Summa Apostol. decis. collectan. 714. n. 12. & in tract. de Canon. cap. 48. num. 32.*

Maior itaque, penèque tota disputatio fuit super duobus alijs punctis iuris peragendi primarias functiones in Ecclesia, vel in Capitulo respectiuè ex ea dubitandi ratione, quam Scribētes pro Canonico Episcopo deducebant, quod sci-
10 licèt id esset consequutiuum primis resolutionibus in hac disputatione præsupponendis super prima, & digniori sede, & prima antiphona, quoniam ita videbatur per quandam necessariam consequentiam ad istas etiam functiones inferendum

rendum

rendum esse ob rationis identitatem.

Verùm è conuerso scribens ego pro Primicerio, etiam cum sensu veritatis, dicebam, quod quidquid esset de præfata prima resolutione circa primam sedē, & primam antiphonam in Choro, quæ vt infrà parum probabilis quoque mihi videbatur; Adhuc tamen, ea fine veri præindicio præsuppofita, non exindè ad alios effectus inferri potest, quoniam in puncto iuris certum videtur, quod neque dicta præeminentia primæ sedis in Choro, & primæ antiphonæ competat, sed eatenùs Sacra Congregatio hunc habet sensum, vt etiam habuisse in vna *Calaguritana*, & in vna *Compostellana*, refert diligens collector *Barbos. in Summ. Apostol. decis. verbo Episcopus Titularis*, *Collectan.* 287. quatenùs ita suadeat enunciata consuetudo Basilicarum Vrbis, & præsertim Vaticanæ, ideòque admittendum est ad limites dictæ consuetudinis, quæ iuxtà eius insinuatam naturam, non admittit extensionem.

Attenta etenim dispositione, vel ratione iuris, dicta consuetudo exorbitans potiùs censenda videtur, dum indefinitè
11 in omnibus actibus contrarium est veriùs; Siquidem omnia Capitula, vel Collegia, & Senatus, vel Consilia, aliaque corpora politica, siuè vniuersalia, tàm Ecclesiastica, quàm sæcularia, theoricè, & practicè, pernecessè habent vnum ex Capitularibus, vel Collegialibus, aut Senatoribus, vel Consiliarijs, qui sit omnium primus, primamque faciat figuram, atque in actibus singularibus, & personalibus, qui non possunt explicari per totum corpus, siuè per omnes Collegiales, repręsentet ipsum corpus, talesque actus nomine omnium explicet.

Vt exempli gratia contingit in celebratione missarum, alijsque primarijs, & pontificalibus functionibus, Episcopo absente, vel impedito, siuè in iure conuocandi Capitulum, vel Collegium, aut loquendi nomine omnium, totiusque corporis, cum similibus, iuxtà praxim Collegij Apostolorū, quod Christo eos interrogante, quem ipsi eum esse dicerēt, B. Petrus, non tanquam Pontifex, & Superior, cum adhuc sequuta non fuisset eius creatio, quæ tali occasione sequuta fuit, sed tanquam antiquior, ac primus in ordine respondit, non singulari iure, vel nomine, sed ex persona omnium, ac nomine totius Collegij; *Tu es Christus filius Dei viui*; Talisque est totius Mundi praxis, vt dictum est in omnibus Collegijs, vel Senatibus, & Tribunalibus, alijsque corporibus, & Vniuersitatibus, vt est notorium.

Iste primatus dupliciter sequi solet;
12 Primó scilicèt inter omnes coæquale ius & coæqualem titulum habentes, ex solo beneficio naturæ, siuè antianitatis, iuxtà praxim Sac: Collegij Cardinalium, & Tribunalium Rotæ, Cameræ, & Signaturæ, aliorumque Collegiorum, ac etiam iuxtà praxim Capitulorum trium Basilicarum Patriarchalium, aliarumque Ecclesiarum Vrbis.

Et secundò, quod ista præeminentia sit fixa, & annexa vni ex ipsis Canonicis, vel Collegialibus, siue iste habeat nomē dignitatis, siuè nomen Canonici, quoniā ius non est in nomine, vel in nuncupatione, sed in substantia, siuè in effectu, vt latiùs aduertitur *hoc eod. tit. de præemin. disc.* 20.

Benè verum, quod ex vsu loquendi Dataria, ac etiam Beneficialistarum, oc-
13 casione reseruationis huiusmodi beneficiorum ex regula tertia, seù quarta nuncupantur primæ, seù maiores Dignitates post pontificalem, provt istam in indiuiduo appellauit pluriès Papa, ex deductis in superiùs allegata *decis.* 312. *Bichȳ*, eo quia ipse primatus redolet dignitatem, quamuis reverà non Dignitatis, sed Canonici nomen haberet; Atque iuxtà hanc secundam speciem est iste Primicerius, quoniam siue sit Dignitas, siuè sit Canonicus, id nihil refert, semper illud est certum, quod quamuis iunior, atque omnium recentiùs de beneficio prouisus, habet hunc primatum, ideòque occupat primum locum in Choro, & in Capitulo, atque primarias functiones peragit cum Archiepiscopo, siue istius absentis, vel impediti vice pontificales functiones explicat, aliasque habet non controuersas, ac certas prærogatiuas.

Idem comprobatur clariùs ob generalem praxim, & obseruantiam vniuersę Ecclesiæ Catholicæ, pluriés canonizatā,
14 aut demandatam per istam Sacrā Congregationem, occasione Vicarij generalis Episcopi, quoniam licèt iste iuxta magistrale *cons.* 21. *Abbat.* quod Sacra Con-

Congregatio sequitur, occupet primum locum in Choro, etiam suprà primam dignitatem, iuxtá plures declarationes relatas à *Barbos. in Summa Apostolic. decis. collect.* 714. *Gratian. discept.* 111. cum alijs deductis *in hoc tit. de praemin. disc.* 18. Attamen non exindè Vicarius, etiam Episcopo concedente, ac demandante, prætendere potest, vt sibi competant functiones Episcopales, vel Capitulares, sed istæ pertinent ad illum Capitularem, qui faciat in Capitulo primam figuram, non quidem accidentalem, seù fixam, vt *in Leodien. Abbatissatus 3. Iunij 1643. coram Ghyslerio*, & aduertitur *d. tit. de praemin. disc. 19. num. 7*, Atque docet notoria praxis generalis; Et per consequens non benè á loco digniori in Choro inferri potest ad huiusmodi functiones, vel actus Capitulares.

15 Habet id claram rationem pluriès insinuatam *d. tit. de praemin. disc. 19. n. 11. & disc. 20. n. 12.* & alibi pluriès, quod scilicèt istæ functiones, vel actus non fiunt ab illa persona ex iure singulari, vel ex persona propria, sed habitualitèr fieri dicuntur ab vniuerso corpore Capituli, vel Collegij, vel ab omnibus Capitularibus, vel Collegialibus, quorum vice, ac nomine illi actus indiuidui, quos impossibile est explicari ab ipso corpore, sed pernecessè explicari debent ab vna persona, in solo actu, vel exercitio, explicantur per illum, qui in eo corpore sit primus, ratione qualitatis Capitularis, vel Collegialis, non autem ob aliam extrinsecam, & accidentalem qualitatem, iuxtá dictum exemplum B. Petri, ac etiã illud Collegij Cardinalium, & Tribunalium, vt suprà.

Atque habemus generalitèr in omnibus alijs materijs, & præsertim in præeminentijs competentibus, ratione iurispatronatus, vel ratione dominij alicuius Castri, pertinentibus ad omnes de aliqua familia, vel de aliquo genere, quoniam retinere claues Castri, recipere primam candelam, vel primam palmam, aliæque similes præeminentiæ, exercibiles per vnum tantum, pertinent ad natu maiorẽ, siué ad eum, qui habeat in familia primatum ratione ætatis, vel primogenituræ, non curato, quod alij de corpore familiæ, vel de genere habeant maiores accidentales dignitates, quoniam attenditur primatus fixus, & proprius ex sola ratione familiæ, cui hæc iura competunt.

Hinc proindè praxis docet in Collegijs, & Tribunalibus, quod quamuis Collegiales constituti in Episcopali, Ar-
16 chiepiscopali, vel etiam Patriarchali dignitate, præcedant omnes, quamuis antiquiores, non tamen præcedunt Decanum, sub quo sedere debent, vt nostra ætate docuit praxis in Tribunali Rotæ, quod licèt *Sacratus*, qui postea fuit Cardinalis, esset Patriarcha, ideóque præcederet omnes alios Auditores, tamen sedebat sub Decano, ex deductis apud *Coccin. notab. 261. in 1. vol. decis.* Et recentiùs in Tribunali Cameræ, quod ille, qui nunc est dignus Card. Corsinus, tunc Clericus, quamuis esset Archiepiscopus Damiatæ, ideòque præcederet omnes Clericos, quamuis antiquiores, attamèn sedebat sub Decano; Et in Collegio Aduocatorũ Consistorialium ille, qui deindè fuit dignus Cardinalis Spada, quãuis esset Patriarcha Constantinopolitanus, paritèr sedebat sub Decano, cui cedebat locum, ex dicta conuincentissima ratione, quod ille, qui est primus, repræsentat totum corpus, eo modo quo in Sac. Collegio Cardinalium si inter eos sedere velit Rex, iste præcedit omnes Cardinales, sed non Decanum, atque aliás est facere contrà omnes regulas, tam legales, quàm naturales, & cæremoniales, quoniam monstrum est, vt videatur aliquod corporis membrum suprà caput.

Clarum autem esse dicebam æquiuocum procedendi cum exemplo dictarum
17 Basilicarum Patriarchalium, quoniam istarum Episcopus, vel Prælatus est ipse Papa; Primus autem, & dignior Canonicus, vel prima Dignitas, cui debetur primus locus, est Cardinalis Archipresbyter, quem vtique non præcedunt Canonici Episcopi, vel Archiepiscopi, aut Patriarchæ, dum isti sedent post eum, & per consequens seruatur debitus ordo, quod ille, qui est prima Dignitas, seù primus de Capitulo, occupat primũ locũ, atq; post eum ex dicta consuetudine aliquam in Vrbe peculiarem rationem habente, locum occupant illi, qui sint constituti in dignitate Episcopali, non autem vt detur sessio suprà Decanum, vel primum caput, quodque ita membra habeant

habeant præcedentiam suprà caput, quod vtique est magnum absurdum omnibus regulis contrarium.

Solùmque in Vicario generali datur præcedentia suprà primam Dignitatem,
18 vel primum Canonicum, eo quia est pars personæ Episcopi, cum quo vnam, & eamdem efformat personam, & non considerantur tanquam vnus de corpore; Ac propterea Vicarius Capitularis, quàuis habeat iurisdictionem, & superioritatem, atque incedat in habitu prælatitio tanquam Prothonotarius, habebit quidem præcedentiam in Choro suprà aliquas dignitates, & Canonicos, sed nō suprà primam Dignitatem, vel antiquiorem Canonicum ex prædicta ratione, quoniam in isto repræsentatur totū corpus, vt apud *Barbos. de Canon. cap. 42. num. 42. & in Summa Apostolic. decis. collect. 717. num. 16.* Ac propterea parùm probabiles mihi reflectenti ad solam veritatem, visæ sunt dictæ primæ resolutiones super prima sede, & prima antiphona.

Chassanen̄ Præeminentiarum.

INTER

Diuersas Ecclesias, & super diuersis punctis, vt infrà.

De aliquibus quæstionibus preeminentiarum, vel præcedentiæ in Processionibus, alijsque functionibus inter Clericos, vel Rectores diuersarum Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *De fundamentis resolutionis, & quod nō possit dignior impeditus in praeiudicium alterius immediati committere functiones alteri.*
4 *De alio casu controuersiæ.*
5 *De consueta diuisione Aduocatorum, & Consulentium.*
6 *Quod nemo debeat cogi permanere in communione.*
7 *Quando ad diuisionem prouocari non possit Ecclesiarum.*
8 *De distinctione cum qua intelligi debent ea, de quibus num. 6. & 7.*
9 *De alio casu.*
10 *Nin potest Ecclesia Cathedralis, vel maior cogere Clericos aliarum Ecclesiarum ad voluntarias processiones, & solemnitates.*
11 *Quam iurisdictionem habeat Ecclesia Parochialis in Ecclesijs sitis intrà eius fines.*
12 *De diuersis speciebus matricitatis.*
13 *Quando limitetur id, de quo num. 10.*
14 *An Ecclesia maior prohibeat alijs pulsationem campanarum in die Sabbathi Sancti.*
15 *Quando consuetudini in hoc proposito sit deferendum.*

DISC. XLII.



1 N Diœcesi Chassanen̄, nimium frequentes sunt huiusmodi præcedentiæ, vel præeminentiarū quæstiones, quarum plures ego disputaui, & præsertim in Sacra Congregatione Rituū, inter duas Parrochiales Oppidi Saracenæ; Cùm etenim in eo tres adsint Ecclesiæ Parrochiales, nempè S. Mariæ de Armis, Sanctæ Mariæ de Gambio, & S. Leonis, atque inter istas duas posteriores, ab antiquo adesset quædam cōmunio, vt promiscuè Clerici vnius interuenirent in solemnitatibus alterius, adeòvt vniti vnum efformarent corpus; Hinc ista vnio, vel societas, quæ antiquis temporibus, charitatis, maiorisque cultus diuini commēdabilia habuit motiua, tractu temporis magnas attulit discordias, & æmulationes iuxtà casum, de quo suprà *in Cæsaraugustana disc. 3. cum plurib. seqq.* adeòvt nō solùm ipsarum Ecclesiarum Clerici, sed etiā Parrochiani, seù illi de populo viuēte intrà cuiuslibet limites, ab infantia quandam naturalem contrahant æmulationem, vt etiam contingit in casu, de quo suprà *disc. 9. & sub tit. de Parroch. disc. 36. & in Miscell. Eccles. disc. 37.*

Inter

Inter alias veró controuerſias erat illa ſuper iure faciendi functiones in proceſſione Corporis Chriſti, ac etiam in alia, quæ fieri ſolet pro ſegetum benedictione, & ſimilibus, quod ſcilicèt non controuertebatur, vt id ſpectaret ad Rectorem Eccleſiæ S. Leonis, habentem nuncupationem Archipræsbyteri, quando per ſe ipſum functionem facere vellet, vel poſſet, ſed eo nolente, vel impedito, quæſtio erat, an idem Archipresbyter, id alteri Præsbytero eiuſdem Eccleſiæ cōmittere poſſet, vel potiús pertineret ad Rectorem iſtius Eccleſiæ S. Mariæ de Gambio, atque pro iſto prodierunt reſo-
2 lutiones, quas pro ea ſcribens, iniuſtas, malèque fundatas dicebam, quatenùs continuandum eſſet in iſta vnione, vel ſpecie ſocietatis, quam iſta Pars non curabat, quinimó potiùs ſupplicabat pro diuiſione, vt ita quælibet Eccleſia, intrà proprios fines ſuas faceret functiones.

Siquidém ſcribendo dicebam, quod, iſtæ duæ Eccleſiæ, earumque Cleri ha-
3 beri debebant tanquam duæ Eccleſiæ materiales conſtituentes vnicam Eccleſiam formalem, & vnicum corpus Cleri, iuxtà illam efformationem vnius Eccleſiæ Cathedralis, vniuſque indiuidui Capituli, ex pluribus materialibus inter ſe diuiſis, de qua ſuprá *diſc. 2. cum ſeqq. vbi concordan.* Aut veró dicendæ eſſent duæ Eccleſię diſtinctæ, inter quas adeſſet quędam communio, ſiuè vnio ſociatiua, iuxtà diuerſas vnionis ſpecies recenſitas paritèr ſuprá *diſc. 7.* ſiuè iuxtá caſum, de quo *ſub tit. de Paroch. diſc. 12.*

Primo etenim caſu, cū omnes reputari deberēt de vnico Collegio, ſeù corpore, cuius Rector Eccleſiæ S. Leonis eſſet primus, iſte veró Rector eſſet ſecundus, vtique intrabant ea, quæ habentur ſuprà *diſc. 19. & 20.* & in alijs, de pontificalibus, ac primarijs functionibus faciendis per Epiſcopum, vel per alium Prælatum, ſiuè per primam Dignitatem, quod ſcilicèt, eo nolente, vel impedito facere, iſta facultas, vel pręeminentia tranſeat ad ſecundum, & ſic ſucceſſiuè ad illum, qui ſublatis dignioribus, in eo corpore tunc ſit primus, & dignior, abſque eo quod Epiſcopus, vel Prælatus, aut prima dignitas poſſit alium ſui loco ſufficere; Aut veró per ſpeciem vnionis æquè principalis, vel ſociatiuæ paritèr vnum corpus conſtituebant; Et tunc fortiùs idem dicendum eſt, ad inſtar duorum, vel pluriū fratrum aut ſociorum pro communi viuentium; ſiuè aliqua bona, vel iura pro communi poſſidentium, vt præeminentiales actus indiuidui explicari debeant per natu maiorem, iuxtà ea, quæ habentur infià *in Mutinen. diſc. 47.* ſed ſi frater, aut ſocius maior, vel dignior nolit, vel non poſſit, tunc id faciendum eſt ab eo, qui comparatione aliorum eſt natu maior, vel dignior, non autem quod primus extraneo, vel natu minori committere valeat.

Conſimilis controuerſià in eadem Sa-
4 cra Congregatione Rituum diù acta fuit inter tres Eccleſias parrochiales Oppidi Murani iſtius Diœceſis, ſub inuocationibus S. Petri, S. Mariæ Magdalenæ, & S. Nicolai, quod ſcilicèt Rectores, & Clerici aliarum duarum pati nolebant, vt huiuſmodi functiones peragerentur à Rectore, ſeù Archipresbytero Eccleſiæ, quæ antiquior erat, atque in huius præeminentiæ poſſeſſione reperiebatur, cùmque pluriès Sacra Congregatio fauore huius Eccleſiæ antiquioris reſolutiones dediſſet, ac etiam tam antiquo tempore
5 de anno ſcilicèt 1582. quām moderno de anno 1666. aliquæ initæ eſſent concordiæ, adhuc tamén, ob enunciatas naturales æmulationes, & antipatias, & ne vnius Eccleſiæ Clerus, & populus ſubiectionem erga alterum pateretur, inſtabatur pro diuiſione, pro qua etiam inſtabatur in caſu præcedenti; Ac propterea iuxtà Aduocatorum conditionem, qui in dies coguntur modò dicere album, modò nigrū. Quando in alio caſu ſcribebam pro
6 conceſſione diuiſionis, procedebam cum regulis, & propoſitionibus, de quibus *ſub tit. de hærede diſc. 30. & ſub tit. de Paroch. diſc. 33.* & alibi, quod ſcilicèt nemo cogi debeat inuitus in communione permanere, adeòvt præceptum de non diuidendo, vel conuentio perpetuæ ſocietatis, neque per mortem diſſolubilis, in iure reprobetur; Quod etiam receptum eſt in communione territorij, vel iuris paſcendi, vel aquandi, quæ habeatur inter duas Ciuitates, & duo Oppida, ſeù loca, vt *ſub titulo de ſeruitutibus.*

E conuersò autem in iſto poſteriori caſu, ſcribendo pro antiquiori, vel digniori

gniori Ecclesiâ, contra petitam diuisionẽ,
7 dicebam pro eius denegatione respondendum esse, ex eisdem motiuis occasione impiendi dismembrationem Ecclesię Parochialis, insinuatis *sub tit. de Paroch. disc. 33. & seqq.* quod scilicèt procedendũ non esset cum terminis generalibus merè voluntariæ communionis duorum, vel plurium, quorum singuli, omninò independentia, & distincta haberent patrimonia, vel bona, sed cum terminis vnionis subiectiuæ; Cùm etenim iuxtà totius Orbis antiquam praxim in primitiua Ecclesia ob modicum fidelium, & Clericorum numerum, eo quia pars notabilior populi esset infidelis, vnica adesset Ecclesia parochialis in loco; Tractu veró temporis, cùm ob excretum populum fidelem, vna Ecclesia, vnusque Rector nõ sufficeret, oportuit, cum dismembratione partis populi, vnam, vel plures alias Ecclesias erigere, iuxtà ea, quæ de Cathedralibus habentur suprà *hoc tit. disc. 6.* & de Parochialibus habentur *sub tit. de Paroch. disc. 36.* sed id sequutum fuit cũ aliqua moderatione, vt Ecclesiæ antiquæ aliarumq; matri aliquæ remanerent præeminentiæ priuatiuè, eo modo, quo praxis docet in casu, de quo *d. disc. 36. de Paroch.* & suprà *disc. 9.* & in alijs, & sic quod esset potiùs communio subiectiua, vel obsequij, seù clientelæ gratia; Accedente quoque altera ratione ponderata *d. disc. 36. de Paroch.* decentioris scilicèt cultus ob vnionem plurium clericorum, & populorum in vno loco.

Reflectendo autem ad veritatem, mihi videbatur, quod ista materia non esset capax regulæ generalis, quæ cuicumque casui parifotmitèr, ac indefinitè appli-
8 canda esset, iuxtà communem, adeòque frequentem Iuristarum totiès inculcatũ errorem procedendi cum generalitatibus, vel cum decisionibus, qui in diuersis casibus prodierint, sed quod quæstio sit potiùs facti, quàm iuris, ex singulorũ casuum circumstantijs diuersimodè decidenda, vt etiam aduertitur *in Miscellan. Ecclesiast. d. disc. 37.*

Vbi etenim agatur de Ecclesijs, ac respectiuè Cleris, & populis, verè & materialitér separatis, cum intersecatione agrorum, seù campestris territorij, adeò vt naturalitér, & de facto constituant duo Oppida, seù duos Pagos omninò diuersos, atque quælibet Ecclesia competenti Clericorum, & ministrorum numero ita prouisa sit, vt decentèr huiusmodi functiones separatim explicare valeat, adeóvt non vrgeat ratio æmulationum, & factionariæ diuersionis populi; Et tunc pro diuisione omninò responderi debeat, quamuis vrgeret dicta non improbabilis ratio, quod non esset communio, vel societas omninò coęqualis, sed potiùs dici mereretur subiectiua, vel reuerentialis, ratione antiquitatis, vel matricitatis, ac propterea diuisio præiudicium antiquæ, seù matrici Ecclesiæ pareret, & de consequenti non intraret dicta iuris regula super diuisionis libertate, & ob quam rationem huiusmodi petitionibus annui nõ solet; Cùm etenim ex duobus malis eligi debeat minus, hinc proindè magis expedire videtur euellere radices, & occasiones tot scandalorum, & inconuenientiũ, atque fomentum naturalis inimicitiæ, seù antipatiæ inter Cleros, & populos, bené tamen preseruando ius Ecclesię matricis, vel antiquioris, cum aliqua honorificentia, vel signo subiectionis singulis annis, putá oblationis cerei in die solemnitatis, vel cum alio simili signo.

Ad id autém conferre obseruabam receptam propositionem deductam *ex capit. suggestum de decim.* de qua *eod. tit. de decim.* & pené in omni alia materia pluriés, quod scilicét quando priuilegium, seù lex, quinimò etiam contractus correspectiuus tractu temporis, vel ex accidentibus ad iniustitiam, vel iniquitatem reducatur, seù aliàs pariat scandala, & inconuenientia, cui non de facili opportunè occurri valeat, tunc locus est rescissioni, vel reductioni ad iustitiam, aut alteri opportunæ prouisioni.

Aut verò agitur de vno, & eodem loco, in quo non congruat easdem functiones diuidi, seù multiplicari, adeòvt non intrarent dictæ considerationes, sed potiùs aliæ in oppositum, quod scilicèt ita æmulationes, & diuersiones populi resultarent, vel cultus diuinus diminutionem pateretur, aut sequeretur inobseruantia Cæremonialis, vel Ritualis; siuè quod, posita etiam locorum materiali separatione, in singulis Ecclesijs non adesset sufficiens numerus Clericorum, & ministrorum, ac propterea functiones decentér explicari non possent; Et tunc

fecit; Et in summa pro singulorum ca-
suum particularibus circumstãtijs, & pro
cuiuslibet facti qualitate.
Inter alias item Ecclesias Parrochia-
les Oppidi Cerchiariæ huius Diœcesis,
inter quas earumque Cleros, & populos
9 eadem vigent æmulationes, disputatio-
nem habui coram A.C. Quód scilicèt cũ
duæ adsint Ecclesiæ; Vna scilicèt anti-
quior, & matrix S. Petri; Et altera re-
centior filialis S. Iacobi, prætendebat
prior non solùm præcedentiam, ac etiam
præeminentiam, vt ad eius Rectorem spe-
ctaret peragere indiuiduas functiones;
quodque ad ipsam accedere deberent
Rector, & Clerici alteriùs, vt contingit
in Processione Corporis Christi, alijsque
similibus publicis, sed prohibere posset
alteri, ne campanam pulsaret in die Sa-
bathi Sancti, priusquam sequeretur pul-
satio suarum cãpanarum, ac etiam vt pro
eius libito indicere posset processiones
extraordinarias, & insolitas, putà pro
pluuia, vel pro serenitate, vel ex alia de-
uotione, atque ad eas cogere Rectorem,
& Clericos alterius Ecclesiæ, ex prærog-
atiua matricitatis.
Scribens itaque pro ista Ecclesia S. Ia-
cobi, dabam manus victas super primis
punctis, præcedentiæ scilicèt, & iuris per-
agendi publicas processiones, aliasque
similes functiones indiuiduas, quæ fieri
debent in Ecclesia digniori, ad quam
10 aliç accedere tenentur; Sed quoad pun-
ctum indicendi voluntarias processiones,
atque ad eas cogendi huius Ecclesię Re-
ctorem, & Clericos; Dicebam, etiam cũ
sensu veritatis, quod ista esset iniusta,
maléque fundata prętensio, etiam vbi
iustificaretur prętensa matricitas, cuius
ratione ista præeminentia, vel iurisdictio
pretendebatur; Non potest etenim Ec-
clesia matrix habere maius ius cum Ec-
clesijs filialibus, quam habeat Ecclesia
Cathedralis, & tamen, vt habetur in
suprà allegato *disc. 32. Miscellan. Eccles.*
etiam Ecclesia Cathedralis non potest
cogere Clericos Ecclesiarum inferiorũ,
quæ de iure sunt illius subditæ, ad hu-
iusmodi voluntarias processiones, alias-
que solemnitates, ergó multò minus Ec-
clesia matrix, vel parochialis, quamuis
aliæ Ecclesiæ dici possent eius subditæ
in ratione territoriali, quia nempè intrà
eius territorium, vel fines parrochiales
sitæ essent, quoniam cum eis habere so-
lúm dicitur quandam præeminentiam, &
superioritatem remotam, non tamen di-
11 ci possunt verè, & propriè eius subditæ,
& omninó dependentes pro alijs fun-
ctionibus, iuxtà firmata per *Rot. in Auer-
sana coram Coccino inter suas decis. 2089.
& 2126. repetit. decis. 552. & 575. par. 5.
recent.* & aduertitur *in d. tit. de Paroch.
in Parmen. disc. 31.*
Potissimè veró, quia stante distinctio-
ne trium specierum matricitatis, de qua
d. disc. 27. de Paroch. nulla dabatur iusti-
12 ficatio illius veræ matricitatis, quæ re-
sultet à retentione reliquiarum antiqui
dominij, & iurisdictionis, quia nempè to-
tum territorium esset suum, atque per
dismembrationem eius partis de nouo
erecta esset alia Ecclesia, quę propterea
filialis dicitur, obligata saltim ad aliquã
reuerentiam erga propriam matrem, quã-
uis eius subdita non sit, sed potiùs adesse
videbatur illa matricitas, magis remo-
ta, & impropria, resultans ex eo quod,
vel ratione antiquitatis, vel ex alio re-
spectu, esset Ecclesia maior in loco, ideó-
que confunderetur terminus matricis,
cum illo maioris, vel primę in ordine.
Tunc autem aduertebam, quod quali-
13 tas matricitatis hanc iurisdictionem, vel
preeminentiam causare posset, etiam in
functionibus voluntarijs, & ex deuotio-
ne, quando ageretur de tertia specie
matricitatis, quę potiùs dominicalem
prerogatiuam importat, quia nempè aliç
Ecclesiæ inferiores essent omninó de-
pendentes, tanquam eius membra, &
erectę in eius adiutorium pro maiori cõ-
moditate populi, iuxtà *decis. 153. & 204.
par. 2. recent.* cum concordantibus, de
quibus *d. disc. 36. de Paroch.* & pluriés
sub tit. de benefic. & alibi, quoniam tunc
verè, & propriè Ecclesia matrix, seù
principalis dicitur vnica, totumque ter-
ritorium suum, suusque est vniuersus
Clerus, & populus ita materialitèr solúm
distributus pro maiori commoditate in
pluribus Ecclesijs tanquam tot Cappel-
lis eiusdem Ecclesię, & per consequens
quemadmodum ad huiusmodi processio-
nes euocat proprios Clericos, & subdi-
tos immediatos, ita pari ratione euocat
istos mediatos ad instar eorum, quæ in
Clero regulari habentur de Religiosis
viuentibus in membris, vel grancijs
Monaste-

Monasterij principalis, quod habentur, ac si essent de ipso Monasterio; Atque ad hanc distinctionem huiusmodi diuersarum specierum matricitatis reflecti debet, cùm aliàs facilis sit æquiuocorum incursus, capiendo quid pro quo, vt generalitèr pené in omnibus alijs materijs contingit.

Ex eadem distinctione pendere dicebam decisionem dicti tertij puncti super præeminentia primæ pulsationis Cam-
14 panarum in die Sabathi Sancti; Ista namque est prerogatiua Ecclesiæ Cathedralis, etiam supra Regulares exemptas, iuxtà plures declarationes Sacræ Congregationis relatas per diligentem Collectorem *Barbos. in summa Apostolicarum decisionum collectan.* 82. inter quas notabilis, ac penè Magistra est illa in Venusina pro Cathedrali cũ Regulari Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Ordinis S.Ioannis Hierosolymitani, habente dignitatem, seù prærogatiuam prioralem, seù baiuliuatus; Et licèt aliquæ declarationes relatæ per *Barbosam vbi supra*, loquantur etiam de matrice, attamen intelligendas esse dicebam de dicta tertia, & vltima specie, redolente potiùs dominium aliarum dependentium, & subditarum, quibus præcipere, & prohibere potest, ex eadem ratione, de qua supra, quod scilicèt fingantur tot eius Cappellæ, seù membra; Siué de secunda superiùs distincta, cui veré, & proprié congruit terminus matricis, fortiùs verò quando assisteret consuetudo, quæ attendenda
15 esset, quamuis non esset, nec immemorabilis, nec centenaria, sed solùm longissima quadragenaria, imò etiam longa, & simplex, quæ sufficiens in hoc proposito videtur etiam in casu simplicis matricitatis, iuxtà primam speciem, idque ex duplici ratione; Primò nempè quia, cum id expresse in iure statutum non reperiatur, dici non potest consuetudo cõtrà ius, sed potiùs præter, iuxtà ea, quæ ad materiam textus *in cap. cum sint*, habentur *sub tit. de decim. disc.* 1. cum alijs, de quibus super generali materia præscriptionis, habetur *sub tit. de iudic. disc.* 21. Potissimè quia diei meretur cõsuetudo rationabilis, vt illa Ecclesia vniuerso populo præbeat Pascbalis letitiæ signum, quæ sit in loco prima, & alijs dignior; Ac etiam ad tollenda scandala, & inconuenientia oriri solita, ex huiusmodi spiritualibus æmulationibus, quæ Clericis Secularibus, & Regularibus videntur connaturales, dum pro vana pretensione in horis incongruis celebrentur illa Diuina, quæ ea die celebrantur, iuxtà antiquam quæstionem relatam *per Alberic.in dictionar. verbo Campana, vers. Audiui*.

Et secundò, quia ista dicenda veniret, potiùs consuetudo interpretatiua, quàm præscriptiua, ideòque fauorabilis, & non indigens rigorosis requisitis præscriptionis, iuxtà notoriam, nimiumque frequentèr insinuatam distinctionẽ, præsertim *d. disc.* 21. *de iudic.* & alibi pluriès, quod scilicèt ita declaratum, seù comprobatum remanere dicitur, quod illa Ecclesia esset vnica, à qua aliæ dependerent, & quod quando per dismembrationem partis eius populi, & territorij ad aliarum Ecclesiarum filialiũ erectionem deuentum est, matrici reseruata fuerit ista prærogatiua, ad instàr eorum, quæ habentur *d. disc.* 27. *de Paroch.* super iure sepeliendi, *& disc.* 12. *de decimis*, super iure decimandi, cum similibus; Incertus verò est exitus, vel status huius causæ, dum post vnicam disputationem de illa ampliùs actum non audiui.

Tranen̄ Præcedentiæ.

PRO

Rectore, seù Vicario Ecclesiæ S. Iacobi.

CVM

Vicario Ecclesiæ S. Sepulchri.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, & resolutus, vt infrà.

De præcedentia inter Rectores, vel Clericos Ecclesiarum in processionibus, & funeribus, & quomodò ea regulanda sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio.*
3 *Parochus in propria parochia præcedit omnes.*
4 *De eodem, & quando etiam in parochia aliena.*
5 *Ius agendi processiones est territoriale, seù iurisdictionale.*
6 *Abusus est vt minus dignus præcedat magis dignum.*
7 *Sæculares præcedunt Regulares.*
8 *Officialis manualis sine titulo non præcedit habentem titulum.*
9 *Quando minus dignus præcederet isto casu.*

DISC. XLIII.



1 IN pluriés enūciato Oppido Barolitano, duæ adsunt Ecclesiæ parochiales; Vna scilicèt maior sub inuocatione S. Mariæ, quæ supponitur, vel nuncupatur Collegiata, & Matrix, iuxtà deducta *sub tit. de Paroch. disc.* 27. Et altera, sub inuocatione S. Iacobi, in quarum vtraq; notabilis adest numerus Clericorum, iuxtà illarum partium mores pluriés enunciatos *sub tit. de Canon. & Capitul.* quandam speciem Capituli, seù Collegij constituentium, cum massa, & arca communi; Ac etiam vltrà Ecclesiam Nazarenam, de qua *sub tit. de iurisdict. disc.* 20. adest Ecclesia Regularis Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani, Prioralem habens dignitatem, cuius seruitio, & cultui, vltrà eiusdem ordinis professos Cappellanos obedientiæ, quamplures alij Clerici sæculares adscripti sunt, qui ad instár prædictarum duarum Ecclesiarum, quandam consimilem speciem Collegij, seù Congregationis quoque constituunt.

In processionibus autem solemnibus, vel deuotionis, ac etiam in funeribus, quando prædictos omnium trium Ecclesiarum Clericos ad illas euocari contingat, sub vnica Cruce dictæ Ecclesiæ S. Mariæ promiscué, & in confuso illi accedunt, absque distinctione, vel præcedentia, solúmque istam obtinent duo præfatæ Ecclesiæ Sactæ Mariæ titulum collatiuum habentes, cum nuncupatione dignitatum, Cantoris, & Primicerij, cum insigni, siué almutio, & post eos, Rector eiusdem Ecclesiæ S. Mariæ, qui Archipresbyteri nuncupationem habet, in titulum paritèr prouideri solitus eundem habens vsum almutij; Alter Rector dictæ Ecclesiæ S. Iacobi, paritèr in titulum prouideri solitus, Vicarij tamen habens nuncupationem, sine almutio, sed cum stola, & ille præfatæ Ecclesiæ Sancti Sepulchri Vicarius, quem ad nutum deputat Prior dictæ Hierosolymitanæ Religionis.

2 Non controuersa itaque præcedentia, seú primo loco in Archipresbytero Sanctæ Mariæ, inter alios duos, exorta præcedentiæ quæstione, introductaque causa in Congregatione Rituum; Cùm ex parte dicti Vicarij Ecclesiæ Sancti Sepulchri, doctum esset de eius possessione; Hinc prodijt resolutio, vtrique respectiué fauorabilis, Rectori scilicèt S. Iacobi, simplicitèr, ac indefinité in funeribus; Vicario autèm S. Sepulchri, in processionibus in possessorio tantùm, reseruato agere de petitorio; Neutra verò Partium huic resolutioni acquiescente, obtenta fuit proindè noua audientia pro repropositione.

In hac itaque posteriori disputatione, in qua solùm pro dicto Rectore S. Iacobi scripsi, distinguendo causam in præfatas duas inspectiones; Vnam scilicèt fu-
3 nerum, & alteram processionum; Quatenús pertinet ad primam, etiam in sensu veritatis, qualem Sacra Congregatio quoque agnouit, dicebam, quod casus esset indubitatus pro hac parte, quoniàm cúm agatur de functione parochiali, in qua Parochus interuenit, non in sola ratione præeminentiali, sed etiam in altera iurisdictionali, seù territoriali, in cuius signum priuatiuè ad omnes alios stolam defert; Hinc proindè reliquos, quamuis digniores præcedere debet, ex ijs, quæ habentur supra *hoc eodem titulo disc.* 21. *& tit. de paroch.*

4 Et quamuis de stricto iure id procedere solùm deberet in funeribus, quæ fiant in propria parochia, iuxtá illam istarum Parochiarum finium distinctionem, de qua agitur *sub. tit. de Paroch. d. disc.* 27. non autem, vbi ageretur de fu-

neri-

neribus alterius Parochiæ S. Mariæ; Nihilominùs aduertebam, quod ista distinctio intraret inter ipsos Parochos, adeòvt in funeribus istius Parochiæ alter, qui Archipresbyteri dignitatem, vel nuncupationem habet, præcedentiam prætendere non posset, nisi quatenùs benè iustificaretur illa vera matricitas, de qua agitur *in d. disc. 27. de Paroch.* Sed cùm inter istos sociatiuo quodam iure, ista conuentio, vel consuetudo adsit, quemadmodùm in ista Parochia, ex iuribus eius Rectoris, alter digniorem occupat locum, ità iste habeat in illa alterius iure cuiusdam communis territorij, absq; eo, quod tertius, qui nullum habet ius territoriale se ingerere valeat, & per consequens in hac parte casus videbatur planus.

Talem quoque dicebam esse casum, in altera inspectione, super functione processionum, ex pluribus fundamentis, quæ etiam singularitèr considerata, concludentia videbantur, multó magis simul iuncta; Primò nempè ex eadem ratione
5 iurisdictionali, seù territoriali in funeribus, vt supra considerata, dum etiam in processionibus eadem militat, seù consideratur ratio iurisdictionis, & territorij, ex ijs, quæ in ijs terminis processionum, quæ fiant per Regulares extrà propria Claustra, vel proprium Monasterij ambitum habentur *in Miscellan. Ecclesiast. disc. 15.* ac etiam ibidem *disc. 32.* in terminis processionis inter duas Ecclesias sæculares; Et per consequens inter vnam, & alteram functionem nulla in proposito constituenda videbatur differentia, cúm eadem adamussim intraret ratio; Atque in hoc versari dicebam æquiuocum, cum quo processum erat, quia scilicèt supponebatur, quod ageretur inter duas coæquales Ecclesias æquè parochiales, vel æquè simplices, iuxtà casus, de quibus sup. *disc. 9.* & infrà *disc. seqq.* ac etiam in *d. Miscellan. Eccles. disc. 37. & alibi*; Secùs autem, vbi vna earum habeat iurisdictionem, & ius territoriale, altera veró non, cùm tali casu, secluso expresso priuilegio Apostolico, vel illo præsumpto, quod in vim benè probatæ immemorabilis, vel centenariæ pacificæ, & non vitiosæ allegari potest, vehemens, ac manifesta dignoscatur iuris resistentia, vt extetus, vel subditus, in alieno territorio istius Dominum præcedere debeat; Ac propterea illa possessio, vel consuetudo, quæ supponebatur, quatenùs di-
6 ctam qualitatem immemorabilis, vel centenariæ non vitiosæ non haberet, corruptela potiùs, & abusus dici merebatur, ex deductis *apud Gregor. & add. dec. 124. & 310. & frequentèr suprà.*

Secundò, quia ista Ecclesia S. Sepulchri, quæ per dictum Vicarium repræ-
7 sentatur, est Regularis, ideòque iuxtà hierarchicum ordinem, de quo supra *hoc eodem tit. disc. 24. & in d. Miscell. Ecclesiast. disc. 40.* Sæculares quamuis recentiores, ac minoris dignitatis præcedunt Regulares.

Et quāuis huiusmodi Religionis Cappellani, vtpoté eundem habentes Clericorum sæcularium habitum in Clero, seù hierarchico ordine sæculari potiùs recēsendi sint; Attamen id rectè procedit in ordine ad præcedentiam suprà Regulares Ordinis Monastici, vel Mendicantis, iuxtà quæstionem, de qua suprá *d. disc. 24.* ex quo patet, quod Canonici Regulares Lateranenses præcedunt quidem alios Regulares, etiam antiquiores Monachos Benedictinos, & Basilianos, sed cedunt locum omnibus Clericis Ecclesiarum sæcularium.

Et tertió, quod iste Vicarius nullum habet titulum, adeòvt Ecclesiæ Rector, vel Prælatus dici valeat, sed nuncupatur talis ratione alicuius iurisdictionis, quam
8 vice Prioris Ecclesiæ exerceat, cum eiusdem Ecclesiæ Clericis, & Seruientibus professis, vel non professis, iuxtà illam iurisdictionis speciem, de qua *sub tit. de iurisdict. disc. 4.* Sed exindè inferri non potest ad huiusmodi actus præeminentiales, in quibus ista accidentalis, ac manualis iurisdictio non habetur in consideratione, quoniàm in dicta Ecclesia S. Mariæ, vel respectiuè in altera S. Iacobi pro Diœcesani Archiepiscopi libito adest Vicarius foraneus, cum iurisdictione pro cognitione causarum, etiam cum aliqua maiori prærogatiua, quam regularitèr alij Vicarij foranei habeant, ob consuetudinem insinuatam *d. tit. de iurisdictione disc. 23.* Sed nō per hoc iste Vicarius præcedentiam habet suprà præfatos Rectores, multó igitur minùs eam prætendere poterat iste Vicarius Prælati Regularis in Ecclesia sæculari sine iure territoriali.

Tunc autem, reflectendo ad veritatem aduertebam, quod istius Vicarij præcedentia sustentabilis esset, quando subsi-
9 steret, ac benè iustificaretur prætensio Rectoris, vel Archipresbyteri dictæ Ecclesiæ S. Mariæ, de qua agitur *d. tit. de Paroch. disc.* 27. quod scilicèt Ecclesia Parochialis totius Oppidi, & territorij esset illa S. Mariæ, solusque Rector eius Archipresbyter, altera veró Ecclesia S. Iacobi esset filialis, cum ea magis subordinata, & dependenti filialitate, quæ in Ecclesia adiutrice consideratur, iuxtà plures Matricitates consideratas in mox *allegato disc.* 27. adeóvt iste Vicarius S. Iacobi dici non posset Rector, qui suam Ecclesiam repræsentaret, sed potiùs Vicarius, & Minister præfati Archipresbyteri, iure famulatus, cùm tunc incongruum non esset, vt Parochus occupando primum, ac digniorem locum, concederet secundum præfato Vicario extero, supra proprium famulum; Verùm cessabat motiuum ex defectu applicationis, quoniàm de hac matricitate non constabat, exclusa per Rotam ex insinuatis *d. disc.* 27. ob formalem separationem finium particularium, cum omnimoda independentia; Ac etiam ex eo, quod si ita esset, iste Vicarius præsente principali Rectore, & Domino, non deberet deferre stolam in signum iurisdictionis, ac iuris Parochialis.

Chassanen Sedis.

PRO

Episcopo.

CVM

Vice Barone.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Rituum, & resolutus pro Episcopo.

De præeminentia, quæ Baroni, seù Domino temporali debeatur in Ecclesia; Et an eadem potiri debeat eius Vicarius, vel Substitutus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De attentatis pendente recursu ad Sacrã Congregationem.*
3 *Laicis non datur locus in præsbyterio.*
4 *Decretum irritans, contentum in Bulla confirmationis Ceremonialis tollit consuetudinem.*
5 *De sede debita Baroni, seù Domino loci in Ecclesia.*
6 *Non tamen istam sedem occupare potest Vice Baro.*
7 *De stylo Sacrarum Congregationum deferendi antiquis resolutionibus.*
8 *De eodem, de quo num.6. an Vicario competat prærogatiua principalis.*
9 *De quibus Magistratibus loquatur Cæremoniale.*
10 *Datur norma, quomodò ista materia regulanda sit.*

DISC. XLIV.



1 PRO misera penè vniuersali conditione Ciuitatũ, & Oppidorum Neapolitani Regni, infeudata Ciuitate Chassanensi Marchioni Serræ Ianuensi, cũ iste in longè grauioribus occupatus, ibi residendi consuetudinem non haberet, sed Vicarium, seù Locumtenentem, sub nomine Gubernatoris principalis teneret, ad feudi regimen, & pro Baronali iurisdictione in dominio, non autem in exercitio, quod est penés Officialem annualem, cui pro moribus Regionis, Capitanei, vel etiam Gubernatoris localis, nomen congruit; Quidam autem Vicarius; vel Gubernator Generalis, forsan Sede Episcopali vacante, vel cum alia ignota oportunitate, honorificam sedem, cum subsellio, & tapeto fixisset in Cathedralis Ecclesiæ parte superiore, cui congruit Presbyterij vocabulum, quia nempè ibi Clerici à sæcularibus separati Diuina peragere, atque Episcopo assistere solent; Hinc nouus Episcopus eam amoueri mandauit, introductaque causa (incertum est, an ex Episcopi, vel Gubernatoris parte) in Sacra Congregatione Rituum, pro Episcopo prodijt resolutio,

tio, in disputatione principalitèr habita super reuocatione attentatorum, exindè resultantium, quod pendente causa in eadem Congregatione Gubernator Sedem iam amotam denuó apposuisset, cum subsequuto vsu, ideóque concernentia merita negotij principalis incidentèr potiùs deducta fuerunt, incertumque remanet, an causa vlteriorem habuerit progressum, dum post vnicam disputationem ampliùs de illa actum non audiui.

In hac itaque disputatione, vltrà ea, quæ concernebant attentatorum punctũ
2 tractatum cum illis generalitatibus, quæ habentur in hac materia deductæ *sub tit. de iurisdict. disc. 31.*

Quatenùs pertinet ad merita negotij principalis, scribendo pro Episcopo duas efformabam inspectiones, vnam scilicèt specialem super loco; Et alteram generalem super iure habendi hanc sedẽ in Ecclesia Cathedrali, vel quacumque alia, Episcopo reluctante.

Super primo puncto, modica, vel nulla cadebat ratio dubitandi, quatenùs
3 subsisteret facti præsuppositum, quod ille locus esset par Presbyteris, quoniàm vt ex dispositione, ac sensu Sacrorum Canonum dispònitur in Cęremoniali *cap. 15. in fine*, id expressè prohibetur, exemplo Diui Ambrosij, qui Theodosio Imperatori sedem in tali loco denegauit.

Neque suffragari posse dicebam consuetudinem, quamuis ea supponenda esset probata, quod tamen ex hac parte negabatur, quoniàm cùm idem Cęremo-
4 niale contineat decretum *irritans*, istius virtus est inficere quamcumq; possessionem, & consuetudinem, quinimò impedire nè illa nascatur, dum dari non potest sine possessione, quæ ita habetur pro non extante, ex plenè generalirèr deductis *per Rotam decis. 400. par. 9. & 199. par. 12. recent. & sub tit. de iudic. disc. 21.* ad materiam præscriptionis, & in specie Cęremonialis *decis. 102. par. 10. recent.*

Quo veró ad aliam inspectionem generalem, super iure habendi sedem in Ecclesia inter seculares, distinguendum esse dicebam inter ipsum Baronem, & Dominum, eiusque Vicarium, vel Substitutum; Primó etenim casu admittebam, vt ei debita esset honorifica sedes, per quam distingueretur à subditis, &
5 reliquo Populo, ex ijs, quæ plenè in hac materia habentur deducta suprà *hoc eod. tit. disc. 26.* Ita tamen, vt sedes esset amouibilis, non autem fixa, multó magis, vbi speciem throni elati redoleret, cum id Episcopo solùm concedatur, ac etiam illi Domino temporali, qui iura supremi Principatus habeat, adeóvt illi congruat attributum Lunæ, de quo *in cap. solita de maiorit. & obedient.* ex ibi paritèr deductis, vbi, quamuis ingenium acuendo, more Aduocati, sustinere conarer competentiam throni fauore consimilis Baronis, in feudo, quod dignitate seù titulo decoratũ non esset; Attamen agnoscebam id ex dispositione iuris, vel Cęremonialis, & ex multis declarationibus Sac. Congregationis, non competere, sed dicebam, vt in eo casu intrare posset limitatio regulæ, ob illius Prouinciæ consuetudinem, ac etiam quia agebatur de casu, in quo tanta non dignosceretur resistentia, in inferiori scilicèt Ecclesia Parochiali, vel Collegiata, extrá præsentiam, & residentiam Episcopi, vt nihilominùs admissum non fuit; Multò igitur minus, vbi agitur de Cathedrali, ac etiam, quod cesset dictum motiuum consuetudinis, quam neque Sacra Congregatio approbat, quinimó damnat, sed vbi de facto seruetur, solùm tolerat, vel dissimulat ad euitanda scandala, & incõuenientia.

In altero autem casu Vicarij, vel Substituti eiusdem Domini; Veriùs est op-
6 positum, vt eundem locum prætendere non valeat, vt in specie decretum fuit ab ista Sacra Congregatione in vna *Castellaneten. 8. Februarij 1631.* quod scilicèt etiam, vbi ipse Baro, ex consuetudine, fixam sedem in Ecclesia haberet, non tamen Vice Baroni quantumuis amplam potestatem habenti licitum sit in ea sedere.

Quamuis autem pro Sacrarum Congregationum stylo, præsertim veró istius Rituum, dicta declaratio sufficeret, dum pro frequentiori praxi, cum antiquis
7 declarationibus procedi solet, non de facili aures præbendo Aduocatorum iuridicis distinctionibus, vel ratiocinijs, vt præsertim patet ex casu, de quo supra *disc. 22.* & ex alio de quo in hoc Supplemento *in Neapolitana disc. 46.* & alias plu-

pluriès; Attamen, vt genio, ac stylo satisfacerem, abhorrendi scilicèt merè pragmaticum morem immorandi in solis decisionibus, vel auctoritatibus, non perquirendo rationem, vel principium, deducebam ea, quæ in ista quæstione, an subsellium, vel honorifica sedes debita magistratui, vel dignitati Ecclesiasticæ,
8 vel sæculari, debeatur eius Vicario, vel Procuratori, aut substituto, habentur *apud Bald. in l. sed si hac §. fin. ff. de in ius vocando, Gomes §. fuerat instit. de act. num.*8. & benè ad rem *Frecc. de subfeud. in addit. fol.*96. *à tergo primæ impressionis*, atque docet quotidiana praxis in Vicario generali Episcopi, vt sedeat quidē in honorifico loco supra subditos, supra quos præcedentiam habeat, ex deductis supra *disc.*18.Sed non per hoc sedere potest in trhono, vel sede Episcopali; Ac etiam habetur *in l. sed si hac §. fin. ff. de in ius vocand.* vt honor debitus patrono non debeatur eius Vicario, vel Ministro, talisque videtur praxis in Ecclesijs patronatis, vt scilicèt Procurator habeat exercitium iurispatronatus, super iure præsentandi, vel nominandi, ac alijs, quæ concernant eiusdem iuris fructum, non autem, vt habeat omnia honorifica tractamenta, quæ ipsi Patrono præsenti competerent.

E' conuerso deducebantur ea, quæ habentur apud *Bart. in l. filius, ff. de legib.* vbi, quod Vice Rector gaudet eisdem priuilegijs Rectoris, *& apud Chassan. in cathal. glor. Mund. par.*7. *consid.*25. *Boer. in addit. de auct. magn. Cons. num.*69. quod scilicèt Vicarius, vel Locumtenens gaudeat eisdem prærogatiuis, quibus Dominus, vt etiam habetur *in cap. vlt.* 93. *distinct.* Ponderando quoque, quod etiam in ipso Ceremoniali habetur, vt maioribus Magistratibus, & Vicarijs aliqua honorifica sedes debita sit.

Respondebam tamen, omnia hæc extranea esse à casu; Quatenùs enim pertinet ad hoc vltimum argumentum deductum ex Cerimoniali, aduertebam id
9 continere clarum æquiuocum, quoniam illud loquitur de Vicarijs, & Magistratibus maioribus Regum, vel Supremorum Principum, ideòque ad summum cum debita proportione id suffragari posset ipsis Baronibus, ac Dominis, qui vtpotè non habentes veram dignitatem, cum iuribus regalibus, ita Magistratuum Principis figuram faciunt tanquam perpetui, & hæreditarij officialis, vt aduertitur *apud Capoblanc. de Baron. num.*55. *& d. disc.*26. atque pluriès insinuatur *sub tit. de feud.* & sub altero *de Regalibus*, ideòque prorsùs erroneum est ipsorum Baronum Vicarijs adaptare ea, quæ de Præsidibus, ac maioribus Magistratibus disponuntur, & quæ ipsismet Baronibus conueniant.

Et quoad alias dictas auctoritates, vel similitudines, dicebam, vt procederent quoad exercitium iurisdictionis, & potestatis, in ijs, quæ pendent ab ipso deputante, vel constituente, non autem in huiusmodi præeminentijs in Ecclesia, in qua laicalis potestas nullam habet iurisdictionem, seù præeminentiam iure proprio, sed ex commendabili stylo ratione congruentiæ, & vrbanitatis honorificos tractatus recipit ab Episcopo, vel Prælato ratione dominij, vel dignitatis; Ideòque idem Episcopus, vel Prælatus cogendus non est eosdem honorificos tractatus præbere illi priuato, & quandoque inferioris conditionis, quem ipse Baro, eius Vicarium, vel Substitutum deputet.

Pluriès verò super hac materia consultus, vel ad veritatem reflectendo, erroneum credidi in ea, eum huiusmodi generalitatibus indefinitè procedere, il-
10 lasque omni casui applicare, tàm vbi, cum ipsomet Domino, vel Barone agatur, quàm etiam, vbi cum eius Vicario, vel Substituto, cùm dici potiùs debeat facti magis, quàm iuris, ex singulorum casuum circumstantijs decidenda, pro diuersis scilicèt moribus Regionis, quibus potissimùm deferendum est, cum id, quod in vno loco illicitum, & scandalosum videtur, in altero licitum, & congruum reputari soleat, adeòvt potiùs scandalum sit id negare.

Attendenda quoque particularitèr videtur qualitas dominij, vel Baroniæ, ac etiam qualitas personæ, in qua illud feudum, vel Baronia resideat; Si enim attenta persona, quæ sit in eximio statu constituta, possideat tamen illud feudum subordinatum iure simplicis Baroniæ, iuxtà pluriès recensita exempla *sub dicto tit. de feud.* de Magno Duce Florentiæ, & Duce Parmæ possidentibus feuda iure simpli-

simplicis baroniæ in Regno Neapolitano, atque decurso sæculo praxis docuit in Poloniæ vidua Regina Bona, possidente Ducatum Barij, de qua plenam mentionem habet *Maxilla ad consuetud. Baren.* cum similibus, quoniam licèt de stricto iure ad instar eorum, quæ habentur de Episcopo, qui sedeat in Capitulo tanquam Canonicus, vel in schola tanquam scholaris, Rex, vel Princeps in loco feudi subordinati faciat figuram Baronis, & non Regis, vel Principis, iuxtà exemplum, quod DD. tradere solent de Rege Angliæ in Ducatu Vasconiæ; Attamèn id rectè procedit quoad iurisdictionalia, aliaque iura feudi, sed quoad ista præeminentialia, & honorifica, stultitiæ species videretur, ita tractare huiusmodi Principes, vt alios simplices feudatarios, & Barones; Quinimò in eodem genere feudatariorum, & Baronum idem intraret error super equalibus tractamētis alicuius Magnatis primi ordinis, vulgò *Grande*, & qui magnum Statum haberet, magnamque potentiam, cum simplici Barone, vel Titulato alicuius obscuri loci, sed omnia practicari debent cum debita proportione, quæ paritèr intrat in eorumdem Baronum, & Dominorum Vicarijs, vel Gubernatoribus generalibus, dum iuxtà notoriam praxim magna dignoscitur differentia inter Gubernatorem generalem alicuius magni Status possessi per Magnatem primi ordinis, & Gubernatorem alicuius particularis feudi, vel etiam plurium non ita qualificatorum, ideóque in omni materia tam prophana, quàm spirituali idem dignoscitur error procedendi cum generalitatibus, vel indefinitè applicandi cuieumque casui iuridicas propositiones, vel decisiones, non reflectendo ad singulorum particulares circumstantias, ex quibus congrua pendet applicatio, in qua verè totum consistit.

Nullius Præeminentiarum.

PRO N.

Consilium pro veritate.

An Comites, vel Marchiones ex solo priuilegio alicuius Principis absque actuali feudo nobili cum vassallis, & iurisdictione gaudeant Comitum, & Marchionum præeminentijs, præsertim in diuerso Principatu,

SVMMARIVM.

1 *Casus controuersia.*
2 *De stylo Sacrarum Congregationum in procedendo.*
3 *In possessorio manutentionis non queritur de iustitia, vel iniustitia.*
4 *Competit hoc possessorium etiam in præeminentijs, & iuribus honorificis.*
5 *De errore procedendi cū generalitatibus, quia est distinguendum.*
6 *De Comitibus Palatinis Cathedraticis.*
7 *De veris Comitibus dignitatis cum iure principatus.*
8 *De Comitibus, alijsque Titulatis actualibus iure Baronia.*
9 *De Baronibus, eorumque diuersa qualitate.*
10 *De aliquibus distinctionibus in eodem genere Titulatorum.*
11 *De illis Titulatis, qui fuerint actu tales, sed de præsenti non sint.*
12 *De Comitibus, & Marchionibus solùm nuncupatis ob antiquam dignitatem maiorum.*
13 *De Comitibus, & Marchionibus ex solo priuilegio, iuxtà casum controuersia, & quid extrà Territorium proprium.*
14 *De Doctoribus ex solo priuilegio.*
15 *Distinguitur ista species, de qua num. 13.*
16 *An tertius apponere possit de incompetentia insignium.*

DISC. XLV.



1 CVM quidam priuatus nobilis vir qualificatæ Ciuitatis Status Ecclesiastici ab vno ex illis Italiæ Principibus supremis, qui Ducali prçfulgent dignitate ex priuilegio, pro illius Principis cõsuetudine, Comes creatus esset, ideóque Comitalem coronam super eius stemmate, vel armis adhiberet, alijsq; potiretur prærogatiuis, Alij veró æquè nobiles Conciues, occasione præsertim munerum Magistratus Ciuitatis huiusmodi præeminentias impugnarent, quodque æquales tractatus cũ eis in omnibus habere nõ deberet; Hinc me pro veritate consuluit, an expediret pro suorum iurium, & præeminentiarum manutentione adire Congregationem Consultationum negotiorum Status Ecclesiastici, quæ videtur huiusmodi controuersiarum iudex competens, iuxtà casus, de quibus suprá *disc. 30. & 31.*

Respondi distinguendo ea, quæ respiciunt ordinem iudicij, seù directionem, ab ijs, quæ concernunt iustitiam, seù merita negotij principalis, quod circa pri-
2 mam ordinis partem, non expediret adire dictam Congregationem Consultæ, quoniam vt agendo de Sacris Curiæ Cõgregationibus aduertitur *in Relat. Romanæ Curiæ disc. 14. & seqq.* vbi in specie *cap. 25.* agitur de ista Congregatione Consultæ, stylus, commendabilis quidem huiusmodi Cardinalitiarum Congregationum est, procedendi summariè, solaque facti veritate inspecta, in forma potiùs extraiudiciali more Principis, vel supremi Magistratus, quam more Iudicis, & cum tela iudiciaria, ideòque non de facili practicare solent distinctionem possessorij à petitorio; Ac propterea vbi agitur de possessore, qui timere potest de eius bono iure, non expedit adire istas Congregationes, sed potiùs adeundi sunt Iudices ordinarij, qualis in Curia, in his causis exteris est Auditor Cameræ, cum consueto remedio iactationum, seù diffamationum, de quo *sub tit. de iudic.*
3 *disc. 16.* intentando manutentionem in possessione, dum in hoc possessorio iudicio non est quærendum de iustitia, vel iniustitia, sed attenditur nudum factum possessoris, ex deductis *eod. tit. de iudic. disc. final.*

Et super istius remedij competentia
4 in huiusmodi præeminentijs, ac iuribus honorificis ad satietatem colligit *Possb. in tract. de manutent. obseruat. 31.* dum frequentiùs victoria in possessorio finem huiusmodi controuersijs dare solet.

Quo verò ad merita negotij principalis, cum à petente consilium transmissa fuerint quædam Responsa Iurisconsultorum de partibus, quæ reassumendo deducta per *Chassan. in Cathal. Glor. mundi,* à quo moderniores, præsertim Germani totum in hac materia mutuarunt, & præsertim *Pitzchin. de insignibus, & armis,* fuso calamo, atque cum magna allegationum congerie, recensebant omnes prærogatiuas, quibus Comites de iure potiri debent, & inter quas recensetur prædicta, quæ dedit causam controuersiæ, vsus scilicèt Coronę Comitalis super insignibus.

Dicebam clarum æquiuocum esse in
5 hac materia procedere cum solis generalitatibus, vel cum auctoritatibus præsertim Germanorum, ob diuersas Comitum, & Marchionum species, in quibus nimium diuersæ cadunt rationes, ideóque distinguendas esse aduertebam species Comitum, quæ ad rem plures esse videntur; Vna scilicèt eorum, qui Comites Palatini appellantur, de quibus agitur apud *Franch. decis. 115. vbi add.* alios
6 colligunt, quales sunt illi, qui in aliqua publica Vniuersitate suprá annum vigesimum, docendo in aliqua facultate, Cathedram exercuerint; sed istius speciei inspectio ab hoc proposito extranea est, dum practicè, seù de facto quodammodó idealis iste Comitatus est, atque aliqua priuilegia à iure dictis Comitibus concessa, quæ neque vniformem habent praxim, dum in singulis vniuersitatibus ea est varia, inter ipsos tantùm cathedraticos, & scholares respectiuè, cognita remanere videntur pro aliquibus prærogatiuis in ipsa vniuersitate, siuè in academijs, & circulis, alijsque scholasticis functionibus.

Altera est species Comitum per omnimodam veritatem, qui nempè habeant
7 Comitatum verum, & effectiuum, iure

veræ

veræ dignitatis, quod scilicèt iure liberi, & pleni allodij, vel iure feudi regalis, cũ iure principatus, & regalium, possideant Ciuitates, & Ditiones, vel Prouincias, cum hoc titulo, seù dignitate, Comitum; Vt (ex:gr:) in Germania sunt Comes Palatinus Rheni, & alij similes, qui inter Principes recensentur, atque antiquitùs erant Comites Siciliæ, & Calabriæ, & Flandriæ, & Cathaloniæ, seù Barchinonæ, & similes, quorum aliqua copia in Italia habebatur, in illis præsertim Prouincijs, ex quibus hodiè constituitur Regnum Siciliæ citrà pharum, quod aliàs Apuliæ, seù Neapolitanum dicitur, ante duodecimum sæculum, in quo sub Rogerio Primo, vel Secundo, qui Comes Siciliæ priùs appellabatur, in Regnum erectum fuit, iuxtà plurièś enunciatam seriem, præsertim *sub tit. de feud. & hoc eod. tit.* & alibi plurièś; Atque in alijs superioribus Italiæ Regionibus habemus de Comitissa Matilda, & similibus; Et de ista specie Comitum, verè, & propriè loquuntur, atque intelligendi sunt antiqui Scriptores circa vsum Coronæ Comitalis, aliasque præeminentias, ac etiã intelligendum est Cæremoniale Romanũ pro honorificis tractamentis in Cappella Pontificia, & in alijs Ecclesijs, vel functionibus Ecclesiasticis; Idemque in alijs dignitatibus Marchionum, Ducum, & Principum, vt aduertitur suprà *hoc tit. disc. 26.*

Tertia est species illorum Comitum, qui etiam dicuntur veri, & actuales, quia scilicèt, Ciuitates, Oppida, & Castra

8 possideant cum iurisdictione, & imperio, iure feudi, vel allodij, decorati hac dignitate, quæ per Principem supremum erecta sit, dominium autem, vel imperiũ sit omninò subordinatum ipsi Principi, eiusque Tribunalibus, & Magistratibus absque iure principatus, & regularitèr absque regalibus, præsertìm maioribus, & sic iure baroniæ, iuxtà multos casus frequentèr actos *sub d. tit. de feudis*; Et tunc, vt ibidem aduertitur, magis verò ad rem suprà *hoc tit. d. disc. 26.* isti Comites, vel respectiuè, Marchiones, Duces, & Principes (cum eadem in omnibus ratio sit) verè, & propriè non sunt tales, neque veniunt sub genere Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum, de quibus loquitur Cæremoniale, siuè loquuntur antiqui Scriptores, sed dicuntur tales abusiuè, & in sola nuncupatione honorifica, eodem modo, quo suprà *disc. 20.* ac etiam *d. disc. 26.* & alibi habemus de hodiernis Archidiaconis, Archipresbyteris, & Primicerijs, quod non sunt verè, & propriè illi, de quibus antiqui Canones loquuntur.

Quemadmodum verò istæ hodiernæ impropriæ, & abusiuæ Ecclesiasticæ Dignitates, adhuc aliquas retinent præcedentias, & honorificas prerogatiuas, vt locis citatis aduertitur, Ita quoque isti Barones titulati differunt à simplicibus feudatarijs, & Baronibus non titulatis, atque plerisque potiuntur præeminentijs, & prærogatiuis, super quibus neque certa, & vniformis cadit regula ob variam regionum praxim.

Videmus etenim, quod iuxtà varios regionum mores, etiam ipsum baronale nomen, seù vocabulum, diuersam habet

9 significationem, quoniam apud nos in Italia Barones generalitèr dicuntur omnes illi, qui ex feudi, vel allodij titulo, aliquem locum iurisdictionalem cum vassallis in toto, vel in parte possideant, ex deductis per *Capeblanc. de Baron. in proœmio*, & habetur frequentèr *d. tit. de feud. ex disc. 73. ad 100.* ad materiam bullæ Baronum; Alicubi verò, & præsertim in Germania, Baronia est etiam dignitas, neque dicitur Baro, nisi ille, qui multa loca iurisdictionalia possideat, etiam cum aliqua maiori iurisdictione, quàm illa simplicis Baronis, ex relatis per *Capeblanc. vbi suprà*; Et per consequens in hac specie Comitum, ex quodam vsu permittitur dicta præeminentia Coronæ Comitalis, vt in alijs illa Marchionalis, vel Ducalis.

Adhuc tamen iuxtà ponderationes, de quibus *hoc eod. tit. in Chassanen. disc. 42.* aliqua differentia constituenda videtur, iuxtà maiorem, vel minorem dignitatis

10 antiquitatem, siuè iuxtà maiorem, vel minorem dominij, & locorum amplitudinem; Siquidèm irrisione dignus potiùs censendus videtur ille parui, & obscuri Castri Comes, vel Marchio, seù Dux, vel Princeps, qui easdem præeminentias practicare velit, quæ magnis, & antiquis illius Principatus titulatis, eiusdem generis congruunt, dum praxis docet, quod isti illos retinent, vel eorum

maio-

maiores retinere consueuerunt in famulos; Sed si de facto irrisionem non curantes, id agant, tunc iuridicè id prohiberi non potest, quoniàm de stricto iure, eadem est dignitas, neque magis, & minùs variat speciem; Ad instàr eorum, quæ habemus in dignitate Episcopali, vel Archiepiscopali, quoniam (restringendo exemplificationem in Italia) eadem est dignitas, eademque sunt insignia exiguorum Archiepiscoporum, Ansanesi, seù Lanciani, Surrenti, Amalphiæ, Trani, Syponti, & similium, sicuti sunt Archiepiscoporum, Mediolanesi, Neapolatañ, Rauennatesi, Beneuentañ, & similium.

Prout in hac specie Comitum, aliorumque Titulatorum actualium, cum actuali scilicèt dominio, & possessione Ciuitatum, Oppidorum, seù Castrorum, & cum iurisdictione & imperio, in Vassallis, pro maiori, vel minori præeminentia, aliqua notabilis differentia constituenda videtur, inter illos, qui sint vniei, adeòvt iuxtà veram naturam dignitatum illud dominiũ sit indiuiduũ, & illos Comites, vel Titulatos feudorum, vel dominiorum diuiduorum ad formam iuris Longobardorum, ex deductis *d. tit. de feud. disc.* 8. *& seqq.* adeòvt multi sint eiusdem loci Domini, quoniam notabilis constituenda videtur differentia inter vnam speciem, & alteram, quodque aliquæ maiores prerogatiuę, seù præeminętię in exercitio esse solùm debeat in maiori natu naturalitèr, vel ciuilitèr, qui capitis illius domus figuram faciat, dum ex insinuatis *d. disc.* 8. *de feud. & alibi*, dignitas habitualitèr est indiuidua, ac propterea vnus est Comes, Marchio, vel Dux, diuiduitas autem consistit in fructibus, & emolumentis.

Quarta est species illorum Comitum, aliorumuè titulatorum respectiuè, qui verè, & actu aliàs fuerint tales, de pręsenti autem non sint, quia nempè, feu-
11 da, vel loca iurisdictionalia, quę hanc dignitatem annexam habeant, alienauerint, vel refutauerint, ideòque alter adsit actualis Comes, vel Marchio, vel Dux, illius loci; Et tunc isti retinere dicuntur aliquas reliquias prioris dignitatis ad instàr illorum Episcoporum, qui Episcopatum dimiserunt, ac propterea retinent aliqua insignia, ac prerogatiuas, & preeminentias, sed post Titulatos actuales, ex relatis *dicto tit. de feud. disc.* 84. *& alibi*.

Quinta est species illorum Comitum,
12 vel Marchionum &c. qui nullum actuale habeant dominium, vel imperium, nec in toto, nec in parte, sed hanc retineant nuncupationem, vel intitulationem, ob descendentiam ab aliquo vero Comite, vel Marchione, iuxtà consuetudinem pręsertim Lombardię, & Pedemontanę Regionis, aliarumque Partium Italię, versùs montes, quia nempè in ea domo fuerit, vel etiam de pręsenti adsit penès ciuilem, vel naturalem natu maiorem, actuale dominium alicuius loci iurisdictionalis, cum hac dignitate Comitis, vel Marchionis, omnes tamen de illa domo, vel descendentia, quamuis nullum dominium, nullamque iurisdictionem habeant, vel emolumentorum participationem, adhuc Marchiones, vel Comites appellantur; Isti autem verè tales non sunt, neque Comitum, vel Marchionum prærogatiuis gaudere debent, cum solùm illam retineant nuncupationem honorificam ad denotandam descendentiam, siuè eorum stipitis dignitatem, ideòque dicendi non sunt Marchiones, vel Comites, sed potiùs ex talibus Marchionibus, vel Comitibus, vt in aliquibus partibus benè practicatur, ad instar illarum familiarum, quæ dicuntur Consulares, vel Senatoriæ, siuè equestres, quia aliquem Maiorem habuerint, qui ista dignitate fuerit præditus.

Sexta demùm ad rem est species illo-
13 rum Comitum, vel Marchionum de qua etiam actum habetur *sub tit. de pensionibus disc.* 48. quia nempè absque aliquo dominio feudi, seù loci iurisdictionalis, & imperio in Vassallos per Principem decorati fuerint ista dignitate, ex solo priuilegio, sinè aliqua adiectione loci, vel super loco alieno, aut super aliquo rustico prædio; Et de hac specie cæteris relatis agitur *apud Menoch. de arbitrar. cas.* 68. *& Mastrill. de Magistr. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 2. *cum seqq. tom.* 2. & agitur *dicto disc.* 48. *de pension.* Et tunc verius est, vt isti non sint veri Comites, vel Marchiones neque Comitalium, vel Marchionalium insignium, & præeminentiarum vsum habeant;

beant; Ad instar eorum, quæ habemus in Doctoribus, quod scilicet, verè, & propriè tales dicuntur, qui in publica
14 Vniuersitate, vel Collegio creati sint, nõ autem illi, qui ex simplici priuilegio, ex deductis *per Borrell. in summa decisionum par.1. tit.65. de offic. Aduocat. num.30. Rouit. super pragm. 5. de scholar. doctoran. Modern. Pignatell. consult.222. & 312.*

Adhuc tamen in hac specie aduertebam reflectendum esse ad aliam distinctionem inter Ditionem scilicèt, vel principatum illius, qui istam priuilegiatiuam
15 contulit dignitatem, & principatum, vel ditionem diuersam; Vbi etenim agitur in ipsomet principatu illius, qui hanc dignitatem concessit, tunc deferendum est tenori, & amplitudini priuilegij, vel obseruantię tanquàm eiusdem priuilegij, & Concedentis intentionis interpreti, dũ supremus Princeps in suo Principatu dare potest fictioni virtutem, & operationem veritatis, totumque pendet ab eius voluntate; In alieno autem Principatu, vel ditione, siuè etiam in ipsomet Principatu, cum non subditis, putà in Ecclesia, vel ad effectum habitus militaris iustitiæ in Hierosolymitana Religione, cũ similibus, ista operatio non attenditur, cum sit effectus iurisdictionis, & potestatis, ideóque attendendus solùm cum subditis.

Et per consequens, applicando ad rem, cùm istud esset priuilegium concessum per diuersum Principem, qui in Statu Ecclesiastico nullam habet potestatem, vel iurisdictionem, ità concludebam contra requirentem, quod scilicèt prætendere non posset illas præeminentias, quæ huiusmodi veris, & effectiuis dignitatibus de iure competunt.

Et quamuis in legitimatione natalium, iuxtà vnam sententiam, ea, quæ per vnum Principem concessa est, vbique etiam in diuerso Principatu, vel territorio suffragari videatur, quod neque certam, ac vniformem habet regulam ob diuersam Principatuum praxim, ex ijs, quæ in hac materia legitimationis habentur *sub tit. de fideicommiss. disc.68.* & magis ad rem *sub tit. de testam. disc.54.* vbi quod magis communis sit opinio negatiua; Attamen vbi etiam tenenda sit diuersa opinio, vt vbique legitimatio suffragetur, iuxtà distinctiones, de quibus *Suppl. Lib.16. par.1. de Præmin. disc.193. de Regal.* diuersam habet rationem; Siquidém in isto casu legitimationis, ea importare non dicitur priuilegium, per quod aliqua datiua, siuè accidentalis concedatur qualitas, vel prærogatiua, quæ aliàs naturalitèr non competat, sed solùm importat remotionem accidentalis maculæ, quam lex positiua introduxit, ideòque vbi lex positiua animata, qualis est ille Princeps, qui potestatem habeat faciendi, & dissoluendi leges, eam abluerit, ità videtur illa persona, tanquàm in primæuo statu naturæ omnibus alijs exequata, perindè ac si ea macula per legem inducta non esset; Ad instar illius, qui habens membra naturalitèr valida, vel nitida, accidentalitèr patiatur illorum vincula, vel expurcationem, quoniam si ille, qui soluendi, vel abluendi potestatem habeat, vincula soluat, vel maculam abluat, tunc ille remanebit in totum liber, vel mundus, non quia illa absolutio, vel ablutio illum reddat talem, sed ex propria, & naturali obligatione tanquàm per remotionem obstaculi; Et nihilominùs (vt præmissum est) etiam isto casu, contrarium videtur magis receptum, ex ratione insinuata *sub tit. de success. disc.1. & 9. & alibi pluriès*, quod scilicèt hodie post dissolutum Romanum Imperium, non procedunt illę iuris ciuilis propositiones, quæ manarunt cum præsupposito vnici Imperij, & Principatus in vniuerso Orbe, & vna, & eadem persona non possit diuerso iure censeri, præsertim in causa status personæ, dum veriùs est, vt tot censeantur Imperia, vel tot sint Mundi, quot sunt Principatus, ideòque etiam in Paganis datur diuersitas patrimoniorum, siuè diuersus status, vel qualitas personæ, quæ in vno Principatu sit capax, & in altero incapax, cum distinctionibus, de quibus *d. disc.193. de Regal.* Sed quidquid sit de prædictis, ac similibus diuersam rationem habentibus; Ad effectum tamen de quo agitur, absolutum videtur, vt illa Dignitas, vel præeminentia, quæ præter ordinem iuris communis ab vno Principe concessa sit, non suffragetur, nisi in proprio concedentis principatu, quinimò etiam in isto, cum eius subditis tantùm, ex præmissa ratione, quod scilicèt est accidentalis, ac exorbitans effectus potestatis, & iurisdictionis, ideóq;

C non

non exercibilis nisi in proprio territorio, &, cum proprijs subditis, quoniam si (exgr.) Episcopus decorat aliquem clericum supernumeraria, vel à iure communi non probata canonicali Dignitate, id operabitur canonicales præeminentias in propria diœcesi, atque in eis quæ à sua pendent potestate, non autem in aliena diœcesi, vel in eadem cum non subditis; Quod etiam in proposito nobilitatis vel ciuilitatis concessæ per Baronem vel Communitatem habetur *sub tit. de Iurisdict. disc. 46. & hoc tit. disc. 35. & alibi*, dum ita esset ius dicere in alieno territorio, cum alienis subditis.

Motiuabatur etiam de defectu iuris opponendi de huiusmodi præeminentiarum incompetentia ex defectu interesse,
16 quasi quod nil aliorum conciuium, vel magistratus Ciuitatis interesset, an quis gaudeat aliquibus præeminentijs, nec ne, vndè dicenda esset species malignitatis, vel æmulationis; Verùm & in hoc pariter responditum contra requirentem, quoniam sicuti potest quis se opponere, nè alter vtatur eius cognomine, vel insignijs, aut exerceat illas præeminentias, in quarum possessione ipse reperiatur, ob eā congruam rationem, quod ità sibi parari potest præiudicium, vt aduertitur *supra disc.* 10. *nu.* 10. Ita possunt alij eiues maioris, vel æqualis nobilitatis, vel gradus se opponere, ne quis habeat illas præeminentias, quibus mediantibus potest eis præiudicari, quia nempè tractu temporis illa persona, vel familia constituatur in gradu superiori ac maioris prærogatiuæ, ex ijs quæ habentur supra *hoc eodem tit. disc.* 30. *cum pluribus seqq. & in Asculana disc.* 48. ita à pari; Incertum autem est, an consilio acquieuerit, & quid sequutum sit.



Neapolitana præcedentiæ.

PRO

Thesaurario Generali.

CVM

Decano, & Præsidentibus Regiæ Cameræ Regni Neapolitani.

De præcedentia inter Thesaurarium generalem Regni, & Tribunal Cameræ Regiæ, & præsertim Decanum, in Consilio Collaterali, siuè in alijs sessionibus, & functionibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De legali historia super statu antiqui Romani Imperij.*
3 *Quod sit error regulare hodiernos Magistratus cum illis dicti Imperij.*
4 *In casibus in iure non decisis attendi debent leges, vel mores aliarum prouinciarum, vel regionum.*
5 *Pracedentia officialium non regulatur à maiori proximitate Principis.*
6 *De loco quem occupet Thesaurarius.*
7 *De septem maioribus Magistratibus, vel officialibus Regni Neapolitani.*
8 *De antiquitate officij Thesaurarij.*
9 *De introductione Tribunalium, & præsertim illius Cameræ Regiæ.*
10 *De eodem, & quale sit munus Clericorum, vel Præsidentium Cameræ.*
11 *De modo, seù ordine sedendi in Cameræ.*
12 *De prærogatiuis Decani.*
13 *Qualis sit propriè dignitas.*
14 *De modo scribendi.*
15 *De isto officio Thesaurarij, & de altero Primipili remissiuè.*



DISC.

DISC. XLVI.



VM in illo Regni Neapolitani Collaterali Cõsilio togato, quod pro ciuilibus causis, & negotijs qualibet hebdomada, & quandoque in
1 pluribus eiusdem hebdomadæ diebus haberi solet, constituto ex Prorege, & Regentibus Regiam Cancellariam, ac Secretario Regni, vltra aliud Consilium Collaterale politicum, seù Status, quandoque pro causarum relatione, siuè pro aliqua consultatione Regi facienda, super negocijs pertinentibus ad Regium patrimonium, interuenire soleant Præsidentes illius Regiæ Cameræ summariæ, vel respectiuè pro negotiorum qualitate, solus eorum Decanus, ac etiam interuenire soleat quandoque Thesaurarius generalis Regni, cuius officium ibi est venale, prout etiam venale est alterum Secretarij, Orta hinc est quæstio præcedentiæ inter Thesaurarium, qui erat N. de Iudice Iuuenaciæ Dux, & Carolum Calà Decanum Cameræ, Ducem Diani, cuius mentio habetur *sub tit. de feudis disc. 32.* Cumque idem Decanus doctus quidem, & eruditus Iuris Professor in causa propria scripsisset, in eadem verò Ciuitate, non defacili haberentur Aduocati, qui contra dictũ Tribunal consulere, seù scribere vellent; Ideircò ex parte præfati Ducis Iuuenaciæ Thesaurarij, requisitus fui, vt scriptis responderem, in causa pendente, vt supponebatur in supremo Italicarum rerum Consilio apud Regem Catholicum, ipso Thesaurario interim ex Regia prouisionali decretatione, in possessione præcedentiæ existente.

In præfata igitur scriptura, ædita pro Tribunali Cameræ eiusque Decano, per voluminis speciem cum magnis apparatibus prò eo moderno stylo, cum commendabili quidem, nimiumque elaborata eruditione, reassumebantur omnia, quæ per Scriptores rerum antiqui Romani Imperij aguntur, super illius ærarij administratione, tam super officio Quæstorum, quàm super altero Procuratoris Cæsaris, vel officio primipilari, vel illo custodum Ærarij; Hisque prænotatis, insistebatur super exæquatione, vel subrogatione Præsidentium Cameræ, & Thesaurarij respectiuè, probando quod illa antiqua officia, in quorum locum istud Cameræ Tribunal, eiusque Præsidentes successerunt, digniora essent, quàm illud, in cuius locum successisse supponebatur hunc Thesaurarium, quàm plurès aliàs eruditiones desuper cumulando, ac etiam deducendo, ea quæ apud Beneficialistas, præsertim Hispanos habentur super dignitate Decanatus, ita inferendo ad istum Decanatum, vt dignitatem quoque redoleret.

Inherendo autem nimium commendabili, verèque immitatione digno Curiæ stylo, abhorrendi scilicèt superfluitates, atque strictè immorandi super puncto causæ; Commendando quidem Scriptoris tam ingenium, quàm styli elegantiam, & vtramque magnam quidem legalem, & historicam eruditionem super moribus Romanorum, vel Germanorum, & Gallorum, ac aliorum.

Dicebam, quod omnia hæc oportuna quidem, & commendatione digna essent in academico discursu, pro ingenij, ac eruditionis ostentatione; Prorsus
2 verò extranea à casu quæstionis, quoniam iuxta legum historicam seriem pluriès recensitam in omni ferè materia, & præsertim latiùs *sub tit. de seruitut. disc. 1. & sub tit. de feud. disc. 2. & 36. & sub tit. de success. ab intestat. disc. 1.* illud Romanum Imperium de cuius Fisco, & Ærario, eiusque officialibus, & administratoribus agatur *in l. 1. ff. de offic. Quæstor. & in l. 2. §. deindè ff. de orig. iur.* ac etiam agunt, *Liuius, Tacitus, Suetonius,* & alij antiqui, à quibus mutuati sunt etiam moderni, etiam ex nostris Iuristis, qui de eiusdem Imperij statu agunt, post eius translationem ad Constantinopolitanam Ciuitatem ob tot Barbarorum inundationes, ac dominationes, in hac Europa occidentali, præsertim verò in Italia penè aboletum fuit, atque legum Ciuilium etiam deperditus vsus, quinimò deperdita memoria, donec post tot secula, causalis moderna sequuta est inuentio, adeò vt regiminis modus, prò tot Principatuum diuersis moribus, & legibus omninò diuersus esset; Prout etiam officialium, & Magistratuum omninò di-

uersa interpetruot vocabula, seù nuncupationes.

Ideòque prorsùs ineptum videtur, aliquas Romanorum leges, vel consuetudi-
3 nes, aut vocabula nostris temporibus indefinitè in quibuscumque Principatibus applicare, eorum non curata diuersitate.

Atque si generalitèr in omnibus nostræ occidentalis Europæ, eiusdemque Italiæ Principatibus id procedit, multò magis procedere debet in hoc Regno, quod serius dictas Romanorum leges recepit, dum vt aduertitur *dicto disc. 1. de seruitut.* à duobus circitèr sæculis citrà Ius Romanorum haberi cæpit tanquàm commune, cum priùs esset illud Longobardorum, atque constans in eo habetur opinio, quod omne ius Romani Imperij in eo euanuerit; Quando etenim Magnus Camerarius, aliique Cameræ officiales introducti, & creati fuerunt, nulla habebatur dictarum legum notitia, vel vsus, & per consequens apertus error est, cum dictarum legum dispositione, vel cum antiquis Romani Imperij moribus procedere.

Ad id autem, ad euidentiam comprobandum ponderabam, quod nullibi magis antiquorum Romanorum leges, & mores attendi deberent, quàm in ipsamet Roma, & tamen in ista Thesaurarius est, officialis maior, quàm sint Clerici Cameræ, eorumque Decanus, ideòque si est arguendum, quod eadem Roma antiquos retineat mores, quodque cum eodem ordine moderni Magistratus loco antiquorum subrogati sint, fundata remanebat Thesaurarij intentio.

Cumque dictum Regnum sit Romanæ Ecclesiæ feudum, vt patet *ex Apont. dec. 1.* & frequentèr *sub tit. de feud. & alibi;* hinc sequitur, vt attēdi debeat obseruātia Cu-
4 riæ Romanæ tanquam Curiæ domini directi; Si etenim habemus conclusionem frequentèr insinuatam, & præsertim *disc. 35. de iudicijs;* quod in casibus expressè in iure non decisis, leges, vel consuetudines aliarum prouinciarum, vel ditionum, aut Ciuitatum attendi debent, potissimè verò finitimarum; multò magis id dicendum est in ista Curia; quæ est finitima; & habet dictam circumstantiam, vltrà aliam maiorem Metropoliticæ qualitatis spiritualis in toto orbe Catholico, qui eum eius stylis regulariter in spiritualibus debet se conformare; Et hæc discurrendo per generalia, vel similia, super quibus penè tota dicta elaborata scriptura circumferri videbatur.

Verùm prò Curiæ stylo descendendo, ad ea specialia, quæ strictè percutiunt casum præcisum; Dicebam quod præcedentia regulanda est, à maiori proximitate Principis, cui Solis attributum
5 datur Magistratibus verò, & officialibus illud Stellarum, vt scilicèt, quemadmodum illæ stellæ maiorem fulgorem habent, quæ magis Soli approximant, ità Magistratus, & officiales, illi censendi veniant digniores, qui ad Principis latus magis proximi sedeant, atque cum eo maius habeant commercium *Bal. in rubr. ff. de offic. Proconsul. Chassan. in Cathal. glor. mund. par. 1. consider. 2. Mastrill. de Magistrat. lib. 5. cap. 4. cum alijs apud Capic. latr. consult. 43. num. 2. & 13.*

Cum itaque Thesaurarius sedeat in Collaterali Consilio in sella, eo modo, quo sedent ipsius Regis Collaterales Cōsiliarij, qui Regentes appellantur, magis proximè personæ Proregis, qui Regem repræsentat; Præsidentes autem sedeant in loco magis remoto, & humili, nempè in scabellis, tanquàm in ordine inferiori; hinc proindè ob dictam magis proximam, magisque honorificam sessionem, plana videtur resultare consequentia præcedentiæ fauore Thesaurarij.

De ista verò obseruantia, seù modo sedendi testantur Scriptores Regnicolæ antiqui, medij, & moderni; Ex anti-
6 quis scilicèt, *Surgent. in Neap. Illustrat. cap. 27. num. 43. & 45.* ex medijs *Tasson. de antefato obseruat. 3. numer. 356. & Galeot. in dissertatione post prim. Respons. Fiscal. num. 15.* Et ex modernis *Rouit. de offic. rubr. 17. § 4. num. 32.* Ibidque tanquàm benè versatis defenendum esse dicebam, iuxtà distinctionem, de quo apud *Mastard. de probat. conclus. 28. numer. 6. Rot. decis. 357. num. 50. par. 11. recentior.* & habetur *tit. de iudic. disc. 35. & alibi pluries.*

Assumendo verò partem ratiocinatiuam, quæ mihi semper melior videtur, vel saltem genio magis arridet; Dicebam, quod postquàm illæ regiones, vel prouinciæ, ex quibus illud Regnum constitui-

stituitur à sæculis sex, cum dimidio circitèr, iuxta pluriès insinuatam historiam,
7 hanc diuersam Regni formam assumpserunt; Reges prò tempore, prò eorum adiutorio in regimine, ad instar eorum, quæ de Papa insinuata habentur *in relatione Curiæ Romanæ*, septem maiores creauit officiales, vel Magistratus, qui tractu temporis, ad differentiam officialium, & Magistratuum inferiorum, *Magni* attributum sortiti sunt, istique sunt; Nempè magnus Comestabiles prò rebus militaribus; Magnus Cancellarius, qui Secretarius esset Regis, eiusque prouisiones, & priuilegia scriberet; Magnus Iustitiarius, qui appellationes, & recursus subditorum à localibus, vel prouincialibus Gubernatoribus, & Præsidibus reciperet, atque iustitiam administraret, illud regendo Tribunal, tunc supremum, quod Magnæ Curiæ dicitur, hodiè vnitum cum altero, quod tractu temporis introductum fuit, Vicariæ appellatum, Curiæ scilicèt, illius Vicarij, quàm Rex quandoque deputare solebat; Magnus Admiratus tanquàm Generalis maris pro regimine, & administratione maritimæ classis; Magnus Prothonotarius pro Notariorum creatione, & cura Archiuiorum, & scripturarum, & per cuius organum, constitutiones, & leges fieri solebant; Magnus Seniscallus pro gubernio, & administratione Regij palatij, eiusque dependentijs, nempè Villis, alijsque locis delitiosis, nec non sylvis, & lacubus pro venationibus, & piscationibus; Et demùm (ad rem nostram) magnus Camerarius, qui curam, regimen, & administrationem haberet publici ærarij, seù Regij patrimonij.

Sed quoniam respectu istius vltimi Magistratus, etiam circa illa initia, quando eorum quilibet fortè sufficiens erat, prò sui muneris administratione, necessarius erat alter Officialis, vel Mi-
8 nister manualis, pro custodia scilicèt, pecuniarum, & Thesauri Regis, ac etiam, vt apud eius personam assisteret cum bursa pecuniarum, vt ipso Rege, domi, siuè in via, siuè in Ecclesia, vel alibi, eleemosynas facere, aut aliquàm munificentiam exercere volente, prò pecuniarum, distributione promptus esset minister, per cuius manus id fieret, hine introductus fuit iste officialis, tanquàm Thesaurarij substitutus, seù Vicarius in hoc munere, cui proindè Thesaurarij nomen attributum est, ob Regij Thesauri curam, & custodiam; Ac proptereà, in ijs, quæ pertinent ad regium patrimonium, seù Regiam Cameram, apud Regem, siuè apud eius absentis Vicarium, isti duo officiales magis proximè assistere debent; Camerarius scilicèt, tanquàm officialis maior, intellectualis potiùs, quàm manualis, vel mecanicus, vt Regem informet de statu, ac iuribus sui patrimonij, vel ærarij, & de negotijs concernentibus illius administrationem, circa appaltus, vel circa exactionem vectigalium, aliorumque iurium regalium, vel illorum occupationem, quæ per alios fiat; Thesaurarius verò tanquàm officialis minor manualis, & mecanicus super retentione; & custodia, ac erogatione pecuniæ, quæ in Regium thesaurum obueniat.

Quamuis autem tractu temporis, ob negotiorum excrescentiam, omnes præfati Magistratus, pro suis respectiuè muneribus, Locumtenentes, & Assessores,
9 vel Iudices in eorum adiutorium deputauerint, vndè paulatim irrepsit introductio Tribunalium Collegialium, iuxta varias reformationes, quæ in tempora facta fuerunt per Reges, qui in hoc se regulare consueuerunt, iuxta mores propriæ patriæ, vel nationis, siuè aliorum Regnorum, quæ ab eis possidebantur; Vt post extinctum sanguinem primorum Regum Normandorum, contigit in Regibus Germanis, vel Sueuis, & deindè in Gallis Andegauensibus, & Duratianis respectiuè; Ac demùm, & magis in Hispanis Aragonensibus, quorum primus Alphonsus, ex Ioannæ Secundæ adoptione, Regni conquisitor, nimium sapiens, & prudens, ac literarum amicus, ob longam residentiam annorum triginta, vsque ad obitum, ab aliorum suorum Regnorum moribus edoctus, in magna parte, illam, quæ hodiè habetur, Tribunalium formam introduxit; Vt præsertim sequutum est circa istud Tribunal Cameræ Regiæ, constitutum ex pluribus officialibus, Præsidentium nomen habentibus, quorum aliqui sint Iurisperiti, pro decisione illarum causarum, quæ per tramites iuris decidi debent, Præsidentes togati nuncupati, alij verò ratioci-

tiociniorum, seù arithmeticæ periti professores pro negotijs ad hanc peritiam pertinentibus, qui ad differentiam literatorum, seù togatorum, Præsidentes idiotę appellantur.

Attamen ad instar eorum, quæ de Tribunali Cameræ Apostolicæ constitutæ
10 ex duodecim Clericis insinuantur *in relatione Curiæ disc. 33.* isti non sunt Magistratus, qui commercium habeant cum Rege, vel cum eius Vicario, sibique assistant pro negotijs, quæ ærarium, vel Cameram concernant, sed potiùs sunt assessores, & Consiliarij ipsius Camerarij, qui ab eis consultus, & certioratus de statu negotiorum, de eis certiorem reddat Regem, vel Vicarium, sivè vt id pro hodierna praxi agat per suum Locumtenentem, qui eius vice in hoc Tribunali præsidet, eiusque est caput, ideòque in dicto Collaterali Consilio, etiam in sella, more illorum maiorum Consiliariorum, qui Regentes appellantur, ad latus Regis, vel Vicarij sedet, atque cum eo etiam sedet Thesaurarius, ex superius insinuata ratione; Dicti verò Præsidentes extranei sunt ab illo consessu, dum iam functi sunt eorum officio, cum consilio, seù voto, quod iam dederunt Camerario, vel eius Locumtenenti, qui illud Regi, vel Vicario refert, ideòque ille dictorum Præsidentium interuentus in eodem Cõsilio Collaterali, non ad latus, sed in inferiori magisque humili loco, & cum eis etiam Fisci Aduocatus, qui aliquando, ita Rege, vel eius Vicario mandante sequitur, est extraordinarius, & accidentalis, quia nempè ipse Rex, vel Vicarius, velit per se ipsum audire eorum votum à Camerario, vel à Locumtenente relatum, Et per consequens, dum sunt magis remoti à commercio, & à latere Principis, indebitè maiorem prætendere possunt præeminentiam, supra illum Magistratum, qui sedet ad latus Principis, atque cum eo commercium habet vt supra.

Quando verò contingat, vt consessus sequatur in ordinario, & consueto loco,
11 in quo Tribunal congregatur, tunc insinuando ea, quæ practicantur in Curia, in eodem Tribunali Cameræ; Primum, ac digniorem locum occupare debet ipse Camerarius, vel eius vice, eius Locumtenens, qui Vicecamerarius appellatur, isteque, Camerario præsente, primum ac digniorem locum ab eius dextero latere occupat, immediatè verò post eum Thesaurarius, tanquàm antiquior, ac primus officialis, deindèque sequuntur alij, qui dicuntur Camerales; Ab altero verò latere sinistro, vniti, tanquàm constituentes vnum corpus indiuiduum, sedent Clerici, qui idem sunt, ac dicti Præsidentes, inter quos Decanus prærogatiuam habet occupandi primum locũ, atque totius Collegij nomine, seù vice,
12 alloquendi Camerarium, illumque certiorandi, atque alios actus indiuiduos faciendi, ad instar eorum, quæ supra hoc eodem *tit. pluriès, & sub altero de Canonicis, & Capitulo*, insinuata sunt de prima Dignitate, vel de antiquiori Canonico, totius Capituli, vel Collegij nomine loquente, vel explicante indiuiduos actus capitulares, vel collegiatiuos, iuxtà exemplum Beati Petri, qui Christo omnes Apostolos interroganti, quem se esse dicerent, ipse tanquàm antiquior, & sic eorum Decanus, omnium nomine, ac vice respondit: *Tu es Christus filius Dei viui*; ac proptereà claues Regni cœlorum obtinuit; Ideòque Decanatus aliquàm (impropriam tamen) præseferre videtur dignitatem, comparatiuè ad alios Collegiales iuniores, quia scilicèt, inter eos sit dignior, atque indiuiduos actus collegiales, totius collegij nomine explicet. non autem, vt nomine proprio dici valeat dignitas, iuxtà illam speciem decanatus, qui habetur in beneficialibus, vt æquiuocando supponebatur, quoniam ea dicitur verè, & propriè dignitas, quæ ita confertur, vt etiam nouiter in Capitulum, vel Col-
13 legium cooptato, primum, ac digniorem tribuat locum; Eo modo, quo in Italia pro frequentiori praxi contingit in dignitate Archidiaconatus, & in Germania in dignitate Præpositura, in Hispania verò, in ista decanatus, quoniam hac dignitate vacante, si Papa eam omnium in Collegio existentium iuniori cõferat, iste ratione dignitatis, primum, ac digniorem occupabit locum, aliàsque habebit præeminentias, seù prærogatiuas, & sic est Decanatus species, longè diuersa ab illa, quàm importet ratio antianitatis, seù maioris antiquitatis, ad instar eorum, quæ in Cardinalium, ac Principum,

cipum, vel magnarum aulis practicantur, etiam inter pedeltres famulos, quod eorum antiquior inseruitio, istud decani nomen fortitur, cum aliquibus prærogatiuis inter eosdem; Ac etiam in Capitulis, vel Collegijs Canonicorum, seù beneficiatorum, vel in Collegijs Doctorum, & Mercatorum, seù Artificum, quod antiquior idem sortitur Decani vocabulum, sed non per hoc dicitur dignitas.

Ista itaque dicebam, quod strictè, ac
14 methodicè percuterent casum controuersiæ, quodque propterea, legales, vel historicæ eruditiones nimium fuso calamo deductæ, extraneæ, ac superfluæ essent, atque vt præmissum est, accademicis discursibus pro ingenij, & eruditionis ostentatione potiùs, quàm foro, & causarum decisioni essent congruæ, ideòque inanem continent chartarum repletionem, ignaro vulgò placitam, sed apud peritos fori professores contemptibilem potiùs, vt aduertitur *sub tit. de iudic. disc. 46.* occasione agendi de modo Scribendi.

De isto autem officio Thesaurarij, eiusque origine, & in quo differat à Primipilo, cum eisdem nimium euagatorijs antiquitatibus Imperij Romani, verè ex-
15 trà oportunitatem fori latè agitur *in allegat. 125. inter collectas per Marin. in tertio tomo post eius resolutiones.*

Mutineñ. Præcedentiæ.

PRO

Marchione Ioan. Maria.

CVM

Marchione Bonifacio de Rangonis.

Responsum.

De ordine, seù præcedentia in subscribendo, & quando iunior, vel minùs dignus præcedere debeat seniorem, vel magis dignum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De præminentia senioris, vel maioris natu in rebus communibus.*
3 *De fratre maiore exercente actus indiuiduos in rebus communibus.*
4 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
5 *Commendatur in iure diuisio turnaria.*
6 *Turnarius præcedit omnes etiam digniores in illo actu.*
7 *Iudex præcedit Assessorem, vel Consultorem quamuis aliàs digniorem.*
8 *Argumentum particulare facti in idem.*
9 *Quando antianitas in possessione feudi, vel dominij præualeat.*

DISC. XLVII.



1 ACTA inter maiores prædictorum contendentium turnaria diuisione, regiminis, & administrationis feudorum, quæ pro communi possidebantur prò numero, seù proportione trium linearum, de quibus *sub tit. de feud. disc. 8.* sub ea lege, quod ille, qui in suo turno, seù distributo tempore, regimen, seù administrationem haberet, in aliquibus grauioribus negotijs, condominorum consensum requirere, & obtinere debeat; Cum per vnius lineæ extinctionem consolidata essent feuda in præfatis Bonifacio maiore, & Ioanne Maria minore natu, iuxtà seriem de qua, occasione quæstionis super successione in dicta portione defecta habetur loco citato, post illam controuersiam iam sopitam, alia exorta est præeminentialis, quia nempè in eo tempore in quo ad Marchionem Ioannem Mariam natu minorem administratio pertinebat, Marchio Bonifacius natu maior prætendebat, vt in prædictis actibus, in quibus eius consensus adhibendus erat, ideòque per vtrumque subscribendis, ad ipsum tanquàm natu maiorem pertineret, priùs, atque in digniori loco subscribere; Quare desuper ex parte Ioannis Mariæ consultus fui.

Negle-

Neglectis autem illis apparatibus, qui desuper, cum superflua, & inutili chartarum repletione pro extero stylo fieri solent, super præcedentia, seù prærogatiua Senioris in actibus communibus, vel respectiuè collegiatiuis, ex ijs, quæ collecta habentur, *in præludijs tot tractatuum de primogenituris, & maioratibus, & præsertim in illo eruditi Tiraquelli*, cum huiusmodi apparatus, potiùs congruant Academicis, & Cathedraticis lectionibus, ad instruenda, vel exercenda Iuuenum ingenia, siuè ad illam eruditionis ostentationem, quæ Academicorum est principale institutum; Ideóque pro nimium commendabili Curiæ stylo (cuius tamen corruptionem deplorare incipimus) strictè immorando super puncto præcisæ controuersiæ.

2 Admittebam tanquàm certùm assumptum, in quo natu maior eius prætensionem fundabat, quòd scilicèt, vbi consuetudo, vel conuentio limitationem non suadeat, sibi assistat regula, explicandi illos actus indiuiduos, qui ratione iurium, vel bonorum communium pluribus, non nisi per vnum explicari possunt, iuxtà ea quæ de primis dignitatibus, vel de antiquioribus Canonicis, vel Senioribus collegialibus, passim habemus in actibus capitularibus, & collegiatiuis.

3 Et in magis proximis terminis fratrum possidentium pro communi castra, & feuda, aliaque similia iura, vel bona, vt prærogatiua retinendi claues, vel scripturas, aliaque similia faciendi, pertineat ad natu maiorem, habetur *apud Petr. de Vbald. de fratr. par. 11. cap. 22. Michalor. eodem tractat. par. 3. cap. 37. Amendol. & de Luca in add. ad Franch. decis. 386. cum concordan. relatis sub tit. de fideicommiss. disc. 1. cum pluribus seqq.* occasione agendi de materia maioratus, an illc naturalitèr, vel ciuilitèr attendendus esset, distinguendo ius successorium ab hoc iure præeminentiali.

Dicebam tamen, quod his præsuppositis; vt absque alio apparatu præsupponenda sunt, fallacia, seù æquiuocum, iuxtà quotidianam, penèque generalem hodiernam praxim, consistebat in mala applicatione ad casum controuersum; Præmissa siquidem procedunt in illis actibus, qui, tam habitu, quàm actu, ab

4 omnibus fiant, tanquàm à politico, vel intellectuali persona afformata ex pluribus personis materialibus, quæ coæquali iure in idem concurrant; Tunc etenim, in ijs actibus, qui per omnes explicari possunt, vel solent, vt præsertim est iste subscriptionis, seruandus est ordo antianitatis, quando ratio dignitatis aliter non suadeat, illique actus indiuidui, qui non nisi per vnam personam explicari possunt, pertinent ad eum, qui inter plurès, ratione dignitatis, vel officij, vel antianitatis, primum, ac digniorem locum occupat, ipseque omnium vice, ac nomine explicare dicitur, ex pluriès insinuatis in præcedentibus, occasione pontificalium, aliarumque functionum maiorum, explicandarum per primam Dignitatem, siuè per antiquiorem Canonicum cum similibus.

5 Secùs verò, vbi ex consuetudine, vel conuentione, quarum vtraque in actibus communitatiuis in iure commendabilis reputatur, ex deductis *sub tit. de Iurepatron. disc. 41.* seruetur iste turnarius, vel alternatus ordo, quod scilicèt, quilibet ex Collegialibus, vel Consortibus in distributo tempore solus administret, iuxtà illam distributionem, de qua in his specialibus terminis administrationis feudi, vel castri, & exercitij iurisdictionis habetur *sub tit. de feud. disc. 38.* Et in iure conferendi beneficia simultaneæ collationis, inter Episcopum, & Capitulum *sub tit. de benefic. disc. 30.* siuè inter eiusdem Capituli Canonicos *Rot. decis. 14. par. 12. recentior. & dicto disc. 41. de iurepatron.* vbi de eadem turnaria distributione inter Compatronos cum, similibus.

6 In istis etenim, similibusque casibus, ille, cui ex hac turnaria diuisione, administratio competit, vel exercitium iuris, quod omnibus commune fit, reputatur, ac si esset solus dominus, & per consequens ipse solus auctoritatem, præstat actibus, qui eius tantùm nomine, ac iure explicantur; Ac proptereà de consequenti ad ipsum pertinet primò subscribere, aliosque actus explicare, dum ipse solus est ille, qui nomine feudi loquitur, & operatur, iuxtà celebrem apud feudistas traditionem *Marin. de Caramanic.* in sua feudali materia, pluriès insinuatam, quod scilicèt feudum

dum dicitur homo mutus, surdus, & attractus, qui per se ipsum loqui, aliásque sui corporis operationes facere non potest, ideòque eas facit per organum Feudatarij, tanquàm eius famuli, vel ministri, dum pro illo tempore, solus turnarius dicitur iste minister, & operarius, ad instar Canonici hebdomadarij, qui in sua hebdomada, vel turno, supra omnes digniores, & antiquiores explicat actus capitulares.

Aliorum verò interuentus per subscriptionem, vel per alium actum, dicitur extrinsecus, & accidentalis, siuè consequutiuus, & famulatiuus, & per consequens posteriorem locum habere debet, non curata maiori dignitate personæ, dum ipse actus attenditur, in quo ille turnarius quamuis minùs dignus repræsentare dicitur totum politicum, vel intellectuale corpus collegiatiuum, seù communitatiuum; Alij verò eumdem actum explicant, potiùs iure singulari, & per consequens intrat conclusio, de qua suprà *hoc tit. disc.* 17. quod semper personæ singulares quamuis digniores cedunt locum corpori vniuersali.

Atque ad id ponderabam exemplum Iudicis, vel Magistratus, eiusque vnius, vel plurium Assessorum, cum quorum
7 voto procedere tenetur, quod scilicèt, quamuis Assessor, inspecta personali qualitate, vel dignitate esset dignior, ac proptereà in priuatis actibus indifferentibus, qui per vtrumque explicandi essent, ipse præcedentiam habere deberet; Attamen in hac functione locum cedit; Idque ex ea nimium congrua ratione, quod scilicèt, Iudex, vel Magistratus, est ille, qui principalitèr explicat actum, illumque auctorizat, dum ab eo sententia proferri dicitur, suaque auctoritate exequutioni demandatur; Assessor autem gerit personam famulatiuam, & accessoriam, Ministri, seù Consiliarij, ideòque attenditur ministerium, iuxtà pluriès *hoc tit. & in altero de feudis, & alibi*, insinuatum exemplum Episcopi, qui explicet actum tanquàm Canonicus, vel tanquàm Scholaris; Vel Regis, aut alterius supremi Principis, qui explicet actū tanquàm Baro, vel tanquàm Dux, seù Comes, &c.

Atque benè ista comprobari obseruabam etiam ex particularibus circumstantijs facti, quod scilicèt, in capitulis di-
8 ctæ conuentionis maiorum, quæ prodijt pro obseruantia laudi emanati per arbitrum communitèr electum, disponitur, vt turnarius pro suo tempore retinere deberet claues castri; Et tamen ex suprà deductis, ista præsertim dicitur præeminentia natu maioris, vel dignioris, Ideóque exindè euidens resultat probatio, quod turnarius in suo tempore reputandus veniat dignior, perindè ac si esset vnicus Dominus, dictus verò interuentus aliorum, in aliquibus grauibus, & præiudicialibus negotijs, desideretur pro interesse, siuè pro saniori consilio, iuxtà illum interuentum, qui fit à curatore, vel à proximioribus, in actibus mulierum, & minorum, cum similibus.

Cumque in scriptura transmissa ædita per defensorem causæ in partibus, pro sustinenda praecedentia eiusdem Mar-
9 chionis Ioannis Mariæ iunioris, principalitèr insisteretur in eo motiuo, quod ista esset in hac feudali, seù dominicali dignitate prærogatiua antiquior, eo quia, vt patet ex facti serie, de qua *di-cto disc. 8. de feud.* ob nimium immaturam mortem patris, & aui, iste in pupillari ætate obtinuit feudorum dominium, ac successionem, adeóvt in portione lineæ defectæ, quæstionem habuerit, cum Fortunato patre dicti Bonifacij, qui longè postea, per mortem patris feuda obtinuit, istamque adeptus est prærogatiuam; Dixi tamen, quod istud motiuum in meo sensu consideratione dignum non esset, quoniam ille præcedentiæ ordo, qui inter Cardinales, & Episcopos, seù Canonicos in spiritualibus, & Barones, vel Senatores, aliosque Magistratus in prophanis regulandus est non ab ætate personæ, sed ab antiquitate muneris, procedit in dignitatibus, vel officijs merè personalibus, quæ cum persona extinguuntur, non autem in realibus, dum ipsa res conseruat locum, vel gradum, soliùmque vbi dignitates sint omninò æquales ad tollendas controuersias haberi solet ratio ætatis; Ita enim filius subintrat in locum patris tanquàm per speciem continuationis eiusdem muneris, vel dignitatis eodem modo, quo iunior ratione maioris dignitatis præcedit antiquiorem Canonicum, cum similibus.

Ascu-

Asculana distributionis officiorum.

PRO

Aliquibus Familijs cum alijs.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Consultæ, & resolutus vt infra.

De muneribus, & officijs Ciuitatis, an æqualitèr inter Ciues, tàm nobiles, quàm populares distribui debeant; Vel potiùs solis nobilibus debita sint; Sine quando hæc distributio, vel imbussolatio nobilitatem probet, ac nobiles à popularibus distinguat; Et de differentia inter officia debita omnibus nobilibus in genere, & ea quæ restricta sint ad nobiles certarum familiarum priuatiuè ad alias personas etiam nobiles.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones.*
3 *De punctis controuersiæ.*
4 *De stylo Aduocatorum Curiæ Romanæ, & in quibus eorum munus exercent.*
5 *Officia, & munera Ciuitatis debentur indifferentèr omnibus Ciuibus, & de ratione.*
6 *Iura priuatiua sunt de regalibus, ideoque non obtinentur sine priuilegio Principis, vel immemorabili.*
7 *De materia oneris probandi.*
8 *Quod adesse debeat distinctio officiorum nobilium, & popularium, & de ratione.*
9 *De diuersis speciebus officiorum, & munerum Ciuitatis.*
10 *Quando in diuisione officiorum, & munerum inter nobiles, & ignobiles adisse dicatur, necne iuris assistentia, & quæ species consuetudinis sufficiat.*
11 *De distinctione in eadem materia.*
12 *Quod publica vtilitatis intersit distingui officia nobilia à popularibus, & quando id procedat.*

Disc. XLVIII.



PLVRIBVS in Asculanæ Ciuitatis in Piceno territorio, seù districtu, extantibus Castris, vel Pagis sub regimine, & iurisdictione eiusdem Ci-
1 uitatis, antiquam habuit ista consuetudinem, eorundem Castrorum gubernia, vel officia, vulgò Potestarias, singulis annis per extractionem ex bussulo statutis temporibus confici solito inter eius Ciues distribuere; Quia verò pro ipsorum Castrorum, seù Pagorum meliori, vel inferiori qualitate, eadem officia inter se diuersa quoque sunt quoad emolumenta; Hinc tres eorum classes ab antiquo constitutæ fuerunt; vna scilicet meliorum, quæ primi gradus vocabulum sortita sunt; Altera mediocrium, quæ secundi, & tertia inferiorum, quæ tertij gradus dicuntur.

Cumque ab aliquo tempore ad illa officia, quæ dicuntur primi gradus imbussulari consueuerint solùm personæ de aliquibus familijs nobilibus; Hinc irrepsit quædam opinio, seù prætensio, quòd ista qualitas primi gradus influeret in personas, vel familias circa nobilitatem, quasi quod illi, qui obtinent hæc officia, vel ad ea imbussulantur, essent nobiles primi gradus Ciuitatis; Alij verò qui ea secundi, & tertij gradus obtinerent quamuis legalitèr nobiles essent, attamen essent de inferioribus gradibus, vel sphæris, idq; non modicā contentionem, ac scissuram causauit ad instar illius consimilis controuersiæ, de qua habetur actum supra *hoc tit. disc.* 30. Quare introducto negotio in eadem Congregatione Consultæ, in qua dicta alia controuersia acta fuit, illa in primis prodijt resolutio, quod hæc officia cuiuscumque
2 sint gradus, neque dent, neque tollant nobilitatem, cui proptereà nullum præstent præiudiciū acceptatio, & exercitiū illorum secundi, & tertij gradus, quatenus à personis alioquin nobilibus obtineantur; & è conuerso quatenus illa primi gradus obtinerentur à personis, quæ iuridicè nobiles dicendæ non essent, non per hoc tales efficerentur.

Non

Non acquiescentes autem familiæ recurrentes, quæ se grauatas, vel præiudicatas dicebant, ex dicta restrictione dictorum officiorum primi gradus, assumptisque desuper pluribus acerrimis disputationibus, prodijt resolutio, quod bussulum fieri deberet ixta solitum, hoc est respectu officij primi gradus imbussulari solùm deberent illæ personæ, quæ vel pro qualitate familiarum naturali potirentur nobilitate, vel quæ ob dignitatem in armis, vel literis, vel ex alijs causis in iure probatis, nobiles dici possint; Demandando etiam imbussulationem multarum familiarum, ex recurrentibus, quamuis retroactis temporibus in hac possessione non fuerint, dum certa iustificabatur earum nobilitas, à prædictis familijs in possessione existentibus non controuersa; Idque non per viam nouæ concessionis, vel aggregationis, sed per viam declarationis eius quod iam inerat, atque de iustitia eis debitum erat.

Resolutio probabilis mihi visa est, atque iuxtà meum votum ab ipso initio, quo ad scribẽdum in causa requisitus fui, pro mea consuetudine, requirentibus liberè insinuatum, ita honestam, ac rationabilem tenendo mediam viam, inter
3 contendentium extrema vitiosa; Altera siquidem Pars contendebat, ad limites possessionis, & obseruantiæ ab aliquo tẽpore citrà, restrictionem huiusmodi primæ classis officiorum, ad certas familias priuatiuè ad alias; E conuerso autem hęc Pars prætendebat, vt indifferentèr omnia officia declarari deberent omnibus Ciuibus communia, merèque popularia, adeout, absque distinctione personarum, tàm nobiles, quàm ignobiles pro arbitrio Ciuitatis, vel Consilij essent illorum capaces.

Cumque altera Pars, quæ restrictionem, seù priuatiuam prætendebat, insisteret in antiqua possessione, & obseruãtia, hinc proindè inter causę patronos maior pugna fuit super iustificatione facti hinc indè præsuppositi, dum per alteram Partem iustificari prætendebatur possessio antiqua, & immemorabilis fauore certarum familiarum ex ratione nobilitatis; E conuerso autem per hanc Partẽ iustificari supponebatur imbussulationem, ac etiam extractionem, cum exercitio, artificum, aliorumque mechanicorum, qui viri nobiles dici non possent, sed populares, atque super his maiores fuerunt contentiones, seú disputationes, de quibus pro nobili Curiæ stylo, nihil agere
4 pertinet ad Aduocatos, quorum munus est, iuxtà ea, quæ in facto supponuntur, antiquorum Iurisconsultorum more de iure respondere, vt pluriès aduertitur, & præsertim *in relat. Cur. disc. 46*.

Scribendo itaque more Aduocati, ad huius Partis requirẽtis opportunitatem, insistebam in iuris regula iuxtà traditio-
5 nem *Alberic. de Rosato in Rubr. ff. de muner. & honor.* quæ communitèr recepta est, atque magistralis in materia reputatur, quod scilicet Ciuitatis officia, & munera honorifica eodem iure regulanda sunt, quo eiusdem Ciuitatis onera, & munera odiosa, & præiudicialia regulantur, ex natura correlatiuorum, siue ex regula *secundùm naturam* &c. vt quem sequuntur incommoda, sequantur etiam commoda, & è conuerso; Et per consequens, cum in oneribus, & grauaminibus Ciuitatis ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de regal.* omnium Ciuium, tàm nobilium, quàm popularium æquale sit incommodum super eorum supportatione, vt ita (adhibendo verba legum) à primo vsque ad vltimum, hæc publica sarcina æqualitèr feratur; Quinimò popularium maiora solent esse onera, sordida scilicet, & merè personalia, à quibus nobiles immunes esse solent, idcircò omnium indifferentèr, & æqualitèr esse deber commodum in officijs, & muneribus proficuis, vel honorificis, *ad tex. in l. 2. & 3. C. de defensor. Ciuit. l. si quis ex magistratibus, & l. ex rescripto ff. de muner. & honor.* & firmant communitèr DD. ex relatis *per Mastrill. de Magistrat. lib. 2. cap. 7. n. 29. & seqq.* Atque non negat, sed expressè admittit, benèque in iure comprobat doctus Conciuis *Robertus Maranta cons.* 103 scribendo pro exclusione illorum Albanensium, qui tunc in ipsa Melphiensi Ciuitate viuebant, id fundando in particulari consuetudine antiqua, & immemorabili, cuius vigore priuilegium, vel concessio allegari potest, attenta præsertim iusta causa illius introductionis ob diuersitatem Nationis.

Constituta itaque ista regula, ex qua resultat iuris assistentia fauore omnium Ci-

Ciuium indifferentèr, cùm sit prærogatiua ciuicæ qualitatis in genere, compensatiua onerum, & grauaminum ab eadē ciuica qualitate resultantium, vt supra; Exindè de plano resultare dicebam è conuerso adesse certam iuris resistentiam
6 in altera parte, quæ dictam priuatiuam prætendebat, dum generalitèr omne ius priuatiuum, quod naturalem adimat libertatem, siue tollat id quod de iure omnibus conceditur, dicatur de regalibus, atque obtineri non possit absque supremi Principis priuilegio explicito, vel illo implicito, quod allegari potest In vim immemorabilis, vel pacificæ, & vniuocę, non autem æquiuocæ centenariæ, de cuius vitioso initio non constet, ex frequentèr insinuatis in sua materia *sub tit. de regalib.* Ac etiam in his terminis aduertitur supra *d. disc. 30.*

Hinc proindè resultare dicebam, quod huic parti non incumbebat necessitas, plenè & concludentèr probandi, quod
7 hæc officia fuissent popularia, & obtenta per artifices, aliosque mechanicos, adeout probationes desuper subiacerent illi criticæ discussioni, quæ per alteram Partem fiebat, dum hæc habebat intentionem iam fundatam in regula iuris, quàm sufficit allegare iuxtà adeò frequentèr insinuatum axioma, super quo de more multa colligit *Barbos. axiom. 198* Et ex quo de consequenti alterum paritèr frequentèr insinuatum, & receptum axioma resultat, quod scilicet illi, qui iā habeat intentionem fundatam, sufficit impedire, vel offuscare, dubiasque reddere probationes Actoris, & sic non per viam destructionis probationis iam factæ, sed per viam impedimenti, ne illa fiat vel sequatur, ita eius principio occurrendo, ex ijs quæ ad materiam probationum in genere habentur, præsertim *sub tit. de iudic. disc. 2. & 22.* ità cum præmissis, alijsque similibus generalitatibus, informationes pro satisfactione Partium potiùs quàm pro genio, exornando.

Reflectendo autem ad veritatem, credebam (vt dixi) quod vtrumq; extremum esset vitiosum, siue vtraq; prætensio improbabilis, quoniam, licèt vera sit regula superiùs tradita, super omnium Ciuiū coæquali iure, tàm in bono, quàm in ma-
8 lo; Nihilominùs, tàm de iure scripto, quàm non scripto, rationabile, atque laudabile est, vt inter eosdem Ciues, munerum, & officiorum distinctiones adesse debeant, vt scilicet aliqua nobilibus, tantùm congruant, dum pleraque aliæ adesse solent, quæ obtinentur per populares, incongruunt autem nobilibus, ad *textum in l. honores §. is qui ff. de decurion.* vbi plebei prohibentur decurionum officio fungi, *& in l. honor ff de muner. & honor.* cum cōcordan. plenè relatis *per Mastrill. d. lib. 2. de magistrat. cap. 8. num. 2. & seqq.* Atque comprobat ipse naturalis discursus, communisque vsus, vt in Ciuitatibus, & locis nobilibus, & qualificatis aliqua adsint nobilia officia, & munera, quibus mediantibus nobiles à popularibus distingui valeant, vt ità nobilitatis iustificatio fieri possit, pro habitu militari in aliquibus nobilibus Religionibus, vel Militijs, iuxtà superiùs deducta *disc. 33. cum plurib. seqq.*

Ex ibi etenim deductis patet, quod tria solent esse publicorum officiorum
9 genera; Vnum scilicet positiuè nobilium, ob quorum adoptionem, vel saltim imbussulationem, & matriculam, nobilitas probatur; Alterum positiuè popularium, & ignobilium, ob quorum susceptionem, vel exercitium nobilitas excluditur; Et alterum mixtorum, siue indifferentium, quorum tàm nobiles, quàm ignobiles æqualitèr sint capaces, adeout illorum obtentio, & exercitium non probet nobilitatem, neque ad eam imprimendam suffragetur, minusque nobilitati, quæ iam habeatur, atque aliundè iustificetur, aliquod præiudicium patiat ex ibi recensitis auctoritatibus, ideoque iuxtà primas supra insinuatas declarationes in ista causa proditas, omnia huiusmodi officia etiam secundi, & tertij gradus quoad nobilitatem, media, seù indifferentia declarata fuerunt in exclusionem positiuæ popularitatis.

Ad hunc verò effectum, restringendi scilicet aliqua munera, vel officia, vt non nisi nobilibus congruant, non autem popularibus, quoties non adsit restrictio ad certas particulares familias, sed sit prærogatiua omnium Ciuium nobilium in genere, tunc aduertebam, quod cum æquiuoco adeò hinc indè immoraretur super exclusione, vel respectiuè inclu-
10 sione immemorabilis, vel centenariæ vt supra, quoniam cum nulla desuper di-


gno-

gnoscatur positiua iuris resistentia, quinimò ex præmissis rationibus potiùs, quędam assistentia, vel saltim, vt neutra concurreret, nec scilicet assistentia positiua, neque resistentia positiua, ideoque esset solùm præter ius, non autem secundùm, vel contra; Hinc proindè resultat, vt ordinaria, & longa, vel ad summum longissima sufficiat consuetudo, vel obseruantia, quæ ità interpretatiuę potiùs, quàm præscriptiuæ nomen mereri, vel naturam sortiri videtur, ità scilicet per quandam occultam diuisionem, vel distributionem inter ipsosmet Ciues, declarando, vel interpretando quænam congruant vni, & quænam alteri eorum generi, ob dictos laudabiles, vel rationabiles fines, aut effectus.

Tunc autem adesse dicitur positiua resistentia, ob quam doceri debet de explicito priuilegio supremi Principis, vel de immemorabili, aut legitima centenaria, cuius vigore idem priuilegium, vel quicumque alius de mundo melior titulus allegari potest, quando prætendatur restrictio ad certas familias, vel ad certum genus personarum, cum aliarum priuatiua, seù incapacitate, quamuis de iure essent nobiles, omniumque nobiliũ officiorum, & munerum capaces, iuxtà illam speciem restrictæ nobilitatis, quæ insinuatur supra *hoc eodem tit. disc. 35*, dũ rali casu, etiam nobiles maioris sphere, & nobilitatis, sunt illorum officiorum, & munerum incapaces, cùm illa præcisè debita sint nobilibus illarum familiarum quamuis priuatæ nobilitatis, & fortunæ, eorum verò sunt incapaces alij de familijs ibi non descriptis, vel in ea possessione non existentibus, quamuis essent nobiles maioris spheræ, & magnatitiæ qualitatis.

Hinc propterea concludendo dicendum est quod; Aliud est declarare, seù conseruare aliqua Ciuitatis officia in statu, seù prærogatiua nobilitatis, vt nonnisi
11 Ciues nobiles, ad ea imbussulari debeāt, capiendo nobilitatẽ in genere, siue sit naturalis, siue acquisita; Ac etiam circa naturalem, siue sit antiqua, siue sit recentior, dummodo verificetur, adeout illa familia, vel persona in eo gradu constituta dici valeat; Et aliud est inducere priuatiuam fauore aliquarum familiarum, vel personarum, in exclusionem aliarũ, quæ eamdem Ciuicam, ac nobilem habeant qualitatem, vt scilicet isto posteriori casu adesse dicatur positiua iuris resistentia, & manifesta odibilitas, vt propterea requiratur, vel priuilegium explicitum, vel illud implicitum, quod in vim benè probatæ immemorabilis, vel centenariæ allegari potest; In altero autem, vel adsit assistentia, vel saltim desit resistentia.

Probabiliùs autem isto posteriori casu fauorabilis, atque rationabilis potiùs res dici meretur, cùm publicam id respiciat vtilitatem, vt ità Ciuitas nobilis redda-
12 tur, atque facilis, & promptus habeatur modus iustificandi nobilitatem; Id etenim, etiam ipsorum popularium interest, eorumque percutit vtilitatem, ob spem, vel potentiam, vt ipsimet, vel eorum posteri, literis, vel armis mediantibus, vel etiam cum antiquis, & continuatis diuitijs, quæ ab industrijs parantur, eamdem obtineant prærogatiuam; Ideoque nimium Reipublicæ interest, vt adsit libertas, vel ianua aperta, vt ità Ciues, ad virtutes, egregiaque opera, vel ad industrias, & diuitias parandas allicianturn, ob spem, vel stimulum assequendi huiusmodi honores, quorum restrictio è conuerso Reipublicæ potiùs præiudicialis censenda est, vt nonnullæ benè regulatæ Italiæ, aliarumque partium Ciuitates, & Reipublicæ practicant, nouas allectiones in tempora faciendo; Et per consequens vbi cesset dicta priuatiua, tunc obseruantia potiùs fauorabilis censenda est, magisque interpretatiua, quàm præscriptiua.



Meleuitana habitus, seù admissionis ad Professionem.

PRO

Antonio Azlor.

CVM

Religione.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

An Religio Hierosolymitana recusare possit admittere ad professionem illum, qui iam susceperit habitum iustitiæ ob superuentam infirmitatem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Statuta Religionis Hierosolimitanæ exigunt corporis valetudinem.*
3 *De istius statuti intelligentia.*
G *De distinctione inter ius quæsitum, & quærendum.*
5 *Admissus ad nouitiatum quãdo repelli non possit.*
6 *Ad quid requiratur nouitiatus.*
7 *Religio Hierosolymitana est vera, & propria Religio.*
8 *Non admittitur quis ad professionem, nisi post nouitiatum acceptetur à Capitulo.*
9 *Religio Hierosolymitana vnicum habet Conuentum Meleuitanum.*
10 *De modo scribendi.*
11 *De differentia circa admissionem ad habitum, & ad nouitiatum inter istam, & alias Religiones.*
12 *Qualis sit habitus illorum Nouitiorum.*
13 *De duplici specie nouitiatus.*
14 *Antianitas in hac Religione currit à die soluti passaggij.*
15 *Quando etiam in manualibus cesset facultas amouendi.*
16 *Quod Statuta inhabilitantia ad recipiendum non comprehendant iam receptos.*
17 *Quare de isto casu agatur in hoc titulo, & remissiuè de materia.*

Disc. XLIX.



CVPIENS Antonius suscipere habitum militis iustitiæ in Sacra Hierosolymitana Religione, factis, atque admissis, ad formam stabilimentorum, certæ, ac no-
1 toriæ nobilitatis, aliorumque requisitorum probationibus, solutoque solito passaggio, receptus fuit in fratrem, atque albo Nonitiorum adscriptus, paruam crucem in pectore nouitiorum ad instar deferendo; Cumque post aliquorum annorum decursum, peteret admitti ad formalem nouitiatum in Conuentu Meleuitano, ad effectum emittendi professionem, intermedio verò tempore ob infirmitatem, aliquam cruris attractionem passus esset, ac propterea claudicare cogeretur, hinc petita admissio de-
2 negata fuit ex fundamento *Statut. 16. tit. de recept. fratr.* inter alia huiusmodi militum requisita desiderantis corporis integritatem, ac idoneitatem ad armorum exercitium, ideòque commissa per Signaturam Gratiæ causa appellationis *in Rota coram Emerix sub die 13. Martij 1673.* Antonio fauorabilis prodijt resolutio, cui credo quòd Religio acquieuerit, dum ijdem eius Aduocati in Curia pro consueta integritate Oratori Religionis apud Sanctissimum liberè insinuarunt, improbabilem esse oppositionem.

In disputationibus itaque desuper habitis tàm in Rota, quàm in Signatura
3 Gratiæ, Scribens pro Antonio dicebam, quòd cum Statutum prædictum loquatur de ijs, qui ex integro recipiendi, vel admittendi sint ad habitum, ideòque percutiat tempus probationum, & processus, tàm super nobilitate, quàm super alijs requisitis recensitis supra *disc. 32. cum duobus seqq.* idcirco non comprehendat istum casum, in quo agitur de excludendo iam receptum & admissum, ob longam differentiam inter vnum casum, & alterum de qua præsertim *sub tit. de benefic. disc. 70.* vbi quòd aliud est, ob aliquem defectum, quinimò per sim-
4 plicem diffamationem, excludere concur-

currentem à beneficio assequendo; Et aliud est, illum priuare beneficio assequuto; Ac etiam conferunt, quæ habentur *sub tit. de testam. disc.* 73. *& sub tit. de fideic. disc.* 154. Super differentia inter conditionem & modum, siue super priuatione iuris quæsiti, & denegatione iuris quærendi, cum similibus; E' conuerso Scribentes proReligione dicebāt, quòd huiusmodi propositiones cadere
5 possent, quando petitor iam admissus fuisset ad nouitiatum ex ijs quæ deducuntur apud *Merlin. decis.* 882. *num.* 21. *& Coccin. decis.* 215. *num.* 13. *& seqq.* Et nihilominùs etiam isto casu, procedendo eum terminis generalibus aliarum Reli-
6 gionum, atque propterea magnum faciendo cumulum Canonistarum, & Moralium, super certo præsupponendo principio, dicebant, quòd idcircò nouitiatus per annum integrum, & continuum, per Sacros Canones, strictiùs verò per Concilium Tridentinum desideratur, vt ita Nouitius, Religionis asperitates, viuendique mores, & è conuerso Religio nouitij mores, ac statum, experiatur, cum vtriusque plena, & omnimoda libertate ingressi non profitendi, sed egrediendi à Religione, & Religionis, vel Monasterij; non admittendi ad professionem, sed eum dimittendi, cum professio dicatur quidam contractus reciprocus, qui ex vtriusque contrahentis libero, ac sincero consensu perficitur, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de Regularib.*

Nimium quoque pro moderno inepto stylo, redolente inutilem, ac superfluam chartarum repletionem, se diffundendo
7 in paritèr absoluto, ac præsupponendo principio, de quo præsertim in specialibus terminis huius Religionis *d. tit. de Regularib. disc.* 46. & alibi, quod scilicet ista sit vera & propria Religio, ad omnes effectus, adeòut, excepta clausura, seù necessitate vitæ claustralis, quoad omnes alios effectus eius professi sint veri Religiosi, vt etiam aduertitur *sub tit. de iurisdict. disc.* 92. *& sub tit. de testam. disc.* 35. Et per consequens quòd in ea procederet non solùm decretum Concilij Tridentini super integro, & continuo anno nouitiatus, sed etiam quod intrare deberent Apostolica decreta, vel Sacrarum Congregationum, in omnibus vtriusque sexus Regularibus, vt scilicèt
8 ad professionem admitti non debeant, nisi prænia acceptatione capitularitèr facienda per vota secreta pro maiori parte, siue per duas ex tribus, iuxtà diuersa Religionum, vel Monasteriorum statuta, seù consuetudines.

Multò igitur magis, id procederedicebant in isto casu, in quo petitor, neque dici poterat nouitius, siue quod nouitiatum neque per diem peregisset, dum ex insinuatis *d. disc.* 46. *de Regular.* ista Religio vnicum habet conuentum
9 in Insula Meleuitana, in loco residentiæ M. Magistri, eiusque Consilij, ideòque ibi & non alibi, nouitiatus peragitur, atque professio emittitur, quoties Apostolica dispensatio non accedat.

Replicabam tamen, etiam cum sensu veritatis, quòd admissa etiam omnium præmissorum veritate in abstracto, adeòvt (sicuti præmissum est) auctoritates
10 quæ ad eam comprobandum plenè cumulabantur, verè contemptibilem, ac damnabilem superfluitatem continerent ità curando probare per testes veritatem meridiani Solis in cœlo sereno, ex ijs quæ super modo scribendi habentur deducta *sub tit. de iudic. disc.* 46.

Adhuc fallacia clara consistebat in applicatione, super qua ferè omnes fori quæstiones versari videntur, parificando istam Religionem alijs Claustralibus,
11 eorumque Regulas, ac terminos generales huic applicando, ob multas differentias, quæ militare dignoscuntur, ex particulari ratione, quæ in ista Religione non autem in alijs militat, præsertim quoad ordinem, seù habitum iustitiæ (quidquid sit quoad alios duos ordines Cappellanorum, ac Seruientium armorum); Siquidem non recipere ad hunc habitum illos, qui ad eum admitti petant, notabile causat præiudicium in fama, seù existimatione, quasi quòd ex defectu generosæ nobilitatis, vel puritatis sanguinis id prouenerit, ideòque non solùm in isto casu, in quo agatur de excludendo iam admissum, sed etiam in altero in quo re omninò integra agatur de denegatione primi ingressus, ab ea datur appellatio, atque per Iudicem appellationis eadem admissio decerni, ac demandari potest, iuxtà casus de quibus supra *disc.* 32. *cum duob.*

duob. seqq. quasi quod ista Religio profiteatur, siue obligationem habeat admittendi omnes, qui iustificent generosam nobilitatem, aliaque requisita per eius statuta desiderata, ad instar illius necessariæ receptionis omnium naturalium loci ad seruitium & massam alicuius Ecclesiæ receptitiæ de qua agitur *sub tit. de Canon. & Capitul. disc. 21.* Et per consequens manifestum æquiuocum esse dicebam, applicare huic Religioni ea quæ generalitèr statuta sunt in alijs, quibus dicta peculiaris ratio non congruat.

Alia quoque diuersitate inter istam Religionem & alias in genere militante, quod scilicet in alijs nunquam dicitur quis Nouitius, nisi prius cum consuetis solemnitatibus per manus Superioris ad quem pertinet, ille habitum suscipiat, eoque suscepto, in illius gestatione, ac permanentia intra claustra loci & Conuentus destinati perseuerer, adeòvt susceptio habitus non sit practicabilis in absente; Ac etiam antianitas ob honores & gradus Religionis computatur solùm à die emissionis solemnis professionis, non autem antea.

Diuersum verò est in ista Religione, quod scilicet, etiam absentes ad hunc habitum admittuntur, atque admissi,
12 illum gestant, consistentem in delatione paruæ crucis in pectore, non autem alterius crucis maioris in parte sinistra pallij, quàm solùm professi gestant, atque Nouitij reputantur ad effectum exemptionis fori & onerum laicalium, aliorumque priuilegium fruitionem absque eo quod vnquam accedant ad vnicum Conuentum Meleuitanum.

Mora etenim per annum integrum, & continuum in dicto Conuentu Meleuitano, requiritur pro illo formali nouitiatu, qui ad præscriptum Concilij Tri-
13 dentini, necessarium est pro emissione solemnis professionis, quæ desideratur pro capacitate Commendarum, & dignitatum; Ideòque in ista Religione, ex eius singulari instituto, quod fortè alijs consimilibus Religionibus militaribus est commune, duplex adest species nouitiatus; Vna scilicet illius veri, & proprij, seu formalis nouitiatus, qui requiritur ad satisfaciendum decretis Concilij Tridentini pro valida emissione professionis; Et altera nouitiatus magis improprij, vel præparatorij, qui tamen, quando sequuta quoque sit solutio pas-
14 saggij, & non aliàs, operatur illum effectum, quem in alijs Religionibus operatur ipsa solemnis professio, quod scilicet Incipit currere antianitas, vt apud *Carill. decis. 8. & 9. Duran. decis. 409. Dunozett. decis. 540. decis. 573. & 812. & sæpius*; Quæstione solùm cadente, an vbi solutio passaggij præcedat receptionem, adhuc effectum suffragetur, necne vt fortè aduertitur *sub tit. de Regularibus in hoc supplemento*.

Si ergò non recipere ad habitum merum laicum reputatur famæ & existimationi præiudiciale, vt supra; Multò ma-
15 gis id dicendum est in isto casu, in quo non receptio cogeret ad dimittendum habitum, qui iam per aliquod tempus gestatus fuerit, atque amittendum illius ius, quod iam quæsitum esset; Adeòvt ex deductis apud *Merlin. decis. 882. numer. 21. & sub d. tit. de Canonic. & Capit. ac etiam sub d. tit. de benefic. discurs. 80. & 97.* etiam in beneficijs, & cappellanijs manualibus, in quibus regula est, vt etiam sine causa amotio ad nutum fieri valeat, adhuc tamen, vbi idem notabile præiudicium in fama causare valeat, permittendum non sit.

Et in specialibus terminis huius Religionis, quod statuta desiderantia certa requisita, verificari sufficiat de tempore
16 receptionis, ideòque inhabilitantia ad susceptionem habitus, non comprehendant eos, qui iam admissi sint, quamuis non professi apud *Coccin. decis. 215. numer. 13. cum seqq. & per tot.* Potissimè verò, vbi superuenta mutatio status, non sit criminosa, sed merè casualis, ratione infirmitatis, vel alterius accidentis non culposi.

Omnis præterea difficultas in isto casu cessabat ex eius particularibus circumstantijs, dum concludenter iustificatum fuit, quod claudicatio, seù cruris attractio nullatenus impediret etiam magnã & considerabilem aptitudinem ad vsum, ac exercitium armorum; Sed quando id non verificaretur, adhuc idem dicendũ veniret, cum sufficiat susceptio habitus in statu habili.

Quamuis autem hæc sub Regularium sede potiùs cadant; Attamen quia supra

... *disc. 32.*

disc. 32. cum duob. seqq. de materia susceptionis habitus iustitiæ in ista Religione *in hoc titulo* actum est, ratione nobilitatis generosæ, ac propterea istius
17 habitus gestatio nobilitatis canonizationem, ac notabilem præeminentiam præseferat, hinc proinde non incongruit, vt in hac sede agatur de hoc puncto, vtpotè ex præmissis ad præeminentialem materiam quoque influente; De alijs verò ad materiam habitus, & professionis in ista Religione agitur *d. tit. de Regular. disc. 45. cum duobus seqq.*

Burgeñ Erectionis Cathedralis.

PRO

Ecclesia Collegiata Oppidi S. Andreæ, vel Santander, & annexis.

CVM

Capitulo Ecclesia Metropolitana Burgen.

Casus decisus per Sac. Congregationem Consistorialem pro Capitulo, & Ecclesia Metropolitana.

De eodem casu, eademque materia de quibus supra disc. 6. super erectione nouæ Cathedralis cum dismembratione partis territorij alterius.

SVMMARIVM.

1 *Reassumptio facti cum resolutione.*
2 *De requisitis noua erectionis Cathedralium.*
3 *Quod sit materia potius facti quàm iuris.*
4 *De facti circumstantijs erectionem, & dismembrationem suadentibus.*
5 *De probatione per tabulas geographicas.*
6 *De visitatione diacesis facienda per Episcopum.*
7 *De qualitatibus loci in quo facienda est noua erectio.*
8 *Quando dicatur adesse, nec ne graue præiudicium.*
9 *De circumstantijs potissimè considerandis in hoc proposito.*
10 *De S. Congregatione Consistoriali.*
11 *Qualis regula in hac materia attendi debeat.*

Disc. L.



Etenta facti serie de qua in hac eadem causa supra *disc. 6.* trasmissis ad Vrbem processibus super ibi enunciatis commissis probationibus, atque proposita causa in Sac. Cógregatio-
1 ne Consistoriali, non sine considerabili votorum scissura, plerisque ex ponderosioribus nouæ erectioni assistentibus, in contrarium pro maiori parte resolutio prodijt, magis ex quibusdam prudentialibus, quàm ex iuridicis fundamentis, ita temporum, aliorumque circumstantiarum conditione exigente, adeòvt resolutio non quidem laudari, non tamen omninò ex dicta consideratione damnari potuerit; Speratur tamen probabiliter quod cessantibus aliquibus respectibus in contrarium vrgentibus ad hanc erectionem deueniendum erit, cum reuera necessitas vrgere videatur; Cumque satis *d. disc. 6.* de materia scriptum sit, idcircò solùm præter stylum hic registratur informatio à me edita more Aduocati, prout iacet.

Pro faciliori resolutione distinguo causam in duas inspectiones, Vnam Iuris in abstracto, super iustis scilicèt causis, ac requisitis ex quibus congruum, ac opportunum ab hac Sancta Sede Apostolica reputari solet, antiquas Diœceses dismembrare, nouasque Cathedrales erigere. Alteram facti, seù applicationis, an scilicet in casu de quo agitur dicta requisita, iustæque causæ concurrant.

Quatenùs pertinet ad primam, iuxtà dispositionem *extrauag. Saluator*, quæ in hac materia est norma, & magistra; Tria sunt requisita ex quibus iusta causa resultat. Primum, ac præcipuum consistit in amplitudine Diœcesis. Itaut (sunt
2 verba præcisa *Extrauagantis*) *vnus Pastor singulorum vultus inspicere nequeat, aliasque partes boni Pastoris implere, quodque durum sit, atque difficile per talem la-*

 tam,

tam, ac diffusam Diœcesim, ad vnum tantum à personis Ecclesiasticis, & mundanis recursum haberi.

Alterum est requisitum, vt locus, in quo facienda est noua erectio sit talis, quod decenter in eo Cathedra collocetur, tàm in qualitate loci materialis, qua in redditu, & prouisione noui Episcopi, ac etiam in Populo, & Diœcesi, itaut Dignitas Episcopalis non vilescat, *Can. Episcopi cum duob. seqq.* 80. *distinct.*

Tertium requisitum est, vt antiqua Ecclesia ex huiusmodi diuisione non remaneat populo, & redditibus destituta, & notabilitèr præiudicata, itaut eius dignitas aliàs vilescat, vt de his omnibus patet post antiquiores *in cap. sicut vnire de excess. Prælat. ex Rebuff. in praxi Benef. tit. de erect. Cathedralis num. 2. cum seq. Mandosius in tractatu de Signatura Gratiæ, §. Erectiones plenè Lotter. de Benef. d. lib. 1. quæst. 11. per tot.* vbi benè de materia *Solorzan. de iur. Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 5. Francesc. de Eccles. Cathedral. cap. 6.*

Quo verò ad secundam inspectionem facti, seù applicationis profitendo loqui non more Aduocati causæ inseruientis, sed cum sensu illius veritatis, cuius cognitio Aduocato conceditur, Certa, & vniformis decisio, seù regula desuper tradi non potest, ista enim dicitur ma-
3 teria arbitraria, *glos. in cap. vltimo* 80. *distinct. Menoch. de arbitrar. casu* 497. *Francesc. dicto cap. 6. num.* 2. & in arbitrarijs totum pendet à singulorum casuum indiuiduis circumstantijs regulandis ex more Regionis, alijsque considerationibus, ex quibus aliquæ minores circumstantiæ in vno casu abundant, in altero autem eędem, & maiores non sufficiunt, in hac autem facti specie dicta requisita exuberantèr, & magis fortè quàm in quocumque casu hucusque practicato concurrere, & verificari videntur.

Examinando siquidem seriatim dicta requisita, primum amplitudinis Diœcesis, ita & taliter, quod superiùs registrata verba *Extrauag.* verificentur, est indubitatum, cum ex deductis in Facto, & Summario, benè probatum sit hanc Diœcesim in longitudine, & latitudine
4 complecti spatium 44. leucarum constituentium nostra milliaria circitèr 160. quod spatium constituit magnam Prouinciam, atque in ea adsunt 1755. Parochiales vltra 62. Archipresbyteratus 13. Collegiatas, & 78. Monasteria.

Et quód magis est probatum quoque extitit hanc partem Diœcesis, de cuius dismembratione agitur cum noua erectione, diuisam esse à Ciuitate, in qua residet Archiepiscopus cum eius Tribunali, per montes asperrimos, & pro maiori parte inaccessibiles, vt in Facto, & in Summario, itaut adamussim verificentur dicta verba *Extrauag*

Neque circa istud requisitum immorandum est super exceptionibus exaduerso dandis aduersùs nostras probationes, seu super Testibus in contrarium inductis, quoniam vltra bonas responsiones datas per Scribentem in facto super exceptionibus, quas dicti Testes in persona, & dicto patiuntur, ob quas fide prorsùs indigni redduntur, ad tria reflecti supplicatur.

Primò quod non agitur de probationibus facti transeuntis, quod pendeat à dicto testium, ex quibus vni, vel alij falsum dicere possunt, sed agitur de re facti permanentis, & notorij, quod absque Testibus ex tabulis, seù mappis geographicis iam impressis certificari potest,
5 istaque probatio, tanquam per rei euidentiam est omnium melior, ac magis certa, *l. penultima ff. finium regundorum, Greg. decis.* 575. *num.* 6. *dec.* 197. *num.* 5. *par.* 8. *rec.* Quodque Geographis deferendum sit circa Prouinciarum situationem, & spatium plenè *in Romana Canonicatus* 10. *Decembris* 1655. *coram Priolo, & dist.* 33. *de iudic.*

Secundó quod omnium maximum, & concludens argumentum est illud à posteriori, seù ab effectu, & istud clarissimé verificatur, quia ex plenè, & distinctè in facto deductis liquet hanc partem Diœcesis, vel nullo modo habere præsentiam Pastoris, vel illam rarissimam, & cum adeò interpolatis spatijs, quod videatur idem, ac nihil cum tot scandalis, & inconuenientibus, quæ benè probata sunt, agnita ètiam per plures Archiepiscopos, id pro exoneratione conscientiæ ingenuè agnoscentes, & fatentes, vt in facto.

Obseruando potissimè quod per *Sac. Concil. Tridentinum Sess.* 24. *de reform. cap.* 3. disponitur per verba præcisa, *quod*

quod Patriarcha, Primates, Metropolita-
6 *ni, & Episcopi propriam Dioecesim per se ipsos, aut si impediti fuerint per suum Generalem Vicarium si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt saltem maiorem eius partem, ita tamen, vt tota biennio compleatur*, ideòque supponit ad minus singulo biennio per ipsum Episcopum cessante impedimento, omnes Dioecesis partes visitari, Et tamen in præsenti adsunt partes, quæ nunquam habuerunt Archiepiscopum visitatorem, & aliæ satis rarum cum spatijs importantibus hominum vitam.

Et tertiò, quòd per dictam extrauagantem non requiritur iter impossibile, *sed durum atque difficile* tam respectu ipsius Pastoris, vt accedat ad videndas, & recognoscendas oues, quàm respectiuè ipsarum ouium, vt recurrant ad Pastorem; Et hæc dutities, ac difficultas est in facto indubitata.

Atque placeat, cum eisdem tabulis geographicis inspicere spatium ex quo constituta erat antiqua Dioecesis Tholosana diuisa in quatuor alias Dioeceses, & Dioecesis Mechlinien. diuisa in vndecim, & cum debita proportione arithmetica, quæ vulgò dicitur *la regola del trè* dignosceretur ex hac Dioecesi congruè duas, vel tres Dioeceses constitui posse.

De secundi requisiti verificatione nō videtur dubitandum, quoniam tam attenta qualitate Oppidi de Santander in quo erectio petitur, in numero, nobilitate, diuitijs, alijsque qualitatibus populi, & Cleri, quàm etiam structura Ecclesiæ materialis, numero Ecclesiarum,
7 & Monasteriorum, ac etiam redditibus, & territorio, quibus ipsa noua Ecclesia prouideretur, liquet esse debere vnam ex Ecclesijs, si non primi saltèm secundi, non autem vltimi ordinis, ac maiorem pluribus alijs in ipsamet Hispania (cum in Italia esset de primarijs, & Cardinalitijs) itaut circa primum, & secundum requisitum casus videatur extrà omnem controuersiam.

Demùm quoad tertium requisitum grauis præiudicij resultantis antiquæ Ecclesiæ, à qua dismembratio facienda est, paritèr plenè, & concludentèr probatum est, cum attentis territorio, & populo adhuc remanere ex maioribus, & amplioribus Dioecesibus, quæ sint in Hispania, quinimò in toto Orbe, dum sibi remanet territorium in longitudine, & latitudine 100. milliarium, & vltra eum locis, seù Parochijs 1305. Ideòque remanet adhuc maior quam sit celeber-
8 rima, & insignis Ecclesia Toletana habens solùm Parochias 802. ac minorem districtum, seù Territorij ambitum, & quoad redditus isti excedūt summā scur. 30. mil. cum tamen *Sac. Conc. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 13.* congruam Episcopi, & Ecclesiæ Cathedralis prouisionem reputet in mille ducatis, multò magis in 30. mil. cum excessus importet magis Prælati superfluam ditationem, ob cuius diminutionem salus animarum negligenda non est, quia Canones vt supra prohibent depauperationem ne vilescat.

De alijs autem Capituli, vel Archiepiscopi præiudicijs curandum non est, quoniam impossibile est dare nouam erectionem Cathedralis cum dismembratione ab vna, vel pluribus alijs Ecclesijs absque istarum præiudicio, ac proptereà istæ nouæ erectiones reputantur in Iure gratiæ pernecessè, ac de sui natura præiudiciales, vt apud *Seraph. dec. 1445. Buratt. decis. 193. in fin. Adden. dec. 576. num. 13. & passim.*

Sed punctus est in præponderantia, proindèque partes huius Sacræ Congregationis videntur in perpendendis in statera ijs, quæ hinc indè confluunt, ac videndo quæ longè præponderent, cum aliàs impossibile sit huiusmodi actus practicare sine præiudicijs.

Duo autèm potissimum consideranda veniunt; Primò quod hæc non est immatura petitio, quæ fieret ad solam supplicationem, & instantiam, istorum Populorum, qui ex ventosa ambitione affectarent titulum Ciuitatis, & Cathedralis, ac effugere subiectionem Cathedralis antiquæ, vt frequentèr in hac Sacra Congregatione tales instantiæ audiri solent, sed agitur de satis matura determinatione Regis Catholici, præuia
9 longæua consultatione in eius Consilijs, ferè per sæculum, præuijsque tot Insignium Prælatorum relationibus, etiam ipsorummet Archiepiscoporum, alijsq; diligentijs, vt in facto, cum ipsiusmet Regis præiudicio notabili in applicando Abbatias, & Dignitates de eius patronatu,

natu,

natu, quod non est verisimile, nisi præcisa necessitas vrgeret.

Et secundò quod agitur de locis existentibus ad oras Maris Oceani, & in Portu ad quem frequentèr, & quotidie occasione commercij appellunt Angli, Hollandi, alijque Hæretici, ac propterea omninò necessaria est præsentia continua proprij Pastoris, nedum ad tollenda scandala, quæ apud ipsosmet hæreticos ex huiusmodi locorum inconuenientibus oriri possunt circa indecentem Ecclesiarum cultum, Sacramentorum custodiam, & malam administrationem, & Sacerdotum vitam scandalosam, sed etiam ne ipsis Hæreticis detur ansa disseminandi eorum perniciosa venena, quæ deindè paulatim excrescentia, & facta maiora eradicari non valeant; Et hæc potissima causa fuit, vt Paulus Quartus Carolo Quinto supplicante Ecclesiam Mechlinien. in vndecim Episcopatus diuiserit, cum similibus &c.

Non referuntur autem fundamenta Scribentium in contrarium, ac responsiones quæ à me dabantur, quoniam in effectu omnia tendunt in idem, ac pro-
10 pterea in iuris theoricis, vel propositionibus concordabamus, totaque erat quæstio facti, & applicationis; Ex quo sequitur vt arbitraria materia censenda sit, in qua non de facili de positiua iniustitia iudicatum redargui valeat, potissimè verò quia ista Congregatio nō est Iudex, sed solùm Consultor Papæ, vt aduertitur *in relatione Curiæ disc. 5.*

Et quidem incapax est materia regulæ generalis cuicumque casui applicabilis & per consequens manifestus est error in ea cum generalitatibus procedere
11 cum totum pendeat à Regionum moribus, vt aduertitur quoque *d. disc. 6. in fine*, ac etiam in opusculo *de Episcopo* in Italico idiomate, vbi recensentur rationes, vel causæ, ob quas in Italia frequentiores quàm vltra montes magisque exigui & pauperes sunt Episcopi, & Archiepiscopi, & per consequens fabulosum esset regulare erectiones vltra Montes cum exemplis Italiæ, & è conuerso.

Prout etiam tàm citra, quàm vltra Montes magna constituenda videtur differentia inter illas nouas erectiones quæ fiant in locis *Nullius* & territorij separati sub Prælato inferiori, siue in illis, in quibus ratione exemptionis, & contrariæ possessionis Prælati inferioris Episcopi possessio non sit pacifica, idque iurgia, & scandala producat, iuxtà tot casus recensitos supra *sub tit. de Iurisd. disc. 1. cum plur. seqq.* Et casum in quo agatur de dismembratione partis Diœcesis pacificè per Episcopum possessæ, dum primo casu longè faciliùs, quàm in altero ad id deuenire congruit, quinimò generalirèr expediret ad tot lites & iurgia resecanda, totque scandala & inconuenientia tollenda, vel huiusmodi Ecclesias in Cathedrales erigere, eisque Episcopos præficere, quando qualitas locorum, & congrua prouisio id exigerent, vel supprimere, & alicui Diœcesi applicari, & ita huiusmodi Prelatos inferiores Episcopalem iurisdictionem absq; Episcoporum subordinatione exercentes penitùs tollere, & supprimere, vt etiam aduertitur *d. disc. 5. in relatione Curiæ, & in dicto Opusculo de Episcopo, & alibi.*

Vigelieñ Collegialitatis.

P R O

Insimul vnitis Ecclesijs.

C V M

Capitulo Cathedralis.

Casus disputatus coram Datario.

De eadem materia probationis Collegialitatis de qua supra *disc. 8.* quando non habeatur expressa erectio.

S V M M A R I V M.

1 *Casus quæstionis.*
2 *De probatione Collegialitatis.*
3 *De eiusdem signis.*
4 *De probatione per obseruantiam.*
5 *De operatione centenaria.*
6 *De alijs signis, et an deficientia aliquorum obstet.*

DISC.

DISC. LI.



VPIENTIBUS Canonicis Ecclesiarum insimul vnitatum *N. N.* Ciuitatis Vigilien indultum deferendi insignia; Cum aduersus Collegialitatem ex parte Capituli Cathedralis illā impugnantis cōmissa esset ex remedio *l. diffamari* causa in Rota, consultus dixi erroneum esse, notabilem facere impensam pro huius indulti concessione, nisi prius ipsa Collegialitas in tuto poneretur, quodque propterea per ipsam Datariam de hoc cognoscendū esset, vt agnito illam adesse, præuia dictæ litis suppressione firmaretur status, eum cuius præsupposito certo, dictum indultum concederetur, ideòque ad hunc effectum assumpta disputatione coram Datario ad Collegialitatem probandam scripsi, vt sequitur.

1

Quamuis iuxta opinionem, quam hodie tenet Curia Romana (cōtrariam tamen magis communiter tenentibus antiquis Canonistis) Ecclesia Collegiata non possit erigi absque auctoritate Apostolicæ Sedis, cuius priuilegium requiritur; Attamen receptum pariter est, quod probatio Collegialitatis non restringitur ad hāc speciem expressam priuilegij ex-

2 pliciti, sed admittitur etiam præsumptiua seu adminiculatiua ex signis, ità dictum priuilegium præsumendo ex relatis post *Canonistas in c nobis de iur. for. & per Mascard. de probat. c.* 584. *Caput. dec.* 141. *par.* 1. *Rotas dec.* 293. *Reatina Parochialis* 30. *Maij* 1670. *coram Beuilaqua*, & à me aduertitur *lib.* 3. *de præminent. disc.* 8. *numer.* 10. & *sub tit. de benef. disc.* 14. atque tanquam certum admittitur *decis.* 147. *par.* 10. *rec.* & 92. *par.* 14. in quibus pro exclusione respondetur.

Hinc resultat, quod ista quæstio sit potius facti, quàm iuris, ex singulorum casuum circumstantijs, & adminiculis decidenda, adeòvt pro meo iudicio clarus videatur error in hoc procedere cum solis generalitatibus in abstracto, quoniam licet pleraque per DD. considerari soleant signa Collegialitatis, vt sunt archa,

3 sigillum, Sindicus, & alia huiusmodi; Attamen hæc, & similia sunt æquiuoca vtpotè pernecesse non requisita, neque necessario concludentia, dum pleraque adsunt Collegia non habentia hæc signa, & è conuerso pleræq; adsunt Congregationes, vel Communiæ simplicium Clericorum in Ecclesijs parochialibus, vel nationalibus, seù etiam ex deuotione, in quibus plura ex dictis signis verificentur & tamen non sunt Collegia, Ideoque punctus, est in signis magis vniuersis, quæ iuxta naturam adminiculatiuæ probationis præsertim in antiquis ponderanda non sunt singulariter, & disiunctiuè, sed vnitim cum regula, *vt singula quæ non prosunt, &c.* vt præsertim latius aduertitur *dicto disc.* 8. *de præminent. ac etiam dicto disc.* 14. *de benef. & alibi.*

Applicando itaque ad rem *ex deductis in Summario num.* 1. cum constet, quod

4 vsque ab anno 1292. in istis Ecclesijs adessent Canonici soliti prouideri in titulum, quorum numerus præfinitus fuit, atque Ecclesiæ enunciantur Collegiatæ, etiam de annis 1443. 1506. 1506. 1542. & 1570. deindeque subsequuntur alij actus collationis Canonicatuum, aliæque enuneiatiuæ sub diuersis temporibus de annis 1586. 1590. 1613. 1625 1628. 1647. & 1672.

Hinc adesse dicitur centenaria, quæ concurrente de plano resultat probatio dicti priuilegij, quoniam centenarius possessor allegare potest priuilegium Apostolicum, & quemcumque alium ti-

5 tulum de Mundo meliorem, vnde non indiget adminiculatiua probatione deducta ex signis, cum ipsa sola diuturna possessio ad id sufficiat ex dicto priuilegio centenariæ possessionis *Merlin. decis.* 593. *num.* 28. *cum alijs relatis lib primo de Feud. disc.* 3. *num.* 18. & *latius lib.* 7. *de alien. & contract. prohib. disc.* 2. *num.* 8. & *seq. & disc.* 3. *num.* 7. & *seq.*

Ac propterea his addendo tot signa vt præmissum est, non singulariter, sed vnitim attendenda, vt sunt enunciatiuæ explicitæ Collegij præsertim ab Episcopis verisimiliter informatis de statu suæ Ecclesiæ, necnon nomen Canonicorum,

6 eorumque numerus præfinitus, & Chorus cum stallis iuxta ordinem antianitatis, & consuetudo se congregandi necnon Missa conuentualis, & recitatio officiorum, ac ordinatio statutorum, ità vide-

videtur esse in claris; Nil obstante quod deficiant aliqua signa, nempè arca, & sigillum, quoniam ista sunt quidem signa affirmatiua, quæ prosunt ad probationem, quando adsunt, sed non sunt præcisè necessaria, vt propterea eorum defectus excludat Collegialitatem, quæ ex tot alijs abundè iustificata remanet.

Montis Casſini Præcedentiæ.

PRO

Monasterio, & Monachis.

CVM

Canonicis, & Capitulo Sancti Germani.

Casus disputatus in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium.

An, & quando contra ea, quæ habentur supra *disc.* 20. Regulares in processionibus, alijsque functionibus præcedentiam habeant supra Canonicos, & Clericos Sæculares; Et incidenter de materia Cathedralitatis, quando illa adesse dicatur in aliqua Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De probatione Cathedralitatis.*
3 *De translatione Cathedralitatis de loco ad locum.*
4 *In quo casu procedant auctoritates de materia agentes.*
5 *De errore modernorum circa auctoritates.*
6 *Vna Cathedralis potest esse in pluribus Ecclesijs.*
7 *A quibus corpus Cathedraticum constituatur.*
8 *Per antiqum tempus plurium sæculorum dicitur probata mutatio status Ecclesiæ.*
9 *Antiquitus non aderat vsus Prælatorum inferiorum cum territorio separato.*
10 *Noua erectio Cathedralis probat antiquam non existentiam.*
11 *In Papa non datur error iuris.*
12 *De argumentis probantibus non existentiam antiquæ Cathedralis.*
13 *Declaratur conclusio de qua num. 6.*
14 *De praxi erigendi nouã Cathedralem sub eodem antiquo Episcopo.*
15 *Ad quem spectet electio Episcopi.*
15 *Caput non debet esse diuersum à corpore.*
16 *De obseruantia in hoc attendenda.*
17 *Subiectio prædecessorum, an afficiat successores.*
18 *Quod hoc Monasterium sit nullius.*
19 *De translatione de qua num. 3. quid exigat.*
20 *An, & quando Regulares præcedant sæculares Clericos.*

DISC. LII.



VM in spirituali territorio Monasterij Mõtis Cassineñ, eiusque Abbatis inter quãplura Oppida, & loca sit Oppidum Sancti Germani
1 quod ex antiquo vsu, Ciuitatis nuncupatione potitur, in quo adest Ecclesia Collegiata, ex competenti Dignitatum, & Canonicorum numero constituta, casus verò dedisset interuentum Abbatis, & Monachorum Monasterij, ac dictorum Canonicorum, & Dignitatum in quibusdam processionibus, aliisque functionibus, hinc orta est inter eos præcedentiæ controuersia, qua per Abbatem communem Prælatum decisa ad fauorem Monachorum, idcirco Canonici recursum habuerunt ad S. Congregationẽ Episcoporum, & Regularium, assumptaque desuper disputatione.

Scribentes prò Canonicis recurrentibus quasi obiter insinuando ea, quæ habentur superius firmata *disc.* 24. super præcedentia debita Clericis sæcularibus supra regulares, quãuis in loco antiquiores ratione ordinis Hierarchici, maius, ac præcipuum fundamentum constituebãt in Cathedralitate eorum Ecclesiæ, vnde de consequenti indubitato resultabat, quod tanquam Capitulum Cathedralis indistinctè omnes in ea diœcesi præcedere deberet etiam in ipsismet Eccle-

sijs

sijs aliorum Collegiorum, & corporum, quando in forma Capituli sit interuentus, vt etiam supra *disc. 17*.

Ad istam verò Cathedralitatem probandam deducebant ea, quæ habentur
2 apud *Vghellium in secundo tomo Italiæ Sacræ in Appendice pagina* 1028. super antiqui Casini hodiè diruti Episcopo, cuius præsertim mentio habetur in Cōcilio Lateranensi celebrato de anno 483. sub felice tertiò, quod supponit Cathedralitatem, quæ semel firmata præsumitur continuare iuxta ea, quæ habentur firmata per *Rotam in Cæsaraugustana Cathedralitatis coram Bichio, & Cerro decis. 58. 144. & 349. par. 12. rec.* in casu de quo supra *disc. 3. & seqq.* vndè torum desumebant; Cumulando in idem quamplura Cathedralitatis signa ponderata in dictis decisionibus, & latiùs in eadem causa apud *Coccin. decis.* 1867. *repetit. decis. 353. par. 5. rec.* ità cum consueto modernorum transcriptorio stylo multas chartas replendo.

Neque obstare dicebant, quod iste locus esset diuersus ab antiquo Casino de cuius Episcopo agitur, quoniam supponebant, quod per quemdam Abbatem ex populo, & ruinis antiqui istud nouum Casinum tanquam per speciem translationis constructum esset ita desuper nimium prolixam retexendo cronologiam, atque hoc posito inferebant etiam ad translationem Cathedræ iuxta illa speciem de qua supra *disc.* 2. de translatione Cathedræ ab antiqua ad nouam Sypontum, cum similibus.

E conuerso autem Scribentes pro hac parte, admittendo, vel supponendo existentiam, & continuationem dictæ Cathedralitatis antiquæ, insistebant in eo, quod postquam Dei monitu, S. Patriarcha Benedictus illuc se contulit, vt adhuc ibi continuantem aliquem idolorum cultum omnino euelleret, ipse, eiusque successores Abbates, Episcopi partes
3 expleuerint, atque in eius locum successerint, ideòque Cathedra ad Ecclesiam ipsius Monasterij potius translata esset iuxta illam speciem de qua in eadē *Cæsaraugustana apud Coccin. dicta decis.* 1867. *aliàs* 353. *par. 5. rec.* ex qua cum concordantibus, quæ in eadem causa habentur, recensitis in eodem supralle-*to disc. 3. cum seqq.* eodemq; hodie connaturali transcriptorio stylo retento multas pariter chartas inutiliter replebant, nimium quoque, ac principaliter insistendo in cronologia super fallacijs deductis in contraria scriptura cronologica, super constructione huius noui loci, quod scilicet reuera non esset per viam omnimodæ translationis, & subrogationis, vt sequutum fuit in dicto casu, de quo *disc.* 2. sed quod per illum Abbatem gratia tutioris, & commodioris habitationis iste nouus locus sub diuersa nuncupatione Sancti Germani constructus esset, paulatim excretus ex populis adiacentibus ad illum confluentibus etiam ex incolis antiqui Casini postmodum tractu temporis ex alijs casibus omnino derelicti.

Super his itaque hinc indè scriptis, ex parte Abbatis & Monasterij consultus, dixi hæc omnia inanem ac superfluum continere laborem vtpotè extra propositum; Siquidem ea quæ in hac materia Cathedralitatis habentur locis
4 citatis, ac etiam *apud Otthob. decis. 4. & in alijs decisionibus & auctoritatibus deductis dicto disc. 2. & 3. cum seqq. & alibi*, percutiunt terminos diuersos; Ideòque clarum dicebam æquiuocum pro consueto pragmaticorum vitio, deducendo huiusmodi auctoritates omninò extraneas à casu quæstionis atque immorando in sola litera, non reflectendo ad diuersas cir-
5 cumstantias, ex quibus verè controuersiarum decisio regulanda venit, vt aduertitur *disc. 35. de indic. & in opusculo stylo, ac alibi*, nimium frequenter, sed semper oportunè.

Prædictæ siquidem, ac similes auctoritates procedunt, vbi nulla sit quæstio existentiæ Cathedræ formalis, quæ actu extra omne dubium extet, & continuet ob actualem existentiam Episcopi, sed quæstio sit super sola pertinentia, vel super materialitate & localitate, an potiùs in vna Ecclesia priuatiuè ad alteram, vel in pluribus cumulatiuè, iuxtà illum compatibilem concursum de quo in ijsdem discursibus 2. & 3. & seqq. quod scilicèt, vna & eadem de sui natura indiuidua Ca-
6 thedra formalis esse valeat, seù repræsentari in pluribus inter se distinctis Ecclesijs materialibus; Istoque præsupposito retento, existentis, & continuantis Cathedræ

dræ formalis, tunc adaptabilia sunt ea quæ habentur de præsumpta continuatione in ea Ecclesia materiali quam semel constat fuisse in statu Cathedratico.

In casu verò de quo agitur præcipuum punctum dicebam magis consistere in deficiente existentia vel substantia, quàm in pertinentia Cathedralitatis, quæ præsupponit actualem existentiam Episcopi,
7 dum vt pluriès supra hoc eodem titulo aduertitur, tam *dicto disc. 2. & 3. cum seqq.* quam etiam *disc. 19. & seqq. & sub tit. de Canonic. & capitul. & alibi*, corpus Cathedraticum efformatur ab Episcopo tanquam capite, & à Capitulo tanquam reliquo corpore; Siuè Ecclesia dicitur sponsa habens in sponsum Episcopum.

Ideòque cum per duodecim sæcula & vltra, & à temporibus præfati Patriarchæ Benedicti nullus extiterit, nec extet Episcopus, illis exceptis qui intra spatium annorum 40. circitèr, fuerunt inter erectionem & suppressionem de quibus infra, sed cleri & populi viuentis in oppidis & locis existentibus, intra limites huius territorij Casinensis, fuerit superior, & Prælatus spiritualis Abbas Monasterij, Episcopali dignitate, vel caractere non insignitus, Ita dicebam clarum remanere errorem terminorum præsupponendi existentiam Cathedralitatis, dum ita esset dare corpus finè capite, vel sponsam perpetuò viduatam finè sponso, quorum vtrumque monstruosum, & absurdum in iure reputatur.

Hinc proindè aduertebam, quod quid quid sit de veritate & subsistentia chronicarum supponentium existentiam huius antiquæ Cathedræ, Attamen illius status immutatus ac destructus remanet per
8 contrarium vsum duodecim sæculorum & vltra, per quem extra omne principium dubitandi allegari potest priuilegium Apostolicum, omnisque alius titulus de Mundo melior, qui in vim immemorabilis vel simplicis centenariæ allegari potest, dum ad id simplex centenaria vel immemorabilis sufficit.

Vt enim habetur *disc. 1. cum seqq. sub tit. de iurisdict.* & alibi pluriès, in Ecclesia primitiua non habebatur vsus hu-
9 iusmodi Prælatorum inferiorum cum territorio separato, quod dicitur nullius, dum iuxtà magis probabilem opinionem quam sequitur Curia Romana sub Dionysio primo totus mundus in diœceses sub Episcopis diuisus fuit, ideòque ista territoria, quæ ab inferioribus Prælatis possidentur, postmodum per Sedem Apostolicam ità suadente iusta causa ab aliqua diœcesi, vel pluribus dismembrata fuerunt, vt etiam moderno tempore practicatum esse habetur *discur. 7. de iurisdict. & alibi*; siuè quod aliqui pauci, & pauperes Episcopatus, in primitiua Ecclesia erecti, quia sic illorum temporum conditio exigebat, iuxtà insinuata *in opere Episcopi practici cap. 2.* postmodum suppressi sint, atque alteri Episcopatui subiectiuè, vel vnitiuè, vel æquè principalitèr adiuncti, siuè cum eorum suppressione concessi alicui Prælato inferiori, vt in præsenti dicta diuturna obseruantia docet.

Clariùs verò id comprobari dicebam ex omnium magis certò, ac probabilitèr infallibili testimonio Sedis Apostolicæ quę sub Ioanne Vigesimosecundo, cõsisto-
10 rialiter cum Bulla registrata *apud Vghell. dicto 2. tom Ital. pagina* 1029. Ecclesiam loci Casini in Cathedralem erexit, decernendo vt Abbas eligendus à Capitulo Monachorum, & qui priùs erat Prælatus istius territorij nullius diœcesis, imposterum esset Episcopus, & tamquam talis consecrari deberet, ideòque id conuincentissimè probat antecedentem non existentiam Cathedralis, vt in specie habetur in casu de quo supra *disc. 2. & in decisionibus*, in eo proditis, quæ habentur registratæ *in par. 13. recentior. decis.* 5. & 532. Ac propterea cum postmodum eadem Apostolica Sedes sub Vrbano Quinto dictam erectionem reuocauerit, atque Ecclesiam ad priorem statum Monasterialem reduxerit, eodem modo quo sequutum fuit in mox enunciato casu acto dicto *disc. 2.* ita extrà omnem controuersiam remanet, vt nulla extet Cathedralis.

Et quamuis Scribentes pro Canonicis id potiùs retorquerent, atque acriter prò magno eorum fundamento deducerent, quod scilicèt Ecclesia Monasterij Casinensis ità in Cathedralem erecta redijsset ad priorem statum, & per consequens Cathedralitas remaneret in eorum Ecclesia vtpotè subrogata in locum alterius Ecclesiæ antiqui Casini; Attamen aduertebam vt id redoleret, non dico fallaciã

sed

sed ineptiam manifestam, quoniam ita esset supponere in Papa eiusque Cōsisto-
11 rio, ac alijs peritis officialibus, ob quorum assistentiam receptum habemus quod in eo non datur ignorantia eorum quæ iuris sunt, magnum cumulum errorum & fatuitatum.

Primò nempè dum loquendo, non quidem de Monasterio, sed de ista terra Sancti Germani, quæ Casinum nuncupatur, tanquam principalis in qua populus viuat, ac etiam de alijs locis populatis in hoc territorio existentibus, atque sub Abbatis spirituali iurisdictione viuenti-
12 bus, expressè dicitur quod non est, neque de præterito fuit de aliqua diœcesi, quod implicat cum Cathedralitate qua posita, præsupponenda est diœcesis.

Secundò quia si in hoc territorio iam altera adesset Cathedra existens in ista Ecclesia collegiata, adeòvt noua erectio iuxta dictum intellectum Scribentium in contrarium intelligenda veniret de Ecclesia Monasterij, sequeretur quod in vno eodemque territorio adessent duæ Cathedrales, quod ex pluriès insinuatis supra ac etiam *dicto tit. de iurisdict.* implicat contradictionem siuè monstruositatem, dando duo capita in vno corpore: Quamuis erenim vt supra insinuatum est non implicet plures Ecclesias eiusdem
13 loci vel diœcesis cathedraticam præeminentiam coæqualiter habere, attamen id percutit solùm materialitatem seù localitatem, quod scilicèt plures Ecclesiæ materiales sociatiuo quodam iure pro maiori commoditate vel Consolatione populi repræsentent vel efforment vnam cathedram formalem eo modo quo plures cappellę concurrunt ad efformandam vnam Ecclesiam, sed ipsa Cathedralis formalis constituta ex Episcopo, Capitulo, clero, & populo vnius diœcesis, vnica & indiuidua est per necesse, adeòvt verificari non possit istæ concursus vnius Cathedralis antiquæ & alterius de nouo erectæ.

Et licèt quandoque Sedes Apostolica vel ad alicuius loci honorificentiam vel ad sedandas lites super prætenso territorio separato, aut super alia prætensione siuè æmulatione, solita sit absque crea-
14 tione noui Episcopi aliquod Oppidum decorare titulo Ciuitatis, eiusque Ecclesiam Collegiatam, vel matricem etiam gere in Cathedralem, Attamen facta mentione alterius antiquæ Cathedralis distinguit fines & territoria, adeòvt duæ constituantur diœceses, sed vnico contextu eas inuicem vnit cum ea vnione quæ dicitur æquè principalis, & per quam finguntur duæ inter se distinctæ ex deductis supra *disc. 7. & alibi pluriès*; Prout priori tempore practicatum fuit in casu de quo supra *disc. 2.* quamuis postmodum reuocatio subsequuta fuerit, & tempore recentiori sub Sixto Quinto in Oppidis Laureti & Tolentini, ac nuper nostra ætate in oppido Prati, quod prætendebat esse nullius, erecto in Ciuitatem, & respectiuè eius Ecclesia in Cathedralem, sed contemporaneè vnito cum Cathedrali Pistoriēn. cum similibus.

Tertiò quoniam dicitur electionem Episcopi, qui eodem tempore Abbas esset, fieri debere per Capitulum Mona-
15 chorum, quod redoleret absurdum & iniustitiam, si isti Canonici Constituerent Capitulum Cathedralis, dum electio Episcopi ad Capitulum Cathedralis pertinet ex relatis supra *disc. 2. num. 6.*

Quartò quoniam dum Episcopus supponitur vt fixè & perpetuò futurus sit regularis, atque si ille per Monachos eligeretur in Abbatem Monasterij, ita
16 sequeretur aliud absurdum consideratum supra, quamuis ibi non adeò vigens, sed curabile, dandi vnum, & idem corpus diuersæ imò oppositæ naturæ, quod scilicèt caput esset Regulare & reliquum corpus sæculare & sic dare bouem qui haberet caput asini vel è contra, atque contra diuinam misticam prohibitionem arare in boue & asino, cum plerisque similibus inconuenientibus quæ considerari possent.

Omnemque difficultatem tolli aduertebam ex obseruantia in Curia præsertim Datariæ & Cancellariæ Apostolicæ quæ dicuntur organum Papæ in omni-
17 bus præsertim verò in prouisionibus dignitatum & canonicatuum huius Ecclesiæ, quod semper factæ fuerunt tanquam de collegiata, non autem de Cathedrali quod in specie consideratur supra *dicto disc. 2. numer. 24. & in Rota decisione in ea causa edita decis. 5. par. 13. recentior.*

Ac etiam accedente obseruantia quod numquam Capitulum Abbatiali sede plena

dictarum quæstionum esset ista, quæ per
dictam conciliatiuam distinctionem glo-
sæ non cessabat ratione applicationis, &
an actus qui fieret, esset de vna, vel de
altera specie; Hinc prudenter cum re-
gula generali negatina, id prohibitum
fuit, vt ità tollerentur in radice occasio-
nes inconuenientium & discordiarum,
& sic post istud decretum conciliare di-
cta distinctio neque attendenda vide-
tur.

Et quamuis *Quaranta in summa Bulla-*
rij verbo Archiepiscopi auctoritas versic.
8 *vigesima secunda auctoritas*, cum quo pro-
cedunt *Gennen. in praxi Archiepiscopali*
cap.88.& Ventrigl.de Archiepiscopo cap.21
num.23. dicat quod per istud decretum
Conciliare sublata non fuerint ea quæ de
iure communi Metropolitanus facere
poterat; Attamen aduertebam huius-
modi auctoritatibus nullatenùs deferen-
dum esse, cum *Quaranta & Gennen.* es-
sent Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ
Aduocati & defensores prætensionum
Archiepiscopi; Potissimè veró stante
declaratione generaliter prodita 19. *A-*
prilis 1599. *relata per Barbos. in summa*
*Apostol.decis.verbo Pontificalia collect.*582.
*numer.*4. *& ad Concil.Trident. dicto cap.*5.
sess. 6. vt Archiepiscopo non liceat in
Ecclesia suffraganea exercere Pontifica-
lia sinè licentia Diœcesani, vt etiam mo-
derando prius dicta, aduertit *Ventriglia*
loco citato num. 26. ideòque intelligendi
veniunt dicti Auctores iuxta aliam distin-
ctionem de qua infrà.

Admitti videbantur hæc per Sacram
Congregationem, neque Scribentes in
contrarium adæquatè respondebant,
cum solùm insisterent in obseruantia, &
in quibusdam exemplis Galliarum in
quibus Concilium non est receptum, sed
potissimum fundamentum constitutum
fuit in propositione, de qua *apud Mer-*
*lin.decis.*610. pluriès deducta *sub tit.de Iu-*
risdictione & alibi, quod quando conce-
9 ditur aliquid censetur concessum per
necessarium antecedens totum id quod
ad id sit necessarium, & sinè quò illa con-
cessio inanis remaneret; Verùm istud
fundamentum solùm & de per se non vi-
debatur sufficiens, cum rectè procederet
quando ageretur de concessione speciali,
quia nempè specialiter huic Archiepi-
scopo iniunctum esset munus Coronandi
& consecrandi Regem in ista Ecclesia
suffraganea, atque tunc propositio rectè
intraret, eo modo quó receptum est eam
procedere vbi Metropolitano iniunga-
tur munus consecrandi aliquem Episco-
10 pum suffraganeum in aliqua ex Eccle-
sijs Prouinciæ, quoniam ita actus expli-
cari dicitur non ex Ordinaria, & propria
potestate, & iurisdictione, sed ex dele-
gatione Papæ, qui est vbique Episcopus
& Ordinarius, atque eum quolibet Or-
dinario concurrere potest, eumque præ-
uenire iuxta deducta *disc.*23. *de Benefic.*
& alibi, vel quod id competeret ratio-
ne officij specialiter sibi iniuncti, vt puta
ad rem contingit in coronatione Regis
Gallorum incumbente Archiepiscopo
Rhemensi, quamuis in eo Regno pleri-
que adsint Metropolitani, qui forrè
maiori potiuntur præeminentia, quoniam
tunc iste, vbicumque Rex eligat corona-
ri, istud sibi iniunctum munus ex dicta ra-
tione explicare poterit absque licentia
particulari Ordinarij loci, cum eam ex-
plicitam vel implicitam habeat à Sede
Apostolica, cum similibus.

Secus autem in præsenti quod ista fa-
cultas desumitur implicitè, & præsup-
positiuè ex pontificali, vbi præsupponi-
tur quod ista functio explicari debeat per
Metropolitanum, dum ita præsuppositi-
uè potiùs quàm dispositiuè id dicitur,
præsuppositis terminis habilibus, & iux-
tà frequentiorem contingentiam, ex al-
tero vulgari axiomate quod leges regu-
lantur ab ijs quæ frequentius accedunt;
Cum etenim Ciuitates Metropoliticæ
& Regiæ in temporalibus in quibus Re-
ges suam solent habere residentiam, &
Curiam, vt plurimum, færèque omnes
(adeò vt iste casus videatur singularis) sint
etiam Metropoliticæ in spiritualibus, id-
circò præsupponitur functio in Ecclesia
Metropolitana in quà dicitur Ordinarius
& Diœcesanus ipse Metropolitanus con-
siderandus propriè in propria Diœcesi
potiùs quàm in Prouincia; Sed respon-
sio non placuit ex motiuo potissimum
longæuæ obseruantiæ, quamuis ista di-
ci non posset vniuoca, & benè proba-
ta, quoniam licèt darentur plurès actus
consimiles in ista Ecclesia initi per di-
ctum Archiepiscopum, non tamen con-
stabat de negatiua consensus, & licentiæ
Episcopi quæ potuit interuenire, ideò-

deoque dicebam obseruantiam remanere æquiuocam.

Hactenus scribendo more Aduocati; Reflectendo autem ad veritatem, resolutio probabilis, benèque fundata visa est, non quidem ex dictis rationibus, cũ quibus processum fuit, cùm ille potiùs effectus, vel ratio rationis esse videretur, sed ex alijs fundamẽtis, & præsertim ex eo quod in ista regia functione, prout
11 in alijs similibus, putà solemnis funeris eiusdem Regis defuncti iuxtà ea, quæ habentur deducta *disc. 31. de Iurisdict.* nõ datur distinctio Diœcesium, & territoriorum siuè subditorum, vel non subditorũ; quoniam Rex est vbique Ciuis in toto Regno, quod pro vnica Diœcesi habendum videtur, atque non à Prælato, qui actum coronationis facere debet, sed ab ab ipsius Regis arbitrio, & electione pẽdet, an in vna, vel in altera Ecclesia ista functio peragenda sit, adeovt non interent illæ rationes, quæ circa ordinationes Clericorum considerari solent, ne vnus Episcopus se ingerat in hoc exercitio Pontificalium in alieno territorio, & cum alienis Clericis ex *deduct. disc. 112. eod. tit. de Iurisd. & disc. 6. in annot. ad Concil. Trid. & alibi* cum similibus.

Itá etenim omnes Episcopi, & Prælati Regni, potissimè in isto, in quo ipsi quoque habent ius interueniendi in Comitijs, & formant partem Reipublicæ, seù corporis Regni, constituere, seù efformare dicuntur quamdam speciem Capituli, seù Collegij, vt propterea Metropolitanus tamquam prima dignitas, siue inter eos primus, ac dignior, nomine vniuersi Collegij, seù corporis, non autem iure proprio, ac singulari, & territoriali, huiusmodi regias functiones peragat, iuxtà ea, quæ de Pontificalibus, alijsque primarijs functionibus absente, vel impedito Episcopo peragendis à prima dignitate, vel à digniori Capituli, vt non iure proprio, & singulari, sed vice, ac nomine Capituli eas peragere dicatur, habetur supra *hoc eod. tit. disc. 19. & seqq.* cum similibus, atque eo modo, quo Cardinalis Episcopus Hostiensis consecrat Pontificem.

Cùm etenim omnes Episcopi, & Prælati Regni ità collegiatiuè in hac functione interueniant tamquam repræsentantes partem Reipublicæ, seù corporis Regni, atque regiam assistentiam præstent, hinc prorsùs incongruum videtur, vt Rege eligente coronari in aliqua Ecclesia, quæ sit intra Diœcesim, & fines iunioris, vel omnium inferioris Episcopi iste coram Archiepiscopo, & tot dignioribus Episcopis hanc functionem peragere deberet, vt clarè ad sensum.

Atque hinc manare obseruabam rationem, cui innixum est Pontificale, præsupponendo, vt à Metropolitano peragi debeat, illum præsupponendo primum, ac iuniorem, quoniam iuxtà antiquum, benè regulatum visum in Regionibus vltramontanis, etiam hodie in praxi vigentem, in toto vno Regno vnus est Metropolitanus, adeout Regnum vnam constituat Prouinciam spiritualem, non obstãte diuersa praxi, præsertim Italiæ; Tum quia ob diuersas rationes in illa Prouincia militãtes insinuatas in opusculo Episcopi, ac alibi, ideò trahi non potest in exemplum; Tum etiam quia id in Italia in magna parte contigit ob eius antiquã maiorem diuisionem, in quamplures Prouincias, & Principatus, præsertim antequam ex illarum Regionum malo fato in duodecimo sæculo per Anacletum Antipapam, siue per Innocentium Secundũ fieret erectio Regnorum vtriusque Siciliæ, pluries alibi insinuata, & præsertim *hoc tit. disc. 32. & 35.* Ac propterea cùm quilibet Principatus haberet suam Metropolim prophanam, idcircò paritèr Metropolis spiritualis constituta fuit, iuxtà recentem praxim in casu, de quo *supra disc. 1.*

Hinc sequitur, quod Metropolitanus functionem metropoliticam peragere dicatur, & per consequens vt in vniuersa Prouincia pontificalia sibi congruentia exercere valeat, eodem modo, quo posset, si iuxtà casum supra recensitum in aliqua ex Ecclesijs suffraganeis, alicuius Episcopi suffraganei cum alijs Coepiscopis consecrationem facere deberet, siue quod ob propria impedimenta Ecclesiæ, vel ex alia contingentia Synodum prouincialem in aliqua Ecclesia suffraganea celebraret, cum similibus.

Istaque videtur vera, & germana determinatio quæstionis, de qua supra inter Metropolitanum, & Suffraganeos tã in erectione Crucis, quàm in delatione mozzettæ, & impartitione benedictionum

Craccouieñ Coronationis Regis.

PRO

Episcopo Craccouien.

CVM

Archiepiscopo Gnesnen.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium, resolutus pro Archiepiscopo.

An & quando Metropolitanus exercere possit Pontificalia in Ecclesia suffraganea sine licentia proprij Ordinarij, & præsertim vbi agatur de functione Coronationis Regis, vel alia simili, puta funeris Regis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *De prudentiali regimine causarum.*
3 *De eodem, & ad quid expediat habere assistentiam regulæ generalis.*
4 *An & quando Metropolitanus in diœcesi suffraganea exerceat pontificalia.*
5 *De Coronatione Regis, & quod sit actus redolens iurisdictionem, & officium.*
6 *Quod per Concilium Tridentinum alterata sit dispositio iuris communis circa vsum pontificalium.*
7 *De ratione cui innixa est dicta lex conciliaris.*
8 *An per eam sublata sint ea quæ competunt de iure.*
9 *De propositione quod vbi aliquid conceditur, concessa censentur omnia sinè quibus idem fieri non potest.*
10 *Declaratur quomodo, & quando proceda, & de ratione cui innixum est pontificale, vt Coronatio fiat per Metropolitanum.*
11 *De eodem, & quare ad Metropolitanum Regiæ functiones pertineant, & de ratione ob quam in Italia Ecclesiæ Metropolitanæ sunt frequentes.*

Suppl. Lib. 16. de Præeminen.

12 *Quando Metropolitanus erigat Crucem, & exerceat pontificalia in Ecclesia suffraganea.*

DISC. LIII.



OCCASIONE coronationis Regis Poloniæ faciendæ iuxta antiquam consuetudinem in Ecclesia Craccouien. stante quod in Pontificali disponitur, vt hæc functio per Metropo-
1 litanum peragi debeat, orta est controuersia inter Archiepiscopum Gnesnen. Metropolitanum, & Episcopum Craccouien. an istius licentia requireretur ad hoc vt dictus Metropolitanus huiusmodi functionem in ea Ecclesia peragere posset, reque delata ad Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium de anno 1675. prodijt resolutio Metropolitano fauorabilis principalitèr ex motiuo consuetudinis absque vlteriori examine & discussione prætensionis, quam dictus Archiepiscopus habet, vt tanquam Legatus natus, in eo Regno vbique generalitèr & indefinitè Pontificalia exercere posset, adeòvt iste punctus remanserit non discussus, nec decisus; Minùsque alter, an præscindendo à potestate Legati, possit Metropolitanus in Diœcesi, vel Ecclesia suffraganea exercere Pontificalia, vel alios actus præeminentiales, dum antequam ex parte Episcopi Ego requisitus essem ad scribendum; Alij eius defensores concorditer cum illis Archiepiscopi restrinxerant coram Ponente punctum ad hunc solùm actum Coronationis, suspendendo alium generalem, quod tamen mihi non placuit, præuidendo in ipsomet actu requisitionis futuram succumbentiam, adeòvt resolutio fuerit iuxta votum, ideòque
2 laudassem vt de omnibus eodem tempore disputati debuisset, vt ità succumbendo in hoc puncto particulari, probabiliter in alio puncto generali victoria reportaretur.

Scribendo itaque more Aduocati ad causæ oportunitatem pro Episcopo, Assumebam quoque dictum articulum generalem an scilicet & quando Metropolitanus in Ecclesia vel Diœcesi suffraga-

E 2 nea

Quò verò ad alteram inspectionem delationis rocchetti subtus cottam, dicebam rem videri magis planam ex eisdem rationibus, de quibus in præcedenti faciliùs intrãtibus, adeout intraret argu-
6 mentum deductum ex vulgari *Authentica multo magis &c.* quoniam honorificentius est in Archipresbytero incedere cũ mantelletta supra rocchettũ prælatitio more, & è conuerso magis præiudiciale Canonicis, dum ab eis ità notabilitèr in habitu magis extrinseco, & superficiali distinguitur, quam sit deferre cottam loco mantellettę, dum ità magis redditur alijs vniformis, ac propterea dum tenebantur sufferre, id quod est magis, iniustè conquærebantur de eo, quod erat minus, cũ vis consistat in habitu magis extrinseco, & patenti, non autem in eo, quod intus latet.

Considerabam ad rem adaptari posse exemplum practicum earundem Basilicarum Vrbis, quod scilicet vltrà eos, qui in Episcopali, vel Archiepiscopali, & Patriarchali ordine constituti sint, Canonicatus possideri soleant partim à simplicibus Sacerdotibus, vel Clericis habitum nigrum clericalem deferentibus, & partim à Prælatis Palatinis, vel aliàs deferentibus vestem violaceam, ideoque illi de prima specie conqueri nõ possunt, quod isti magis honorificam vestem subtus rocchettum, & cappam, vel respectiuè cottam deferant; Verùm attentiùs reflectẽdo, exemplum non erat adaptabile, quoniam in hoc non attenditur vestis priuata, quæ etiam domi, & in via, vel in platea defertur, sed vestis ecclesiastica, atque aliàs si cum hoc exemplo procedendum esset, sequeretur quod si aliqui ex Canonicis essent quoque Prothonotarij Apostolici, pariformitèr possent subtus cottam deferre rocchettum, quod non est admittendum, cùm ità esset inducere in eodem corpore difformitatem, ac propterea vera ratio est illa, de qua in præcedenti inspectione super mantelletta.

Cumque nouus Cardinalis Episcopus desuper adhibuisset consilium Secretarij dictæ Sac. Congregationis, ac etiam prouectiorum, & peritissimorum Magistrorum ceremoniarum, in quibus eundem comperijt sensum, idcirco huc vsq; dictis quærelis alias non præbuit aures, atque Archipræsbyter continuat.



SVM-

SVMMA,

SIVE

COMPENDIVM

Eorum, quæ continentur in hoc Libro Tertio Parte Secunda de Præeminentijs.

I.

DE Ecclesiasticæ potestatis, & Hierarchiæ præeminentijs, & ordinibus in se ipsa nempè, De Ecclesiarum Metropolitica, Cathedratica, Collegiali, Matriciali, & Parochiali qualitate, & preeminentia, earumque Prælatorum, & Clericorum gradibus, & iuribus, alijsque generalitatibus, seù procemialibus. *à num. 1. ad 38.*

I I.

De laicalis, vel temporalis potestatis, & hyerarchiæ præeminentia in se ipsa; De Regnorum nempè, Prouinciarum, & Ciuitatum; Atque Regum, Principum, Baronum, Magistratuum, & priuatorum præeminentialibus iuribus, & qualitatibus. *à num. 39. ad 60.*

I I I.

De nobilitate, eiusque diuersis speciebus vel gradibus, ac effectibus, & præeminentijs exindè resultantibus. *à num. 61. ad 82.*

I V.

De titulis, & intitulationibus, alijsque nuncupationibus, & adiectis, vel tractatibus. *à num. 83. ad 92.*

V.

De Ciuilitate, eiusque diuersis speciebus, & effectibus. *à num. 93. ad 107.*

SVMMARIVM.

I.

1 *De Ordine Hyerarchico etiam in Cælo, & in Ecclesia triumphante.*

2 *In Orbe terrestri, & in Ecclesia militante adesse debet idem ordo.*

3 *De pluribus speciebus quæstionum præeminentialium.*

4 *Sub nomine Ecclesiæ venit formalis, idest fidelium Congregatio, non autem Templum materiale.*

5 *Dari potest vnica Ecclesia indiuidua in pluribus Ecclesijs materialibus, vel etiam in nulla, & num. 8.*

6 *Ecclesia Romana vniuersalis, an certam habeat Ecclesiam materialem.*

7 *Aliæ Ecclesiæ inferiores solent habere certam Ecclesiam materialem.*

8 *Sed possunt esse plures, è conuerso dari potest nulla, vt num. 5.*

9 *De pluribus speciebus Ecclesiarum.*

10 *De Metropolitana, eiusque duplici figura.*

11 *De Cathedrali, & de inferioribus Ecclesijs eam non agnoscentibus.*

12 *De Ecclesia matrice quanam sit.*

13 *Collegiata recentior præcedit simplicem antiquiorem, & matricem.*

14 *De pluribus matricitatis speciebus.*

num, & reliquo vsu Pontificalium, quoniam aut Metropolitanus occasione alicuius iuris metropolitici in eo loco reperitur, adeout faciat talem figuram,& tunc procedendum sit cum opinione *Innoc.* Aut verò è conuerso nulla subsit occasio iuris metropolitici, sed in Diœcesi suffraganea reperiatur causa recreationis, vel per transitum, siue ex alia priuata occasione, Et tunc secùs, cùm tunc priuati potiùs, quàm metropolitani figuram gerere dicatur, dum illud ius territoriale habituale, quod in Prouincia Metropolitanus habere dicatur, non est considerabile, nisi quatenus adsit legitima occasio,in quam deducatur ad actum, vel exercitium, eodem modo, quo habemus in iurisdictione, & in cognitione causarum in solo gradu appellationis, non autem in prima instantia,atque cum hac distinctione intelligendi veniant: *Quaran.& Genuen.vbi supra*, ac alij circa facultatem deferendi Crucē, ac mozzettam per vniuersam Prouinciam, & in Diœcesibus Suffraganeorū absque istorum licentia, & consensu, vt etiam aduertitur *d.disc.6.in annot.ad Concil.Trid.* Eademque distinctione firma remanente in anno antecedenti 1674. ità meritò decisum fuit per eandem Sac.Congregatio-
12 nem ad fauorem Archiepiscopi Rauennaten.contra Episcopum Ariminen.prętendentem impedire erectionem Crucis, & delationem mozzetræ, dum agebatur de Archiepiscopo nouitèr prouiso tunc accedente ad adipiscendam possessionem Archiepiscopatus; Ac propterea dicendus erat actus solemnis, & metropoliticus,per quem in vniuersa Prouincia tanquam talis agnoscendus esset.

De isto autem puncto generali, seclusis Regijs functionibus dictas peculiares rationes habentibus, actum non fuit,sed Sac.Congregatio in eadem resolutione reseruauit iura Episcopi, ad cuius fauorem inclinabat, atque resolutionem fortè cepisset, nisi dicta restrictiua præcessisset, loquendo de iure metropolitico in genere, & considerando hunc Archiepiscopum, tamquam solum metropolitanum, præscindendo à peculiari prærogatiua per istum Archiepiscopum prætensa ex eo quod esset Legatus natus, cū super hoc non scripserim, ideoq;nullum desuper efformaui iudicium.

Tusculana Habitus.

PRO

Archipresbytero.

CVM

Canonicis.

Responsum pro veritate.

An prima dignitas Cathedralis deferre valeat habitum diuersum à Canonicis, deferendo nempè rocchettum, & mantellettam; Et quando deferat cottam sine mantelletta, an possit etiam deferre rocchettum; Et generalitèr de Canonico, qui sit Prothonotarius.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Stola, vel pluuiale non defertur supra mantellettam prælatitiam, sed debet deferri supra cottam, vel rocchettum.*
3 *Canonicus interueniens in Choro, alijsq; functionibus cum habitu Prothonotarij Apostolici non occupat locum canonicalē, neque lucratur distributiones.*
4 *Quid vbi agatur de prima dignitate, & de ratione diuersitatis.*
5 *Canonici constituti in ordine Episcopali quamuis iuniores occupant locum digniorem.*
6 *An ille Canonicus, qui sit Prothonotarius possit subtus cottam deferre roccbettum.*

DISC. LIV.



CONSTITVENTIBVS Capitulum Cathedralis Tusculanæ Archipresbytero, qui vnica est Dignitas cum cura in vniuerso populo habens in adiu-
1 torium aliquos Vicarios, & septem Canonicis, quorum nemo vsum insignium habeat, adeout à simplicibus Clericis non differant; Cùm hodiernus Archipresbyter Io: Baptista Gibertus amicus meus esset Prothonotarius Apostolicus, non

I I.

I I I.

pro



De

I.

De Ecclesiasticæ potestatis, & Hierarchiæ praeminentijs, & ordinibus in se ipsa, nempè de Ecclesiarum Metropolitica, Cathedratica, Collegiali, Matricali, Parochiali qualitate, & praeminentia, earumque Prælatorum, & Clericorum gradibus, & iuribus, alijsque generalitatibus, seù procemialibus.



RIVMPHANTIS Ecclesiæ, cælestisque Orbis ad
1 instar, vbi Angelorum, ac Sanctorum, ipsorumque Cœlorum, & planetarum, ac syderum, hierarchicus ordo habetur A; In militanti quoque Ecclesia, terrestrique Orbe, eumdem hierarchicum ordinem haberi con-
2 gruit, vt ita superior à subdito, magis dignus à minus digno, nobilis ab ignobili, ac Dominus à seruo distinguantur, ita iustitiæ, quæ omnium regulatrix est, exigente ratione, vt pro virtute, seù meritorum qualitate præmia, & honores, & è conuersó vitiorum, ac demeritorum pœnæ distribuantur.

Plures itaque personarum species, in-
3 ter quas huiusmodi præeminētiales quęstiones cadunt, lex statuit, formalium scilicèt, siuè intellectualium, & inanimatarum, & materialium, seù particulariū, & animatarum; Vtraque veró species ad instar eorum, quæ de foro, ac iurisdictione dicta sunt, eadem Solis, & Lunæ cōparatione retenta, in duas paritèr species vel sphęras respectiuè distinguitur, Spiritualem scilicèt, siuè Ecclesiasticam, sub qua Ecclesiæ, earumque politica corpora vniuersalia Capitulorum, & Collegiorum, aliarumque adunantiarum, singulivè Prælati, Clerici, ministri, ac seruientes veniunt; Alteram verò prophanam, seù temporalem, sub qua Regna, Prouinciæ, Ciuitates, ac loca veniunt, earumque politica vniuersalia corpora, populi scilicèt, ac Senatus, & Consilia, aliæve adunantiæ, ac Vniuersitates, singulive Principes, Barones, Domicelli, Magistratus, & priuati.

De prima igitur specie Ecclesiarum
4 agendo, formalibus potiùs, quàm materialibus Ecclesijs præeminentiarum, ac iurisdictionis prærogatiua congruit, sub vero etenim, ac proprio Ecclesiæ nomine, non ipsum materiale venit templum, quod hominum manibus ædificatum est, sed Fidelium maior, vel minor Congregatio B; Idcòque Ecclesiæ vnitate, in qualibet respectiuè specie, firma manente, ex pluribus materialibus locis, vel templis pro eorumdem fidelium orationum, diuinorumque loco vna Eccle-
5 sia repręsentari potest; Quinimò etiam, vt nulla materialis Ecclesia sit, quæ illā denotet, vt præsertim in omnium maiori, & matre vnica totius Orbis, omniumque fidelium Romana Ecclesia, quæ nul-
6 lam habet præcisam Ecclesiam materialem, quæ illam reprçsentet, nisi eius caput Christi Vicarius, in cuius residentiæ loco, in qualibet Orbis terrarum parte sit, Ecclesiæ, ac Curiæ Romanæ ministerium adesse dicitur, quamuis ea in toto Orbe habitualitèr existat; cùm iuxtà vnā sententiam Lateranensis Basilica, vel iuxtà alteram, omnes Vrbis Patriarchales Ecclesiæ particularem Vrbis Cathedraticā, vel Patriarchalem reprçsentent Ecclesiam, non autem vniuersalem. C.

Inferiores veró, ac subordinatæ Patriarchales, Primatiales, Metropolitanæ,
7 & Cathedrales Ecclesiæ formales, quæ vtpotè intrà certos fines restrictæ, certam materialem Ecclesiam, ab inferioribus contradistinctam, pro capitis, vel Prælati residentia habere solent; Adhuc tamen ad certum manufactum locum, vel domū præcisam non patiuntur restrictionem, cum vna, eademque indiuidua, Patriarchalis, Metropolitana, vel Cathedralis,
8 quinimó inferior parochialis Ecclesia formalis, ex pluribus Templis materialitèr diuisis, coęquali, ac sociatiuo iure, ad idem corpus efformandum concurrentibus, constituatur; Idque Ecclesiæ indiui-

Suppl. Lib. 16. par. 2. de Praemin.

F

A *lib. 14. Miscellan. Eccles. disc. 40.*

B *disc. 3. & seqq. hoc tit.*

C *disc. 1. & 3. cum seq. hoc tit.*

indiuiduitati non præiudicet D; E conuersó autem, vt nullo existente materiali manufacto Templo, quod Episcopi, vel alterius Prælati Cathedræ destinatum sit, ac deseruiat, quia à fidei Catholicæ Ecclesiæ hostibus occupatum, vel alteri accidentali impedimento subiectum sit, non exindè Cathedralis, vel alterius formalis Ecclesiæ existentia deficit, vt plurium Ecclesiarum praxis comprobat. E.

Præsupposita itaque in formalibus potiùs, quàm materialibus Ecclesijs, earumque respectiuè Clero, & Populo præeminentiarum quæstione; Atque ab ista quæstione inter Catholicos segregata vniuersali Romana Ecclesia, quæ tanquā
9 omnium caput, mater, ac superior, & magistra, æqualem, vel æmulam, siuè exemptam Ecclesiam non admittit; Neglectisque pro forensi praxi, alijs maioribus Ecclesijs Patriarchalibus, dum ab infidelibus, & schysmaticis occupatæ sunt; Cùm pariter nullæ, vel nimiùm raræ in nostro Catholico Orbe forenses dignoscantur quæstiones super Primatialium Ecclesiarum præemiuentijs; Hinc ad sex species sæcularium Ecclesiarum quæstiones restringuntur, Metropolitanas scilicèt, Cathedrales, Matrices, Collegiatas, Parochiales, & simplices.

Metropolitana duplicem in se continet speciem, vel figuram gerit, Vnam sci-
10 licèt simplicis Cathedralis, aliarum ad instar, intrà proprios immediatos fines, suamque particularem Diœcesim in qua Prelatus, Episcopi potiùs alteri metropolitano non subiecti, ac Ordinarij loci, primæque instantiæ Iudicis figuram faciat; Et alteram Metropoliticam, in mediatis finibus, vel in mediato territorio, quod sub prouinciæ potiùs, quàm Diœcesis vocabulo explicatur, vt Ecclesiarū Cathedralium, quæ intrà prouinciæ fines existunt, & Episcoporum (quibus suffraganeorum nomen tribuitur) grauaminum, seù appellationum, & recursuum sit Iudex, & Superior; Ideòque inter Metropolitanam, & eam Cathedralem, quæ intrà prouinciæ fines existentiam, ac situationem neget, vel ea non negata, exemptionem, Ecclesiæ Romanæ, vel protectionem Apostolicæ Sedis, ac immediatam subiectionem prætendat, quæstiones cadant.

Cathedralis autem eadem est, quæ in
11 prima Metropolitanæ species explicata legitur, omnium scilicèt aliarum Ecclesiarum intrà illius territorij, vel diœcesis fines existentium, caput, mater, superior, ac magistra; Eius tamen subiectionem adhuc negare solent aliquæ Collegiatæ, quibus ob explicitum, vel præsumptum Apostolicum indultum, concessum sit proprium habere caput, vt agendo de inferioribus Prælatis in iurisdictionali materia aduertitur. F.

Matrix ea dicitur Ecclesia, quæ omnium prima, & antiquior in loco sit, siuè
12 illa, quę comparatiuè ad alias posteriores, quibus filialium nomen de iure congruit, antiquior, & mater sit, siuè si absque antiquitate, Cathedraticam habeat qualitatem, seù Metropoliticam; A Cathedratica etenim, vel Metropolitica qualitate arguere licèt ad matricitatem, dum eo ipso, quod est Cathedralis, seù Metropolis, est per consequentiam omnium aliarum caput maior & matrix, quamuis aliæ in loco, vel diœcesi adsint, quæ spectato materiali, seù naturali initio, maiorem habeant antiquitatem ob implicantiam, vt caput aliquo corporis membro sit inferiùs, vel minùs dignum; Non autem é conuersó, à Matricitate ad Cathedraticam, seù Metropoliticā qualitatem arguere licèt, quinimò neque ad Collegiatiuam; Stant etenim benè simul, vt ea, quæ antiquior, atque alterius mater sit, ideòque ratione antiquitatis, vel productionis, matricis nomine digna, atque aliquos etiam matricitatis effectus, vel prærogatiuas retineat, in alijs
13 tamen pro generali regula sit minùs digna, quia nempè recentior, & filia, Collegialem, vel Cathedraticam sortita sit qualitatem, qua prima careat, siuè quod postea eam obtineat; dum Collegiata iunior, antiquiori, vel simplici parochiali dignior reputatur, ex regula quod omnis vniuersitas vincit singularem. G.

Plures autem in iure matricitatis species habentur; Vna scilicèt ficta, & priuile-

D *disc. 3. & seq. hoc tit. & disc. 7.*
E *vt supra.*

F *disc. 1. & seqq. de iurisd. & disc. 1. in Miscellan. Eccles.*
G *disc. 9. & 17.*

uilegiatiua, qualis ex Cathedratica, vel
14 Metropolitica qualitate sibi impressa resultat, quamuis sit iunior, ac aliàs ab antiquiori deriuata, dũ ita mater, & superior efficitur; Altera verò, quæ fine aliarum recentiorum dependentia, quibus proprium filialium nomen congruat, ex sola antiquitatis ratione hanc habeat matricis prerogatiuam, quia nempè omnium prima, & antiquior in loco sit, cuius ad instar aliæ constructæ fuerint, absque aliqua sui iuris, vel territorij, seu populi diuisione, vel diminutione,

Tertia veró magis propria, ac naturalis matricitatis species in ea verificatur Ecclesia, cuius aliæ sint verè filiæ, & dependentes, quia nempè vnica in loco, vel in contrata existente Ecclesia parochiali, latos fines habente, ob excretum populum, cui vnica non sufficeret Ecclesia, aliæ eum finium, vel territorij, ac populi dismembratione, vel diuisione, erectæ sint; Quod etiam in Cathedralibus praxis quandoque docet, eadem proportionis ratione, ita exigente, quatenùs absque antiquę maiestatis, ac decoris considerabili preiudicio, nouæ congruus status dari valeat. H.

In triplicem autem subalternam matricitatis, ac respectiuè filiationis speciẽ
15 ista subdistinguitur; Vnam scilicèt vbi sola ratio originis, & procreationis, alio iure non retento, hanc filialitatem inducat, vt propterea in reliquis filia nullam á matre dependentiam habeat; Alteram in oppositum omnimodę subiectionis, ac dependentiæ, qualis in illis recentioribus, ac filialibus Ecclesijs verificationem recipit, quæ in adiutorium potiùs, & commoditatem, absque aliqua diuisione, vel dismẽbratione erectæ sint, quibus impropriè, vel abusiuè filialium nomen tribuitur, cum adiutrices potiús dici mereantur; Tertiam veró mixtam, quia nempè noua, seu filialis, proprium ius, propriumque habeat territorium, ac pupulum, ab antiqua dismembratum, cũ aliquorum tamen iurium, vel preeminentiarum retentione, vt in iure funerandi, vel decimandi, alijsq; similibus frequens praxis docet, vt promdé veram quidem, sed non omnimodam importet dismembrationem, ob aliquorum iurium, vel reliquiarum retentionem. I.

Omnis tamen matricitatis species, qualis qualis ea sit, etiam prima, quæ à
16 sola antiquitatis ratione manat, inter alias equalis, multò verò magis inferioris gradus, & qualitatis preeminentiam obtinet, tum in precedendo, tùm etiam ad effectum, vt ab ea processiones, & funera, aliæve generales solemnitates, regulari debeant, siuè in ea celebrari, ipsaque in aliquibus, quę à singulis fiant, antiquior sit, vt presertim campanarum pulsatio in Sabatho Sancto, nisi consuetudo, vel maior prerogatiua per moderniorem obtenta alitèr exigat. L.

Questione cadente in aliquibus iuribus presertim veró in eo decimandi, an vbi dismembrationis, nouæque erectio-
17 nis tenor non exprimat, matrici reseruata censeantur; Idque consuetam habet opinionum scissuram, frequentiùs veró facti potiùs, quàm iuris est questio à singulorum casuum qualitate, & circumstantijs recipiens decisionem, ab obseruantia potissimum, quæ optima reputatur interpres; Vbi verò omninò ambiguum sit, tunc omnimodæ dismembrationi regula, seu presumptio probabiliùs assistere videtur, vt in parochialium, ac decimarum sedibus quoque aduertitur. M.

Parochialis, vel Curata illa dicitur
18 Ecclesia, in qua reciproca dignoscatur administrationis Sacramentorum, ac diuinorum necessitas, quia nempè populus, qui intrà illius fines viuat, siuè aliàs illi addictus sit, quãuis inuitus, in ea ab eiusque Rectore, Sacramenta, aliaque diuina, & parochialia officia recipere teneatur; Et è conuersó, ipsa Ecclesia, eiusque Rector, etiam nolens, hanc ministrandi habeat necessitatem; Non omnis etenim Sacramentorum, ac Diuinorum administratio, & receptio, parochialitatem producit, sed illa, quæ hanc reciprocam habeat

Suppl. Lib. 16. par. 1. de Praemin.

F 2

H *disc. 6.*

I *disc. 28. de Paroch.*
L *disc. 9.*
M *disc. 27. 28. & 33. de paroch. & disc. 12. de decim.*

habeat necessitatem, vt in parochialium
quoque sede aduertitur. N.

Collegiatæ veró sunt illæ, quæ pluriū
beneficiatorum in titulum, ad minus triū
eætum, seù Collegium habeant ipsius
19 Ecclesiæ seruitio addictum, ex Apostolico indulto erectum, cùm iuxtá eam,
quam Romana Curia tenet opinionem,
solius pontificiæ potestatis sit Collegiatas erigere; Eiusdemque erectionis præsumptionem producit antiquitas, quæ
Collegia quandoque substinet; quæstione frequentèr cadente super Collegialitatis iustificatione, quando erectionis titulus desit, vt per hæc signa, & argumenta, eam præsumptam desumere oporteat,
quæ tamen vniuoca desiderantur; Illa
etenim non sufficiunt æquiuoca, quæ pro
communi vsu simplicibus etiam Congregationibus, vel adunantijs quoque congruunt, vt latiús in beneficiali sede aduertitur. O.

Simplices veró illæ sunt Ecclesiæ, quæ
nullam ex præmissis habeant speciem,
20 seù qualitatem, Ita tamén vt illam genericam Ecclesiæ habeant qualitatem, quæ
Ecclesias à priuatis Oratorijs distinguūt,
quia nempé Ecclesiastici Superioris legitima accedente auctoritate, ac destinatione, Ecclesiasticoque ritu consecrata,
vel saltim benedicta sit, atque in publica
via, vel platea publicum habeat aditum,
qui omnibus liberé pateat, cùm itá á priuatis distinguantur Oratorijs. P.

Præmissis itaque Ecclesiarum speciebus, vel qualitatibus ita statutis, vel suppositis; Earum preeminentialis ordo est,
21 vt primum occupet locum Metropolis;
secundum Cathedralis; tertium inter illas eiusdem generis, vel qualitatis matrix, vel antiquior; quartum Collegiata, quintum parochialis, & vltimum simplex, quæ nullam ex præmissis habeat
qualitatem. Q.

Ea tamen huius ordinis cadente limitatione, quam diuersi hierarchici ordinis
22 ratio suadeat; Quamuis etenim omnis
Collegiata, non Collegiatam vincat, eique supereemineat, omnisque Monasterialis, vel Conuentualis Ecclesia Collegiata sit, vbi actualis Regularium Conuentus ibi residead; Adhuc tamen istam Collegiatæ Regularis speciem, præcedit Parochialis, vel simplex Ecclesia sæcularis,
ob hierarchici ordinis sæcularis, suprà
regularem vniuersalē preeminentiam. R.

Facti veró potiùs, quám iuris quæstio
reverá est supér vnius, vel alterius præe-
23 minentialis qualitatis existentia, seù verificatione; Metropolitica etenim in antiquo Vrbis centum milliarium districtu,
vel circumdario non datur, S; Extrá verò hoc spatium, ex Apostolicæ concessionis tenore pendet, si ea explicita est; si
verò implicita, ex antiqua possessione deducta, tunc istius qualitas attendenda
est; Vel ea in reliquis Prouincię Ecclesijs
posita, si earū vna exemptionem á iure
metropolitico speciali iure prætendat. T,

Cathedratica item plures habet spe-
24 cies, eam scilicèt superiùs enunciatam
separati territorij, cuius ratione inferior
Ecclesia eam, quæ Cathedralis existat, in
talem non agnoseat; Et alteram vbi alia
Ecclesia eamdem, seù eoęqualem prætendat habere prerogatiuam ex coęquali,
& sociali iure, cum ea speeie vnionis, quę
confusionem, seù identitatem redoleat;
Vel cum altera, quæ ęqué principalis dicitur, per quam quęlibet suam distinctā
Cathedram, suosque distinctos fines,
aliasque prærogatiuas retineat V; Idemque respectiué, debitave proportione retenta, in Matriciali, vel in Collegiali, seù
Parochiali qualitate ex facto pendere dicendum est.

25 Aliqua Collegialitatis diuersa speeie accedente, quæ insignis habeat qualitatem, non omni Collegiatæ conuenientem. X.

Prælatorum item, seù Rectorum, ac
Beneficiatorum, idem exindè resultat
præeminentiarum, vel precedentiarum
26 ordo, vt loco tertio Archiepiscopus Episcopum; Episcopus Capitulum; Et istud
singulares dignitates, inferioresq; Prælatos,

N *tit. de Paroch. pluriès.*
O *tit. de benef. disc. 12. & 14.*
P *disc. 31. de paroch. & disc. 1. Miscellan. Ecclef.*
Q *d. disc. 1. Miscellan. Ecclef.*
R *hoc tit. disc. 24. & disc. 1. & 40. Miscellan. Ecclef.*
S *hoc tit. disc. 1.*
T *ibidem.*
V *disc. 2. & seqq. & disc. 7. hoc tit.*
X *disc. 8. hoc tit.*

latos, vel Rectores praecedat; In propria verò Ecclesia Episcopus Archiepiscopum qui occasione metropolitici iuris non interueniat, & Rector, Dignitates, & Prelatos etsi digniores praecedat, etiam Capitula, vel Collegia, illo Cathedralis excepto, intrà cuius fines ipsa Ecclesia inferior sita sit. Y.

Eadem tamen duplicis hierarchici Ordinis Saecularis, & Regularis ratione
27 retenta, vt simplices Clerici saeculares, quales quales illi sint, omnes Regulares precedant, ipsarum Ecclesiarum praerogatiua inter ipsos saeculares attenta Z; Inter illos autem Regulares, qui sub Clero saeculari non cadant, sub altero autem Regulari veniant; In Ecclesiasticis
28 solemnitatibus, receptionis in loco antiquitatem spectari debere, moderna Pōtificia lex statuit, legitima consuetudine (cui deferendum est) alitèr non suadente primi Conuentus antiquitate omnibus alijs eiusdem Religionis suffragante. In actibus verò indifferentibus, vbi particularia non accedant Apostolica priuilegia, quibus derogatum non sit, minusque vigeat legitima consuetudo, quae in hac preeminentiarum, vel praecedentiarum materia principatum obtinet, totumque facit, ex probabiliori sententia, antiquitas Religionis attendenda venit, eademque antiquitas non ab ipsius Religionis origine, vel primeua fundatione, sed ab eiusdem Apostolica approbatione desumenda est. A.

Ea verò hierarchici, vel symetrici ordinis regula, per quam iunior, ac inferior
29 Clericus saecularis antiquiorem, ac digniorem precedit regularem, in loco tertio, vel in indifferentibus actibus attendenda est, non autem in propria Ecclesia, vel domo; Ideóque in Ecclesia Regulari ad ipsius Ecclesiae Praelatum, vel Superiorem Regularem funerum officia facere, aliasque preeminentias exercere pertinet, priuatiuè ad Parochum, aliosve Prelatos, & Clericos, quamuis in Ecclesiastica dignitate constitutos; loci Dioecesano, vel Ordinario excepto, habitualem antiquam, ac etiam in aliquibus actualem in eorumdem Regularium Ecclesijs, & personis habente iurisdictionē; Ac etiam quia exemptiua priuilegia, reuerentiae ius non abrogarunt; Idque ex rationis identitate, ad Cathedralis Ecclesiae Capitulum, siuè ad illud Collegiatae, quae territorium separatum habeat cū omnimoda ordinaria iurisdictione, probabiliùs trahendum videtur. B.

Inter ipsos autem eiusdem ordinis Prelatos, vel Clericos; Vltrà praemissum, vt Episcopus, vel Rector (proprio excepto
30 Superiore) omnes alios quantumuis digniores precedat, quodque in loco tertio indifferenti Cardinalis Patriarcham, Patriarcha Primatem; Primates Archiepiscopum, Archiepiscopus Episcopum praecedat, Episcopus verò Praelatos alios, inter quos pontificiae Cappellae, seù Romanae Curiae iam praescriptus ordo seruandus est; Inter eiusdem verò Ecclesiae dignitates, Canonicos, & Clericos in solemnitatibus post Episcopum, vel Praelatum primum occupant locum illi, qui siue parati, siue cum habitu Canonicali, pro functionum diuersa qualitate, assistentiam, seù circulum faciunt, vnumque & idem corpus cum eo cōstituunt; Ideòque Vicarium etiam generalem, aliosve digniores in Choro, vel alibi existentes praecedunt.

Post istos verò Vicarius Generalis Episcopi, Dignitates, etiam primam in Cathedrali, & Canonicos praecedit, C, at-
31 que post illam, quae maior est in Cathedrali, primumque locum occupat, aliae iuxtà eorum fixum gradum succedunt; Inter Canonicos autem ordinum distributio precedentiam regulat, vt scilicèt Praesbyteri Diaconos, Diaconi Subdiaconos, & Subdiaconi Clericos praecedant, idque inter Cardinales quoque procedit; Inter singulos verò ordines, receptionis antiquitas maior locū digniorem praebet; Canonici verò sint suprà Beneficiatos, & Cappellanos, & isti suprà Clericos.

Quaestione cadente, vbi inter Dignitates, vel Canonicos aliquis extet,
32 qui Episcopali dignitate, & charactere praefulgeat, an primum locum suprà alios obtineat, quamuis propriae digni-

Suppl.lib.16.par.1.de Praemin.

 tatis

Y *disc.17. & 19. & 21. hoc tit.*
Z *disc.24. hoc tit.*
A *disc.24. hoc tit. & disc.1. de Regular.*
B *disc.31. & 35. de iurisdict. & disc. 22. hoc tit.*
C *disc.18. hoc tit.*

tatis, vel Canoniæ respectu, inferiorem occupare deberet; Atque Sacræ Congregationis decreta in tantæ dignitatis Episcopalis reuerentiam, iuxtà Basilicarum Vrbis praxim, Episcopis primùm præbent, ac digniorem locum; Nullo tamen primæ dignitati, vel antiquiori, seù digniori Canonico exindè resultāte preiudicio circà functiones, & munera sibi de iure, vel de consuetudine incumbentia. D.

Inter Cathedralis Archidiaconum, & Archipresbyterum apud antiquiores ma-
33 gna, nimiumque inuoluta fuit quæstio, non quidem super præcedentia personali in actibus indifferentibus, quam cōcorditèr Archidiacono tribuunt, sed super præeminentia explicandi pontificales, aliasque maiores, vel primarias functiones, quæ diuinum cultum, diuinaq; officia respiciunt; Aliquibus Archidiaconi partes indefinitè tuentibus; Alijs illas Præsbyteri; Alijs verò distinguentibus inter Archidiaconum in solo Diaconatus ordine suæ dignitati congruo constitutum, & illum qui Presbyteratum quoque obtineret, vt primo casu pro Archipresbytero, in altero autem pro Archidiacono responderi debeat, nisi centenaria non vitiosa, benèque conclusa, vel immemorabilis consuetudo, cui deferendum est, aliter exigat.

Simplicitatem autem id continet; Illæ siquidèm Archidiaconi, & Archipræsbyteri dignitates, de quibus Canones, vel primi Interpretes agunt, quorum vnus fixus, ac perpetuus Episcopi Vicarius in temporalibus; Alter verò in diuinis, vel spiritualibus erat, adeòvt Archipræsbyter in vniuersa diœcesi parochialia iura tanquam species Parochi vniuersalis, seù Vicarij Episcopi (qui Parochus parochorum est) exercere posset, in desuetudinē vbique abierint; Modernis Archidiaconis, & Archipræsbyteris, solam huiusmodi dignitatum nuncupationem, ac imaginem retinentibus, ideòque abusiuæ potiùs, quàm veræ sint, vbique non occupantes ea prima loca, quæ veræ dignitates ex præfata vicaria prærogatiua occupabant, frequentiori Italiæ consuetudini referendo, vt prima dignitas Archidiaconi; & secunda Archipresbyteri nomen haberet, cum in aliquibus eisdem etiam Italiæ Ecclesijs, diuersa sit consuetudo, vt prima dignitas diuersum habeat vocabulum, quod frequentiùs aliarum vltrà montes prouinciarum praxis docet, quamuis in Italia Archidiacono assistat præsumptio. E.

Pontificalium verò, seù maiorum functionum, vel officiorum, absente, vel impedito Episcopo præeminentia, non Ar-
34 chidiaconali, minùsque Archipræsbyterali annexa est dignitati, sed illi competit, qui primus, ac dignior in Capitulo sit eo tempore, quo ipsa functio peragenda est, quatenùs tamen ipse possit, & velit, cum inuitus non cogatur, sin minus alterius, qui inter volentes non impeditos primum occupet locum; Ea id congrua suadente ratione, vt pontificales præeminentiæ, Pontifice absente, vel impedito, ad Capitulum pertineant, tanquam reliquum corpus cathedraticum, quod absente, vel impedito capite, ex iuris non decrescendi, ius pontificale quoque obtinet; eodem modo quo in Episcopali iurisdictione sequitur.

Quia verò exercitium indiuiduum est per vnam animatam materialem personā explicandum; Hinc sicuti iurisdictionem per Vicarium ab eo deputatum exercet, ita hanc præeminentiam per eum, qui ipsius corporis primum sit membrū; Ideóque non ex Archidiaconali, seù Archipræsbyterali dignitate hæc præeminentia prouenit, sed ex capitulari prærogatiua; Exindèque si prima dignitas, Archipræsbyteri potiùs, quàm Archidiaconi nomen sortiatur, ipsa præeminentiā habebit; Idemque si Primicerij, Cantoris, Thesaurarij, Decani, Præpositi, vel simile vocabulum habeat, cùm non in nomine, seù vocabulo, sed in rebus præeminentia consistat. F.

Immemorabilis autem, vel centenariæ consuetudo meritò excepta est, ob consuetam istius operatiōnem facultatis allegandi Apostolicum priuilegium, siuè
35 fundationis legem, aliumve titulum meliorem, qui dari possit; Minor etenim etiam quadragenaria insufficiens meritò censenda est, nisi in aliquibus particularibus

D *in Supplem. hoc tit. ad disc.* 20.

E *d. disc.* 20. *hoc tit.*
F *eod. disc.* 20. *hoc tit.*

ribus actibus tantùm per limitationis regulæ speciem, ea inferiori hanc deferat præeminentiam; Probabili, receptaque id suadente distinctione, vt reproba censenda sit corruptelæ speciem redolens illa consuetudo, quæ genericam, ac regularem minùs digno suprà magis dignum præcedentiam, aliaque præeminentialia iura deferebat, secùs verò si particularisi casuum habeat restrictionem; Istaque distinctio regulat iuridicum assumptum, vt in præcedentijs, ac præeminentijs consuetudini deferendum sit, eaque principatum obtineat. G.

Eadem antiquiorum simplicitas alteram habebat disputationem inter Car-
36 dinalitiam, & Episcopalem, vel Patriarchalem dignitatem, quod paritèr in omnimodam abiuit desuetudinem, licèt etenim Episcopalis ordo Presbyterali, vel Diaconali, quem Cardinales obtinent, maior sit, iurisdictionalis tamen præeminentia, & senatoria qualitas, ob quam ad vniuersalis Ecclesiæ regiminis participationem per Pontificem admissi sunt, digniorem hodiè extrà quæstionem locum occupant. H.

De præcedentiæ verò, seù præeminentiarum quæstionibus inter eiusdem Re-
37 ligionis, vel Monasterij regulares professores, in sua peculiari Regularium sedæ agitur. Regulæ tamen certæ materia incapax est, cum à singularum religionum institutis, ac legibus, vel moribus id pendeat. I.

Eadem quoque in iurisdictionali materia insinuata plurisi Ecclesiarum vnio in hac præeminentiali considerari solet, vt vna alteri præeminere debeat, nec nè;
38 Plures etenim vnionum habentur species, in Ecclesiasticorum beneficiorum quoque sede recensitæ, quæ in Regnorum, ac Principatuum, & feudorum, vel dominiorum, & Ciuitatum vnionibus sequenti Rubrica insinuatæ habentur; Vna nempè, quæ omnindò subiectiua dicitur, per quam ea, quæ ita subiectiuè, & accessoriè vniatur priorem essentiam, ac prerogatiuam, prioremque statum amittit, fitque membrum, vel prędium illius cui vniri contingat.

Altera coæqualis, vel sociatiua, seù vnitiua est, per quam plures insimul vnitæ Ecclesiæ sociatiuo, & coæquali iure pariformitèr per speciem confusionis, vel socieratis concurrant ad vnam efformandam, vnumque ac idem formale, vel polyticum corpus constituendum, quamuis materialis diuisio, ac pluralitas accedat; Et tertia in praxi frequentior inter Cathedrales ea est, quæ æquè principalis dicitur, vt scilicèt qualibet primæuum statum, primæuamque propriam dignitatem, ac iura retinente, perindè ac si verè, & propriè inter se omnindò distinctæ forent, vnius Præsulis, vel Prælati, seù Rectoris regimini, ac administrationi cōmittantur; Quamuis etenim quoad istum duæ, vel plures pro vna habeantur, vt in vna residendo, alterius oneri residentiali satisfaciat, atque ad tribunal, quod in vna erigat, ac teneat sub vnico Generali Vicario, qui apud eum assistat, alterius subditos euocet, inter ipsas tamen omnimoda dignoscitur finium, iurium, ac præeminentiarum diuersitas, quam Episcopi, vel Prælati, vacante, vel impedita sede frequens docet praxis, vt cuiuslibet Capitulum proprium deputet Vicarium, propriamque exerceat iurisdictionem; Adeoque finium, vel Diœcesum diuersitas illibata remanet, vt Proninciarum, vel Metropolitanorum diuersitas in duabus ità vnitis dignoscatur; siuè quod vna Metropolitanum agnoscat, altera verò ab eo exempta sit, similesque resultent effectus.

Facti verò potiùs, quàm iuris est quæstio, certæ, & generalis proindè incapax regulæ, an vnam, vel alteram redoleat speciem vnio illa, quæ de facto vigeat, cum à facti circumstantijs pendeat; Huic verò posteriori æquè principali assistit præsumptio, cum ea fauorabilis reputetur; Altera verò sit odiosa, non de facili præsumenda. L.

De

G *disc.16. 28. & 30. & sæpius hoc tit.*
H *disc.34. hoc tit.*
I *tit. de Regular. disc.16. & seqq.*

L *disc.7. hoc tit.*

I I.

De laicalis, vel temporalis potestatis, & hierarchiæ, præeminentijs in se ipsa; De Regnorum nempè, Prouinciarum, & Ciuitatum; atque Regum, Principum, Baronum, Magistratuum, & priuatorum præeminentialibus iuribus, & qualitatibus.

ANtiquum independentium Regnorum, & dominiorum, seù Repu-
39 blicarum vsum penè aboleuere Romani, qui post Annibalis, & aliorũ victorias nimiùm potentes effecti, amicos, & inimicos, eadem metiendo mensura, totum ferè Orbem ad vnicum deduxerunt Imperium, ab eis rectum per subordinatos Præsides, Præfectos, & Proconsules, aliosque dependentes Vicarios, quibus ipsi Regium quoque titulum aliquando tribuebant, Historijs docentibus, vt Romani Ciuis amicitia, vel protectio, seù clientela Reges faceret.

Hoc autem priùs scisso, deindèque penè aboleto Romano Imperio, antiquus reuiuixit Republicarum, ac etiam independentium Regnorum, Principatuum, & dominiorum vsus, sub eodem antiquo Regio nomine, alijsque nouis, ac diuersis, quæ ipsis Romanis ignota fuere, Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum vocabulis, quadam etiam
40 suborta subordinati dominij specie, eisdem Romanis ignota, quæ feudorum, & feudatariorum vocabulũ habet; lite adhuc sub Iudice indecisa pendente, an Longobardorum, vel Germanorum inuentũ sit; Aliquibus etiam antiquę Imperialis dignitatis reliquijs, ac imagine in Germaniæ Imperatore adhuc remanentibus.

Plures itaque laicalis, vel temporalis potestatis, cui comparatiuè ad Ecclesia-
41 sticam, Lunæ attributum congruit (Ecclesiasticæ verò illa Solis competente) in nostro communicabili Christiano Orbe Principum, ac Dominorum, & Magistratuum species habentur; Imperatoris scilicèt, Regum, & Principum, omninò independentium, Republicarum, & Feudatariorum.

Istorum veró duplex est species; eorum nempè, qui regalia, veræque dignitatis iura obtinent, cum iure principatus,
42 adeòvt (paucis exceptis) independentium, ac supremorum Regum, & Principum, sub pręmissis, Principum, Ducũ, Marchionum, & Comitum, ac etiam quandoque Regum titulis, vel vocabulis agant figuram; Et eorum, qui omninó subordinata, ac dependentia obtineant vera, & nobilia feuda, quæ simplicem Baroniam, tanquam per speciem perpetuæ, ac successoriæ Pręfecturæ constituunt, ita Principum genere ab illo Baronum distincto; Quamuis quædam honorifica, & abusiua pręmissarum dignitatum, Principum, Ducum, Marchionũ, & Comitũ nuncupatio, ex proprij Principis, directique domini gratia, & munificentia eis quoque tribuatur, vt in feudorum sede aduertitur.

Singulæ verò huiusmodi principatuũ, ac dominiorum species, ad populorum regimen, & iustitiæ administrationem,
43 maiores, ac respectiuè minores habent Magistratus, quibus Vicariorum, Præsidum, Gubernatorum, Senatorum, Consiliariorum, Iudicum, & Officialium nomen congruit.

Altera quoque existente inferiorum laicalium Magistratuum specie, quæ sub Romanorum quoque Imperio, omnique
44 æuo vsu habita est, quæ Decurionum, & Consiliariorum, vel Magistratuum singularum subditarum Ciuitatum, & locorum æconomicam, & ciuilem concernunt administrationem, sub Vniuersitatis, vel Communitatis nomine.

Aliud quoque, Romanorum ad instar, maius irrepsit Monarchiæ, seù Coronæ vocabulum, plurium inter se indepen-
45 dentium Regnorum, ac principatuum, & dominiorum sub vno, eodemq; Principe, vnionis significatiuum; ad illius Metropolitanarum, & Cathedralium, aliarumq; inferiorum Ecclesiarum vnionis instar, quæ superiùs insinuata est; Eaque easdem habet species diuersas antecedenti rubrica insinuatas; vt nempè alia sit vnio merè subiectiua, per quam antiquum corpus, propria essentia amissa, seù annihilata, cum altero confundatur corpore, eiusque membrum fiat; Alia verò

verò sit coequalis, & sociatiua, per quã plura corpora æquè concurrant ad vnum efformandum; Et alia æquè principalis, per quam singula corpora sine mixtura, vel confusione, nullave dependentia, antiquam, propriamque naturam retineant.

Vnum tamen, eumdemque habeant Principem, & Rectorem, cuius vnica materialis persona plures formales, & inter se omninò distinctas constituere, seù re-
46 presentare dicitur; Istaque plurium dominiorũ vltima vnionis species sub Monarchiæ, vel Coronæ vocabulo explicatur. M.

Ex his autem distinctionibus præeminentiarum inspectio manat, cum eadem proportione, quæ intrà Ecclesiasticam potestatem post Papam, qui socium, vel æqualem non admittit inter Patriarcha-
47 les, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, Matrices, Collegiatas, Parochiales, & simplices Ecclesias, ac priuata Oratoria habetur, iuxtà superioritatis, ac dependentiæ respectiuè proportionem; Vt Superior subditum præcedat, illique supereminea.

Inter illos autem, qui coæqualem in qualibet respectiuè sphera potestatem habeant, adeóvt vnus ab altero non dependeat, antiquitatis ratio habeatur, siuè illæ preeminentiæ ordo seruetur, quem maior potentia, siuè consuetudo præbeat; Certa tamen, ac generali desupér non cadente regula, cùm Regionum diuersi mores, diuersam inducant praxim, multæque inter Principes, vel Respublicas adhuc sub Iudice indecisæ maneant maioris præeminentiæ questiones.

Ille verò inter præmissas Regum, Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & Domicellorum ordo pro regula habetur (a limitationibus tamen pro dicta Regionum diuersa praxi non immunis); Vt primum occupet locum dignitas Imperialis, Regia secundum, illa Principis tertium, Ducum quartum, Marchionum quintum, Comitum sextũ, Baronum septimum, aliorumque simplicium feudatariorum, & Domicellorum octauum; Quamuis etenim inhabitati loci vtile, vel subalternum dominium cum iure inferioris proprij, vel improprij feudi, ad differentiam Principatus, Baroniã importet, omnesque huiusmodi inferiores, ac subordinati feudatarij, & Domicelli, sub illius Principatus Baronum genere veniant; Non omnes tamen Baronis iuridicam dignitatem, ac ius nuncupationis, aliasque præeminentias habent, cum pro diuersis Regionum, ac Principatuum moribus, ipsa Baronia, dignitatis speciem quoque habeat, pro qua plurium locorum dominium desideratur, illud verò vnius, vel aliquorum nõ sufficiat, quod tamen ex premissis certam, ac generalem non recipit regulam ob adeó diuersos Regionum mores, & praxim.

Alia quoque pro eadem diuersa praxi inter illos, qui eadem seù coequali
48 potiantur dignitate, ac propterea antiquitas ordinem precedentiæ statuat, accidentalis irrepsit prærogatiua, quandã redolens imaginem illius modernæ preeminentiæ, quam in Ecclesiastica potestate, Cardinalitia dignitas suprà Patriarchalem, Archiepiscopalem, & Episcopalem obtinuit, vt scilicèt illi magni Reges, qui ob plurium Regnorum, & Principatuum dominium, Monarchicam sortiuntur dignitatem, seù nuncupationem aliquos Primos, vel Pares, seù Magnos, secum á latere sedentes creare solcant; Ideòque maiorem obtinere dicuntur prerogatiuam, ac præeminentiam.

Ordo siquidem præcedentiæ, aliarumque preeminentiarum ab ipso Principe
49 regulam, seù normam recipit, vt qui sibi proximior est, dignior remotiore censeatur, syderum Soli magis, vel minùs approximantium similitudine adhiberi solita. N.

Inter Ecclesiasticam autem, & secularem potestatem, super preeminentiarum,
50 vel præcedentiæ ordine, illa dignoscitur differentia, quod in ipso ordine putá Archiepiscoporum, vel Episcoporũ Ecclesiæ antiquitas, maiorve dignitas negligitur, sed intrà idem genus, eumdemque ordinem, promotionis personæ antiquitas attenditur, O; quatuor exceptis Patriarchatibus fixum occupantibus locum, possessoris neglecta priori, vel posteriori

M *disc. 29. hoc tit.*

N *in Supplemento hoc tit. pluriès.*
O *disc. 16. hoc tit.*

ftetiori assumptione, vt Constantinopolitanus primum, Alexandrinus secundum, Antiochenus tertium, & Hyrosolimitanus quartum occupet locnm.

In temporali veró hyerarchia dignitatum diuersus est ordo, vt intrá eiusdem
51 tituli, vel dignitatis possessores, non personæ antiquior prouisio, vel obtentio, sed ipsius erectæ dignitatis antiquitas, possessori pręcedentiam, aliaque præeminentialia tribuat iura; Nisi, huius antiquitatis quæstione cadente, quæ indecisa pendeat, possessoris maior antiquitas praxim præbeat.

Inter Magistratus veró, vel Senatores, aliaque Tribunalium membra, vnum
52 polyticum, siuè collegiatiuum corpus constituentia, adeóvt, idem sit munus, eademque pręrogatiua, dum receptionis antiquitas præeminentiam regulat, neglecta nominationis, vel deputationis antiquitate, nisi alitèr suadeat consuetudo, cui generalitèr in hac præeminentiali materia deferendum est. P.

Inter diuersos autem Magistratus, vbi consuetudo desit, vel ambigua sit, ideò
53 que ad iuris regulas recurrere oporteat, eadem superiùs insinuata parabola Solis, ac Stellarum retenta ex maiori proximitate Principis, vel maioris Magistratus, qui primam figuram faciat, pręeminentialis ordo regulandus est; siué inter Collegia, vel Tribunalia, maior iurisdictionis amplitudo, vt qui ordinariam, ac vniuersalem habeat causarum cognitionem, pręemineat deputato ad earum certum genus; siué in vtroque eadem data vniuersitate illa præualeat, quæ magis dignum subiectum habeat; Ideoque criminales Iudices, ac Magistratus ciui-
54 libus pręferendi sunt; Nisi altera prærogatiua, quæ in Iudicum persona accedat, regulæ suadeat limitationem, vt pro Romanæ Curiæ frequentiori praxi, prælatura aliquibus ciuilibus Magistratibus annexa suprá criminales, qui ea carere solent, præeminentiam causet.

Inter illos autem subditarum Ciuitatum, seù Communitatum Magistratus, qui æconomico potiùs, quàm politico, ac iurisdictionali regimini, ab eadē sub-
55 dita Ciuitate, vel populo præfici solent, sub Decurionum, vel Antianorum, seù Conseruatorum, aut Consiliariorum, aliove simili vocabulo explicari soliti; Ipsorum munerum qualitas in primis attendenda est; Vbi etenim certus, ac fixus muneri locus sit assignatus, tunc personę occupantis neglecta prærogatiua, ipse locus locato præeminentiam tribuit; Ista veró diuersitate cessante, personarū dignior qualitas præeminentiam regulat, ideóque nobilis ignobili præcedat, atque inter æquè nobiles ille, qui vtramque simul iunctam naturalem, & accidentalem, seù acquisitam, aut mixtam
56 habeat, quod scilicèt ille, qui natura sit nobilis, atque literarium, vel militarem quoque nobilitatis gradum habeat, alteri solam naturalem, vel solam accidentalē nobilitatem habenti veniat præferendus; Inter eos autem, qui æquali polleant prærogatiua, ætas maior præeminentiam causet; In eodem nobilium genere, regulariter neglecta maioris, vel minoris nobilitatis quæstione, vtpoté inconuenientium productiua, plus etenim, & minus speciem non variat.

Literarum veró, & armorum celebris præeminentialis quæstio est; Cum ea di-
57 stinctione decidi solita, vt in literarijs, ac ciuilibus actibus litteræ primum, dignioremque locum occupent; In militatibus autem arma, quæ in mixtis, vel indifferentibus togæ, seù literis locum cedant.

Eadem inter vtramque naturalis, & acquisitæ, seù accidentalis nobilitatis
58 quæstione cadente, cui potiùs locus tribui debeat; Quamuis autem theoricè, acquisitæ potiùs, quàm naturali, dignior locus debitus esse dignoscatur, frequentior tamen praxis, de facto maiorem naturalis nobilitatis existimationem producere videtur; siuè cum ea distinctione quæstio decidenda est, vt in coæquali specie, vel sphæra, acquisita cum literis, vel armis, vtpotè meritoria personæ, alteram ordinariam, seù legalem vincat naturalem nobilitatem, quæ nullum præsefert personale meritum, non autem vt cum magnatitia, vel generosa vtpotè diuersæ hyerarchiæ, vel sphæræ concursum habeat; Priuatus etenim, seù personalis præcedentiæ, seú præeminentiarum concursus inter eiusdem sphæræ, vel ordinis

P *disc.* 28. *hoc tit.*

dinis personas cadit, non autem ordinum diuersitate accedente, dum vltimus, vel minùs dignus superioris ordinis, primū, ac digniorem inferioris vincit; Vltimum tamen illi nobilitati præbendo locum, quæ non ex virtutis personali merito, sed ex Principis gratia, vel priuilegio manet. Q.

Vtriusque item Ecclesiasticæ, & laicalis potestatis, vel hierarchiæ, alia quoque
59 dignoscirur differentia; In Ecclesiastica siquidem semel obtenta dignitas, quæ indelebilem imprimat characterem, Patriarchalis scilicet, Archiepiscopalis, & Episcopalis, eumdem occupat, & retinet locum, quem semel obtinuit, quamuis administratio, vel actualis possessio ex voluntaria dimissione, siuè ex necessario impedimento desit, quia nempè ab infidelibus, vel hæreticis, seù schysmaticis occupata Ecclesia, titularis tantùm, spectato effectu, dignitas remaneat, vt iuxtà Pontificiæ Cappellæ ordinem antiquior iuniori actualem Ecclesiam habenti præferatur; Aliqua non improbabili dubitandi ratione cadente in ijs, qui titularibus Metropolitanis, vel Cathedralibus Ecclesijs insigniti, alterius actualis Archiepiscopi, vel Episcopi seruitorium, vel ministeriale munus gerant. R.

In temporalibus veró Regum, Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum, ac Senatorum, & Consiliariorum, alijsque similibus dignitatibus, solus titulus absque administratione, siuè ex priuilegio obtineatur, siuè pro pristina actuali obtenta, posteaque dimissa administratione retineatur post actuales locum occupat; Regionum tamen, seù locorum semper salua consuetudine huiusmodi quæstionum Iudice meliori. S.

Eiusdem laicalis potestatis præeminentia quæstiones parit, vbi extrà propriam iurisdictionem in Ecclesijs, vel in
60 Ecclesiasticis functionibus à laicali potestate exemptis sit concursus, an aliquam suprà alios præeminentiam obtinere debeat; Decet namque Magistratus ac publicas personas à priuatis differre, atque à reliquo populo distingui; Pro maiori veró, vel minori prærogatiua, seù modo distinguendi, est quęstio ab Ecclesiasticis ritibus, vel à legitima consuetudine, quę per Ecclesiam non improbata sit, recipiens decisionem, vt præsertim in throno elato, vel honorifica sede, an Principi, vel Baroni, vel Magistratui debeatur, frequens praxis docet, idque certam, ac generalem non habet regulam, sed paritèr á consuetudine per Ecclesiā non improbata, siuè diuersa ipsarum Ecclesiarum dignitate, & prærogatiua decisionem recipit. T.

III.

De Nobilitate, eiusque diuersis speciebus, vel gradibus, ac effectibus, & praeminentijs exindè resultantibus.

QVamuis nobilitas in genere naturæ, vel virtutis donum sit, quod idem humanum genus distin-
61 guit, vt eos qui illa fulgeant, ijs, qui ea careant, maiores, dignioresque reddat, atque aliquorum faciat honorum capaces, quorū incapaces censentur ignobiles; Quamplures tamen eiusdem generis, singulorumq; generum species, vel sphera habentur eodem modo, quo in vtraque Ecclesiastica, & sæculari generica hierarchia, ordinum, ac dignitatum habentur distinctiones; Prima etenim, ac generica nobilitatis distinctio est, quæ duo constituit genera, naturalis nempè vnum, Et acquisitæ, siuè accidentalis alterum.

Naturale veró genus plures habet species, quarum prima, omniumque maior est ea nobilitas, quam supremus, & ab-
62 solutus principatus producit; semper etenim qui superiorem non agnoscit, neque alienæ subditus est potestati, quolibet subdito dignior est censendus, naturali neglecta maiori prærogatiua, vel antiquitate, maiorumque gradibus, & honoribus, quibus subdita familia præfulgeat.

Secun-

Q *disc. 35. hoc tit.*
R *d. disc. 16. hoc tit.*
S *tit. de feud. disc. 84. & in Supplem.*
T *disc. 26. 27. & 30. hoc tit.*

Secundum occupat locum ea nobilitas, quæ magnatitia, atque legalitèr il-
63 lustris dicitur; Magnatum scilicèt, ac Illustrium virorum, qui cum antiquis dominijs, antiquisve Principis, Ducis, Marchionis, vel Comitis dignitatibus, primam post supremum Principem figuram faciant, ipsiusque Reipublicæ nobile corpus efforment, vbique tamen hominum opinione inter Illustrium, & Magnatum antiquorum habeant existimationem.

Quamuis etenim in propria eius, qui dignitates confert ditione, vel principatu, ipsius dignitatis qualitas, pariformes in Consilijs, & Parlamentis, alijsque magnatitijs ordinis functionibus, neglecta possessorum personali qualitate, siue adeptionis antiquitate, producat effectus, & prærogatiuas, antiquitate aliquam præcedentiam in eodem ordine solùm producente, ideóque primi, ac magnatitij ordinis ita censeantur antiqui, ac moderni Principes, Duces, Marchiones, & Comites, Cardinalitiæ, Patriarchalis, Archiepiscopalis, & Episcopalis dignitatum ad instar; Legalis tamen, siue artificialis, ac ficta hæc magnatia nobilitas censenda est, intrà iurisdictionem scilicèt illius Principis, qui dignitates contulit ad legales effectus operatiuam, non autem pro existimatione in vniuersum cum non subditis, ac extrà eam ditionem; Ideòque inter artificialis, vel accidentalis generis species potiùs recensenda est, atque in ea occupat locum, non autem in hoc genere naturalis; Ea etenim proprié sub hac sphera cadit magnatitia nobilitas, quam talis existimationis Hierosolymitana Religio habet, vt Magnatū huiusmodi illegitimos liberos nobiles reputet, atque ad habitum Iustitiæ admittat.

Tertium ea naturalis nobilitas locum occupat, quæ à præcedenti illustri, seù
64 magnatitia pendeat, diuersamque superiorem, super sequentem qualificatam, seù generosam speciem, seù spherā constituat, & quam communis modernus loquendi vsus, equestrem appellat, talisque spheræ nobilibus, Equitum vulgò *Caualleriorum* nomen, vel titulum congruit; A magnatum nempè secundogenitis dependentiam habente, siuè à primogenitis, magnatitia dignitate amissa, siue vbi eadem magnatitia dignitas nō adsit, illustrium in armis, & literis virorum, continuatove, & amplo, longove progressu, ac antiquo splendore illustrem reddentibus familiam, quæ publicæ, ac notoriæ speciem quoque habeat.

Quartum, ea naturalis priuata nobi-
65 litas locum occupat, quæ suprà legalem longè magis qualificata sit, eique ad ordinariæ, seù legalis differentiam generosæ vocabulum tribuitur, & congruit, eave ad præfatæ Hierosolymitanæ Religionis (à qua reliquæ similes militiæ normam accipiunt) iustitiæ habitum obtinēdum sufficiens, ac respectiuè necessaria reputatur; Eaque dicitur, quæ ex omnibus quatuor, patris, matris, ac vtriusque paternæ, & maternæ auiæ lateribus constet, atque immemorabilem habeat nobilis vitæ statum, famam, ac existimationem, sordidique, ac mecanici exercitij memoriam non habeat, immemorabilemque cognitorum insignium, vel armorum, nobilium familiarum ad instar, admixtum quoque vsum possideat.

Quintum occupat locum illa ordinaria, seù legalis nobilitas, quæ pro nobi-
66 libus Ciuitatis, vel loci Magistratibus, & muneribus, alijsque nobilium legalibus prærogatiuis, illa presertim exemptionis à seruitijs, alijsque sordidis muneribus personalibus, ac popularium, & ignobilium pœnis competit.

Ex paterno autem latere ista nobilitas regulam accipit, matris, ac vtriusque auiæ ignobilitate neglecta; E conuersò veró matris, & auiarum nobilitas, ignobilem patrem habenti non prodest, cum legales regulæ in ijs, quæ nobilitatem concernunt, paternam spectari debere conditionem statuant, in libertate verò, vel seruitute, maternam.

Huic itaque legali, ac genericæ nobilitati proprié ea generica antiquorum philosophorum definitio congruit, quod longa diuitiarum possessio, seù continuatio sit, atque patris, & aui ciuilis viuendi forma sufficiens reputetur, magis veró si antiquior sit.

Vltimum demùm in hoc naturalis nobilitatis genere occupat locum illa spe-
67 cies, quæ etsi iuridicam non redolet nobilitatem, eius tamen aliquam habet imaginem pro minoribus effectibus, vel prerogatiuis, ea presertim exemptionis à vilibus, ac sordidis seruitijs personalibus

bus, illaque merè personali collecta, cui capitationis nomen congruit, per solos ignobiles, ac plebeos soluenda, quia nobilitèr viuentes, in diuitiarum statu suæ posteritati naturalem præparent nobilitatem, siuè quoddam præbeant initium sub ciuium, vel ciuilium, seù nobilitèr viuentium nomine, seù vocabulo explicari soliti, iuxtà varios Regionum mores, qui vniformem generalem regulam excludunt; In aliquibus etenim Hispaniarum partibus, etiam qualificatæ, generosæve nobilitatis viri, sub hoc ciuium honoratorum, vel diuitum hominum nomine, seù vocabulo explicantur, quod in Italia longè diuersam habet significationē, vel effectum parit.

68 Altera quoque pro Regionum, seù locorum moribus, habetur nobilitatis species, quæ restricta dicitur, aliquarum nempè Ciuitatis familiarum, quibus eiusdem Ciuitatis, vel loci publica nobilia munera, & Magistratus priuatiuè congruant; Alijs verò quamuis generosa, imò equestri, vel magnatitia nobilitate polleant, denegantur.

69 Inter omnes verò recensitas species neque vniformis est existimatio, sed ea maior, vel minor est pro Ditionum, seù Principatuum, ac respectiuè Ciuitatum, & locorum qualitate; Eadem etenim nō est præeminentia, ac existimatio Regum, & supremorum Principum magni Regni, vel Principatus, magnæve Monarchiæ, vel potentiæ, vt est exigui, vel mediocris; Eademve proportio est in secunda Magnatum specie; Vt etiam in tertia, & quarta, maior est nobilium Regiæ, seù Metropoliticæ, quàm inferioris Ciuitatis prerogatiua; Atque inter inferiores æquè subditas Ciuitates diuersæ dignoscuntur Classes maiores, & minores; Quinimò etiam inter æquales notabilis dignoscitur differentia inter illas, quæ nobilium à popularibus formalem habeant separationem, ac etiam earum, quæ sub immediata Regis, vel supremi Principis superioritate, ac regimine sint; Ac earum quæ baronalem, seù feudalem patiantur seruitutem; siuè vbi de Ciuitatibus, vel Oppidis, & Castris discretiuè agatur; Quamuis etenim in proprio loco inter eiusdem nobiles, & populares eadem sit proportio, longè tamen diuersa existimatio est, longèque diuersi manant effectus ex ipsorum locorum maiori, vel digniori qualitate. T.

70 Alterum accidentalis, vel acquisitæ nobilitatis genus, diuersarum quoque specierum patitur diuisionē; Ea primum occupante locum, quam nouitèr obtenta Cardinalitia, vel Episcopalis Ecclesiastica dignitas, aut ea prophana in propria & abusiua Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, & Baronum dignitas, quæ subditis, ac subordinatis fideicommissarijs concedi solet, & quæ vbi antiqua sit, suprà recensitum secundum naturalis nobilitatis gradum constituit; siuè altera Senatoria primi ordinis Consiliariorum Principis à latere assistentium; Vel maiorum, ac supremorum militiæ, & exercitus Ducum.

71 Altera minoris gradus est ea, quam literarum, vel armorum virtus, vel meritum producat, quotiés nullus accedat gradus, vel dignitas; Istoque casu, antiquiorum scholasticæ potiùs, quàm forenses intrant quæstiones, an practicis professoribus ità facultatum nobilitas congruat, & an in eis nimia excellentia requiratur; Gradus tamen Doctoris, vel Ducis militum, huiusmodi quæstionum occasionem remouet, dum ipse gradus vtpotè ex Principis mediata, vel immediata auctoritate collatus, speciem dignitatis redolens, hunc operatur effectū, etiam in medica, scientifica tamen facultate, quæ inter omnes magis mechanicum admixtum habet opus; Sola facultate sine gradu nobilitatem non pariente, nisi magnæ excellentiæ metam obtineat. V.

In hac etiam specie accedentibus ijsdem, maioris, ac minoris existimationis gradibus, qui in altera naturalis nobilitatis specie insinuantur, ob excellentiam, vel maiorem, ac respectiuè minorem dignitatem, seù Magistratus, & munera.

Eundem effectum, quem huiusmodi literarij, vel militares gradus operantur,

Suppl. Lib. 16. par. 1. de Præmin.

 indu-

T *disc. 32. cum tribus seqq. hoc tit. & in Supplemento.*

V. *disc. 35.*

inducunt quoque ecclesiasticæ Dignita-
72 tes Episcopatu inferiores, ac præsertim
Cathedralium Canonicatus recensentur
vtpotè Senatoriæ, ac iurisdictionalis Di-
gnitatis speciem redolentes, dum Cano-
nici, cum Episcopo cathedraticum cor-
pusvel Senatum efformant X; Eundem
operantibus effectum similibus Dignita-
tibus, vel muneribus pro locorum, ac
Regionum moribus, quibus deferendum
est.

Postremùm, ea nobilitatis species lo-
cum occupat, quæ merè priuilegiatiua
73 sit,& absque literario,vel militari merito
personali, sed ex mera gratia, & Princi-
pis priuilegio obueniat, vt in aliquibus
Principum infimis, ac mecanicis fami-
liaribus, siuè in aliquibus in arte excel-
lentibus; Et quandoque ob vitiorum ex-
cellentiam, quæ sæpiùs apud Principes,
& magnates magis prȩeminet, praxis
docet. Y.

Soli autem supremo Principi, vel cui
74 ipse concesserit, non autem Baronibus,
& Domicellis, vel Subditis Ciuitatibus,
alijsque Magistratibus, nobiles creandi
facultas competit,cùm de Regalibus hęc
potestas censeatur; Soli etenim Principi
conceditur fictioni, veritatis vim,ac ope-
rationem tribuere, atque ita personæ sta-
tum immutare, ea specie nobilitatis,
quàm subditi Barones, & Domicelli, vel
subditæ Ciuitates conferunt, ad effe-
ctus ipsi Collatori præiudiciales suffra-
gante. Z.

Quamuis autem frequens doceat pra-
75 xis, vt subditæ Ciuitates,vel aliquæ no-
bilium Vniuersitates, & adunantiæ, quæ
sub sedilium, vel platearum, siuè Col-
legiorum, alijsque similibus vocabulis
explicantur,ad nobilitatem personarum,
ac familiarum faciant aggregationes, ex
Principis tamen explicito id prouenit
priuilegio, vel ex eo implicito, quod
immemorabilis consuetudo producat;
Siuè vt id nobilitatis, quæ aliàs desit,
collationem non importet, potiùs verò
veritatis, ac iustitiæ agnitionem redo-
leat, ita in eorum cætu admittendo eos,
qui ex natura, vel ex accidenti iam no-
biles essent, quamuis in illa Vniuersita-
te, eiusque muneribus, ac peculiaribus
prærogatiuis ius non haberent; Ideòque
non est nobilitatem ex integro conferre,
neque eum, qui natura ignobilis esset,
nobilem creare, cum id (vt præmissum
est) supremæ tantùm sit potestatis, quæ
fictum efficere potest verum; Principa-
tuum tamen, ac locorum moribus desu-
pèr vniuersam hanc materiam Regulan-
tibus. A.

Præcedenti verò actum est Rubrica
76 maioris prærogatiuæ, ac existimationis,
an accidentali,vel naturali nobilitati po-
tiùs debita sit.

Sicutì autem omne vinculum, eo mo-
do quo ligatum est, soluitur, omneque
77 ædificatum ab eodem ædificante, faci-
liùs quàm ab altera manu demolitur,
ità nobilitas, quæ iam quæsita sit, amit-
titur, ac degenerat, ex vitijs, ac indi-
gnitatibus, quæ oppositæ sint virtuti-
bus, quæ illam produxerunt; Siuè ex
sordidis, ac mecanicis ministerijs, quæ
nobilis vitæ sunt destructiua, ideòque
ille, quem natura, vel gradus, nobilem
reddidit,ex proprio delicto,seù vili exer-
citio ignobilis euadit, ignobiliumque
more censendus est. B.

Non omne tamen crimen, vel vitium,
hunc producit effectum, sed illud, quod
78 locorum leges, vel mores tale reputant;
Præsertim verò, pro magis conformibus,
Nationum, seù Regionum moribus, fur-
tum, & grassatio, ac assassinium in figu-
ra mandatarij, non autem mandantis,
atque vtraque diuina, & humana læsa
Maiestas, hunc producunt effectum.

Minùsque omne mecanicum exerci-
79 tium hanc facit operationem, sed illud
quod pro moribus Regionis, solis igno-
bilibus, ac plebeis congruum, nobili-
bus verò omninò incongruum reputatur;
Idque certam, ac generalem non recipit
regulam, cum apud aliquas gentes, vel
nationes, ex recepta, probataque con-
suetudine, etiam sordidæ mercaturæ,
vel agriculturæ exercitium in re propria,
cum ipsamet qualificata equestri, vel ge-
nerosa nobilitate compatibile reputetur;
Apud alias verò omninò abhorritum,
ac damnabile sit, ideòque moribus de-
feren-

X. *eod disc.35.*
Y. *ibidem.*
Z. *disc.30. & seqq. & 35.*
A. *vt suprà.*
B. *eodem disc.35.*

ferendum venit. C.

Iuris autem, ac Iuristarum attentis regulis, ac traditionibus, Agricultura conductitia, & in re aliena, non autem in re propria nobilitati præiudicat; Mercatura verò parua, & mecanica, quæ per se ipsum, non autem magna, & intellectualis, vel per scripturam, cuius exercitium per famulos, ac ministros habeatur. D.

In vna, eademque familia, quæ vnum habeat stipitem, nobilium, ac ignobi-
80 lium compatibilis concursus practicabilis est, vt vna linea, vel colonellus nobilitèr, alter verò ignobilitèr vixerit, vel quod eiusdem lineæ personæ diuersam habeant viuendi normam. E.

Singularum verò personarum indignitas, generis, vel familiæ nobilitati, nul-
81 lum parit præiudicium, quod ipsius tantùm indigni erit, vt ab ijs excludatur honoribus, ac priuilegijs, & fauoribus, quibus natura, vel maiorum merita, seù Principis gratia eum vestierat, ipse verò se spoliauit.

Maioris verò demeriti ille censendus est, qui in statu nobili natus, ignobilem ducit vitam, ignobilesque mores habet, quàm ille, qui á natura, vel fortuna, hoc beneficio est destitutus; Iste siquidèm excusatione dignus censendus est, si per eam maiorum viam ambulat, quàm inuenit; Ille verò bonam, ac nobilem à maioribus sibi paratam habens viam, eã deserit, ignobilemque, ac deteriorem indignè eligit. F.

Patris autem ignobilitatem filijs non obesse, communis est Iuristarum sensus,
82 vbi auita poriùs nobilia, quàm paterna ignobilia vestigia sequantur, sicutì etenim in fideicommissis, vel gentilitijs patronatibus, ac iuribus, vel antiquis pacti, & prouidentiæ feudis, successoribus ex propria persona, proprioue iure venientibus, conceditur bona, vel iura à Patre distracta, vel neglecta recuperare, maiorumque statum restituere, sibi obesse non debentibus patris, aliorumuè predecessorum culpis, ac præiudicijs; Ità eadem impellente ratione, in hac nobi-

Suppl. lib. 16. par. 1. de Præeminen.

C. *disc. 32. & seqq.*

D. *ibidem.*

E. *ibid. & tit. de iurepatron. disc. 31.*

F. *d. disc. 35.*

litatis prærogatiua dicendum est; Nisi etiam Aui, aliorumuè maiorum, longa, & continuata ignobilitas, eodẽ modo, quo quæsita est, in toto aboleuerit genere; Idque certam, ac generalem non recipit regulam, cùm ab ijsdem Regionum moribus, alijsuè circumstantijs normam, seù decisionem recipiat. G.

IV.

De titulis, & intitulationibus, alijsque nuncupationibus, & adiectis, vel tractatibus.

Legalium regularum incapax, ista titulorum, seù nuncupationum, & adiectorum materia videtur, cum locorum, & Regionum vsus, vel abusus, tem-
83 porumque conditiones torum faciant; Ipsa nostra ætate maximam desupèr edocente alterationem, ideóque locorum moribus deferendum est; Euidensque reputatur error eorum, qui cum antiquis moribus, vel formularijs, moderna volunt regulare tempora; Currentibus etenim moribus obediendum esse edocemur, non autem ex obliuionis sepulchris suscitanda ea, quæ iam antiquata sint.

Ciuilium autem, seù Romanorum legum dispositione attenta, siuè earum antiquorum Interpretum, & professorum
84 spectato sensu; *Illustris viri* titulus, magnatibus tantùm, qui Principum, Ducum, Marchionum, & Comitum dignitatem abusiuam, saltèm habeant, conceditur; Illo *perillustris* Regibus, ac Supremis Principibus, siuè Regnorum Vicarijs, supremisuè moderatoribus, antiquorum Proconsulum, & Præfectorum figuram gerentibus, vix concesso, Illo autem superlatiuo, quod *Illustrissimi* dicitur, solis Papæ, & Imperatori reseruatis;

Eo verò *spectabilis*, aliquibus magnis, primique Ordinis Senatoribus, & Ma-

G. *disc. 33. & seqq. & d. disc. 31. de iurepatronat.*

85 gistratibus congruo; Altero autem, *Magnifici*, qualificatis, ac generosis nobilibus, alijsque qualificatorum Magistratuum, siuè literarium, vel militarem habentibus gradum competente. H.

Hinc itaque, quàm magna morum, ac temporum sit mutatio, edocemur, dum
86 illum, qui solius Pontificiæ, ac Imperialis dignitatis titulus erat, pro nostri sæculi moribus irrisione quidem dignis, illæ vsurpant personæ, quibus vix *Magnifici* congruat intitulatio.

Aliqua tamen Tribunalia iuridicum
87 morem laudabilitèr conseruant, vt Illustris titulus Solis Magnatibus, Principum, Ducum, Marchionnm, & Comitum dignitate cospicuis tribuatur; Ille *spectabilis*, maioribus, ac primarijs Senatoribus, Magistratibus, & Consiliarijs, qui à Principis, vel Supremi Vicarij latere sedeant; Ille verò *Magnifici*, Consiliarijs, alijsque magnorum Tribunaliū Iudicibus, & Magistraribus, ac etiam Aduocatis, illisque solùm qualificatis viris, qui æquestri, vel generosa nobilitate fulgeant; Idque in iudicialibus nimia quidèm commendatione dignum censendum est: Dedecet namque Iudices, qui vice, ac nomine Principis, vel Reipublicæ loquuntur, sæculi corruptos, & contemptibiles mores, vel abusus, ac illicitas, & temerarias nuncupationes canonizare, & sequi. I.

De iure etenim indebitos, siuè incon-
88 gruos titulos, & nuncupationes assumentibus interdicendum est; Atque leges desupèr proferri hanc refrenantes licentiam, commendabile reputatur. L.

Cognominis, vel familiæ, siuè alterius adiecti, vel stemmatum, siuè armorum, & insignium nouus vsus ab aliquo assumptus, ab eo, qui antiquiorem illius
89 cognominis, vel adiecti, seù insignium antiquiorem vsum iam obtinet, Iudicis officium, & auctoritatem imploranre, interdici potest, ob grauia præiudicia, quæ nobilitati, alijsque præeminentijs antiqui possessoris ità manare solent. M.

In Ecclesiastica quoq; hyerarchia ex
90 eadem, vel simili ratione præiudicij eadem iam ab aliqua Ecclesia, vel Ecclesiastica, seù pia Vniuersitare, aut à Cappella, vel Altari, assumpta nuncupatio, alteri Ecclesiæ, vel Cappellæ, siuè Altari, aut Vniuersitati, vel Congregationi prohiberi potest. N.

Patronorum verò præeminentiæ, in patronata Ecclesia, vel Cappella, sub
91 iurispatronatus peculiari cadunt sede; Suamque paritèr sedè habent parochiales, vel capitulares, aliæuè similes.

92 Fratrum quoque, aliorumuè sociorum, vel consortium, indiuiduam rem, vel ius pro communi possidentium præeminentiales quæstiones forus audire solet in retentione, putà, clauium, vel scripturarum, aliorumuè iurium exercitio, quod sub præmissa patronatuum, ac altera hæredum sedibus cadit.

V.

De Ciuilitate, eiusque diuersis speciebus, ac effectibus.

Plures, diuersasque locorum ciuilitates, ab eadem persona eodem
93 tempore obtineri, lex concedit, pro eo plurium formalium personarum etiam incompatibilium concursu, quem eadem lex in eadem persona materiali, pro respectuum diuersitate admittit. O.

Ideòque plures habenrur ciuilitatis species; Vna scilicèt naturalis, quæ sub
94 originariæ vocabulo explicatur; Altera accidenralis, vel acquisita, quæ domiciliaria dicitur; Et altera paritèr accidentalis, vel acquisita, quæ priuilegiaria, siuè occasionalis sit.

Naturalis autem, siuè originaria, plures quoque subalternas haber species; Vna siquidèm omninò vera, & propria,
95 tàm legalis, quàm naturalis est, quæ propriam, ac parentis originem in loco habeat, adeòvt nulla legis fictio, vel suppletio accedat; Altera paritèr magis naturalis, minorem habens fictionem, ea

H. *d.disc.30.*
I. *d. disc.30.*
L. *ibidem.*
M. *disc.10. hoc tit. & in Supplemento tit. de Regular. disc.21. 31. & 32.*
N. *d. disc.10. hoc tit. disc.31. & 32. de Regular.*
O. *disc.36. & seqq. & disc.104. de Regal.*

ea est, quæ ex propria natiuitate, ab eo extero patre, qui domiciliariam iam contraxerit in loco ciuilitatem, proueniat.

Tertia, quæ naturæ, & veritatis, in propria persona, & ex propria natiuitate in loco, fomentum habeat, ex extero tamen patre, casualitèr, vel occasionalitèr sequuta.

Et quarta ea, quæ maiorem habet legis fictionem, quia nempè in propria persona, propriauè natiuitate, naturalis desit veritas, originaria verò,
96 ciuica paterna qualitas filio eandem tribuit originariam ciuilitatem, illa matris nobilitatis ad instar hunc non producente effectum.

Quæstio in[...]dente, an auita origo, eundem operetur effectum; Idque ex Regionum moribus, factiuè circumstantijs decisionem expectat; Ex ea potissimum distinctione, an diuersi loci natiuitas causatiua, vel occasionalis dici mereatur, quia nempè Pater, alijuè maiores, non vt domicilium, propria neglecta originaria patria cōtraherent, ibi morari contingat, sed officij feudi, mercaturæ, aulæ, vel professionis, seù artis occasione.

Isto etenim casu, originaria ciuilitas magis retineri dicitur, vt alibi
97 occasionalitèr natus, ac si verè, & propriè in originaria patria natus esset habendus veniat, quamuis longa in diuerso loco fuerit mora maiorum, natales quoque ibi habentium P.; In altero verò casu, formalis domicilij, cum omnimoda, vel aliqua originariæ patriæ desertione, super auita, vel antiquiori originariæ qualitatis transmissione, maior viget quæstio, à Regionum moribus paritèr decidenda. Q.

Hinc duplicem quoq; originariam qualitatem in eadem persona concurrere sequitur; Vnam scilicèt propriā; Alteram verò parentis; Quamuis etenim occasionalitèr, vel causatiuè ex-
98 trà patriam in diuerso loco natus, habeatur ac si, verè, & propriè in ipsa patria natales habuerit; Adhuc tamen naturæ beneficium sibi non est denegandum, vt originarius Ciuis illius loci dici mereatur, vbi verè natus est.

Dubitandi ratione cadente, vbi affectata sit natiuitas, quæ fraudis re-
99 doleat suspicionem, quia nempè vxorem quis habeat in propria patria prægnantem, ad Metropoliticam, vel Regiam, seù aliàs magis qualificatam, & priuilegiatam ducat Ciuitatem, vt ibi edendus partus, illius Ciuitatis fauoribus, ac priuilegijs potiatur, ad patriam reuersurus; Idque varias habet sententias, probabilior verò ea videtur, quæ magis fauorabilis est, pro competentia illorum fauorum, ac priuilegiorum, quæ ius tertij directè non tollant, neque odium redoleant.

Domiciliaria ciuilitas ea est, quæ per exterum in aliena patria eligen-
100 tem domicilium acquiratur; Eaque vbi quæsita sit eosdem fauorabiles, ac odiosos operatur effectus, quos ipsa originaria, seù naturalis ciuilitas producit, cum ei assimilata sit, nisi munerum qualitas veram, ac naturalem pro loci moribus, vel legibus exigat, istāque fictam non admittat.

Maiores autē fori quæstiones hanc percutiunt veri domicilij acquisitionem, quando scilicèt ea sequuta di-
101 catur, pro consueta opinionum scissura, varijs varia sentientibus; Aliqui etenim decennalem adminus desiderant habitationem; Alij ista non contenti, bonorum stabilium acquisitionem, ac vxoris susceptionem, onerumque supportationem exigunt; Probabiliùs verò est, vt facti potiùs, ac voluntatis, quàm iuris quæstio sit, ideòque certam, ac vniformem non recipiat regulam, solitusque sit pragmaticorum error, cum generalitatibus, vel cum particularium casuum rebus iudicatis desupèr procedere, cùm verè ex singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, voluntatem includentibus, vel excludentibus decisio pendeat.

Longa siquidèm, imò longissima, diuturnaque mora, cum vxoris susce-
ptione,

P. *locis supra citatis.*
Q. *ibidem.*

ptione, liberorumque procreatione,
102 atque bonorum notabili acquifitione, pro frequenti praxi, dantur quoque in ijs, qui muneris, vel feudi, feù mercaturæ, vel aulæ, feù profeffionis occafione, in eo loco morentur; Non tamen exindè domicilium cōtrahunt; Et é conuerfo breui incolatu, cum expreffa animi declaratione, Ciuicorumque onerum, vel munerum fufceptione, ac refpectiuè admiffione, verus quis efficiatur domiciliarius, ideòque Iudicis prudenti arbitrio, ex facti circumftantijs pro perfonarum qualitate, præfertim veró pro Regionum, feù locorum diuerfis moribus regulãndo, commiffa res eft.

Tertia magis ficta ciuilitas eft ea, quæ merè priuilegiatiua fit, & quàm pro generali regula nobilitatis ad in-
103 ftar, folus Princeps concedit, eaque de Regalibus reputatur; Solius etenim fupremæ poteftatis eft, fictum reddere verum, atque veri operationem ficto tribuere; Subditis verò Ciuitatibus, vel Dominis, Supremi Principis Indulto ceffante, eam folam tribuere conceditur ciuilitatem, quæ concedenti, atque ab eo dependentibus præiudicet, non autem, vt perfonæ ftatum in omnibus firmet.

Quæftione cadente, cum confueta opinionum fciffura, & varietate, an ad ciuicos fauorabiles effectus, folum
104 priuilegium eius, qui concedere valeat, fufficiens cenfendum fit, abfque onerum fupportatione, vel potiús ifta neceffaria fit; Iftaque facti potiùs, quàm iuris quæftio quoque dicenda eft, ex priuilegij tenore, & concedentis poteftate, finè ab ea interpretatione, quám obferuantia dederit, vel à locorum legibus, ac moribus decidenda.

Altera quoque ficta, feú occafionalis datur ciuilitatis fpecies, quæ à loci
105 dominio, vel feudo, fiuè à beneficio, vel officio refultat; Feudatarius etenim, & Baro, feù Dominus, in ijs, quæ feudum, vel dominium loci concernunt, non autem in alijs, quæ diuerfo, ac priuato iure in eodem loco poffideat, primus dicitur Ciuis, quamuis originaria, vel domiciliaria ciuilitas defit; Idemque fortiùs in Epifcopo in vniuerfa Diœcefi, in illis, quæ Epifcopalem Dignitatem, vel Epifcopalis Menfæ iura concernant; Et in Cathedralis Canonicis, ac dignitatibus, & refpectiuè in locorum Parochis, fiué in loci Iudicibus, & Magiftratibus; Occafionalis verò dicitur, vtpotè caufa, vel occafione durante, folam habens durationem;
106 Adhuc tamē certæ, ac vniformis regulæ materia incapax cẽfenda eft, ex Regionum, feù locorum diuerfis legibus, vel moribus recipiens decifionem, quę pro effectuum quoque diuerfa qualitate, diuerfa effe folet.

Facti quoque, ac voluntatis potiùs quàm iuris, eandem recipiens normã, vel decifionem, ex particularium cafuum circumftantijs, ac Regionum,
107 feù locorum moribus, oppofita eft quæftio, in omnium præmiffarum ciuilitatum defertione, feù amiffione; Quamuis etenim pro confueta pragmaticorum præfertim ineptia, eadem dignofcatur opinionum fciffura, multæque defupér habeantur formalitates, ac generalitates, cum quibus leguleici vulgi turba procedere folet, ciuicum ftatum, vel ciuicos diuerfi loci actus ponderando; Errorem tamen id continet, ob fuperiùs enunciatarum plurium ciuilitatum compatibilem concurfum; Ideóque eidem Iudicis arbitrio res commiffa eft, ex cafuum circumftantjs, & argumentis regulando, potiffimé veró ex ditionum, vel locorum legibus, vel moribus, atque ex effectuum magis, vel minus præiudicialium qualitate.





